




Geo Duffield

Section
No.


DEO REIPUBLICÆ ET AMICIS
ESTO SEMPER FIDELIS.





Geo Duffield

Section ____________
No. ____________


DEO REIPUBLICÆ ET AMICIS
ESTO SEMPER FIDELIS.



Witsius, Herman

HERMANNI WITSII

MISCELLANEORUM SACRORUM

TOMUS ALTER.

CONTINENS

XXIII. Exercitationes, maxima ex parte Historico- & Critico-Theologicas; nonnullas in Ultrajectina, alias in Leidensi Academia, studiosæ juventuti exhibitas.

Quibus accesserunt

ANIMADVERSIONES IRENICÆ


ad Controversias quasdam Anglicanas;

UT ET

ORATIONES QUINQUE.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CONRADUM MEYERUM,
M D CC XXXVI.



Nobilissimo & Amplissimo
VIRO
PAULO VOET,
VAN
WINSSEN.

PRIMIS
IN DIOECESI ULTRAJECTINA
ET REPUBLICA BELGICA
DIGNITATIBUS
SUMMA CUM LAUDE FUNCTO
NUNC
ORDINUM ULTRAJECTINORUM
SECRETARIO
SUA MAGIS ERUDITIONE VIR-
TUTE MERITIS
QUAM PUBLICIS TAMETSI HO-
NORATISSIMIS MUNERIBUS
ILLUSTRI
EXERCITATIONES HASCE MIS-
CELLANEAS SACRAS FACIT
HERMANNUS WITSIUS.

Quum



DEDICATIO.



UUM ante hos ſex annos partem aliquam harum Exercitationum, Ultrajecti elucubratam, in lucem ederem, non diu mihi deliberandum fuit, *VIR NOBILISSIME*, cujus potiſſimum nomen pagellis iſtis præſcriberem. Tu amicorum omnium unus tunc maxime occurrebas, ad quem ſua ſponte inclinabat, & impetu quodam ferebatur animus. Neque profecto caſſus ratione impetus iſte fuit: ſive Te, ſive me ſpectem. Et Te quidem quod attinet, tantus eſt, quum cæterarum virtutum, tum eruditionis tuæ ſplendor, tanta optimarum literarum copia, tantus in literatos favor; ut nemo hic ex eo hominum genere inveniatur, qui non in magna felicitatis ſuæ parte collocet, Tibi haut diſplicuiſſe. Quam natura Tibi inſeverat ingenii ſolertiam, eam pii ac prudentiſſimi parentis ſollicita educatio tam feliciter excoluit, ut non flores ſolum, ſed & fructus ætatem anteverterent. Tuorum quippe exempla tuentem, & Avus, & Pater, & Patrui, & Frater, incluta atque æterna nomina, ad præclara quæque excitabant. Adeo quidem ut laurea Academica, doctarum præmio frontium, jam redimitus, necdum poſita lanugine, in Ampliſſimo Batavorum Dicaſterio cauſſas ageres, ea modeſtia quæ decora iſtis annis erat, ea conſtantia quæ ſtudiorum & cauſſæ fiduciam argueret, ea denique facundia quæ omnium Tibi facile conciliabat admirationem. Dehinc Reipublicæ admoto, ſimulac maturior ætas magiſtratui & honoribus capeſſendis idoneum feciſſet; prima quidem curarum fuit ut pulcherrimam illam Teque digniſſimam ſpartam non perfunctorie ornares, & Curiæ Provinciali adſcriptus, civibus tuis jus diceres, uti caſtum Themidos ſacerdotem, & rigidum juſtitiæ ſatellitem decebat: mox Conſul creatus, ſingulari prudentia ac fide Civitati conſuleres: deni-

que

que ad supremum Belgicæ Fœderatæ Ordinum Consessum ablegatus, insignem illam in arduis Reipublicæ negotiis pertractandis dexteritatem explicaret. Unde factum est, ut Illustres Diœcesios Ultrajectinæ Proceres nec fido magis nec doctiori calamo acta atque arcana se sua committere posse jure meritoque crediderint. Non tamen hæc omnia, quamvis plurima & maxima, & difficillima forent, ita Te totum occuparunt, quin & horas aliquas subinde invenire potueris, quas sine Reipublicæ fraude, nunc severioribus, nunc amœnioribus Musis impenderes. Tunc volupe Tibi, jucundissimumque curarum levamen fuit, intra Bibliothecæ Tuæ parietes, quam locupletissimam & exquisitorum librorum copia instructissimam formavisti, excluso omni negotiorum strepitu, cum præstantissimis tam humanæ, quam Divinæ, tam priscæ, quam recentioris sapientiæ magistris, Græcis ac Latinis, familiariter conversari. Hinc ea Tibi de omni re literaria tam perite arbitrandi facultas parta est, ut quotquot hic scribendis libris operam dant, Tibi placere nitantur, Te patronum exoptent; quem nemo eruditorum est qui non æquissimum ac faventissimum expertus sit. Idem Tibi placendi studium si quis meæ quoque imputare velit ambitioni; non admodum habeo quod refrager. Hæc una defensionis ratio est; honestam eam neque indignam homine Theologo ambitionem esse, qua se suosque conatus bonis & sapientibus viris adprobare gestit. Ob hanc caussam recta mihi ad Te eundum esse putavi, cui omnium primo istas quas hic vides Exercitationes legendas, imo & censendas, offerrem. Verum & alia accesserunt, minime prætermittenda. Tanta Tuorum, tanta Tua in me merita sunt, ut grati animi officio non nisi publica testificatione defungi posse videar. Sub Parentis Tui, Acutissimi non minus Philosophi, quam Consultissimi Antecessoris, disciplina, purioris Philosophiæ scita hausi. Avus vero Tuus, Consummatissimus Theologus, perquam accuratas mihi rerum Theologicarum ideas, penitæ adhuc menti impressas, primus præformavit. Tu autem ex illis es qui me, tantorum virorum non prorsus degenerem fortassis alumnum, ad Ecclesiasticam & Academicam in patria Tibi urbe Cathedram, haud spernendis conditionibus invitarunt. Tu ille es, cujus potissimum ore Academicæ rei præstites uti voluerunt, ut dilectam merito Frisiam, ubi per-

commodam mihi studiorum sedem fuisse gratus semper profitebor, amœnissima Ultrajecto commutare persuaderer. Tu me, simul pedem in istam urbem intuli, ædibus tuis comiter exceptum, omni officiorum genere prolixe curasti, & ab eo tempore non favore solum tuo, quem ne proletariis quidem hominibus negare quandoque soles, sed & interioris admissionis necessitudine condecorasti: consiliis atque ope, ubi res tulit, juvisti. Bibliothecam quoque tuam patere mihi voluisti, concessa, ad hoc ipsum quod nunc oblatum venio opus, rariorum librorum usura. In iis fuerunt Commentarii de Re Navali, Veteri & Nova, quos summa arte ac solertia concinnavit *NICOLAUS WITSEN*; Vir antiquæ virtutis, & raræ eruditionis; quem non sua solum Amstelædamum, cui plus vice simplici Consul Batava fide præfuit, iterumque præest, sed & Belgica nostra universa, ob res domi forisque strenue & feliciter gestas, imo omnis orbis literatus, ob accuratissimas observationes Geographicas, summo in honore habent: cuique omnes plus debituri sumus, ubi Viro illustri libuerit, quam profligatam habet, novam Tartariæ Descriptionem cum publico communicare. Cæterum quum tardius ad laudati modo libri cognitionem & inspectionem devenerim; minus copiose de inventione pyxidos nauticæ disserui, quam factum fuisset si maturior mihi doctissimi operis contigisset usus. Nunc Te velim, Amplissime *VOETI*, quæ ego strictim habeo Exercitatione altera de Evangelio in America per Apostolos prædicato, sectione XLI. & sequentibus, confligere cum iis quæ Vir iste Illustris ampliter collegit operis sui *pag.* 417. *& seq.* & videbis quanto plura de hac re Witsio sciverit *WITSENIUS*. Quæ hactenus narravi huc tendunt omnia, ut intelligat Lector, quot me nominibus obstrictum Tibi agnoscam: & ut Tu videas non esse me ingratum collatorum in me beneficiorum decoctorem. Non tamen eo a me allegantur, quasi lucubrationum non admodum, quod fateor, elaboratarum inscriptione partem aliquam nominum meorum expungere me postulem: nam in novo ponendum est, & revera a me ponitur, beneficio, quod licere mihi volueris titulos Tuos, πρόσωπον, ut ille ait, τηλαυγὲς, surgenti veluti ædificio præstruere: ut quod a se non habet, a Te mutuetur splendoris. De materia operis nihil dicam: miscellæ Exercitationes sunt: quas nunc hac nunc illa

occa-

occasione invitante, apud disciplinæ meæ consecraneam juventutem publice ut plurimum recitavi. In quibus, si nihil aliud, varietas fortassis delectatione aliqua Lectores, non nimis delicatos, adficiet. Certe diligentiæ alicujus meæ novum hoc volui exstare specimen; ut Vos, qui studiorum nostrorum arbitri estis, quibus rebus, præter quotidianas operas, occupemur cognoscatis. Vale Vir amplissime, bono publico multos in annos sospes. Ita fere scribebam Ultrajecti ipsis. Kal. Sept. Anno ęrę vulgaris MDCXCIV. Ex illo tempore supremo sortis meæ arbitro placuit, ut ad Theologicam in Leidensi Academia Cathedram evocarer: cui dum pro mea parte exornandæ incumbo, natæ mihi sub manu sunt Exercitationes aliæ non disparis generis atque argumenti; quæ prioribus junctæ tomum altero tanto majorem effecerunt. An eo meliorem, Tui, Vir Doctissime, arbitrii esto. Nam & hæ quoque viam ad Te affectant, Tuæ se censuræ lubenti animo submittentes. Nec sine spe, eadem se favoris benevolentia exceptum iri, quam majoribus natu præstitisti. Intromittantur itaque intra amplissimi niditissimique Musæi Tui parietes; cujus fores debita tot magnis nominibus reverentia pulsant: si non aliam ob caussam, ob hanc saltem; ut obsequiosi mei erga *VOETIOS* affectus, & amicitiæ prisca fide cultæ, perennes testes sint. Iterum Vale, Nobilissime Voeti, & Divinæ liberalitatis muneribus, auro contra non caris, in Te, & sanctissima Conjuge, totaque lectissima familia, nunquam turbata animi tranquillitate æternum fruere. Et dum frueris, ne grave sit ejus quandoque memoriam recolere, qui calidis hæc Tibi votis apprecatus est. Lugduni in Batavis v. Kal. Jan. Anni cIↃ. IↃcc.

SERIES

SERIES EXERCITATIONUM.

EXER-

SERIES EXERCITATIONUM.

SERIES ORATIONUM.

GLO-



GLORIA MESSIÆ REGIS,

In demonstratione Justitiæ & Gratiæ, revelata

JESAIÆ.

CAP. VI.

BREVIARIUM.

I. Nulla rerum Divinarum contemplatio utilis est, nisi quæ animum Dei reverentia imbuit. II. Capitis hujus argumentum, & partitio. III. Primæ partis subdivisio. IV. An visio hæc fuerit Jesaiæ primum Prophetici muneris auspicium. V. Tempus visionum accurate a Prophetis annotatum. VI. Cur epocha hujus visionis figatur in anno emortuali Ussiæ. VII. Is valde notabilis est. VIII. Nexus inter mortem Ussiæ, & manifestationem regni Christi. IX. Quid visio Dei sit. X. Quis Dominus ille, quem vidit. XI. Quid celsum solium; & an in templo conspectum: quid sessio in solio. XII. Quid fimbriæ, replentes Templum. XIII. Harum rerum significatio mystica. XIV. Et applicatio ad animum. XV. Seraphim, cur sic dicti, qui, & quot. XVI. Cur starent, & quidem supra thronum. XVII. Cur senæ singulis alæ, & quis earum usus. XVIII. De clamore unius ad alterum. XIX. Deus, cur dicatur Jehova Sebaoth. XX. De elogio Sanctitatis, ter repetito. XXI. De gloria Jehovæ implente totam terram. XXII. Pia super hisce rebus meditationes. XXIII. De postibus ad vocem clamantem commotis. XXIV. De fumo replente domum. XXV. In quibus rebus exprobratio fuit obdurationis & occæcationis Judæorum.

SERIES EXERCIT. & OR

EXERCITATIO X

De mente Pauli in negotio Justificationis.

ANIMADVERSIONES IRE

Ad Controversias, quæ, sub infaustis Antino-morum nominibus, in Britannia nunc agita

SERIES ORATION

I.

Oratio Inauguralis Franequerana, de Vero

II.

Oratio Inauguralis Trajectina, de Præstant gelica.

III.

Oratio Inauguralis Leidensis, de Theologo .

IV.

Oratio Panegyrica de Theocratia Israelitar

V.

Oratio de felici, an infelici, Reipublica culo statu.

ACCESSERE IN F

Judæus Christianizans, & Dissertatio Epi Huberum, quæ duæ Diatribæ etiam seors

XXVI. Consternatio Prophetæ. XXVII. Caussa consternationis, in Propheta, & populo. XXVIII. At præcipue, in conspectu Divinæ Majestatis. XXIX. Piæ observationes. XXX. Secundæ partis subdivisio: & de Serapho advolante. XXXI. De Pruna ardente, illiusque usu & significatione. XXXII. De Sermone Seraphi, qui Symbolo junctus fuit. XXXIII. De ipsius Dei ad Prophetam alloquio. XXXIV. Et invitatione ad munus Propheticum. XXXV. Prophetæ alacritas. XXXVI. Tertiæ partis subdivisio. XXXVII. Jubetur Propheta prædicere defectum attentionis in audiendo & videndo. XXXVIII. Itemque indurationem & occæcationem. XXXIX Quæ attribui potest, vel populo. XL. Vel Deo. XLI. Vel Prophetæ. XLII. Et inducit impossibilitatem conversionis, ac salutis. XLIII. Judicium hoc Christi patefacti tempore potissimum incubuit populo Israëlitico. XLIV. Ejus rei rationes. XLV. Cur omnia hæc tanto ante tempore prænunciata sint. XLVI. Jesaiæ interpellatio. XLVII. Denunciatio pœnæ. XLVIII. Promissio gratiæ. XLIX. Ob semen sanctum. L. Nostrum circa hæc omnia officium.

I. Nulla rerum Divinarum contemplatio utilis est, nisi quæ animum Dei reverentia imbuit.



Uum oppido jucunda, neque minus utilis animo meo acciderit illustris hujus vaticinii meditatio, facile in eam inductus sum sententiam, non male me publico consulturum esse, si, quæ initio professionis in Academia Lugduno-Batava auditoribus meis viva voce exposui, eadem nunc iis, & quibuscunque nostra inspicere libuerit, scripto consignata exhibeam. Nam certe verborum elegantia, rerum præstantia & sacra quædam pompa, materiæ ubertas grataque varietas, & quidquid tandem generosis mentibus, Divinarum veritatum amore tactis, solidam voluptatem conciliare potest soletque; omnia ista in mirabili hac visione ita concurrunt, ut singula vix alibi luculentiora invenias. Unde secus fieri non posse arbitror, quin eadem, si ista qua par est animi contentione expendantur, insignem habitura sint valentiam ad mentes nostras ea fide atque reverentia imbuendas, quam Christo Jesu, Domino, Regi ac Judici nostro gloriosissimo, debemus. Quo nisi directa sint studia nostra, in cassum omnis impenditur labor atque industria; & inanis, damnosa, immo & damnabilis, quantacumque eruditionis ac sapientiæ jactatio erit. Non aliud certius profectuum nostrorum argumentum est, quam quod incredilem Sospitatoris nostri Majestatem, collatamque cum ea nostram vilitatem, aut verius οὐδένειαν, clarius solito cernentes, nobis ipsis prorsus displiceamus, illius autem admi-

admiratione perculsi, & in sacrum quendam stuporem acti, nunquam in tam illustris gloriæ contemplatione, veneratione, ac prædicatione desideriis nostris satisfaciamus. Sic ergo in tremendæ hujus apparitionis commentatione versabimur, ut, iis quæ non nisi male curiosarum mentium levis pastus sunt consilio insuper habitis, ea solum sectemur quæ conscientiæ in fide ac pietate ædificandæ idonea sunt. In quibus tandem quæsitum operæ pretium inveniemus. Adsit cœptis Deus, eodemque nos spiritu ad intelligentiam hujus prophetiæ ducat, quo eam olim menti Jesaiæ repræsentavit. Amen.

II. ARGUMENTUM totius Capitis, est repræsentatio Jesu Christi in gloriosa regni sui Majestate, per Prophetam Jesaiam, solemniter sanctificatum & prædicare jussum, severissimi judicii sententiam in rebellem populum Israëliticum pronunciantis, quo ad stuporem, excæcationem & obdurationem damnati sunt, tunc potissimum iis incubituras, quando regnum Messiæ in medio ipsorum manifestabitur, donec nefandam istam pertinaciam reipublicæ suæ excidione luant: servatis interim reliquiis secundum electionem gratiæ. PARTES itaque majores visionis hujus tres sunt. I. GLORIOSA APPARITIO DEI IN CHRISTO REGNANTIS, vers. 1--5. II. SANCTIFICATIO ET MISSIO JESAIÆ ad prædictionem earum rerum quæ eventuræ erant populo, vers. 6-8. III. PRONUNCIATIO INFANDI JUDICII in Israëlitas refractarios, vers. 9-13. Singulæ rursus partes in suas sunt secandæ particulas, ut, quantum fieri pote est, nihil inexcussum relinquatur. *II. Capitis hujus argumentum & partitio.*

III. *Gloriosa Dei in Christo regnantis apparitio* descripta versibus quinque prioribus, rursus *tria* continet. I. *Designationem personæ*, cui facta. II. *Definitionem temporis*, quando facta. III. *Repræsentationem rei*, imprimis memorandæ. Ubi iterum tria observatu dignissima. I. *Majestas* regnantis in Christo Dei. II. *Satellitium* tanto Rege dignum. III. Tantarum rerum *sequela* & *effectus* geminus: alter respectu *templi trepidantis*, & *implendi fumo*, alter respectu *Prophetæ*, ingenti *consternatione perciti*. *III. Primæ partis subdivisio.*

IV. Is cui gloriosa ista apparitio contigit, JESAIAS est, de se ipso in prima persona loquens, visionemque hanc sibi evenisse testans. Non lubet hic de Prophetæ nomine, genealogia, vitæque ac mortis genere prolixam disputationem ingredi. Alibi nobis commodior ea de re agendi oblata occasio est. Eoque se nunc ablegari, ægre ne ferat, æquum Lectorem rogo. Vide *Miscel. nost. Lib.* I. *Cap.* XVIII. §. LI. & *in Præf.* §. XIII. Id nunc inquirendum esse videtur, an ista de qua disputamus visio, prima sit earum omnium quibus ipsum dignatus est Dominus, munerisque sui Prophetici exordium. Non desunt *IV. An visio hæc fuerit Jesaiæ primum Prophetici muneris auspicium.*

qui ita opinentur; his potissimum inducti rationibus. I. Quia hic se profitetur Dominum vidisse, non prius. II. Quia hactenus impurus labiis fuit, neque ad sancti muneris functionem rite comparatus. III. Quia circa has apparitiones se gerit, ut novum planeque inexercitatum tyronem, nondum iis assuefactus. IV. Quia videtur detrectare docendi munus, quod non fuisset facturus, si jam aliquamdiu eo functus esset. Neque obstare sibi putant ordinem, quo visio ista narratur. Nam in collectione prophetiarum non exacte semper temporis ordinem esse servatum ignorare non possunt, qui, ut cætera taceam, Jeremiæ volumen aliqua cum sedulitate tractarunt. Sed quamvis non sine specie aliqua hæc ita disputentur, verius tamen esse censeo, exhiberi hic nobis eam visionem, non qua Jesaias Propheta primum constitutus, sed qua in Prophetici muneris functione insigniter confirmatus est. Non quod ex nudo narrationis ordine probari id posse existimem; sed partim quia inscriptio, tam integri voluminis, quam hujus prophetiæ, eo nos ducit; partim quod rationes in contrarium prolatæ infirmiores sint, quam ut assensum impetrent. Sane inscriptio capitis primi, *Visio Jesaiæ quam vidit in diebus Ussiæ, Jotham &c.* primordiis multo aptior est, quam quæ huic capiti præfigitur. Ibi certe docemur, Jesaiam *regnante* etiamnum *Ussia* prophetasse. Hæc autem visio contigit ei anno quo *Ussias mortuus* est, admodumque probabiliter post ipsius mortem; uti mox prolixius ostendemus. Neque dicit Jesaias, nunc *primum* sibi apparuisse Dominum. Quod etiamsi dixisset, non tamen idcirco hactenus non fuisset Propheta. Potuisset enim a Domino erudiri, vel in *somnis*, vel *externo* etiam *alloquio*, vel *interno* cœlestis *lucis* in animam *illapsu*, sine objecta sibi *specie* aliqua *visibili*. Deinde aptitudo ad munus Propheticum, Prophetarumque tam sapientia, quam sanctimonia, suis interstincta sunt gradibus; quibus ministros suos Deus paullatim ad sublimiora evehit. Quod & Apostolis usu venisse ex Evangelica constat historia. Porro non soli tyrones. sed & sacrorum vatum exercitatissimi ad gloriosas Dei apparitiones vehementem in modum consternati sunt: quod ex Ezechielis, Danielis, Johannis Apostoli, aliorumque exemplis, in liquido est. Neque novum videri debet, quod Jesaias insolita tantæ gloriæ apparitione ita fuerit perculsus, ut Prophetam se esse quasi oblivisceretur. Denique mirum non est, si gravitatem muneris apud rebellem, duræque cervicis, & adamantini cordis populum, expertus, & ad tam puræ gloriosæque intuitum sanctitatis, suæ convictus impuritatis, novoque terrore attonitus, sese excusat. Eo itaque visio ista pertinet, tam ut animaretur ipse ad constantiam, majorique alacritate in suo deinceps cursu pergeret, quam ut cœlesti auctoritate

ſanciretur ejus miniſterium apud Judæos. Adeo nemo eſt tanta heroïci animi fortitudine præditus, quem non ferocientis populi pervicacia ſtatione aliquando ſua dejiciat. Ipſi illi, quos *equos Divinæ Majeſtatis in prælio* dixeris, calcaribus aliquando & palpo indigent. Eſtque hæc indulgentiſſimi Domini noſtri clemens benignitas, ut fatiſcentes ſuorum animos inſigni gloriæ ſuæ manifeſtatione erigat, Gen. xxviii: 12. xxxii: 1. Exod. xxxiii: 18, 19. xxxiv: 5. Joſ. v: 13. Ezech. i: 1. Dan. x: 5.

V. ANNO QUO MORTUUS EST REX USSIAS, apparitionem hanc ſibi factam eſſe, Propheta annotavit. Ubi generatim primum obſervare lubet, quam ſollicite ſancti Dei homines ad oblatarum ſibi viſionum *tempus* attenderint, & quam accurate illud ituris in ſecula chartis commendaverint. Hic *annum* deſignatum videmus. Alibi & *menſem*, & *diem*. Ezech. i: 1. Hag. i: 1. & ii: 1. Eſt, ubi & diei *horam*, Dan. ix: 21. Act. x: 3-9. Nimirum amat Deus *ἀκρίβειαν* ſervorum ſuorum, ut ad omnia, etiam circumſtantias Divinorum operum attendant; meminerintque non ſolum *quid* ſibi acciderit, ſed & *quomodo*, & *quando*. In omnibus ſane mirabilem ſeſe Divina præſtat Providentia, etiam in temporum occaſionumque, quas ipſa format, ſelectu. Rem quamque pulcram facit ſuo tempore, Eccl. iii: 11. Hæc igitur magna ſapientiæ juſtorum pars eſt, ut in ipſa quoque temporum diſpenſatione Divinam cernant laudentque ſapientiam. Ea ſe quandoque rite attendentibus patefacit. Nonnunquam magis in abdito latet. Semper tamen ſibi ſimilis, aut, verius, eadem eſt. Utile ſimul atque jucundum eſt, ubi eam cernere datur: & deprehendere licet Divinarum operationum nexum, & concinnam veluti catenam. Quam pulcra obſervatio eſt, ea diei parte Gabrielem Danieli revelatum veniſſe Meſſiæ mortem, nimirum *tempore ſacrificii veſpertini*, quo & ipſe Daniel intentus erat orationi, & Meſſias ad peccatorum expiationem, æternæque juſtitiæ adductionem, moriturus, Dan. ix: 20, 21. Ita docebatur Daniel oranti ſe Deum, etiam inopinato, manifeſtare: & docemur nos, ex eventus cum vaticinio conflictu, eadem diei hora prænunciatam eſſe mortem Chriſti, quâ contigit. Tanti eſt, Danielem id cum cura, non ſolum pro ſe ipſo obſervaſſe, ſed & nobis ſcripto reliquiſſe. Hoc exempli duntaxat cauſſa dictum eſto: prolixum enim foret ire per ſingula. Cæterum ubi ea Dei ſapientia in temporum diſpenſatione non æque liquet, credi tamen eam oportet, & vel ab ignorantibus laudari. *Quis eſt ſapiens, obſervet hæc, & advertat animum ad miſericordias Jehovæ*, Pſ. cvii: 43.

V. Tempus viſionum accurate a Prophetis annotatum.

VI. *Cur epocha hujus visionis figatur in anno emortuali Ussiæ.*

VI. At propius aliquanto hanc temporis designationem spectemus. *Anno quo mortuus est Rex Ussias.* Non placet mihi Chaldæi Paraphrastis, aliorumque Hebræorum sententia, qui *mortem* Regis exponunt de *lepra* (quæ certe *mors civilis* erat) quum Rex se ab hominum consortio subducere, & principatu abdicare coactus est. Nihil enim est, quod a literæ simplicitate proprioque mortis significatu, recedere jubeat, suadeatve. At quum multa isthoc anno gesta sint, unde epocham inchoare propheta potuisset; cur mavult a *morte Regis Ussiæ*? Enimvero hoc determinatius, finitiusque est, quam si *primum Jothami* annum, qui certe cum hoc ipso idem est, nuncupasset. Initium enim regni *Jothami* putari potest bifariam: vel ab eo tempore quo leprosi patris nomine & loco reipublicæ præfuit, vel ex quo functo parenti successit. 2. Reg. XV: 5-7. Facessit autem omnis ambiguitas, ubi Chronologia figitur in anno emortuali Regis Ussiæ. Id duntaxat relinquitur dubium, an *ante*, an *post* Ussiæ mortem ista contigerit. Hoc tamen illo longe probabilius est. Nimirum superiora vaticinatus erat Jesaias, viventi etiamnum Ussia, ut inscriptio primi capitis docet: fortassis, postquam jam percussus esset lepra. Nam longinquitas temporis, quo ad Manassis usque regnum prophetavit, jubet primordia vaticiniorum ad postremos Ussiæ annos rejicere. Sic itaque existimo; quum jam obiisset Ussias, & vel successurus illi esset, vel successisset Jotham, oblatam hanc Jesaiæ visionem esse.

VII. *Is valde notabilis est.*

VII. Longe profecto notabilior erat exitus Ussiæ, quam initium Jothami, digniorque qui visioni huic epocham daret. Ussiæ enim historia omnibus omnium seculorum mortalibus, cujuscunque ordinis ac dignitatis, pro exemplo est, quo edoceantur, quam accurate, sollicite, ac præcise se Deus coli postulet, neque ferat, ut quis, præsertim in re religionis, præter ordinem ac vocationem, temere quidquam suscipiat. Conf. Lev. X: 1, 2. 2. Sam. VI: 6, 7. 1. Reg. XIII: 20. Hac Lege non Reges minus, quam sacerdotes, quam cives, quam servi tenentur; nec si violaverint, vindices Dei manus effugient, 1. Sam. XIII: 8, 13. Severo mandato caverat Deus, ne quis præter sacerdotes, filios Aaronis, sacra in templo faceret. Si fecerit, capitale fore, Num. III: 10. Uti noluit Deus, Regem, ex tribu Judæ, sacerdotem agere; ita nec sacerdotem. ex tribu Levi, solium & coronam, tribui Judæ promissam, invadere. Tentarunt id Hasmonæi, sed invito Numine, Ezech. XXI: 26, 27. Soli Christo combinationis hujus honos competit, Ps. CX: 2-4. Zach. VI: 13.

VIII. *Nexus inter mortem*

VIII. Quæ observatio eo nos paullatim ducit, ut animadvertamus sapientem illum nexum, quem Divina fecit Providentia inter mortem

Ussiæ,

Ussiæ, & hanc manifestationem regni Christi. Nimirum is nunc repræsentatur, qui & Rex & Sacerdos simul est, post regem, qui improbe sacerdotium regno jungere est ausus. Videtur etiam Ussias ut in aliis quibusdam, ita in hac historiæ suæ parte, typus fuisse Christi. Quam rem prolixe & subtiliter executus est solidissimus Theologus *Josue Placeus*, in sua ad hunc locum disputatione. Ego summam hic dabo, æquo lectori dijudicandam. Extincto, inquit, Rege Judæ umbratili, verus Rex apparuit: innuens, se tum demum proditurum majestatem suam Regiam, quum fuerint de medio Reges Judæ sublati. Solus Rex Ussias conjungere sacerdotium voluit cum Regio munere, ausus adolere incensum super altare thymiamatis. Quod fecit Ussias male, id Christus fecit optime: utrumque enim munus in se suscepit, præeunte vocatione legitima, sed Judæis ignota. Restitit Ussiæ summus sacerdos, cum reliquis sacerdotibus, bene: restiterunt iidem Christo, pessime. Noluit a malo suo proposito dimoveri Ussias; nec a bono Christus. Percussus est Ussias lepra, plaga immunditiem legalem secum trahente. Et de Christo dicitur, Jes. LIII: 4. *Nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo.* Ussias, pro immundo a sacerdotibus habitus, ejectus est ex templo, & domo regia, aliorumque Judæorum consortio. Christus, veluti immundus & civitate Dei indignus, extra urbem pulsus est. Ita Rex Ussias desiit dominari Judæis, retento tamen sibi jure regni, quamvis illud non exerceret. Et Christus jus regni in Judæos retinet, licet illo nunc non utatur. Hæc omnia, sic pergit *Placeus*, manifestum est competere in Christum servata proportione inter umbram & corpus; ac dempto peccato, quod umbræ est proprium. Sublata igitur umbra, viva imago veritatis ostendit se Jesaiæ. Atque hæc dicenda habui de designatione temporis.

Ussiæ, & manifestationem regni Christi.

IX. Nunc ad rei ipsius repræsentationem accedamus. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et fimbriæ ejus replebant templum. Ubi & *actio* Prophetæ narratur, & actionis *objectum*. Vidi, inquit. Dei essentia invisibilis est; non solum *corporeis oculis*, quum sit spiritualis, sed & *oculis mentis*, quoad sui plenitudinem, quum sit infinita, Joh. I: 18. I. Tim. VI: 16. Nemini etiam mortalium in *hac vita* datur ita Deum videre, uti videbitur in *futura*, Exod. XXXIII: 20. At neque de ista Dei visione hic est cogitandum, quæ sola animi *contemplatione* ac *meditatione*, sive *naturali* illa, Rom. I: 20. sive *spirituali* etiam ac mystica, Ps. XXVII: 4. LXIII: 3. peragitur. Sed visio hæc consistebat in *repræsentatione symbolica* speciei alicujus corporeæ, quæ vel *revera* oculis Prophetæ objiciebatur, vel, quod malim, *phantasiæ* ipsius, sic ut Divina aliqua virtute spiritus animales

IX. Quid visio Dei sit.

males in cerebro non aliter afficerentur, quam ad realem præsentiam objectorum in oculos agentium affici solent. Atque hinc est ut phantasmata illa Prophetarum sive dormientium, sive vigilantium, non minus dilucida ac distincta sint, quam si oculis cernerentur fidelibus. Placuit autem Deo frequenter *humana* se *specie* videndum exhibere: sive corpus assumeret revera, Gen. XVIII. sive speciem solum & repræsentamen corporis vel in aëre formaret, vel in videntium animo pingeret: Ezech. I: 26, 27. Dan. X: 5. in qua erat veluti præludium aliquod ἐνσαρκώσεως Filii Dei, & arrha spei nostræ, fore aliquando ut *Deum videamus sicuti est*, 1. Joh. III: 2. hoc est, non minus familiariter ipsum cognoscamus, quam amicus amicum, cujus faciem e propinquo intuetur, & in facie animi imaginem; cujusque quotidiano & amicissimo colloquio fruitur. Hactenus quidem in muneris sui functione *audiverat* Propheta verbum Domini, sed non *viderat* ita Dei gloriam. Sic paullatim ducit suos Deus ad ulteriora. Primum exercet fidem; deinde se præbet conspiciendum, Job. XLII: 5. Nam quod Deus Jesaiæ ut Prophetæ concessit, id alio quidem modo, attamen concedit electis suis in hac quoque vita: ut non *credant* solum, aut *ratiocinatione colligant*, sed & *videant gustentque Jehovam suavem atque benignum esse*, Ps. XXXIV: 9. 1. Pet. II: 3. Estque hæc profecto magna Dei cum homine familiaritas, digna, quæ, cum omnibus, quantum fieri pote est, circumstantiis suis, penitæ infigatur memoriæ: ut etiam, postquam desiit, meditationibus nostris, ad fidei speique firmamen, præsto maneat.

X. Quis Dominus ille, quem vidit.

X. At distinctius consideremus, quem viderit Jesaias. Is describitur I. UT DOMINUS. II. INSIDENS SOLIO EXCELSO ET ELEVATO. III. FIMBRIIS SUIS REPLENS TEMPLUM. אֲדֹנָי DOMINUS indubie hic Deum notat, quem, quotquot vere Christiani sumus, Triunum ex sacris literis credimus. Qui hic menti nostræ obversari potest, vel *essentiæ*, vel *personarum* intuitu. Gloriam, quæ hic repræsentatur, Divinam esse, atque hactenus *essentiæ* Dei, etiam seposita personarum distincta consideratione, competere, nemo, opinor, ibit inficias. Si de singulis personis cogitemus, non puto mortalium quemquam futurum esse, qui gloriæ istius participatione excludat *Patrem*. Sed & *Filio*, & *Spiritui Sancto* eadem attribuitur, Joh. XII: 41. Act. XXVIII: 25. Nimirum, quoniam, propter essentiæ unitatem, personæ sejungi nequeunt, ubi una videtur, videntur & ceteræ: una quippe eademque omnium est gloria, Joh. XIV: 9, 10. Atque hæc, tam unitas, quam distinctio, satis aperte innuitur variatione ista numeri quæ invenitur vers. 8. *Quem* MITTAM? *& quis ibit* NOBIS? Præcipue tamen de *Filio* hic cogitandum. Huc enim & Johannes nos trahit, & res ipsa ducit. Quum mani-

manifestum sit ex omnibus epithetis, totaque narrationis serie, cuncta quæ vidit, quæ audivit Jesaias, in Christo Servatore nostro verare: cui Pater & regnum, & judicium omne tradidit, Joh. v: 22-27. Vocatur autem אדוני, Κύριος, Dominus, cum singulari appropriatione istius nominis, Mal. III: 1. Ps. cx: 1. Joh. XIII: 13. Phil. II: 11. Εἷς Κύριος. 1. Cor. VIII: 6. Eph. IV: 5. ὁ αὐτὸς Κύριος. 1. Cor. XII: 5. Competitque hic ipsi dignitatis titulus in omni significationis suæ valore. Quia *Jehova exercituum* est, infr. vers. 5. imperium habens in omnes, & omnia, & speciatim in creaturas rationales, ut earum legislator, exemplar, & finis, Jes. XXXIII: 22. Tum etiam quia, ut Mediator, speciale dominium habet in electos, a Patre sibi datos, Joh. XVII: 6. a se emptos, 1. Cor. VI: 19, 20. actuque sibi per vocationem efficacem assertos ac vindicatos, Tit. II: 14. Quod sane omnes, quotquot Christus isthoc dignatur honore, agnoscere & profiteri par est: Act. II: 36. 1. Cor. XII: 3. ut omni alieno dominio, Satanæ, mundi, peccati, sui ipsorum, sincere renuncient, *quum nemo duobus simul dominis servire queat*, Mat. VI: 24. Christo autem, unico Domino, in omnibus se submittant, Ps. CXVI: 16. tam quoad jubentem, quam decernentem ejus voluntatem.

XI. Quid celsum solium, & an in templo conspectum: quid sessio in solio.

XI. Ut autem Domini istius Majestas liquidius appareat, repræsentatur, ut Insidens solio celso et elevato. *Solium* symbolum est *Regis*, 1. Reg. II: 12. & *Judicis*, Dan. VII: 9. qui quo est augustior, eo splendidius ampliusque habet solium, 1. Reg. x: 18. Deo in sacris geminum frequenter adscribitur solium, alterum *in cælo*, Psal. CIII: 19. sive *cælum* ipsum, Jes. LXVI: 1. alterum *in Sanctuario*, nimirum in aureo operculo propitiatorio, imposito arcæ fœderis, in medio Cherubinorum, Exod. XXV: 22. Ps. LXXX: 2. XCIX: 1. vel ipsum *Sanctuarium*. Jer. XVII: 12. Neutrum hic intelligitur. Sed repræsentamen ab utroque diversum, *forma*, *situ*, *locoque* speciali. *Forma* erat רָם *excelsum*, amplum, altum, in magnam se tollens celsitudinem, ut Jes. x: 33. רמי הקומה *proceri statura*. *Situ*, נִשָּׂא, *elevatum*, collocatumque in sublimi, ut Jes. II: 2. נשא מגבעות *extolletur supra colles*. Nisi malimus voces ejusdem significationis esse, junctas emphasios caussa, ut Jes. II: 13. ארזי הלבנון הרמים והנשאים, *cedri Libanon procera & excelsæ*. At quo tandem *loco*? Certe *circa templum*: an & *in templo*? Hæsitant Interpretes. Chaldæus, בשמי מרומא *in cælis excelsis*. Hunc sequuntur ex Hebræis, nostrisque, non pauci. Verius puto, conspectum *in templo*. Quod tamen cum distinctione aliqua clarandum. Templum quandoque notat totum illum locum sacro cultui destinatum, quo *atrium* utrumque, tam *populi*, quam *sacerdotum*,

comprehenditur, quæ ſub dio erant: Jer. VII: 10. XXVI: 10. eoque ſenſu frequentiſſime tam in V. quam in N. T. in *templum* adſcendiſſe, vel veniſſe, dicuntur, quibus fas non fuiſſe ulterius quam in *atrium* penetrare conſtat. Alibi templum ſtrictius ſumitur pro ſola *æde ſacra*, cujus tres erant partes, האולם *porticus*, ההיכל *templum* ſtrictiſſime dictum, ſive *ſanctum*, & הדביר *adytum*, ſive *ſanctum ſanctorum*, 1. Reg. VI: 2, 3, 5. Altitudo porticus valde ſublimis erat, ſi cum latitudine & longitudine contendatur. Longitudo erat cubitorum viginti, ſecundum frontem latitudinis domus, latitudo cubitorum decem, 1. Reg. VI: 2. altitudo vero cubitorum centum & viginti, 2. Chron. III: 4. In hac *porticu*, veriſimile eſt conſpectum ſolium eſſe. Non ſolum quia antiquitus Reges in porticu palatiorum ad jus dicendum conſidebant, 1. Reg. VII: 7. Chriſtus autem hic ut Rex & Judex repræſentatur: ſed præcipue, quia cetera omnia tunc exacte quadrant. Nam ob loci celſitudinem, ſolium & ſublime eſſe potuit, & in ſublimi, & in propinquo fuit altare, ex quo deſumta ab Angelo pruna, & ſic facile explicatu eſt, quo modo fimbriæ ipſius repleverint templum, quod ex altera hypotheſi vix concipi poſſit, niſi prius in animum induxeris, quod *replere* & *contegere* idem ſonent. Ut rem in pauca conferam: *Solium* regiam ac judiciariam Chriſti dignitatem ac poteſtatem notat: ſolium *in templo*, ſummum ejus in Eccleſiam præcipue dominatum, ſolium *celſum* ac in *ſublimi* locatum, regni eminentiam, non modo ſupra mundi ſplendidiſſima Imperia, ſed & ſupra veteris populi umbraticam Theocratiam, cujus thronus erat operculum arcæ, non in ſublimi, ſed in ſolo poſitæ. *Seſſio* in ſolio, exercitium muneris regii ac judiciarii, nunc ſolennibus quibuſdam actibus palam demonſtrandi. Nunquid & muneris *ſacerdotalis*, quum dicatur Zach. VI: 13. *eritque ſacerdos in ſolio ſuo?* Nolim improbe refragari. Vix tamen a me impetro, ut eam rem hic & nunc agi exiſtimem. Quoniam ea, quæ Regis magis quam quæ Sacerdotis ſunt, toto hoc capite deſcribuntur. Quamvis hæc, veluti in templo exiſtentia, Prophetæ repræſentata fuerint, non tamen idcirco neceſſe eſt, ipſum revera corpore ſuo in templo fuiſſe: potuerunt enim ei vel domi, vel in agro, vel alibi agenti, eadem offerri, quod & aliis frequenter Prophetis accidit.

XII. *Quid fimbriæ, replentes templum.*

XII. Additur, ET FIMBRIÆ EJUS REPLEVERUNT TEMPLUM. Vox Hebræa שׁוּלִים *oræ*, *fimbriæ*, non niſi de veſtibus, quod ſciam, in ſacris uſurpatur, Exod. XXVIII: 33. על־שוליו *ad fimbrias ejus*, pallii hyacinthini, verſ. 34. clariſſime, שולי המעיל *fimbriæ pallii.* Sic & Jer. XIII: 22, 26. Thr. I: 9. Unde colligo, non tam de ora ſolii

solii cogitandum esse, quod quibusdam allubuit, quam de fimbriis vestium ejus qui insidebat solio. *Josue Placeus*, summo merito suo, aliquoties jam nobis laudatus, existimat alludi, non tam ad fimbrias vestis *regiæ*, quarum nulla usquam in sacris est mentio, quam ad fimbrias vestis *pontificiæ*, quæ accurate describuntur, Exod. XXVIII: 33. & XXXIX: 24. & erant admodum amplæ; habebant enim in ambitu multa aurea tintinnabula, malis punicis pretiosissimis ordine dispositis interjecta. Cujus umbræ corpus in Christo sit, qui, ut Rex & summus Sacerdos, sedet in domo Dei, hoc est, sua, sublimis, eamque totam implet aureis tintinnabulis & malis punicis, id est, pretiosissimis sacerdotii sui nunciis & fructibus. *Idem enim ipse qui descenderat, adscendit supra omnes cælos, ut impleret omnia*, Eph. IV: 10. Negandum sane non est omnia ista, pie, vere, gloriose, de Christo prædicari; non tamen dubitare nefas, an huic loco recte congruant. Nam præterquam quod, ut supra monui, Regis potius quam Sacerdotis partes Christus hic sustineat; fimbriæ pallii sacerdotalis an admodum amplæ fuerint nescio; hoc scio, non fuisse longas, neque attigisse solum, quum Pontifex, sacra facturus, templum intraret, nedum si in sublimi sedisset solio. Ut autem vestes regiam aliquam impleant, non amplas modo, sed & longissimo syrmate præditas esse oportet, præsertim, si, qui indutui habet, in sublimi conspiciatur. Credibilius itaque arbitror, alludi ad morem Regum in Oriente, qui togam amplam gestabant, longumque syrma trahebant. Ita rem concipio; visum esse thronum in porticu, in excelso aëre, sic, ut qui insideret throno, non procul a summa contignatione porticus, capite suo, abesset, throni autem infima pars sublimior esset ostio templi, sive sancti, adeo ut vestes, amplitudine & prolixitate sua fluentes, per ostium sanctuarii se dimittere, illudque implere potuerint.

XIII. Dubium non est, quin hæc quoque habeant significationem mysticam. Non contemno *Wolphgangi Musculi*, diligentissimi interpretis, observationem, Prophetam de superioribus Divinæ majestatis ornamentis nihil, de infimis vestium oris tantum meminisse: eaque re exprimi consternationem animi religiosi, qui in visionibus Divinis, non superiora, sed vix infima contemplatur. Quod imitandum omnibus modestis Dei ministris est, ne temeraria & irreligiosa præsumptione ad superiora & secretiora mentis oculos elevantes, nihil inde quam excæcationem reportent: experianturque, infelici exemplo, veriverbium illud, *Scrutator Majestatis opprimitur a gloria.* At majora subesse credo. *Vestes* Christi notare possunt I. *Decus* potentiæ, justitiæ, bonitatis, opulentiæ, & gloriæ ipsius, Ps. XCIII: 1. CIV: 1, 2. Jes. LIX: 17.

XIII. *Harum rerum significatio mystica.*

II. *Justitiam* Christi Mediatoris, qua electorum suorum delicta tegit, eosque gratos & acceptos Patri suo facit; uti olim Jacobus erat Isaaco, indutus amictu fratris primogeniti, Dan. IX: 24. Ap. XIX: 8. III. *Sanctitatem* & *Gloriam*, qua Ecclesiam ornat, Ps. XLV: 14. 15. CX: 3. Quidquid enim Christus habet, cum Ecclesia sua, singulisque illius membris, liberalissime communicat. Eo enim pertinet, quod fimbriæ vestium *replerent templum*.

XIV. *Et applicatio ad animum.*

XIV. Ita Jesaias Jesum vidit: nos eum nobis ad eundem modum repræsentemus oculis fidei ac devotæ meditationis. Et primo quidem ut *Regem* magnificentissimum. Nunquam nos offendat ejus humilitas, & forma servi, quam, nostri caussa, lubens assumsit, & in diebus carnis suæ, ad salutem nostram, circumgestavit. Etiam tum radii quidam Majestatis ipsius emicuerunt, Joh. I: 14. Mat. VIII: 27, 31. At post eam, majorem consecutus est gloriæ splendorem, Jes. XLIX: 6, 7. Eph. I: 20, 21. Phil. II: 9, 10. Talem eum agnoscamus, qui Principibus, Regibus, Imperatoribus, Monarchis immensum excellat, dignus quem nobiscum quidquid in terra sublime atque augustum est, omnesque adeo cœlestium geniorum chori, cernui adorent, coronas suas ad pedes ejus deponentes, Apoc. IV: 10, 11. V: 12, 13, 14. Majestatem ejus ita revereamur, ut contra mandata ipsius nec hiscere, nec velle, nec cogitare ausimus. Conf. Ezr. VI: 12. Portas urbium, ædium, cordium nostrorum ei aperiamus: ut nutu ac oculis suis quidquid vitiosum est inde pellat, Prov. XX: 8. Ad thronum ejus, quotiescunque nobis prece adeundus est, non nisi debita animi submissione accedamus, Hos. III: 5. Ecc. V: 1. Et quidni liceat nobis, generoso in debellandis hostibus nisu, ad solii sui communionem adspirare? quippe quam victori promisit, Ap. III: 21. Sed & meminerimus, ad tribunal ejus comparendum nobis aliquando fore, Rom. XIV: 10. 2. Cor. V: 10. vindictamque & animadversionem in hostes futuram esse acerrimam, Ps. II: 9. Luc. XIX: 27. Trepidemus ad diem iræ ejus: sine mora crimina nostra agnoscentes, confitentes, deplorantes, emendantes; tunc in clementia benignissimi judicis tutum inventuri receptum, Prov. XXVIII: 13. Denique fœdæ nuditatis nostræ convicti, ab eo nobis vestes justitiæ sanctitatisque comparemus, quibus ad justificationem, glorificationem, decore exornemur, Ap. III: 18.

XV. *Seraphim, cur sic dicti, qui, & quot.*

XV. Postquam magni Regis nostri incomparabilem Majestatem contemplando oculos animumque pavimus, nunc *satellitium* attendamus tanta Majestate dignum; cujus descriptionem habemus vers. 2, 3. Ubi quatuor consideranda veniunt. I. Nomen. SERAPHIM. II. Situs. ADSTABANT EI SUPERNE. III. ALÆ, earumque usus. IV. CLAMOR

mon δοξολογίας. Illustres ergo hi Divinæ Majestatis ministri ac satellites Hebræo nomine שְׂרָפִים Seraphim dicuntur. Qua voce plerumque *serpentes ardentes* designantur, sive illi *Hydri* fuerint, quod *Bochartus* vult, sive *Presteres*, quod alii, Num. XXI: 6. Deut. VIII: 15. Ceterum ea significatio huic loco non videtur esse consentanea. Quod enim quidam contendant, sanctos Dei angelos urentium serpentum nomine ideo venire, quod quemadmodum hi olim in deserto, ita & illi nunc, ardentis iræ Dei in populum rebellem executores sint; longiuscule petitum est. Malorum angelorum emblemata, serpentes sunt; bonorum, non item. Satius igitur erit, ut per *Seraphim* intelligamus *corpora ignita* & ardentia, qualia conspiciebantur Jesaiæ. Quo symbolo repræsentati sunt *Angeli:* alibi quoque eadem ardentium corporum specie apparentes, 2. Reg. II: 11. VI: 17. Ezech. I: 13. Neque caret ea res mysteriis. Significari enim ignita isthac specie potest I. Natura eorum spiritualis atque agilissima, Heb. I: 7. II. Lux sapientiæ, 2. Sam. XIV: 17. Dan. V: 11. III. Puritas sanctitatis, & fervor caritatis ac zeli. IV. Iræ Divinæ in ministris se suis declarantis æstus atque incendium, cujus vindices & executores in tremenda hac visione adstabant. Confer Gen. III: 24. Ap. XIV: 18. XVI: 8. Non moramur Pseudo-Dionysii Areopagitæ, & Scholasticorum curiosas nugas, novem Angelorum ordines fingentium, quorum omnium supremus sit, quem Seraphini absolvunt, septem gradibus ordine Archangelorum celsior. Quæ non nisi cassæ speculationes sunt hominum *pedem inferentium in ea quæ non viderunt, & temere inflatorum carnis suæ intelligentia*, Col. II: 18. Neque de definiendo Seraphim hic apparentium *numero* solliciti erimus. Nam quod nonnulli non nisi *binos* fuisse conjectant, sicuti bini fuere Cherubim, primum in Tabernaculo, Exod. XXXVII: 7. dein in Templo; 1. Reg. VI: 27. id, quamvis *Calvino* nostro non improbatum, debili nititur fundamento. Quum necesse non sit horum numerum illorum numero respondere. Nam alibi in simili apparitione inveniemus *quatuor*, Ezech. I: 5. alibi & *multas* simul *myriadas*, Ps. LXVIII: 18. Dan. VII: 10.

XVI. De *gestu situque* τῶν Seraphim testatur Propheta quod fuerint עֹמְדִים מִמַּעַל לוֹ Stantes super illum. *Stare* ministrorum est, *sedente* domino, 1. Reg. I: 2. X: 8. XVII: 1. Zach. III: 7. quare innuitur promtitudo ad omnia jussa capessenda, & ad eundum quo mittuntur, Matt. VIII: 9. Hoc statu alibi quoque conspecti sunt Angeli, Dan. VII: 10. Luc. I: 19. quoniam sunt *spiritus ministratorii*, Heb. I: 14. *nuncii Dei, valentissimi robore, efficientes verbum ejus, auscultantes voci verbi ejus*, Ps. CIII: 20. Stabant autem מִמַּעַל לוֹ Chaldæus, קדמוהי

XVI. *Cur starent, & quidem supra thronum.*

סמוך לו *in sublimi coram ipso*. Minus proprie. Kimchi, ברומא קדמוהי *prope eum*. Aben Ezra, *a dextris & sinistris*, LXX. κύκλῳ ἀυτȣ̃ *circum ipsum*. Grotius aliique malunt, *juxta ipsum*. Nihil recte. Quamvis enim על sæpe significet *juxta*, vel *apud*: ממעל tamen nunquam aliud notat quam *super*, aut *superne*. Vide Jes. XIV: 13. Jer. LII: 32. Dan. XII: 6. & sic passim. *Supra eum* referri potest vel ad thronum, vel ad eum qui insidebat throno. Illud notæ Anglicanæ malunt, quandoquidem indecorum videtur ministros superiore quam Regem loco constitui. Concipit itaque doctissimus earum auctor, inferiorem throni in porticu conspecti partem æqualis fere altitudinis fuisse cum suprema parte ostii templi, unde se demittebat vestis regia; caput autem Regis fere attigisse lacunar porticus: Seraphinos visos, supra solium, non supra ejus summitatem, quod indecorum foret, sed sublimiores infima solii parte, ut adstarent Regi. Quæ acute quidem observata esse videntur, sed dubito, annon, ut servetur illud quod moribus nostri seculi judicatur esse decorum, vis aliqua fiat phrasi Hebraicæ. An recte dicitur ממעל הכסא *supra thronum*, quod illius summitate depressius, sola duntaxat infima parte, aut subsellio, aliquanto fortassis sublimius est? Nil mihi potius est simplicitate. Itaque, servata propria vocis significatione, perinde arbitror, sive לו *eum* ad thronum, sive ad sessorem referatur. Et tantum abest ut quidquam in isthoc situ deprehendam indecori, ut ex adverso insignem animadversionem mereatur. Thronus Christi conspiciebatur in sublimi. Infra stabat Jesaias, suspiciens. Superne circumvolabant Angeli. Christus ipse, quasi centrum erat, in quo & cœlitum, & terricolarum pia studia jungebantur. Conf. Joh. I: 52.

XVII. *Cur sena singulis alæ, & quis earum usus.*

XVII. In ALIS considero *Numerum* & *Usum*. *Senæ* erant singulis. *Duas* habebant *Cherubini* in *Templo*. I. Reg. VI: 27. *Quatuor*, illi quos vidit Ezechiel, Cap. I: 6. X: 21. Hi Seraphini, *sex*. Cujus differentiæ veram rationem quis asseverate docuerit? Non spernenda videtur ista diversitatis observatio, quod Ezechielis Cherubini, non circa aut supra thronum, uti nostri Seraphini, sed sub throno, in inferiore aëre versabantur, ideoque minus indigebant binis illis alis, quibus tegenda coram Divina Majestate facies erat. Aliam rationem doctissimus *Ouvvenus* dat, in *Prolegomenis ad Hebr.-Exercit.* XXII: §. XVII. Jesaiæ visio, inquit, repræsentabat Christum, cum mysterio vocationis Gentilium, & rejectionis Judæorum; cui introspiciendo impares erant Angeli, Eph. III: 9, 10. Cæterum apud Ezechielem repræsentatur voluntas Dei in operibus communis Providentiæ, quam detecta facie contemplantur. Hæc de alarum numero. *Usum* comperimus

rimus fuisse trigeminum. בִּשְׁתַּיִם יְכַסֶּה פָנָיו Binis tegebat quisque faciem suam: præ verecundia; quia nulli creaturarum, ne Angelis quidem, datum est, Divinæ gloriæ lucem, in omni suo fulgore, irretortis oculis intueri, 1. Tim. VI: 16. Non tamen ita tegebant faciem, quin aliquo fruerentur Dei conspectu. In quo nimirum eorum consistit felicitas. Neque certe volatu cæco & erroneo ferebantur. Sunt qui hac occasione observant, fidelium, etiam dum in terris degunt, conditionem in hoc potiorem esse illâ Angelorum, quod, quum hi faciem tegant, illis datum sit retecta facie intueri gloriam Domini, 2. Cor. III: 18. Cujus rei hæc sit caussa: quod angeli propter suam, fideles propter Christi justitiam, Angelica multo præstantiorem, Deum videant. Attamen speciosum id magis, quam solidum est. Nam neque res ipsa vera, neque ratio valida est. Nusquam docet Scriptura, homines plus de Deo videre & cognoscere quam Angelos: ne quidem in futura vita, ubi demum futuri sunt ἰσάγγελοι, Matt. XXII: 30. Luc. XX: 36. nedum in hac. Paulus non loquitur de visione gloriæ Dei in *se ipsa*, sed in *speculo*: & opponit non fideles Angelis, sed fideles Testamenti Novi fidelibus Testamenti Veteris. Tum etiam, quamvis justitia Christi illam Angelorum indubie antecellat, non tamen idcirco fideles Angelis præstantiores sunt. Melius enim est, nulla peccata nec habuisse, nec habere, quam eorum obtectionem esse consecutum, interimque cum multis adhuc vitiis luctari. Contenti itaque felicitate nostra simus, licet eam non præferamus Angelicæ. Porro Binis alis tegebat quisque pedes suos. Quod referri fortasse potest ad naturam Angelorum hominibus invisibilem, quibus adsunt quidem, sed non videntibus pedes, id est, adventum eorum. Alii putant tectos fuisse Angelorum pedes, ne terram contingerent, atque ex ea aliquid contraherent sordium: quemadmodum nos homines solemus. At multa & magna paucis dixisse mihi videtur illustris *Grotius*. *Intellige*, inquit, *per pedes, more Hebræo, ea quæ velari jubet pudor: quibus respondent in ipsis etiam Angelis imbecillitates quædam, si Deo comparentur. Vide Job.* IV: 18. Digna hæc ulteriori deductione sunt. Ea humani corporis membra, quæ ἀτιμότερα καὶ ἀσχήμονα Paulus nuncupat, 1. Cor. XII: 23. quæque iis sunt vicina, *pedum* nomine Hebræis quandoque dici, eruditis ignotum non est. Vix alium sensum admittit Prophetæ nostri phrasis, Cap. VII: 20. *Abradet Dominus novacula mercenaria pilum capitis, & pedum, etiamque barbam consumet.* Conf. Deut. XXVIII: 57. Ezech. XVI: 25. Ob eandem caussam urina, *aqua pedum* dicitur; quæ verecunda loquendi ratio est, passim in Hebræo sermone observata.

Angeli

Angeli igitur, quum in humana forma apparerent, concipi debent cunctis præditi fuisse partibus, quæ ad humani corporis integritatem pertinent: iis etiam, quas operire omnes propemodum gentes naturalis docuit pudor. Cujus pudoris caussam non eam sane sancti Angeli habent quam homines peccatores: attamen tam illustris, splendida, augusta Divinæ faciei Majestas est, ut etiam sanctissimæ creaturarum, cum incomprehensibili Divinæ sanctitatis perfectione collatæ, illiusque lucis fulgore circumfusæ, suæ imperfectionis & imbecillitatis agnitione & pudore imbuantur. Atque huc pertinere arbitror alterum alarum Seraphicarum usum, conferendum cum Ezech. I: II. Circa tertium nulla est difficultas. Nam quod BINIS VOLASSE dicuntur, palam significat celeritatem & promtitudinem ipsorum ad exsequenda Dei jussa. Confer Dan. IX: 21.

XVIII. *De clamore unius ad alterum.*

XVIII. Quos *vidimus* hactenus, nunc *audiamus* Seraphinos. Non enim adstabant silentes. Sed קָרָא זֶה אֶל זֶה CLAMAVIT HIC AD ILLUM. Ut de sermone Angelorum inter se, sive, quod idem est, de modo quo meri isti Spiritus suas sibi mutuo cogitationes communicant, curiose disputemus, neque hujus loci, neque ullibi locorum nostræ modestiæ est. Res ipsa loquitur, omnia hic esse symbolica: ac proinde CLAMOREM Seraphinorum, vel verum fuisse sonum ab ignitis istis corporibus in aëre formatum, qui aures Prophetæ ferierit; vel aliquid sono ejusmodi analogum, quod phantasiam ipsius affecit. Quod autem *clamasse* potius, quam locuti fuisse narrentur, partim est ad exprimendam rerum dicendarum præstantiam; dignarum sane quæ torporem mortalium excitarent, & a quibusvis longe lateque audiantur: partim ad ostendendam vehementiam zeli & affectuum in loquentibus. Conf. Ezech. I: 24. Porro clamabant HIC AD ILLUM, sive alter ad alterum. Fortasse per vices, ut alter alteri responderet: eo fere modo, quo Israëlitæ & Israëlitides sibi invicem, post superatum mare algosum, Exod. XV: 1, 21. aut Sacerdotes & Levitæ in fundatione Templi secundi, Ezr. III: 11. Qua re & ordinis concinnitas, & animorum consensus declaratur.

XIX. *Deus cur dicatur Jehova Sebaoth.*

XIX. Materia sive argumentum clamoris est δοξολογία pulcherrima, qua JEHOVAM SEBAOTH sanctitatis & gloriæ suæ nomine celebrant. Vox Hebræa צְבָאוֹת duplici sensu usurpatur. Plerumque *exercitus* sive *agmina* notat, quod probatione non indiget. Aliquando & *statum tempus*, Num. IV: 23. הבא לצבא צבא *veniens ad obeundam vicem suam*, Num. VIII: 25. ישוב מצבא העבודה *decedet a statione* sive *stato tempore ministerii.* Eodem retulerim Job. X: 17. חליפות וצבא עמי *vicissitudines & statum tempus sunt apud me.* Hoc est, unum

malum

malum alteri decedit, & per ſuum tempus quaſi vice ſua fungitur. Utroque ſenſu Deus *Jehova Sebaoth* eſt. Nam *exercitus* omnes, tam cœleſtes, quam terreſtres, & ipſos denique infernales, imperio ipſius parere neceſſe eſt; ſive volentes lubenteſque, ſive frementes & invitos. Idem etiam *temporum ordinator* ac ſtator eſt: in natura, religione, & œconomia gratiæ, Dan. II: 22. Act. XVII: 26. Eph. I: 10. Eſtque ea res tanti momenti, ut hinc quoque denominari mereatur.

XX. Huic *Jehovæ Sebaoth* adſcribunt SANCTITATEM. Ea eſt immaculata puritas naturæ, virtutum, actionum Dei, in quibus omnibus talis eſt, uti optimum perfectiſſimumque numen decet. Vel ſi ſic malis, Sanctitas Dei eſt caſtiſſimus amor, quo perfectiones ſuas Deus ita ſapienter conſtanterque diligit, ut nihil unquam velit aut agat, quod iis non conſentaneum, & creaturæ rationali pro conſummatiſſimo exemplari ſit. Ea ergo ſanctitas ceteras Dei virtutes includit, vel ſupponit. Proinde quotieſcunque Dei ſanctitas laudatur, laudantur & reliquæ ejus perfectiones, quarum illa decus atque ornamentum eſt, Exod. XV: 11. Neque profecto de nihilo eſt quod hoc *Sancti* elogium ter repetatur: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Hoc enim rei de qua agitur eximiam notat præſtantiam atque ubertatem: quaſi dicas, ſanctus, imo ter ſanctus. Vide ſimilem repetitionem, emphaſios cauſſa Jer. VII: 4. Ezech. XXI: 14, 27. Et ſane ſanctus eſt Deus in cœlo, terra, inferno. Sanctus in juſtitia, gratia, gloria. Sanctitatem ſuam demonſtravit in Lege, in Chriſto, & in hoc ipſo quoque populi rebellis excidio. Significatur etiam vehementia affectus, Jer. XXII: 29. 2. Sam. XIX: 1. & indefeſſa continuatio δοξολογίας. Ap. IV: 8. Καὶ ἀνάπαυσιν ὐκ ἔχυσιν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, λέγοντα. Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος. Veteres addiderunt, ſubeſſe argumentum τῦ τρισυποςάτυ. Quod quidem non eſt adſpernandum, præſertim quum pluralitas in unitate doceatur commate 8. Sed habemus multo in eam rem fortiora.

XX. De elogio Sanctitatis, ter repetito.

XXI. Poſt ſanctitatis laudem ſequitur celebratio gloriæ. מְלֹא כָל־הָאָרֶץ כְּבוֹדוֹ Quod proprie ſonat, Plenitudo totius terræ gloria ejus. Vox Hebræa כבוד a *gravitate* nomen habet, notatque eam rerum præſtantiſſimarum ſoliditatem, ſive pondus, quo quis alteri comparatus, ei præponderat. Sic Apoſtolus βάρος δόξης dixit 2. Cor. IV: 17. Si ad rem ipſam magis attendamus, Gloria Jehovæ eſt venerabilis illa eminentia, decuſque auguſtiſſimum, quod ex infinitudine omnium perfectionum ipſius ſimul junctarum ſplendet, & in omnibus ejus operibus fulgentiſſima luce micat, omneſque creaturas rationales ad admirationem ac reverentiam obligat. Iſta Dei

XXI. De gloria Jehovæ implente totam terram.

gloria, quam cum sancto quodam, sapiente beatoque stupore adorant cœlites, hic PLENITUDO TOTIUS TERRÆ, sive, quod idem est, totam terram implere, dicitur. Sive illud de *terra Israëlis,* sive de *toto orbe* habitabili intelligas, ex æquo verum est. Cæterum defectus *verbi* in sermone Hebræo in ambiguo relinquit, num oratio ista sit votum rei desideratæ, an enunciatio rei præteritæ, aut præsentis, an denique prædictio futuræ. Quoniam autem nihil admodum est, quod ad unum horum præ ceteris eligendum nos subigat, quidni de omnibus junctim cogitare liceat? Dubitare nefas est, quin, ex ardentissimo Divinæ gloriæ zelo, eam ubique fulgere, & ab omnibus agnosci ac celebrari, Angeli vehementer optent: non minus certe quam Psaltes, Ps. XCIX: 3. LXXII: 19. CXIII: 2, 3. Magna etiam cum animi sui voluptate cernebant, in *terra Israëlis habitare gloriam,* Ps. LXXXV: 10. LXXVI: 2. Præsertim Hierosolymis, & in Templo, Ps. XLVIII: 2. Jer. XVII: 12. Sed & in *universo orbe* habitabili eam insignibus Providentiæ operibus demonstrari animadvertebant, Ps. XIX: 1. CIV: 24. Job. XXVI: 14. Denique læti prævidebant, ac prædicebant, futurum esse ut progressu temporis, euntibus ordine fatis, gloria Dei longe luculentiore ratione splenderet, in terra Israëlis primum, mox per mundum universum. Ea nimirum temporis plenitudine, qua Christus, ut hic repræsentatur, regnum capessiturus erat. Tunc in tota, qua patet, Israëlitide patefacta est gloria Dei, per prædicationem Evangelii, per miracula a Christo & Apostolis patrata, & per effusionem Spiritus gloriæ, Jes. XL: 5. Mat. IV: 23, 24. Act. X: 38, 39. II: 5, 6. Deinceps Evangelium per Apostolos, eorumque comites ac successores, prædicatum est ubivis terrarum: & proclamata publiceque demonstrata Christi gloria, in subversione idolorum, & conversione tot myriadum, Ps. VIII: 1. Mal. I: 11. Denique gloria justitiæ Divinæ repleta est tota terra Israëlis, quando eam percussit anathemate: conf. Lev. XXVI: 31. cujus rei fama, una cum miseris refractariæ gentis reliquiis, totum orbem pervagata, effecit ut a quibusvis gentibus Deus in isthoc suo judicio justificatus sit, Deut. XXIX: 22-26.

XXII. *Piæ super hisce rebus meditationes.*

XXII. Officii nostri est ea quæ de Angelis hic repræsentantur piis meditationibus ad animum nostrum revocare: non otiosorum Scholasticorum more ἐμβατεύοντες ἃ μὴ ἑωράκαμεν, sed quæ sanctissime ab iis gesta sunt, ea nobis proponentes in exemplum: ut vel in terris vitam discamus agere Angelicam. Contemplemur igitur cœlestes hosce spiritus, Divinæ caritatis sanctique zeli flammis prorsus *æstuantes*, deque nostro erubescamus tepore: ne posthac *ignavi studio simus; sed spiritu*

ritu ferventes, Domino servientes. Spiritus Christianismi *igneus* est. Jes. IV: 4. Dan. VII: 10. Mal. III: 2. igneos quoque, quos imbuit, facit, purgans a scoriis vitiorum, elevans sursum, flammamque excitans, nullis unquam aquis extinguendam, Cant. VIII: 6, 7. Attendamus, ut *adstent Christo:* & ipsi quoque praecipuam beatitudinis nostræ partem in eo sitam esse arbitremur, quod prope ei liceat adesse, Ps. LXXIII: 28. Adhæreamus ei ἀπερισπάστως, 1. Cor. VII: 35. Act. XI: 23. iteratis frequenter devotæ pietatis exercitiis, & praxi exactissimæ sanctitatis, Job. XXII: 21. Observemus & *alas* eorum, & ex iis discamus, I. Non aliter Deo Christoque adsistere nisi cum *submissa veneratione:* neque plus inquirendum de iis esse quam par sit atque expediat. Si enim Angeli majestatem Dei ferre nequeunt, quanta erit hominum temeritas, si eousque perrumpere conentur? II. *Tegere pedes* & actiones nostras: non cum Pharisæis bona opera, nedum merita, jactantes; sed defectuum, qui optime a nobis gesta inquinant, cum pudore conscii. III. *Volare quam ocyssime*, quotiescunque aliquid in Dei ministerio faciendum est, Jes. XL: 31. Imitemur etiam jucundissimum eorum in concentu Divinarum laudum *consensum.* Hoc est sacrificium laudis, sacrificium illud unicum quod commune est Angelis ac piis hominibus, Apoc. IV: 8, 9. sacrificium juge & sempiternum, quo nihil a nobis offerri potest Deo gratius, & Majestati ejus convenientius, modo fiat in spiritu & veritate. Sed & accedat zelus ex ardentissimæ caritatis vehementia; *clamor* ex exuberantia amoris. Neque unquam clamemus *alter contra alterum*, inconditis vociferationibus jurgiorum & convitiorum, per quæ fieret ut nostri caussa nomen Dei blasphemaretur. Consideremus Jehovam, uti Deum *exercituum*, cui nos quoque in sua singuli statione militare debemus, Apoc. XII: 7. XIX: 14. & uti *ordinatorem temporum*, in omni eorum mutatione ostendentem, tam supremam suam nullique obnoxiam potestatem, quam immensam sapientiam ac bonitatem, Act. I: 7. *Sanctitatem* Dei, unice nobis diligendam, omni laude concelebremus, Ps. XXX: 5. ad illiusque nos componamus exemplar. Agnoscamus temporum nostrorum felicitatem, quibus *totam terram implevit gloria* Jehovæ. Non est nunc necesse, ut Hierosolymam adscendamus, ibi demum gloriam Dei visuri. Ruptum velum est, splendor ubivis micat. Id solummodo operam demus, ut & in nobis Deus gloriosus & admirabilis appareat; ne cogatur terram quoque nostram implere gloria justitiæ suæ.

XXIII. Tam luculentæ tantæ gloriæ demonstrationi respondent gemini EFFECTUS, alter in re sensu ac ratione carente, alter in cre- *XXIII. De postibus ad vocem clamantem commotis.*

 atura

atura rationali. Ille describitur com. 4. TUM COMMOTI SUNT POSTES LIMINUM A VOCE INCLAMANTE, vel INCLAMANTIS, ET DOMUS IPSA IMPLETA EST FUMO. Caussa hujus rei proxima est קול הקורא quod duplicem habet significationem. Reddi enim potest VOX CLAMANS, ut denotetur vehemens, omnemque humanum modum superans, sonus, sine strictiore determinatione; vel VOX CLAMANTIS, sive Angeli alicujus sanctitatem & gloriam Dei celebrantis, illius fortassis, qui ultimus fuerat locutus; sive Dei ipsius, annuentis & respondentis doxologiæ Seraphicæ. Conf. Ps. XXIX: 2-9. Heb. XII: 26. Utut sit, insolita vox insolitum habuit effectum. COMMOTI SUNT POSTES LIMINUM, *postes* quorum uni inserti erant cardines ostii, alteri id quo claudebatur, *liminum*, tam superioris, quam inferioris. *Commoti sunt* יָנֻעוּ, vel sic ut tremuerint duntaxat, vel etiam ut insigniter locum mutaverint. Illud prætulerim: tam rei intuitu, quæ commodior, quam verbi, quod ista significatione venit Jes. VII: 2. & respondet verbo רעש Amos. IX: 1. Nolim tamen valde refragari *Musculo*, dissolutionem ac diruptionem liminarium intelligenti, non quæ revera facta sit, sed quasi fieret a Propheta visa. Nam & hac significatione נוע invenitur Ps. CIX: 10. Amos. IV: 8. Vox Hebræa אַמּוֹת hic per *postes* exposita, plerumque *cubitos* notat, unde Judæorum aliqui collegerunt, limina ipsa cum postibus & ostio ad spatium duorum triumve cubitorum loco mota fuisse. Sed collectio nulla est, & res ipsa parum probabilis. Conf. Am. IX: 1. Significatur nutatio Templi, & cum ea Reipublicæ ac Religionis. Utriusque enim quasi arx templum erat. Vide Jes. XXIV: 19. Sequitur autem *nutatio* ista *vocem clamantis;* cum qua duplicem habuit nexum; alterum respectu vehementis soni, quo præter naturalis potentiæ modum concussus aër solidissima & firmissima corpora fecit contremiscere; quod si ad Angelicam vocem referendum sit, non habuit illa ex se istam vim, sed placuit Deo isthac ratione zelum ministrorum suorum approbare. Conf. Act. IV: 31. & XVI: 25, 26. Alterum respectu materiæ clamoris, quoniam tremor templi, una cum ipsius significatione mystica, in ea rerum junctura, ad demonstrationem sanctitatis & gloriæ Dei plurimum faciebat. Hæc veritas doxologiæ confundet aliquando omnes impios, destruetque regnum diaboli, mundi, & Antichristi. Præteriri silentio non potest, quod *Josephus de Bello Judaico Lib.* VII. *Cap.* XII. his verbis commentatur. *Orientalis porta interioris templi, quum esset ænea atque gravissima, & sub vesperam vix a viginti viris clau-*

clauderetur, serisque ferro vinctis obseraretur, pessulosque altos haberet in saxeum limen demissos, uno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis hora sexta sponte patescere. His autem curriculo per custodes templi magistratui renunciatis, adscendit ille, vixque eam potuit claudere. Unde prudentiores templi tutamen sponte sua dissolutum iri cogitabant; & hostium donum esse portas aperiri: solitudinemque illo ostento signari, inter se pronunciabant. Quæ historia vaticinio huic ad literam fere respondet.

XXIV. Accessit & aliud ostentum: quod Domus ipsa, Sanctuarium distinctum ab adyto, & atriis, repleta fuerit fumo. Id *Placeus* intelligit de fumo sacrificii, & præcipue suffimenti. *Nam victimæ*, inquit, *quæ in atrio sub dio offerebetur, fumus, quum exitum non haberet, per loca sancta, & loca sanctissima pervagabatur, eaque odore complebat. Non Sacerdotis Levitici, qui nullus in hac visione comparet; sed Sacerdotis Christi, qui post peractum sacrificium, sedens in excelsimo solio thymiama intercessionis offert, & cœlesti sanctuario ministrat.* Ceterum hæc abs re dici videntur. Non enim Christus hic χώραν Sacerdotis, expiationem facientis, aut intercedentis, sed offensi Regis, & severi Judicis, habet. Neque fumus suffimenti, qui gratiosissimi odoris, & benevolæ acceptationis Dei, sive instrumentum, sive argumentum erat, admodum convenit cum tremore postium templi, mali ominis portento. *Calvinus* observat, fuisse hoc *ordinarium symbolum, quo Dominus erga veterem populum usus est. Nam, quoties Moses,* inquit, *tabernaculum ingrediebatur, legimus fumum spargi solitum fuisse, ut populus neque Mosen neque tabernaculum intueri posset. Fumus ergo, quem describit Jesaias, non fuit res incognita, sed pro more testari voluit Deus, se potentiam suam ad ferendum de populo judicium exerere.* At in eo virum sagacissimum fugit ratio, quod non distinxerit inter *nubem* & *fumum*. Nam quod Deus, in dedicatione tam tabernaculi quam templi, utrumque *nube* repleverit, clarissime legimus Exod. xl: 34. 1. Reg. viii: 10. Eratque hoc signum gratiosæ ac benevolæ præsentiæ Dei, sed obscurioris, uti Veteris Testamenti œconomiæ conveniebat. *Fumus* autem *iræ* & *vindictæ* symbolum est. Ps. xviii: 9. lxxiv: 1. Deut. xxix: 20. Et speciatim hic notare videtur templi per Romanos incendium, nam flamma fumo proxima est: hinc & utrumque jungitur Apoc. ix: 17, 18. xviii: 9. Isthoc sane incendio vix aliud Divinæ adversus se excandescentiæ illustrius argumentum unquam a Judæis conspectum est. Quum enim ignem circa se primum cernerent, templi porticus aliquot depopulantem, cor-

XXIV. De fumo replente domum.

pora ſimul animique iis cecidere, & ſtupore attoniti nemo eum extinguere conatus eſt. Deinceps flamma e ſeptentrionali templi regione rurſus excitata, dignus tanta calamitate Judæorum clamor exoriebatur, & ad ſubveniendum, quamvis fruſtra, properabant: neque jam vitæ parcendum rati, neque viribus temperandum, eo amiſſo cujus gratia omnium mortalium feliciſſimi viſi fuerant. *Joſeph. de Bel. Jud. Lib.* VII. *Cap.* IX. X.

XXV. *In quibus rebus exprobratio fuit obdurationis & occæcationis Judæorum.*

XXV. Fuit ſane in utroque hoc oſtento exprobratio quædam obdurationis & occæcationis Judæorum. Nam ſi ad vocem iſtam ſive Dei, ſive miniſtrorum ejus, inanimes moventur creaturæ, quid animi pervicacibus iſtis hominibus fuiſſe cenſendum eſt, quos nulla criminum ſuorum conſcientia, nulla ſaltem ſalutaris pœnitentia adfecit? Dum in cruce pendebat Chriſtus, tremebat terra, ac findebantur rupes: ipſi autem, quaſi re bene geſta, ſecure ſibi plaudebant, & crudelibus dicteriis inſultabant miſero. In fumo, qui & caligine ſua viſum impedit, & acrimonia oculos lædit, repræſentatur extrema populi cæcitas circa res ſpirituales atque cæleſtes: quæ imminentis eſt indicium internecionis, Luc. XIX: 42, 43. Lubet etiam cum ſacra veneratione animadvertere mirabilem illam Divinorum operum œconomiam, quod cum manifeſtatione regni Chriſti conjunctam eſſe voluerit nutationem primo, mox & excidium Templi ac Reipublicæ Judaicæ, & occæcationem nationis. Nimirum obſtabat illa moles ſpirituali genio, & libertati Eccleſiæ Chriſtianæ, Zephan. III: 11. Et Judæorum ruina, debebat eſſe opulentia gentium, Rom. XI: 12. De qua re mox commodior erit differendi occaſio.

XXVI. *Conſternatio Prophetæ.*

XXVI. Dici non poteſt quam illætabile, lethale ac præſentaneum venenum in peccato ſit; quippe quod etiam quæ exoptatiſſima jucundiſſimaque ſunt mortalibus, amara, & formidabilia, immo & mortifera iiſdem faciat. Nihil jucundius Adamo, adhuc integro, erat, quam præſentem ſibi in Paradiſo Deum coram ac familiariter conſpicari. At poſtquam ſe crimine obſtrinxerat, ad primum præſentis Numinis indicium miſere trepidavit, & nil profuturas quæſivit latebras. Simile quid Jeſaiæ accidit, ad conſpectum gloriæ Dei, ob conſcientiam ſuæ impuritatis, ita perterrito, ut vix mentis compos certum ſibi exitium imminere opinaretur. De qua ſic ipſe loquitur verſ. 5. VÆ MIHI, QUOD EXSCINDOR, QUIA VIR POLLUTUS LABIIS SUM, ET IN MEDIO POPULI POLLUTI LABIIS HABITO: QUOD REGEM ILLUM JEHOVAM EXERCITUUM VIDERINT OCULI MEI. Maximam eſſe oportuit iſtam animi perterrefactionem & exſternationem, quam pectoris incluſam anguſtiis cohibere Propheta nequivit, quin querula, eaque

eaque affectuosissima, voce erumperet. In querela nota I. *Pavorem* Prophetæ. II. Illius *caussas*. Pavor sic exprimitur, אוֹי לִי כִּי נִדְמֵיתִי Væ mihi, quod exscindor. אוי, *οὐαὶ*, est particula *σχετλιαστικὴ*, sive lamentantis, dolentis de præsenti malo, & paventis ad futurum. Thren. v: 16. & vix adhibetur nisi ad testandam affectuum istorum in mali apprehensione vehementiam. Hebræum נִדְמֵיתִי diversimode exponitur. Vulgata versio: *quia tacui*, non libere satis reprehendi regis aliorumque peccata. Et sane affine, ejusdemque radicis, vocabulum silendi & cohibendi se sensu venit, Amos. v: 13. *Idcirco prudens eo die* יִדֹּם *silebit.* Attamen quum hic exstet in forma Niphal, retenta silendi notatione, aliqui transferunt, *ad silentium redactus sum*: q. d. Ita sum consternatus, ut proloqui non possim, ut vox faucibus hæreat, Ps. lxxvii: 5. *Calvinus* subtilius: *Silentium sæpe pro morte in Scripturis capitur, & dicuntur in silentium redacti, qui sepulti sunt.* Communior tamen, & commodior huic negotio est *exscissionis*, sive perditionis significatio, qua quis redigitur ad *ἀφασίαν*, ad statum gaudii, consilii, spei, vitæque expertem. Vid. Jes. xv: 1. ער מואב נדמה, & קיר מואב נדמה. *Ar Moabitarum excisa est. Kir Moabitarum excisa est*, Zophon. 1: 11. נדמה עם כנען *excisus est populus Canaan*. Adde Ps. xlix: 13. Itaque נדמתי hic quoque valet, occidi, perii, nullus sum, actum est de me. Ortus videtur hic metus ex dicto Dei ad Mosen, Exod. xxxiii: 20.

XXVII. *Caussæ* pavoris assignantur tres. *Prima* proxime refertur ad *Prophetam*, *altera* ad *populum* Israëliticum, *tertia* ad *Majestatem Divinam*. De se dicit, Quia vir pollutus labiis sum. Id de se fatetur quod cum omnibus habet commune mortalibus; Job. xiv: 4. Prov. xx: 9. sed quod nunquam in se ipso clarius animadverterat, quam nunc, ad fulgentissimam illam Divinæ sanctitatis & gloriæ manifestationem: prorsus sicut Petrus Luc. v: 8. Nominatim de *labiorum impuritate* conqueritur, non eam solum ob caussam, quod facillimus in iis & frequentissimus lapsus sit, Jacob. iii: 2. vel quod ea totum hominem polluant, ibid. vers. 6. aut quod indices sint impuritatis, cæteroquin in corde latentis; Mat. xii: 34, 35, 37. quæ rationes generales sunt: sed præcipue, quia insigni ardore Trishagii istius Seraphici convincebatur sui in prædicanda Dei laude, & promovenda ejus gloria, teporis. Hoc præcipue sanctum vatem urebat. Datus populo in Prophetam erat. Labia autem Prophetæ Domino sacrosancta esse oportet, & instar auri purgata septies, & in sermonibus Divinis ardentia. Nunc autem summo suo cum pudore deprehendit, ea se parte immundum esse, qua cumprimis mundus esse debuerat,

XXVII. *Caussæ consternationis, in Propheta, & populo.*

buerat, & cujus immundities ſanctitati Jehovæ exercituum, a Seraphinis tam eximie laudatæ, a ſe quoque prædicandæ, potiſſimum officiebat. Addit etiam impuritatem populi. IN MEDIO POPULI POLLUTI LABIIS HABITO. Innuens ſe convictu immundi mundi deteriorem factum eſſe; dum ſui officii erat illum corrigere. Notatu dignum eſt, quod ſemetipſos ſancti Prophetæ uti partem populi conſideraverint, ſic ut ſibi quodammodo attribuerent crimina quæ populus perpetraverat, Dan. IX: 5, 6. neque minus de iis erubuerint, quam ſi ipſi aliquam in eorum communione partem habuiſſent, Ezr. IX: 7.

XXVIII. *At præcipue, in conſpectu Divinæ Majeſtatis.*

XXVIII. Tertia & præcipua conſternationis cauſſa erat, quod, talis quum eſſet, OCULIS SUIS REGEM ILLUM, Jehovam EXERCITUUM, VIDERIT. Semper fere ingenti terrore perculſi fuerunt mortales, etiam præcipui amicorum Dei, & qui proximæ admiſſionis erant, quotieſcunque iis Deus Majeſtatis ſuæ ſymbola conſpicienda præbuit, Gen. XXVIII: 17. XXXII: 30. Jud. VI: 22. & XIII: 23. Moſes ipſe tanquam rem miram narrat de Senioribus Iſraëlis, & de toto populo, quod Majeſtatem Dei viderint, nec tamen mortui ſint, Exod. XXIV. 10, 11. Deut. IV: 32, 33. Et populus, quamvis ſingularem Dei erga ſe indulgentiam grato animo agnoſcat, eandem tamen diſcriminis aleam iterato ſubire reformidat, Deut. V: 24, 25, 26. Adde Ezech. I: 28. Dan. VII: 15. VIII: 27. X: 8. Et ne quis Veteris Teſtamenti rigori, aut Spiritui ſervitutis, proprium hoc eſſe exiſtimet, ſimilia nobis exempla Novi quoque Teſtamenti tabulæ ſuppeditant, Luc. II: 9. Mat. XVII: 6. & XXVIII: 4, 5. imprimis Apoc. I: 17. Nec in obſcuro eſt tantæ trepidationis cauſſa. Nimius enim Divinæ Majeſtatis fulgor eſt, quam ut infirmos corporis animique mortalis oculos non præſtringat. Ipſæ etiam res inanimes, ac ſi cernerent & animadverterent, ad gloriæ Divinæ demonſtrationem contremiſcunt; quod grandiloquo ore prædicavit Pſaltes, Pſ. LXVIII: 8, 9. & CXIV. univerſo. Nec abludit Habacuc Cap. III: 3, 4, 5, 6. Accedit conſcientia vilitatis, impuritatiſque, quam luce iſta circumfuſi ſancti homines, in omni ſua turpitudine evidentiſſime conſpicantur, Job. XLII: 5. Dum enim ad animum revocant, quod tantam Majeſtatem deſpicatui habuerint, tantam ſanctitatem ſpreverint, tantam bonitatem non ardentius amaverint, tantam potentiam adverſus ſe irritaverint, tantæ lucis conſortio indignos ſe reddiderint, fieri non poteſt quin ad illius adſpectum contremiſcant.

XXIX. *Piæ obſervationes.*

XXIX. Hinc diſcimus ingens illud inter cœlum ac terram diſcrimen. Uti nullæ hic roſæ ſine ſpinis, ita & maximus ille favor, quo ſum-

summates Dei amici quandoque mactantur, suos habet, quibus stimulentur animi, aculeos. Apparitio Jesu, qui vita nostra est, familiaribus etiam suis pavorem incutit morti proximum. Ceterum in cœlo corporis animique nostri infirmitas, una cum peccatorum conscientia, prorsus erit abolita. Deumque sine ullo terrore, imo cum inexplicabili gaudio, semper videbimus sicuti est, 1. Joh. III: 2. Ps. XVII: vers. ult. At si gratiosæ Majestatis Dei apparitio tantum amicis suis, cum corpore peccati adhuc luctantibus, incutiat tremorem; quid contemptoribus & hostibus ipsius fiet, *quum decorem excellentiæ suæ ostentabit, & exsurget ad violenter exagitandam terram?* Jes. II: 19, 21. XXXIII: 14. Apoc. VI: 15, 16, 17. Hinc quoque caussa patescit, cur tam profana in plerisque regnet securitas: &, cum contemptu Numinis, suæ salutis neglectus. Nimirum non conspicatur Deum in sua gloria. Equidem ad eum se modum non conspiciendum nunc præbet, quo Jesaiæ, priscisque vatibus, apparuit; sed nec plane sinit se esse ἀμάρτυρον, in operibus, & præsertim in judiciis suis. Præterquam quod omnes istæ visiones Propheticæ, hac fini victuris in ævum monumentis consignatæ sint, ut easdem nobis, sanctis & fidelibus meditationibus, intentique animi contemplationibus, tam vivide, tam valide repræsentemus, ac si interfuissemus præsentes. Hoc si fecerimus, certe & nos trepidabimus ad illud gloriæ Divinæ repræsentamen; & quo turpioribus præ Jesaia fædati sumus criminibus, eo & magis pavefieri consentaneum est.

XXX. Quod sinceram sui humiliationem sequatur gloria & honor, vetus sapientissimi regum observatio est, Prov. XV: 33. XVIII: 12. Habemusque veritatis istius evidens in Jesaia nostro exemplum: qui nunquam sibi magis displicuit, quam eo tempore quo benignissimæ consolationi proximus, & ad summam muneris Prophetici dignitatem delegandus, erat. Quum enim vivido impuritatis suæ sensu tactus humillime eandem Deo fateretur, non modo condonationis certitudinem, & sanctitatis augmentum consecutus, sed & ad redintegrandam muneris sui functionem nova sollicitatione invitatus est. Atque hæc secunda hujus capitis pars est, comprehensa vers. 6, 7, 8. Ubi rursus distincte considero. I. *Sanctificationem* Prophetæ. II. *Iteratam* & *solemnem* ejusdem *missionem*. In illa occurrunt I. *Minister*. II. *Symbolum*. III. *Sermo consolatorius*. De Ministro sic habetur. Et advolavit ad me unus ex istis Seraphim. Facile fuisset Jehovæ, nullo ministri interventu, quidquid hujus rei erat per semetipsum conficere; at maluit internuncio uti. Sic assolet in dispensandis consolationibus suis: adhibens plerumque verbi ministros, Act. IX: 6,

XXX. *Secundæ partis subdivisio: & de Serapho advolante.*

IX: 6, 10, 12. X: 5, 6. Qui quum & ipsi *Angeli* sint: Apoc. I: 20. par est, ut veluti Angeli Dei excipiantur & audiantur, Gal. IV: 14. Insignis profecto honos præstitus Jesaiæ fuit, quod quum ipse se vix hominis nomine ac conditione dignum profiteretur, Jehova non unum aliquem ex Angelis, sed ex Angelorum principibus, qui throno gloriæ proximi adsistunt, ad ipsum cum lætissimo nuncio amandaverit. Sic beat homullos Deus, ut Angelici ordinis primates ministrare ipsis jubeat, Dan. IX: 21. Tantumque abest ut primates illi Angelorum provinciam istam, quasi dignitate sua inferiorem, detrectent, ut summa potius alacritate jussa exsecuturi advolent.

XXXI. De *pruna ardente, illiusque usu & significatione.* XXXI. De *Symbolo* Propheta sic narrat: HABENS IN MANU SUA PRUNAM, QUAM FORCIPIBUS SUMSERAT AB ALTARI, ADMOVIT EAM ORI MEO. Vocem רצפה LXX. vertunt *ἄνθρακα*, PRUNAM, sive *carbonem ignitum.* Eodemque sensu Hebræi & Christiani interpretes, magno numero. Sed intercedit *Bochartus Hierozoici Part. I. Lib.* II. *Cap.* XXXIII. pugnatque non *carbonem* intelligi, sed LAPIDEM IGNITUM. Certum utique est quod רצפה ordinarie *pavimentum* notet, vel *lapides* quibus sternitur pavimentum, Esth. I: 6. Ezech. XL: 17, 18. XLII: 3, Lapidibus autem cum carbone nihil commune est; ideoque vix concesserit, idem nomen duo tam diversa significasse. Porro observat, ignitos lapides gentibus orientalibus in crebro usu fuisse; iis enim lac coquere, carnes ad esum assare, stigmata etiam & cauteria vivæ carni inurere solent. Conjicit ergo, in altari hujusmodi fuisse lapides, quorum contactu caro victimarum, vel coqueretur, vel absumeretur citius. Et horum uno, per visionem ablato, Angelum Prophetæ labia tetigisse. Laudatque *Hieronymum*, qui, *Aquilam*, *Symmachum* & *Theodotionem* secutus, vertit, *& in manu ejus calculus.* Equidem nec elide propugnare observationem istam velim, in re haud magni momenti. Parum interesse arbitror, an lignum ignitum, an lapis ignitus fuerit. Significatio symbolica non in materia, sed in *igne* est: illo nimirum qui cœlitus descendit, & cujus solius in sacris erat usus. Is significabat *Spiritum S.* qui e cœlo venit, continuoque a nobis fovendus est, cujus virtute vetus noster homo absumitur, & per quem solum, quidquid in religionis & virtutis negotio agitur, Deo gratum atque acceptum esse potest. Porro notatur, hunc sive lapidem, sive carbonem, ab ALTARI desumtum. An æneo, holocaustorum, an aureo, suffituum, expresse non dicitur; illud tamen est probabilius. Utrumque significabat Christum. Notat igitur, Spiritum Sanctum nos habere ex Christo, illius meritis, intercessione, ac dono. Carbonem istum FORCIPIBUS sumse-

sumserat ab altari. Simile quid, sed alio modo ac mente, visum Ezechieli est, Cap. x: 7. Ibi Cherub ignem *manu* arripit, tradendum in pugnos viri amicti lino. Ratio diversitatis gemina esse videtur; quarum altera ad symbolum externum, altera ad rem significatam pertinet. Apud Jesaiam ignis desumitur *ex altari*, in cujus utensilibus præsto erant forcipes: apud Ezechielem ex *interstitio rotarum*, ubi nullus forcipum usus. Per ignem Jesaiæ intelligitur Spiritus consolationis & sanctificationis, per ignem Ezechielis fervor Divinæ excandescentiæ rebellem urbem consumturus. Forceps itaque ab Angelo hic adhibita, docet, symbola gratiosi Spiritus σεμνῶς esse habenda, atque, ubi fieri potest, utendum esse mediis a Deo præscriptis. Denique carbo admovetur Labiis, remedium parti adfectæ. Et ut doceretur, eos, qui Spiritu Sancto præditi sunt, eum quoque sermonibus suis præferre, Zach. ix: vers. ult. Eph. v: 18, 19. Et fore aliquando tempus, quo pro juvencis offerenda sint labia confitentia Deum, Hos. xiv: 3. Heb. xiii: 15. Et tum demum Prophetam, atque imprimis N. T. ministrum, cujus hic typum gerebat Jesaias, muneri suo idoneum esse, ubi sacro Spiritus igne labia ipsius ardent, Act. ii: 3, 4.

XXXII. At audiamus exponentem adhibita signa Angelum: Ecce hoc tetigit labia tua, et recedit iniquitas tua, et expiatur peccatum tuum. Quasi diceret, hæc labiorum tuorum tactio per prunam, non vulgari, sed sacro igne, neque alibi, sed in altari, candefactam, pro signo & sigillo tibi sit, quod omnium peccatorum veniam per Spiritum Sanctum, propter Christi merita & intercessionem, consecutus sis. Ita Deus symbolis addit verbum, ut intelligantur; verbo symbola, ut efficacius in animum penetret, & penitius memoriæ imprimatur. *XXXII. De Sermone Seraphi, qui symbolo junctus fuit.*

XXXIII. Dubium non est, quin blanda hac actione, & delinifica oratione, perculsus nuper Prophetæ animus, valde recreatus & refocillatus sit. Non utique, ut in sinu suo gaudens lætitia isthac otiose frueretur; sed ut prępararetur ad grandiora ac difficiliora, in ministerio Domini peragenda, & gustato hoc cælesti melle animosior, sicut Jonathan olim, factus, summa cum alacritate susciperet, summa cum agilitate patraret, quæcunque sibi a Deo injungenda forent. Mox enim post tam eximiam consolationem vox Domini audita, qua ad novos vocatur & excitatur labores. Neque integrum sibi existimavit, tam insolitam Dei benevolentiam recens experto, quicquam detrectare, vers. 8. Et audivi vocem Domini, dicentis, Quem mittam, et quis ibit nobis. Hactenus audiverat vocem *XXXIII. De ipsius Dei ad Prophetam alloquio.*

Seraphinorum, laudantium Deum, & Dei nomine consolantium ipsum. Uterque sermo fuerat jucundissimus. Nunc audit ipsum throno suo insidentem DOMINUM & Regem. Eundem ordinem tenuit Deus circa Ecclesiam universam, Heb. I: I. Et, si sejungamus illud quod propheticum & vatibus proprium est, sic fere solet Deus agere cum omnibus amicis ac familiaribus suis. Primum eos alloquitur, invitat ad sui communionem, & erudit per Evangelii ministros; sed deinceps immediato Spiritus sui in animis alloquio & informatione dignatur. Neque acquiescendum homini Christiano est, donec eam ipsius Dei vocem intus audiverit. Enixis olim precibus contendebat carnalis Israël, ne Dei rursus vocem audire juberentur, Mose internuncio contenti, Deut. V: 29-33. At longe aliter instituebat David; Deum obsecrans, *dic animæ meæ*, Ps. XXXV: 3. Non sufficit homini spirituali Mosen aliquem audivisse, aut Apostolum, aut, si forte, cœlestem Angelum, nisi arcanus accesserit Divini Spiritus sermo, ministrorum conciones animo insinuans, exponens, confirmans, atque obsignans. De eo David gloriabatur, 2. Sam. XXIII: 3. Hanc vocem oves suas audire facit Christus, Joh. X: 27. (ut secundum promissionem gratiosi fœderis vere sint θεοδίδακτοι, Joh. VI: 45.) non utique formando in aëre sonum, sed penetrando per efficacitatem suam interiores animæ medullas. Est autem in ea Christi voce tam cœlestis sapientiæ claritas, tam pura doctrinæ sanctitas, tam jucunda consolationum suavitas, tam penetrans ἐνέργεια, &c, quæ ex his omnibus oritur, tanta Divinæ Majestatis luculentia; ut, qui illi insueti sunt, facile a deceptorum spirituum fictis blandiloquiis, & Sirenum cantu, illam dignoscant. O beatos, quibus hoc datum est! ut ad primum beatificæ vocis sonum, pridem eam experti, dicere, cum sponsa, queant; *hæc est vox dilecti mei*, Cant. II: 8.

XXXIV. *Et invitatione ad munus Propheticum.*

XXXIV. At quid tandem ex gloriosissimo illo Domino audiit Propheta? QUEM MITTAM? ET QUIS IBIT NOBIS? Supponit Dominus, nemini fas esse, Prophetæ sibi dignitatem aut functionem arrogare, nisi missus sit, Jer. XIV: 14. XXIII: 21. Rom. X: 15. Supponit itidem, nemini misso integrum esse jussionem Divinam detrectare. At rogat, QUEM missurus, QUIS iturus sit: non quasi nescius, aut deliberationis incertus, aut consilium a nescio quibus petens. Quis enim Deo a consiliis est? Rom. XI: 34. sed partim ut hac loquendi formula ostenderet consilii sui, mox eventu patefaciendi, sapientiam; more ab hominibus communiter, vel speciatim a regibus desumpto, qui sapientissime tunc agere creduntur, quando inito prius consilio aliquid decernunt: partim, ut declararet, paucos oppi-

oppido, aut nullos fere, in toto populo Israëlitico inveniri, tanto muneri & oneri pares: partim denique, ut Jesaiæ alacritatem exploraret, & eliceret. Non est absque animadversione dimittendum, quod quia a Deo missi eunt, illi non hominibus, non sibi, sed DEO eant. Ex ejus præscripto, ejus nomine, in ejus commoda, ad ejus gloriam, & ut qui ipsi rationem aliquando reddent, omnia sua dicturi atque acturi, Gal. I: 10. I. Th. II: 6. 2. Cor. IV: 5. & VIII: 5. Quemadmodum Elieser sponsam, non sibi, sed herili filio, petitum ibat, Gen. XXIV: & servi Davidis Abigaëlem sollicitabant pro domino suo, I. Sam. XXV: ita illi quoque *amici sponsi* sunt Joh. III: 29. Id agentes, ut electi Dei, curæ suæ commissi, velut sponsa Christi, ad Dominum deducantur, 2. Cor. XI: 2. Denique notanda quoque numeri variatio est. Quem MITTAM? in singulari. Quis ibit Nobis? in plurali. Certe non consuluit Deus Seraphinos, quum modo ostenderimus eum consilium a creaturis non capere. Neque Prophetæ Angelis eunt, Angelorum nomine, aut ad Angelorum ministerium, sed soli Deo. Innuitur ergo, quod & ante monui, Divinarum personarum in essentiæ unitate pluralitas. Quam fortassis in ejusmodi locutionibus veterum Israëlitarum pauci oppido assecuti sunt; tametsi in iis quæ etiamnum exstant Hebræorum scriptis rudera quædam inveniamus, quamvis multo pulvere & situ senta; nobis tamen, de hoc θειοτάτῳ μυστηρίῳ aliunde satis edoctis, ad ista sacrarum literarum ænigmata probe attendendum est: neque ullo pacto committendum, ut vel incuriosis elabantur, vel pravis interpretationibus aliovorsum trahantur.

XXXV. Interrogatione hac excitatus Propheta, respondet alacriter. ECCE ME, MITTE ME. O pulcram, sanctamque Divinæ vocis ab anima eam audiente repercussionem! Jucundum utique fideli animæ est, si vox orationum suarum e cœlo repercussa, Divinarumque benedictionum ubertate comitata, suaviter in sinum suum redeat. Sed nec minus Deo gratum est, si ad compellationis suæ vocem resonans ex fidelium cordibus Echo audiatur; qualis elegantissima est, Ps. XXVII: 8. *Pro te*, vel *tuam vicem, dicit mihi cor meum, quærite faciem meam: faciem tuam quæro Jehova.* Conf. Jerem. III: 17. ECCE ME. Est formula dicto audientis, prompti, & semetipsum offerentis, Gen. XXII: I. I. Sam. III: 4. Ps. XL: 7, 8. MITTE ME. Non rogat, quo? aut ad quid? paratus ad omnia. Certe sic decet fidum Domini ministrum. Meminerit se Nethinæum esse, Ezr. II: 43, 58. dedititium Jehovæ ad cuncta, sine exceptione, officia. Qualis erat familia Stephanæ, quæ se *in ministeria sanctis addixerat*, I. Cor. XVI:

XXXV. *Propheta alacritas.*

XVI: 15. Laudanda profecto hæc Jesaiæ alacritas est, præ tergiversatione Mosis, Exod. IV: 10. aut Jeremiæ, I: 6. Non tamen hinc inferre licet, fuisse hanc primam Jesaiæ missionem; uti §. IV: evicimus. Ceterum eo laudabilior censenda Jesaiæ promptitudo est, quod molestias prophetici muneris, & populi pervicaciam, expertus, non tamen iterato mitti, & ire detrectat. Tam generosus ipsi Divina isthac apparitione inditus erat animus.

XXXVI. *Tertiæ partis subdivisio.*

XXXVI. Quam animi perturbationem ostendit Jesaias, quando judicia Dei super Babelem denuncianda habebat Cap. XXI: 2-4. *Visio dura nunciatur mihi: idcirco implentur lumbi mihi ægritudine; tormina corripiunt me, quasi tormina parturientis* &c. eandem, vel etiam aliquanto majorem, ostendere merito potuisset, quum terribilius judicium super Israëlitico populo prædicare juberetur. Quidquid enim durum dirumque in dilectissimos sibi populares suos cogitari potest, hic uno veluti agmine concurrit; nisi quod aliqua tamen gratiæ mixtura temperatum sit. Uti ex illius meditatione patebit. Tria adhuc excutienda restant. I. *Denunciatio judicii*, quod prædicare Jesaias jubetur, vers. 9, 10. II. *Interlocutio Prophetæ*, initio vers. 11. III. *Responsio Dei*, vers. 11, 12, 13.

XXXVII. *Jubetur Propheta prædicere defectum attentionis in audiendo & videndo.*

XXXVII. Denunciatio judicii his concepta verbis est. ITO, quemadmodum te obtulisti. Quod enim quis pollicetur, id ei præstandum est, Ecc. V: 3. Ps. LXXVI: 12. Nihil magis Deo displicet, quam blandiri ore, & mentiri corde ac facto, Ps. LXXVIII: 36. Mat. XXI: 30. DICITO. Præformat Deus ministris suis verba, Jes. XL: 6. Quibus tam addere quam demere nefas est, Ezech. III: 10, 11. POPULO HUIC. Israëlitico, in quem tot contuli beneficia, ad quem tot misi Prophetas, quem fide & sanctitate præ ceteris mundi nationibus eminere oportuit: sed qui jam dudum sua se pervicacia indignum fœdere ac favore meo præstitit, non *meo* amplius, quippe quem fastidio, sed HUIC populo, dicito. Est formula dedignantis. Conf. Jes. XXIX: 13. Jer. VII: 16, 33. Et quid jubetur dicere. AUDIENDO AUDITE, ET NON INTELLIGETIS; ET VIDENDO VIDETE, ET NON COGNOSCETIS. Græci ita interpretantur, Ἀκοῇ ἀκούετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε. *Auditu audietis, & non intelligatis, videntis videbitis, & non cognoscatis*, quasi priora verba prædicentis, altera imperantis essent. Alii, quasi omnia essent imperantis. Vulgata: *Audite audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere.* Junius: *Audite indesinenter, at ne intelligatis: videte indesinenter, neque cognoscatis.* Ita quam plurimi. Quos & *Belgæ*, & *Angli*, & *Coccejus* sequuntur. Chaldæus utitur gemino parti-

participio, in priori parte coli. דשמעין משמע ולא מסתכלין, *qui audientes audiendo & non intelligentes.* In posteriori, verbo ambiguo, quod & præteriti, & imperativi est, una cum participio. יחזו מחזא ולא ידעין, *& viderunt*, vel *& videte videndo*, *& non cognoscentes.* Rite tamen attendenti manifestum est, quod שִׁמְעוּ & רְאוּ imperativi modi sint, sed תָּבִינוּ & תֵּדָעוּ futura. Quam variationem significationis non puto esse negligendam. Non nescio, illud quandoque contingere, ut aliquid cum indignatione aliqua quasi præcipiatur, quod in se oppido malum est, imo & ipsa illa indignante præceptione malum esse declaratur. Pro exemplo sint, Jes. L: 11. Eccl. XI: 9. Ezech. XX: 39. Apoc. XXII: 11. Neque admodum iis refragari velim, qui & hæc Dei verba eadem mente exponunt. Quasi dixisset: quandoquidem tam obstinata hactenus pervicacia & verba mea, quæ tot jam secula audivistis, & miracula mea, quæ vidistis, spernere vobis lubuit, pergite nunc in eadem obstinatione ad finem usque, & ad perniciem vestram sine fine. Ego vos relinquam vobis, & malo vestro genio. Conf. Ps. LXXXI: 12, 13. At caussam non video, cur a textus Hebræi simplicitate & facilitate recedamus. Quum dicit Deus, AUDIENDO AUDITE, & VIDENDO VIDETE, duo innuit. Primum, se dedisse iis, & porro daturum, quæ audire & videre liceret, quæque audisse & vidisse operæ pretium erat; nimirum conciones Prophetarum prorsus Divinas, & singularia, ac quandoque prodigiosa, suæ erga ipsos providentiæ exempla, denique sui etiam in carne præsentiam, & verba quæ ipse sibi novissimis temporibus prædicanda reservaverat. Dein monet, officii ipsorum esse, ad ea omnia, audiendo & videndo, accuratissime attendere. At longe aliter eos esse facturos, verbis sequentibus monet, NON INTELLIGETIS, NON COGNOSCETIS; intellectione & cognitione, quæ cum fide, caritate, sanctificatione & salute conjuncta fit. Hac ratione & verborum servatur proprietas, & ex facili fluunt omnia.

XXXVIII. Major difficultas esse videtur in sequenti commate. PINGUEFAC COR POPULI HUJUS, &c. Ubi occurrit I. *Denunciatio mali.* II. *Negatio boni.* In priori considera, & *mala* denunciata, & *actiones*, sive Dei, sive Prophetæ, circa ista mala. Mala denunciata sunt I. PINGUEDO CORDIS. Non utique vitalis istius corporeæ partis, sed mentis atque animi; similitudine tamen inde desumta. Quando enim cor nimio obseptum est adipe, stupidius & insensatius esse, & minus bene officio suo fungi creditur. Sic in animis quoque ex diuturno & imprudenti rerum prosperarum usu moralis quædam oritur pinguedo, sive petulantia, & inadvertentia, & recalcitratio adver-

XXXVIII. *Itemque indurationem & occæcationem.*

adversus monita salutaria, Deut. XXXII: 15. Ps. XVII: 10. Jer. V: 28. II. GRAVITAS AURIUM. Tarditas, & νωθρότης, & obstinatio animi, Zach. VII: 11. III. OCULORUM OCCLUSIO. Mentis voluntarius stupor, cum odio veritatis, quantumvis se clare ingerentis. Vox Hebræa השׁע videtur a gemina derivari posse radice; vel a שׁעה, quod aliquando significat vultum oculosque *avertere*: uti Ps. XXXIX: 14. השׁע ממני ואבליגה, *respice*, vel *averte*, vel *desiste*, *a me*, *ut recreem me*, & Jes. XXXII: 3. ולא תשׁעינה עיני רואים *Neque avertent se*, aliove respicient, *oculi videntium*, & tunc significaret oculorum aversionem ab iis rebus quæ præ cæteris animadversione dignissimæ sunt: vel a שׁוע, quod Chaldæis etiamnum significat *oblinere*, *incrustare*. Et sic notaret, oculos populi veluti crassa aliqua materia oblitos, vel emplastro palpebras tegente, ac contrahente, & aciem visus infringente; impeditos fore. Utrum eligas, eodem fere res redit. Atque hæc quidem mala ista sunt, quæ denunciare Propheta jubetur.

XXXIX. *Quæ attribui potest, vel populo.* XXXIX. *Actiones* circa ista mala adscribi possunt, vel ipsi *populo* Israëlitico, vel *Deo*, vel *Prophetæ*. De primo cogitasse videntur qui sic transtulerunt. Ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶν αὐτῶν βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκάμμυσαν. Ita LXX. hodie habent. Ita & Mat. XIII: 15. & Act. XXVIII: 27. *Crassum enim factum est cor populi hujus, & auribus graviter audiverunt, & oculis suis conniverunt.* De qua interpretatione vir quidam doctus sic scribit apud *Cappellum Crit. Sac. p.* 499. *Deus Prophetæ præcipit, ut impinguaret cor populi, & aures ipsorum aggravaret. Quæ induratio quum Apostolorum ætate imprimis obtineret, & omnia ea, uti Deus prædixerat, evenissent, Apostoli de ea induratione, quam ipsi oculis suis intuebantur, ita loquuntur:* ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία &c. *Sententiam hanc, illi Jesaiæ loco omnino congruentem, quum aliquis Scriba ad marginem libri sui annotatam videret, & eam rectam esse illius loci lectionem crederet,* Keri *illud in locum* τοῦ Cetib *substituit: ordines temporum, & historiæ seriem in Jesaia perturbans. Quæ nemo sanæ mentis crediderit, ab Interpretibus illis ita primum scripta fuisse, uti nunc habentur.* Sic ille vir doctus. *Cappellus* ex adverso p. 535. *Quidni*, inquit, *LXX. Interpretes sic reddiderint istum locum? Nimirum pro imperativo, uti nunc in punctatione Massorethica legitur, illi mutatis tantum punctis, quæ tunc nulla fuerunt, per præteritum, vel per nomen, aut participium, quæ vim præteriti habent, legerunt* הָשְׁמֵן pingue est, *vel* הָשְׁמַן *in* Hophal, ἐπαχύνθη, *pro* הַשְׁמֵן impingua, *quod hodie legitur. Item* הָכְבַּד *vel* הָכְבֵּד *gravis est auris eorum*, βαρέως ἤκουσαν τοῖς ὠσὶν αὐτῶν. *pro* הַכְבֵּד aggrava. *&* הָשַׁע ἐκάμμυσε *oculus eorum, quod ipsi acceperunt quasi esset præteritum* Cal *a radice* השׁע, *quæ etsi non agnoscitur*

ſcitur ab hodiernis Lexicographis, potuit nihilominus ab illis Interpretibus vox illa ſic accipi, ex affinitate Linguæ Arabicæ, in qua חשע *ſignificat* compungi, comprimi animo, *quaſi* חשע *ſit oculos comprimere, oculis nictare.* Hæc *Cappellus.* Ego iſtam controverſiam meam hodie non facio; neque determino an *Cappellus*, dum ita legentes facit LXX. Interpretes, analogiæ Linguæ Hebraicæ perite ſatis conſulat. Mihi compertum eſt, novi fœderis Scriptores in allegationibus ſuis non anxia ſe cura ſemper Prophetarum verbis adſtringere; plerumque contentos ea ſolum allegaſſe quæ & vera eſſent, & ad rem præſentem facerent. Sufficiebat autem ad inſtitutum Apoſtolorum ex allegato Jeſaiæ vaticinio probare, prædictam olim illam cordis duritiem eſſe, quæ tunc Iſraëlitis ſua culpa incumbebat.

XL. Johannes pinguefactionem & aggravationem & occæcationem hanc, ſano & ſancto ſenſu, Deo adſcribit. Sic enim ille Evang. Cap. XII: 40. *Τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν.* Quaſi ſcriptum eſſet הַשְׁמֵן & הַכְבֵּיד. At nec deſunt, ex Hebræorum magiſtris, in quibus eſt *Aberbenel*, qui noſtrum הַשְׁמֵן & הַכְבֵּד contendunt poſſe eſſe in infinitivo. Porro apud Hebræos, ſicut & apud Latinos, non inſolens eſt enallage infinitivi pro præterito: quod & *Buxtorfius* obſervavit, *Grammaticæ Lib.* II. *Cap.* XVI. ubi exempli cauſſa adducitur Ezech. I: 14. והחיות רצוא ושוב *Et animalia currere & redire. Glaſſius*, diligentiſſimus, ſi quiſquam, Scripturarum Interpres, multo plura ſuggerit *Phil. Sac. Lib.* III: *Tract.* III. *de Verbo. Can.* XLIV. unum præ ceteris, quod apprime inſtituto noſtro conſentaneum eſt. Nimirum Exod. VIII: II. *Et vidit Pharao quod eſſet reſpiratio.* וְהַכְבֵּד את לבו *& aggravare cor ſuum.* Ubi idem verbum, eâdem qua hic punctatione, præteriti ſignificationem habet. Fortaſſe temnenda non eſt *Cocceji* obſervatio, in tali conſtructione ſubintelligi verbum præteriti temporis, ut plena oratio fuerit, *Impinguando impinguavit*, nempe Deus. Talem ellipſin, & ſubintellectionem agentis hic approbat vox ſequens וְרָפָא *& ſanet*: ubi neceſſario *ſanans* debet ſubintelligi, qui non eſt niſi Deus. Addit *Coccejus*: *Neque poteſt rejici iſta interpretatio, quum ſit analoga Scripturæ, quæ dicit, Deum induraſſe cor Pharaonis, Sichonis, & filiorum Eli, & populi Iſraëlitici, Exod.* IV: 21. *Deut.* II: 30. I. *Sam.* II: 25. *Jeſ.* XXIX: 10. Nullo modo autem Deum iſthac Scripturæ phraſi verum peccati auctorem conſtitui, notius eſt quam ut monere neceſſe ſit. Indurat Deus, quando non emollit, quando hominem in pœnam antecedentium ſcelerum ſibi relinquit, & tradit in reprobum ſenſum, & Satanæ mancipiat, & ea objicit quibus improbus ille improbe abutens porro

XL. Vel Deo.

ſua culpa induretur. Atque ita Johannem cum Jeſaia optime conciliamus, ut uterque, hactenus ſaltem, idem dixiſſe comperiatur. Nec tamen prorſus idem. Nam quæ Jeſaias de aurium aggravatione habet, ea Johannes non habet. Unde redeo ad nuperrimam obſervationem, non exiſtimaſſe Apoſtolos eam ſibi operam datam eſſe, ut verbotenus allegarent omnia quæ ex Prophetis laudant.

XLI. *Vel Propheta.*

XLI. Cauſſam itaque non video, cur, in propria & literali Hebræi ſermonis interpretatione, recedendum ab eo ſenſu ſit, quem verborum punctatio primum ſe legenti ingerit. Nimirum verba הַשְׁמֵן, הַכְבֵּד, הָשַׁע, imperativa ſunt, denotantque aliquid quod agere jubetur Propheta. At qua mente? Ex Hebræis quidam ſic exponunt. Quandoquidem populus hic amat contraria mandatis agere; præcipe illis ut indurent ſe, obturent aures, avertant, vel oblinant oculos, ſi forte tunc reſipiſcant, & ſanentur. Ceterum explicatio iſta ſubtilior, quam ſolidior eſt. Nam, uti ex ipſo *Aberbenele* bene notavit *Coccejus*, in tali inobedientia non poteſt eſſe converſio, & ſanatio. Alia igitur hic cogitare oportet. Atque id quidem omnium primo occurrit, quandoque Prophetis injungi ut aliquid *agant*, quod ſolummodo habent *prædicere*. Illuſtre hujus rei exemplum eſt Jer. 1: 10. *Vide, præficio te hodierno die gentibus & regnis, ad exſtirpandum, & ad demoliendum, & ad perdendum, & ad deſtruendum, ad ædificandum, & ad plantandum.* Ex hac mente, dum jubetur Propheta impinguare cor, gravare aures, oblinere oculos, jubetur omnia iſta, ut populo aliquando eventura, claro & perſpicuo ſermone prædicere. At ſuſpicor ſubeſſe majora; & hanc eſſe præterea Dei mentem: ita loquere tu, ita etiam loquantur Prophetæ te ſecuturi, in parabolis & ænigmatis, ut, quum illa inſervire deberent excitandæ diligentiæ, ignavo populo cedant in augmentum ſtuporis. Sic enim verbum ſuum comparavit Deus, ut ſedulus lector in eo ſalutarem inveniat ſapientiam, ignavus ac pervicax offendatur. In hanc cogitationem induxit nos D. Jeſus, Mat. XIII: 13. Luc. VIII: 10. Et fortaſſe ne ſic quidem habemus omnia. Ita plerumque uſu venire ſolet, ut remedia, cæteroquin validiſſima, ſi optato fructu careant, in malum cedant ægris, & verbum Dei, quando non eſt odor vitæ ad vitam, evadat odor mortis ad mortem, 2. Cor. II: 16. Excæcat enim & indurat eos quibus ſtat indulgere opinionibus & affectibus ſuis, eosque quovis modo ſtabilire. Quo clarius invitis ingeritur veritas, eo plus eluſionum & corruptelarum quærunt: quas ſi invenire nequeant, eo vehementius exardeſcit odium adverſus tam importunam, tamque moleſtam veritatem. Senſus itaque eſt; prædica conſtanter & aſſidue verbum

verbum meum, & quandoquidem, pro insita sibi, pravisque actibus insigniter aucta, pervicacia, se illi scelerate opponent, tua eos constantia & παῤῥησίᾳ redigito porro ad insaniam & ultimum furorem. Quod revera miseris illis ad clarissimam Evangelii prædicationem contigit.

XLII. Et quidem maximo suo malo. Talis enim status conversionem ad Deum, & sanationem ad salutem, fere impossibilem facit. Quod his docetur verbis: NE VIDEAT OCULIS SUIS, ET AURIBUS SUIS AUDIAT, ET CORDE SUO INTELLIGAT, SEQUE CONVERTAT, ET SANET EOS. Profecto istiusmodi induratio miserrimos mortales, hominum & animalium statu exemtos, quasi in statuas transformat, Ps. cxv: 5, 6. cxxxv: 16. Et si *animadvertere* non possint, nec *convertere* se ad Deum possunt. Quippe quæ conversio in animi & actionum rationalium sancta mutatione consistit. Porro si non convertant se, *non sanabuntur*; non consequentur remissionem peccatorum, Mat. VI: 12. neque ullam Reipublicæ prosperitatem, Ps. LX: 4. Jes. XIX: 22. In Hebræo est וְרָפָא לוֹ. Quod multi interpretantur passive, *& sanetur*, vel propius, *ut sanitas obveniat ei.* At verbum activum est. Et proprie sonat, *& sanet eum*: nimirum is cujus est sanare, Filius Dei, ipse Rex Israëlis. Evangelistæ habent, *& sanem.* Eodem recidit. Nam & Filius cum Patre hic loquitur, & eadem est utriusque voluntas, Joh. V: 19. Sæpe etiam contingit, ut verbum singulare tertiæ personæ sumatur impersonaliter. Quod si & hic velimus, sensus esset, *& sanet eum quisquam.* Idque cum *Junii* interpretatione fere coincidit, *& sanitas obveniat ei.* Non eo certe hæc dicuntur, quasi nollet Deus conversionem peccatorum & vitam. Contrariam protestationem jurejurando confirmat, Ezech. XXXIII: 11. Conf. Luc. XIX: 41, 42. Sed docetur, quis futurus sit tantæ occæcationis & indurationis exitus; nimirum impossibilitas conversionis, Jer. XIII: 23. certusque interitus, Proverb. XXIX: 1. Phrasis autem ista, *ne videat*, &c. justissimam Dei indignationem indicat. Quasi diceret, quandoquidem populus ita amat, sit ita, Jer. V: 31. *Quandoquidem maledictionem amavit, eveniat ei; neque delectatus est benedictione, procul ea absit*, Ps. CIX: 17.

XLII. Et inducit impossibilitatem conversionis, ac salutis.

XLIII. Inquiri tandem meretur, quo præcipue tempore judicium hic denunciatum genti Israëliticæ incubuerit. Dubitari equidem non potest, perpetuum id fuisse populi vitium, de quo omnes omnium temporum Prophetæ conquesti sunt, Deut. IX: 24. Jer. V: 20, 21. Zach. VII: 11, 12. Sed in hac prophetia illud potissimum tempus designatur, quo Dominus Jesus ad regnum suum in mundo erigen-

XLIII. Judicium hoc Christi patefacti tempore potissimum incubuit populo Israëlitico.

erigendum venit, & Evangelium regni ipse primum prædicavit, dein per Apostolos, ceterosque ministros suos, promulgari jussit. Eo tota hæc apparitio nos revocat, describens tempus regnantis Christi, miserrimumque populi, regnum illud respuituri, statum. Dubitationem omnem eximunt ἀνυπεύθυνοι sacrarum literarum Interpretes, Christus & Apostoli, suæ hoc vaticinium ætati applicantes, Mat. XIII: 14. Joh. XII: 39. Actor. XXVIII: 25. Accedunt consimiles de eadem ætate prophetiæ, Jes. XXIX: 10. col. cum Rom. XI: 8. Jes. XLII: 19, 20. col. c. vers. 1, 2. Denique tam manifestis indiciis respondit eventus, ut eadem cæcitate laborare eum necesse sit, qui id non videt.

XLIV. *Ejus rei rationes.*

XLIV. Verum & id sua dignum inquisitione est, cur Deo placuerit, admirabili sua providentia ita res dirigere, ut, Christo adventante, tam profundus stupor populo Israëlitico incumberet. Profecto viæ Domini abyssi sunt, sæpe impenetrabiles, Rom. XI: 33. Attamen hujus rei rationes quasdam ipse patefecit. I. Ita docere voluit, Messiæ in mundum adventum ex mera gratia, nullo modo secundum antecedentem populi dignitatem, esse. Frequens etiamnum in Judæorum ore dicterium est: venturum Messiam, si Israël dignus sit, sin secus, non venturum. Ut nullus tam vesanæ cogitationi locus esset, placuit Deo, deploratissimam omni modo Israëlis conditionem esse, quo tempore Filius suus se præberet conspiciendum. Conf. Tit. III: 3, 4. II. Ad salutem generis humani prorsus erat necessarium, ut Messias, secundum prophetias, a suis spretus, rejectus, male habitus, tandem sceleratorum hominum manibus adfigeretur cruci. Id qui fieri potuisset, nisi incredibili stupore & amentia præditi fuissent & populus & summates? Ps. CXVIII: 22. 1. Cor. II: 6-8. III. Sapientissimo clementissimoque consilio definiverat Deus, ut Evangelium prædicaretur Gentibus; sed eâ demum occasione, si prius contemneretur a Judæis; quorum lapsus futurus erat opulentia mundi, Rom. XI: 11, 12. Act. XIII: 46, 47. XXVIII: 26, 27, 28. IV. Visum denique summo Numini est tam horrendam tamque detestandam populi malitiam eo dirigere, ut tanto luculentius Divinæ suæ potentiæ & gratiæ gloria splenderet, in illiusdem populi vivificatione ex tanta tamque diuturna morte. Quam vivificationem uti certa fide præstolamur, ita calidis optamus votis, Rom. XI: 25. quippe quam sequetur aut comitabitur insignis totius Ecclesiæ felicitas, & *quasi vita ex morte*, Rom. XI: 12, 15. Jes. LX: 1-3.

XLV. *Cur omnia hæc tanto ante*

XLV. Neque nullæ Deo fuerunt rationes, cur tanto ante tempore prænunciari hæc omnia voluerit, quamvis sciret ne hac quidem

eos

eos ratione emollitum iri. Etenim non modo omni excusationis prætextu exuere voluit, si toties, tamque perspicue commonefacti, tamen non attenderent: sed & noluit Apostolis atque Evangelistis animum ob eam caussam concidere, quod incassum se omnem Israëlitis convertendis operam impendere experirentur. Denique prænunciatione ista prudenter cavit, ne ea res vel gentibus, vel ipsi etiam Judæorum posteritati, offendiculo foret. Quoties enim cunque cogitamus, tam deplorandum populi Israëlitici statum, sub primis regni Messiæ initiis, a Deo præcognitum, & per Prophetas prædictum esse, toties animum in admiranda quidem illa, sed & adoranda semper Divina providentia, tacita veneratione acquiescere oportet. *tempore prænunciata sint.*

XLVI. Hanc nobis viam Jesaias præit: sic tamen, ut non desinat commiserationem suam erga perditissimam gentem, salvo semper supremæ justissimæque voluntatis Dei arbitrio, demonstrare. Huc enim pertinet ea interpellatio vers. 11. עַד מָתַי אֲדֹנָי QUOUSQUE, DOMINE? Quando Deum compellat ut DOMINUM, agnoscit absolutum ejus in omnes & omnia dominium, & contestatur suam χωρὶς γογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν subjectionem. Enimvero in consideratione Divinæ prædestinationis, & viarum, quibus decreta sua exsequitur, nihil est quod omnem querulandi, murmurandi & contra responsandi audaciam validius compescat, quam meditatio supremi, nullisque nisi virtutum suarum limitibus circumscripti, dominii Dei in omnes suas creaturas, Rom. IX: 20. Rogat autem, QUOUSQUE, Domine? Quod non erat curiositatis, sed commiserationis, & tædii, & desiderii, ne in longum tam deplorandus popularium suorum extenderetur status. Conf. Ps. VI: 4. XIII: 2, 3. LXXX: 5. XC: 13. Zach. I: 12. Non audet obstrepere Deo. Tu, inquit, DOMINUS es. Ergo, quod bonum videtur in oculis tuis facito. Si quidem hæc ita fieri necesse sit, fiant. Quis famulus dicet cœli terræque Domino, cur decernis, cur facis ita? At tamen, Domine, quum nihil hactenus de duratione significaveris, liceat mihi rogare, QUOUSQUE? liceat vovere, ut brevi tam immanis habeat miseria finem. O devota submissio! O sancta & prudens caritas! At nec illud sine animadversione prætermittendum, quam apte & sapienter hæc quoque a Deo dispensata sint. Destinaverat Deus Jesaiam de fine hujus judicii, & quorsum ista evasura essent, informare. Sed voluit ob eam rem rogari. Ita plerumque suorum vota dirigit, ut consilii sui exsecutioni inserviant, Ezech. XXXVI: 36, 37. *XLVI. Jesaiæ interpellatio.*

XLVII. Pœna sequitur delictum, uti umbra corpus: & justa proportione delictorum gravitati respondet; sic tamen ut plerumque *XLVII. Denunciatio pœnæ.*

 Deus,

Deus, præcipue in populi sui criminibus vindicandis, severitatem suam sapienti clementiæ mixtura temperet. Nihil horum est quod non inveniamus in responso illo quod Prophetæ interpellationi reponitur. Ubi primo occurrit declaratio *vindictæ*, dein addictio *misericordiæ*. Vindicta consistit in terræ & populi DESOLATIONE: gravi pœna, criminis gravissimi. Quum occæcatio & obduratio ad Messiæ revelati tempora, uti modo demonstratum est, potissimum referantur; consequens est, ut per desolationem hic denunciatam novissima illa intelligatur, quæ per *Romanos* facta est. Ea describitur, partibus quibusdam gradibusque, hoc ordine, distincta. I. Occurrit desolatio *urbium*, etiam munitissimarum: adeo ut vix quisquam supersit, qui in una alterave relicta domo habitet. vers. 11. USQUE DUM VASTENTUR CIVITATES, UT NON SIT HABITATOR. Conf. Cap. 11:15. II. Vastatio *domorum*. ET DOMUS, ADEO UT NON SIT HOMO. Raro evenit ut deletio urbium tam sit universalis, quin ædes aliquot ad paucorum miserorum refugium superstitent. Conf. Cap. v: 9. III. Vastatio *terræ*: ETIAM IPSA האדמה REGIO VASTATA SIT DESOLATIONE. Non arata, non sata, non culta, tota spinis, vepribus, sentibusque horrens. Cap. VII: 23, 24. IV. Remotio *hominum*, & dispersio in omnes orbis angulos, procul a terra sua, procul a se invicem. vers. 12. ET PROCUL AMOVEAT JEHOVA HOMINEM QUEMQUE, ET MAGNA SIT DERELICTIO IN TERRA. Videdetur innui spontanea terræ relictio. Quæ in eo distincta est a transportatione Assyriaca & Babylonica. Non enim coëgerunt Romani superstites Judæos alio commigrare: sed plerisque non lubuit habitare terram, tam horribili a Deo anathemate percussam. Hinc aliis alio commigrantibus, in remotissimas orientis, occidentis, meridiei, & septentrionis plagas dispersi sunt, Deut. XXVIII: 64. V. *Superstitatio partis decimæ*, hoc est, exiguæ: sed iterum depascendæ. vers. 13. ET ADHUC IN EA DECIMÆ, ET REVERTENTUR, ET ERUNT DEPASTIONI. Nimirum qui post tot strages in Judæa remanserunt, vel postliminio redierunt, ad rebellionem per Bar Cosba incitati, sub Hadriani imperio, a Tinio Rufo, Judææ præside, crudeliter ad internecionem deleti sunt. Quam historiæ suæ partem tragice Hebræorum magistri descripserunt. Vide sis *nostram Hierosolymæ Historiam Part.* III. *§.* XII. *& seq.* Quæ quum, uti prædicta sunt, ita patrata apud *Josephum* aliosque legimus, non potest, quin miserrimæ nunc, at olim Deo dilectæ gentis συμπαθείᾳ commoveamur; quin trepidemus ad tantæ severitatis exemplum; quin denique, Jesaiam, Chri-

Christum, Paulum imitati, ardentibus precibus intercedamus, ut tantæ tandem miseriæ imponatur finis.

XLVIII. Cujus nobis spem clementissima Dei promissio, his XLVIII.
verbis facit vers. 13. כָּאֵלָה וְכָאַלּוֹן אֲשֶׁר בְּשַׁלֶּכֶת מַצֶּבֶת בָּם זֶרַע *Promissio*
קֹדֶשׁ מַצַּבְתָּהּ:. Quæ quamvis admodum diversimode exponantur, in *gratiæ.*
universum tamen liquet, contineri iis promissionem de posteritate Israëlis non penitus delenda, propter electos in iis, suis singulos temporibus vocandos. In sensu parabolæ melius conveniunt Interpretes, quam in singulis verbis. Disputant an אֵלָה sit *quercus*, an *ilex*, an *ulmus*: item an אַלּוֹן sit *pinus*, an *castanea*, an *robur*, aliave distincta species quercus. Quam controversiam solide dirimere fortean ἐκ τῶν ἀδυνάτων est. Neque res est tanti, ut multum de ea laboremus. Ad mentem enim prophetiæ perinde est, modo tales hic supponantur arbores, quæ etiamsi aliquando emortuæ videantur, tamen, propter succi sui vigorem, revirescunt. Neque minor difficultas est in voce שַׁלֶּכֶת, quam Chaldæus exponit מתר תרפין *defluxionem foliorum*; quod sequuntur *R. Salomo* & *David Kimchi*. *Aberbenel* interpretatur השלכת הענפים *abjectionem ramorum*. Nostrorum quamplurimi eadem mente. Et tunc sensus esset: sicut arbores illæ suas patiuntur hiemes, quibus fructus & frondes defluunt, imo & rami arefiunt, atque emoriuntur, vel amputantur in pabulum ignis; attamen remanet מַצֶּבֶת Stipes firmus & validus, cum suo alibili succo, unde vere novo efflorescunt; ita & res comparata erit cum populo Israëlitico. Sævissimam longissimamque experietur hiemem, omnis bonæ frugis expers, ne frondes quidem, speciemve pietatis, aut ullius decoris, habens: amputabuntur, comburendi igne hostili, & fervore Divinæ iracundiæ. Attamen virtute æterni fœderis non penitus interibit. Remanebit truncus, quantumvis succisus, qui suo tempore efflorescet in progeniem lætiorem, Jer. XXXIII: 25, 26. Cæterum alii putant per שַׁלֶּכֶת intelligi Aggerem illum editum, viamque excelsam, qua e domo sua Salomo in domum Dei ibat; quamque ad majorem soli firmitatem arboribus plantaverat; de qua 1. Reg. X; 5. & quæ שלכת dicitur 1. Chron. XXVI: 16. Quam interpretationem si sequamur, hæc posset esse mens: quemadmodum quercus & ilices viæ illi regiæ pro firmamine erant; ita in gratiam electorum ex Israële conservatum iri terram illam, quam verus Israëlis Rex pedibus suis calcavit, & ex qua in templum gloriæ suæ adscendit, ut illa maneat Israëlis hæreditas, tunc ei restituenda, quando ablata cœcitate Christum agnoscet. Id enim viri pii futurum existimant, ex Deut. XXX: 4, 5. & XXXII: 43. Ps. CV: 8-11. Ezech.

XXXVII: 21, 22. Luc. XXI: 24. Et quidni liceat sperare, fore aliquando, ut in Judæa non minus, quam cæteris terræ partibus, Jesus noster agnoscatur, & colatur. Si cui tamen interpretatio ista paullo videatur subtilior, non admodum repugno. Fortassis omnium simplicissimum erit, ut per שלכת generatim intelligamus *aggestum aliquem agerem*, in quo validæ arboris truncus obrutus jacet, multo post tempore repullulaturus: eaque similitudine præsens populi Israëlitici status figuretur. Qui profecto nunc non est sicuti ilex aut quercus ramis & frondibus læta, & suffugium præbens animalibus agri & volucribus cœli: sed ut truncus ilicis aut quercus aggesta terra circumvallatus, & diu in ea subsistentiam retinens, statoque tempore novo cum vigore ac virore prodituros.

XLIX. *Ob semen sanctum.* XLIX. Firmitas ista est ex SEMINE SANCTO. Quo nomine intelliguntur electi, quos Deus in populo Israëlitico habet. Non enim ignorandum est, *obdurationem non nisi ex parte Israëli evenisse*, Rom. XI: 25. semper facta est *reservatio, secundum electionem gratuitam*. ib. vers. 5. Hi vocantur SEMEN; tam ratione *Patrum*, ex quibus nati sunt, *semen Abrahami, amici mei*, Jes. XLI: 8. quam ratione *posteritatis*, ex ipsis oriundæ, Jes. XXXVII: 31. SANCTUM semen dicuntur. I. Intuitu Divinæ *electionis*, qua secreti sunt a reliquo mundo, & semine tantum carnali. II. Intuitu *fœderis* Abrahamici, Rom. XI: 16. *Quod si primitiæ sancta, etiam massa: &, si radix sancta, etiam rami.* III. Intuitu *puritatis internæ* ac spiritualis, ad quam, virtute fœderis & electionis, promoventur, Eph. I: 4. Hi tales sunt terræ & populi FIRMAMEN. Propter illos, inquam, electos, qui *olim fuerunt*, Rom. XI: 28. qui *tunc erant*, quando ista judicia Deus exsequebatur, Mat. XXIV: 22. & qui labentibus seculis *exstituri erant*. Quum enim plurimos haberet Deus, olim ad sui communionem vocandos, eorum gratia conservari populum oportuit, ex quo aliquando erant produturi. Conf. 2. Pet. III: 9. Summa promissionis huc redit: Quantumvis populus Israëliticus occæcatus, obduratus, perditus, dissipatus sit; nunquam tamen penitus excisum iri, sed futurum esse, ut in electis suis ad gloriam repullulet. Quod non hic solum, sed & alibi frequenter, & quidem disertissime, prædictum est. Vide Levit. XXVI: 44, 45. Deut. IV: 30, 31. Jer. XXXI: 35, 36. Hos. III: 5. Mat. XXIII: 39. Rom. XI: 28. 2. Cor. III: 16.

L. *Nostrum circa hæc omnia officium.* L. Quæ quum ita sint, discamus hinc, quid nostri sit officii. Ne gloriemur adversus defractos arboris, cui insiti sumus, ramos. Ne efferamur animo, sed metuamus. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vi[illegible]amus ne nobis quoque non parcat, Rom. XI:

18,

18, 20, 21. Nationem eam, cui tanta promissa facta sunt, non vexemus, exsibilemus, exturbemus: sed potius, συμπαθείᾳ ducti, ad zelotypiam provocemus: illiusque conversionem, precibus, sermonibus, pio exemplo, promoveamus: inservientes consilio Dei in generatione nostra. Habet etiamnum Deus in ea gente electos suos, propter quos sicut Deo chara est, ita & nobis charam esse oportet, Jes. LXV: 8. Israëliticæ Ecclesiæ vota olim pro nobis fuerunt, Cant. VIII: 8, 9. Debemus illi ἀμοιβαῖα. Nostra rursus vota pro ea sint, Ps. XIV: 7. LXXX: 2, 3. Ex Israëlitis fuere, quorum opera nos adducti sumus ad Christum, Rom. XV: 16. Ex nobis oriantur, qui eos iterum Christo sistant, Jes. LXVI: 20. O DEUS EXERCITUUM, REVERTERE JAM, INTUERE E COELIS, ET RESPICE ET VISITA VITEM HANC: ET SURCULUM QUEM PLANTAVERAT DEXTRA TUA: IDQUE PROPTER FILIUM, QUEM FORTIFICASTI TIBI. Ps. LXXX: 15, 16.

EXERCITATIO II.

DE
Votivo Anathemate Pauli.

AD
ROM. IX. VERS. III.

BREVIARIUM.

I. Thema explicandum. II. Ἀνάθεμα & ἀνάθημα, an, & quid differant. III. Differre negat Theodoretus. IV. Asserit Chrysostomus. V. Ἐπίκρισις. VI. Anathema Græcis erant homines ad extrema diris devoti. VII. Quæ significatio ab hoc loco aliena non est. VIII. Cherem Hebræis notat rem vel personam devotam destructioni. IX. Ut & separationem a populo Dei, duobus tribusve gradibus distinctam. X. Qui sic separatus erat, desinebat esse pars cœtus Israëlitici. XI. An & publica Synagoga ejiciebatur? Negant Seldenus & L. Cappellus. XII. Sed potius affirmandum videtur. XIII. Neque obstat quod licitus excommunica-

nicatis fuerit Templi introitus. XIV. Cherem ſubjiciebat quoque excommunicatum Divinæ exſecrationi. XV. Credibile eſt, Paulum omnia iſta anathematis vocabulo comprehendere. XVI. A Chriſto, notare poteſt cauſſam efficientem. XVII. Quid ſit Maranatha, & Ramantha. XVIII. A Chriſto, etiam terminum ſignificat: importatque ſejunctionem ab Eccleſia, quæ Chriſti corpus eſt. XIX. Et ab ipſo Chriſto capite. XX. Pro fratribus, notat tam loco, quam bono fratrum. XXI. Magnis difficultatibus votum iſtud Pauli premitur, XXII. Quod tamen neque temerarium, neque utilitate caſſum, neque ſanctitati contrarium eſſe poteſt. XXIII. Varii Interpretum in tollendis difficultatibus labores. XXIV. Sunt qui Paulum de tempore Phariſæiſmi ſui loqui putant: ſed male. XXV. Alii anathema interpretantur de morte violenta, aut annihilatione. Sed nec hoc ſatisfacit. XXVI. Propius accedunt, qui intelligunt ſeparationem ab Eccleſia. XXVII. Sed admittenda quoque eſt ſeparatio ab ipſo Chriſto: ſaltem ad tempus. XXVIII. Quidni, & in æternum? XXIX. Excluſis tamen damnatorum peccatis. XXX. Difficultates, quibus hæc explicatio premitur. XXXI. Earum ſolutio generalis. XXXII. Specialior. XXXIII. Toti voto ſubeſt conditio, ſi quidem fieri poſſit. XXXIV. Quæſtiones duæ. XXXV. An lege charitatis omnes Chriſtiani teneantur eodem modo & gradu animati eſſe erga proximos ſuos. XXXVI. Non videtur. XXXVII. Myſticæ Theologiæ circa purum Dei amorem ſubtilitas. XXXVIII. Non uſque quaque Evangelii ſimplicitati conſentanea.

I. Thema explicandum.



Cum ſacro nuper horrore expendimus terribilem Dei in obduratum populum Iſraëliticum ſententiam: circa quam, uti & illius exſecutionem, quomodo affectus fuerit Paulus, emphatico admodum ſermone docet, in ea, quam hac Exercitatione explicandam mihi ſumſi, pericopa. Exſtat illa in Divina ad Romanos epiſtola, Cap. IX: com. 3. his concepta verbis. *Ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου.* OPTARIM ENIM EGO IPSE ANATHEMA ESSE A CHRISTO PRO FRATRIBUS MEIS. Ad cujus loci diſtinctam intelligentiam, quatuor hæc capita libero ac fuſiori commentario elucidare conabor. I. Quid ſit ANATHEMA. II. Quid ſit Anathema A CHRISTO. III. Quid ſit anathema a Chriſto eſſe PRO FRATRIBUS. IV. Denique qua mente id eſſe ſe pro fratribus Paulus OPTAVERIT.

II. Ἀνάθεμα & ἀνά-

II. Incipiamus a voce *ἀνάθεμα*, eamque in ſua primum, id eſt, Græca lingua, conſideremus; mox eandem collaturi cum Hebræa, cui

cui in Sacris nostris respondet. Non desunt viri eruditissimi magna cum fiducia asseverantes, voces ἀνάθεμα *anáthema* penultimâ correptâ, & ἀνάθημα *anathéma* penultimâ porrectâ, uti scriptione, ita & significatione differre. *Budæus* in *Commentariis Linguæ Græcæ p. m.* 263. prolixa exemplorum inductione probat, ἀναθήματα dici *donaria & ornamenta templorum*, quæ alias ἀφιερόμενα, & ἀνακείμενα vocantur, vel *statuas sacras*, ipsa denique *fana* & *basilicas*, & alia *urbis ornamenta*. Ἀναθέματα autem dici *sacros homines*, quorum capita diis inferis dicata sunt, & devota. Utrumque derivat παρὰ τοῦ ἀνατιθέναι, id est ἀνάπτειν, quod & istorum hominum detestatio soleat in cippis exposita proscribi, & illa in parietibus & columnis templorum suspendi. *Beza*, postquam hæc ex *Budæo* laudavisset, sui animi sententiam sic exponit: *De quibus si mihi fas sit dicere quid sentiam distinctionem* ἀναθέματος *&* ἀναθήματος *non agnosco, quamvis* ἀνάθημα *peculiariter donarium declaret, ut Luc.* XXI: 5. *quum passim Græci Interpretes converterint* ἀνάθημα, *ut Levit.* XXVII: 28, 29. *pro quo ubique Paulus scribit* ἀνάθεμα. *Calvinus* similiter: *De voce anathematis quæ tradit Budæus, pugnant cum sententia Chrysostomi, qui* ἀνάθημα *&* ἀνάθεμα *confundit.* Nec abludit *Musculus*. Cum *Budæo* facit *Salmasius ad Luc.* XXI: 5. confidentissime, ut solet. *Nusquam* ἀνάθημα *apud Græcos, inquit, in malam partem accipitur: nec illi unquam* ἀνάθεμα *dixere pro* ἀνάθημα; *ut hinc liqueat, aliud esse* ἀνάθεμα, *aliud* ἀνάθημα, *licet contra sentiant viri in his literis doctissimi.* Eadem fere habet *Vossius* in *Etymologico*. *Heinsius* autem parum abest, quin *Bezæ* succenseat. Certe non sine supercilio præfatur, *fieri non posse ut quis cum fiducia in novi fœderis contextu versetur, nisi qui ubique in Hellenistas oculos intendit, aut cum studio judicioque in iis versatus est*: quasi *Beza* id ignoraverit, vel neglexerit. Mox subjungit, *Certissimum est,* τὸ ἀνάθεμα, καὶ τὸ ἀνάθημα *diligenter distinxisse Hellenistas veteres.* Post tam præclaros versatissimosque Græcæ linguæ doctores, alios minorum gentium Interpretes, in eadem iiscum euntes, memorare, supervacaneæ cujusdam diligentiæ foret.

...θημα, an, & quid differant.

III. Missis itaque recentioribus, antiquiores audiamus, & eos quidem quibus Græca lingua vernacula fuit. *Theodoretus* aperte utramque vocem confundit, & pro synonymis habet. Sic enim ad hanc ipsam Pauli pericopam loquitur: Τὸ ἀνάθεμα διπλῆν ἔχει διάνοιαν. καὶ γὰρ τὸ ἀφιερόμενον τῷ Θεῷ, ἀνάθημα ὀνομάζεται, καὶ τὸ τούτου ἀλλότριον τὴν αὐτὴν ἔχει προσηγορίαν. *Anathema duplicem habet intelligentiam: nam & quod Deo consecratum est, anathéma nominatur, & quod ab eo est alienum, eandem habet appellationem.* Similia habet in Cap. I. *Sophoniæ*,

III. Differre negat Theodoretus.

ne incauto excidisse ista vocum confusio videatur. Τὸ ἀνάθημα διπλῆν ἔχει τὴν ἔννοιαν. οὐ γὰρ μόνον τὸ ἀνακείμενον τῷ Θεῷ, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀλλοτριούμενον ἀνάθημα κέκληκε. Adde & tertium, *ad Jes.* XIII. Ἀνάθημα καλοῦμεν καὶ τὰ τῷ Θεῷ προσφερόμενα, καὶ τοὺς διά τινα παρανομίαν τῆς ἐκκλησίας ἐκβαλλομένους. Hæc me *Theodoreti* testimonia, ut & alia istius generis, *Suicero* debere, ingenue, ut par est, profiteor: ex cujus quippe Thesauro, omnibus prostante, hausta, in usus nunc meos converti. Eoque annotavi lubentius, quod ad *Calvini* & *Bezæ*, quorum nomen auditoribus meis venerabile esse cupio, si non patrocinium, certe excusationem, non parum valere arbitratus sim.

IV. *Asserit Chrysostomus.* IV. *Chrysostomus* vocabula hæc distinguit, sic tamen, ut, quum ab eodem oriantur verbo, in uno etiam tertio conveniant. Ἀνάθεμα definit *alienationem & separationem ab omnibus.* Ἔστω ἀνάθεμα, id est, inquit, κεχωρίσθω πάντων, ἀλλότριος ἔστω πάντων. Per ἀνάθημα intelligit *donum Deo consecratum.* Similitudinem utriusque in eo constituit, quod quemadmodum τοῦ ἀναθήματος τοῦ ἀνατεθειμένου τῷ Θεῷ οὐδεὶς ἂν τολμήσειεν ἁπλῶς ταῖς χερσὶν ἅψασθαι οὐδὲ ἐγγὺς γενέσθαι, *donum Deo oblatum nemo est qui manibus contingere ausit, vel ad illud propius accedere; sic etiam ab eo, qui anathema factus ab Ecclesia separatus est, se sejungere ac pedem referre jubentur.* Quapropter separatio, tum hæc, tum illa, ex æquo a vulgo alienatio erat; sed separationis ratio diversa, imo contraria. Τῷ γὰρ ἀναθήματι, τιμῆς ἕνεκα, οὐδεὶς ἐτόλμα ἐγγίσαι· τοῦ δὲ ἀποτμηθέντος ἐξ ἐναντίας ἐχωρίζοντο γνώμης ἅπαντες. Quæ erudite & subtiliter a *Johanne* disputata esse quis neget?

V. Ἐπίκρισις. V. Mihi, salvo doctiorum judicio, sic videtur; non esse nullam inter ἀνάθημα & ἀνάθεμα distinctionem, sed non semper observari ab Hellenistis illam quam viri maximi prætendunt. Ἀνάθημα Græcis in malam partem usurpatum esse non deprehendi, sed constanter de eo sacrorum donorum genere dicitur, quæ suspendi poterant, & in excelso & conspicuo loco collocari, ut erant phialæ aureæ & argenteæ, tripodes, acerræ, corollæ, & similia: quod evidenti *Pollucis* testimonio confirmat *Salmasius.* Et palam est ex Luc. XXI: 5. Ubi de Templo Hierosolymitano, λίθοις καλοῖς καὶ ἀναθήμασι κεκόσμηται. Ad quam phrasin proxime accedit impii *Antiochi* promissio 2. Maccab. IX: 16. Ὃν πρότερον ἐσκύλευσεν ἅγιον νεὼν καλλίστοις ἀναθήμασι κοσμήσειν *quod prius spoliaverat sanctum templum, se optimis donariis ornaturum.* Attamen ἀνάθεμα mediæ significationis esse videtur, & tam rem Deo consecratam, quam hominem diris devotum notare. Sic sane apud *Justinum Martyrem Quæst.* XXI: *ad Orthodoxos*, ἀνάθεμα non tantum dicitur esse τὸ ἀπηλλοτριωμένον Θεοῦ διὰ κακίαν *id quod alienatum est a Deo propter*

propter malitiam; sed etiam τὸ ἀνακείμενον Θεῷ, καὶ εἰς κοινὴν χρῆσιν μηκέτι λαμβανόμενον *quod Deo est sepositum, & consecratum, & in communem usum non amplius convertitur.* Eodem sensu, quidquid obloquatur *Heinsius*, & Hellenistæ hanc vocem usurpant; nisi meæ me, quibus uti soleo, Græcorum Bibliorum editiones fallant. Utor autem Londinensi, juxta Exemplar Vaticanum, Anni 1653. eaque quæ in Bibliis Anglicanis Polyglottis exstat. Ea sic habent Lev. XXVII: 28. Πᾶν δὲ ἀνάθεμα, ὃ ἂν ἀναθῇ ἄνθρωπος τῷ Κυρίῳ ἀπὸ πάντων, ὅσα αὐτῷ ἐστι — πᾶν ἀνάθεμα ἅγιον ἁγίων ἔσται τῷ Κυρίῳ. Ubi Græca voce *donarium* designari ipse probat *Heinsius*, sed, uti & *Beza*, legit ἀνάθημα. Facile inducor ut credam, (quamvis in eam rem non vacat nunc sollicite inquirere) diversimode hic se habere editiones. Attamen ex ipsa illa diversitate colligi posse arbitror, exscriptores utraque voce, uti quam, ex parte saltem, ejusdem significationis esse rati sunt, indiscriminatim usos. Certe nihil manifestius eo est quod invenitur Jos. VI: 17, 18. ubi anathema utraque significatione venit. Καὶ ἔσται ἡ πόλις ἀνάθεμα, αὐτὴ, καὶ πάντα ὅσα ἐστὶν ἐν αὐτῇ Κυρίῳ σαβαώθ. Exponitur autem id ἀνάθεμα com. 19. καὶ πᾶν ἀργύριον, ἢ χρυσίον, ἢ χαλκὸς, ἢ σίδηρος, ἅγιον ἔσται τῷ Κυρίῳ, εἰς θησαυρὸν Κυρίου εἰσενεχθήσεται. Ecquid desiderari pro isthac notatione evidentius potest? At vide elegantissimam antanaclasim com. 18. Ἀλλὰ καὶ φυλάξεσθε σφόδρα ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος, μήποτε ἐνθυμηθέντες ὑμεῖς λάβητε ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος, hoc est a re Deo sacra, & in thesaurum ipsius inferenda. Pergit sacra historia, καὶ ποιήσητε τὴν παρεμβολὴν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἀνάθεμα *& faciatis castra filiorum Israël anathema*, exterminanda a favore & conjunctione Dei. Ex quibus omnibus, & quæ his addi possent compluribus, infero, uti vox ἀνάθημα plerumque, &, si ita velis, fortasse semper, in bonam partem sumitur; ita vocem ἀνάθεμα mediæ significationis esse, prorsus sicut Hebraicum חרם, cui solet respondere. At nimia fortassis hæc exsecuti diligentia sumus: si modo aliquid, quod Divinis literis illustrandis impenditur, nimium esse queat.

VI. Cæterum valere jusso ulteriori & scrupulosiori vocum examine, ad rem veniamus. Constat ἀναθέματα Græcis dictos fuisse eosdem qui aliter vocabantur βδελύγματα, περιψήματα, καθάρματα, ἀποτρόπαιοι, ἀντίψυχοι, & si quæ id genus plura sunt nomina: significabantur autem homines, qui, sive ab aliis, sive a semetipsis, ad averruncandam Deorum iram, diris devoti, extremæ necessitati exponebantur. Ii plerumque ex infimæ fæce, & abjectissimi mortalium erant. Sic enim *Scholiastes Aristophanis* ad *Equites*, laudatus *Grotio ad 1. Cor. IV: 13.* Ἔτρεφον γάρ τινας Ἀθηναῖοι λίαν ἀγεννεῖς καὶ ἀχρήστους, καὶ

VI. Anathemata Græcis erant homines ad extrema diris devoti.

ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει (λοιμοῦ λέγω, ἢ τοιούτου τινὸς) ἔθυον τούτους, ἕνεκα καθαρθῆναι τοῦ μιάσματος, οὓς καὶ ἐπωνόμαζον καθάρματα. *Alebant enim Athenienses quosdam valde ignobiles & inutiles, quos, quum malum ullum civitati impenderet, (pestis scilicet, aut tale quicquam) ad piaculum expiandum immolabant, quos appellabant Catharmata.* Vel alia voce περιψήματα Quia, uti ad hoc vocabulum *Suidas* commentatur, οὕτως ἐπέλεγον τῷ κατ' ἐνιαυτὸν συνέχοντι τῶν κακῶν, περίψημα ἡμῶν γένου, ἤτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις. Καὶ ἐνέβαλον τῇ θαλάσσῃ, ὡσανεὶ τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν ἀποτίννυντες. *Ei, qui malis averruncandis quotannis destinatus erat, sic imprecabantur, sis περίψημα nostrum, hoc est, salus & redemptio: atque ita illum in mare projiciebant, quasi Neptuno sacrum solventes.* Atque hi quidem inviti eo cogebantur. Alii vero sponte se offerebant. Qua de re audiatur *Servius* ad illud Virgilii, *auri sacra fames. Massilienses quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic postea, ornatus verbenis & vestibus sacris, circumducebatur per totam civitatem, cum exsecrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius civitatis. Et sic projiciebatur.* Verum non pauperes duntaxat, & privatæ sortis homines, sponte in se aliis debitas pœnas susceperunt; sed & magnates, & principes populi, ipsique adeo reges, idem factitasse memorantur. Lubet hic inserere id in quod nuper incidi, quum *Clementis Romani*, qui Pauli nostri cooperarius fuisse creditur, ad Corinthios epistolam perlegerem. Ubi ille, quisquis est, auctor, Sectione LII. ex nupera *Clerici* editione, sic scribit: ἵνα δὲ καὶ ὑποδείγματα ἐθνῶν ἐνέγκωμεν, πολλοὶ βασιλεῖς καὶ ἡγούμενοι, λοιμικοῦ τινος ἐνστάντος καιροῦ, χρησμοδοτηθέντες, παρέδωκαν ἑαυτοὺς εἰς θάνατον, ἵνα ῥύσωνται διὰ τοῦ ἑαυτῶν αἵματος τοὺς πολίτας. *Ut autem etiam gentium exempla proferamus, multi reges & principes, pestifero tempore sæviente, quam oraculo admoniti essent, se ipsos morti tradiderunt, ut cives suo sanguine liberarent.* Et quid sane notius iis est quæ de Menœceo, Codro, Macaria, Protogenia, & Pandora, Lei filiabus, Curtio, Deciis, aliisque memorantur, qui ultro se morti pro communi salute devoverunt.

VII. *Quæ significatio ab hoc loco aliena non est.*

VII. Difficile non est, hæc, ex Græcorum, aliarumque gentium institutis transsumpta, Pauli verbis applicare. Nimirum Evangelii caussa, ut Corinthios, aliosque ex Gentilibus Christo lucrifaceret, nullum ignominiæ, contumeliæ, injuriæ, ærumnarum genus subire detrectaverat, factus cum sociis suis & itinerum ac prædicationis consortibus, omnium propemodum, qui alienos ab Evangelio animos gerebant, lustramen ac retrimentum. Eo enim manifeste alludit 1. Cor. IV: 13. ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάν-

των περίψημα ἕως ἄρτι. Hoc est, ita habiti, itaque ab hominibus excepti sumus, quasi purgamenta generis humani essemus, præ cæteris omnibus mortalibus ῥυπαροὶ καὶ ἀπόβλητοι, omnium contemtum, odium, diras meriti, in quos peccare nemo possit, digni denique in quos debita ac destinata universo alicui populo mala, justâ Dei hominumque indignatione, recidant. Omnem hanc contumeliam Gentium caussa lubenter devorabat. Sed quanto propiore nexu fratribus suis Judæis obligatus erat, tanto graviora pro iis subire non recusabat. Non si vel jugulum ensi præbendum, vel corpus flammæ; non si in mare præcipitandus, vel ex rupe deturbandus, vel in foveam lacumve detrudendus foret; aut quidquam præterea diri subeundum, quod sacris hominibus, qui *anathemata* dicebantur apud Græcos, aliasve nationes, subire necesse fuit. Nihil se horum detrectaturum esse profitetur. Atque hæc ex Gentilium institutis petita interpretatio sensum hactenus gignit non incommodum.

VIII. Sed majora subsunt, ex Hebræorum monumentis claranda. Nuper dixi, quod *anathema* Græcorum respondeat τῷ חרם *Cherem* Hebræorum. Cujus significatio, quatenus ad institutum nostrum facere potest, gemina est in sacris. Primo enim notat *devotionem*, non sine diris & exsecratione, *ad plenariam destructionem*, sive a Deo, sive ab hominibus, inferendam: & consequenter *rem*, sive *personam*, quæ ad talem destructionem *devota* est, Deut. VII: 26. *Non inferes rem abominabilem in domum tuam*, והיית חרם כמהו, καὶ ἀνάθεμα ἔσῃ ὥσπερ τοῦτο, Jes. XLIII: 28. *Et dabo* לחרם εἰς ἀνάθεμα *Jacobum*, 1. Reg. XX: 42. *Eo quod dimisisti* את איש חרמי. Quod optime interpretantur Græci, ἄνδρα ὀλέθριον, *virum a me interitui devotum*. Adde Num. XXI: 2, 3. ubi vovent Israëlitæ se Cananæorum urbes, Deo opitulante superandas, *Cherem*, sive *anathema*, in honorem Dei destructuros esse. Quod ubi perfecissent, in perpetuam rei memoriam locum illum vocaverunt חרמה. ἐπεκαλέσατο τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου ἀνάθεμα. VIII. *Cherem Hebrais notat rem vel personam devotam destructioni.*

IX. Sed & præterea חרם significat *segregationem* a communione populi Dei, cum multa ignominia conjunctam. In quam mentem eximius locus est Ezr. X: 8. יחרם כל רכושו והוא יבדל מקהל הגולה ἀναθεματισθήσεται πᾶσα ἡ ὕπαρξις αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς διαςαλήσεται ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας τῆς ἀποικίας *anathemata erunt omnes facultates ipsius, ipse vero separabitur ab Ecclesia transmigrationis*. Hujus segregationis a populo Dei, quam *excommunicationem*, sueto nobis vocabulo, dicere licet, tres vulgo statuuntur gradus; quorum primus & minimus vocetur נדוי *Niddui*, secundus חרם *Cherem*, tertius, isque summus, IX. *Ut & separationem a populo Dei: duobus aut tribus gradibus distinctam.*

שמתא

שמתא *Schammata*. De quibus nominibus, eorumque differentia, vide sodes *Buxtorfium* in *Lexico Talmudico* ad singula. *Seldenus* de *Jure Naturæ & Gentium Lib.* IV: *Cap.* VIII, negat *Niddui* & *Schammata* binas esse excommunicationis species, innumerorum, ut ait, locorum fide in Commentariis Talmudicis nixus, ex quibus constet *Niddui* & *Schammata* generalia esse nomina, eaque ἰσοδυναμοῦντα. Id sæpissime verum esse *Munsterus* olim notaverat, neque infitetur *Buxtorfius*, & agnoscit *l'Empereur*. qui tamen tria ista aliquando distingui, sic ut חרם gravius fuerit quam נדוי, & שמתא gravissimum, allatis exemplis docet, in *Notis ad Bertramum de Republica Judaica Cap.* VII. Confer *Ouvvenum* in *Prolegomenis Commentariorum ad Hebr. Exerc.* XXI. §. 19. *& seq.* & *Bocharti Epistolas p.* 1036. Nobis ad hanc rem necesse non est minutias sectari. Suffecerit attendisse, quænam effecta fuerint τῦ *Cherem*, sive *anathematis*, & excommunicationis.

X. Qui sic separatus erat, desinebat esse pars cœtus Israëlitici.

X. Primus separationis sive excommunicationis hujus effectus, hic erat. Quod excommunicatus ita pars cœtus Israëlitici esse desierit, ut cum novem aliis decem non conficeret; & si ita judicibus visum esset, licuit interdicere ei, ne convivio trium interesset, ne cum decem oraret, &, si mortuum haberet, ne quis eum sepeliret, & si filium, ne quis eum circumcideret. Ex jure communi fas ei non erat alteri (demta uxore & liberis) intra spatium quatuor cubitorum assidere. Si mors ipsum isthoc in statu occupet, feretro ejus, judicum jussu, lapis imponitur. Quæcunque horum in excommunicatione minori *Niddui* locum habent, graviora sunt in *Cherem*. Quo anathemate qui percussus est, non docet, neque discit, cum aliis: soli autem studere fas est, ne eorum quæ didicit obliviscatur. Nullum cum ipso commercium, nulla habenda consuetudo est. Et quamvis emere ipsi liceat victualia, non tamen cum ipso edere licet aut bibere. Sane, tametsi nihil aliud in se contineret anathema, res esset homini Israëlitæ prorsus intolerabilis, & ipsâ prope morte redimenda.

XI. An & publica Synagoga ejiciebatur?

XI. An qui sub hac anathematis specie erant *Synagogis* quoque, id est, ædibus publici ad sacra conventus, fuerint exclusi, disputatur inter eruditos. Plerisque id Interpretibus secure fuit creditum, inductis repetita in Johannis Evangelio locutione, ἀποσυνάγωγον γίνεσθαι. Joh. IX: 22. XII: 42. XVI: 2. Quod primo intuitu vix videtur aliud notare posse, quam ejectionem, quæ Senatus decreto fit, ex Synagoga. Synagoga autem passim in Evangeliis pro Divini cultus loco sumitur, quem Hebræi בית הכנסת nuncupant. Vid. Luc. VII: 5. Verum *Johannes Seldenus de Jure Nat. & Gent. Lib.* IV, *Cap.* IX. & *Ludo-*

Ludovicus Cappellus in *Spicil. ad Johan.* IX. aliud nunc credere jusserunt. Observant illi, sæpissime apud Hellenistas συναγωγὴν pro קהל substitui, & innuere omnimodum populi plebisve, sive totius, sive partis, conventum. Unde habemus *Synagogam peccantium*, *Synagogam ludentium*; & si quæ id genus alia. Itaque ἀποσυνάγωγον γίνεσθαι ipsis est privari solita congressus hominum libertate, eo, quem supra memoravimus, modo. Cujus interpretationis rationes potissimum duæ sunt. Primum, quod nullibi in Hebræorum disciplina inveniatur, eo sensu Synagoga motos fuisse quospiam, ut interea aliis hominum cœtibus libere interessent. Deinde, quod ipsum templum, omnibus Synagogis longe sanctius, ingredi excommunicatis ejusmodi nefas non fuerit. Quod palam elicitur ex titulo Talmudico *Middot*. Nimirum excommunicati templum ingrediebantur, non, uti ritus aliàs obtinebat, dextrorsum, sed sinistrorsum se vertentes. Et si caussam rogarentur insoliti moris, respondendum singulis fuit, שאני מנודה *quia ego excommunicatus sum*. Quam confessionem solemni hoc carmine excipiebant pii sacræ ædis frequentatores, השוכן בבית הזה יתן בלבך ותשמע לדברי חבריך ויקבלוך *Qui inhabitat ædem hanc indat cordi tuo, ut auscultes verbis sociorum: quo fiat ut recipiant te.* *Negant Seldenus & Cappellus.*

XII. Cæterum utut hæc magna cum specie a viris doctissimis asseverentur, neque minore cum applausu, tanquam reconditioris eruditionis haud contemnenda pars, ab aliis avide accepta sint; meum tamen sine hæsitatione assensum impetrare nondum potuerunt. Non solum, quod aliquem ἀποσυνάγωγον ποιεῖν ipso verbi tinnitu eam legenti cogitationem injicit, ut vix aliud sibi figurare possit quam ejectionem ex *conventu* sacro, & *loco* illius conventus, quorum alterutrum in Evangeliis passim, & fortasse semper, *Synagogæ* nomine venit: verum etiam, quod ipse Johannes exemplo in hanc mentem evidenti vim locutionis hujus illustrare videatur. Nam postquam in historia cæci, cui visum dederat Jesus, memorasset decretum Pharisæorum de eo qui Christum professus fuerit faciendo ἀποσυναγώγῳ, mox narrat *vers.* 34. quomodo id circa eundem exsecuti sint. Καὶ ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω *Et ejecerunt eum foras.* Unde, nisi ex Synagoga? Ipso, quod largior, facto, & manu ministrorum; sed & indubie ex prævio procerum jussu, & sententia, convenienter ei, quod pridem sanciverant, edicto. Similis locutio occurrit in *Athanasii* operibus, quod ab ipso etiam *Seldeno* observatum est, ubi Judæus ille Berytiensis, in cujus cella imago Christi reperta erat, a principibus Sacerdotum & senioribus Synagogâ ejectus esse dicitur. Τότε θυμωθέντες, τὸν μὲν κατοικοῦντα ἐν τῷ οἴκῳ ἀποσυνάγωγον ποιήσαντες ἤλασαν. *XII. Sed potius asserendum videtur.*

Tum vehementer irati, Judæum in illa æde habitantem, extra Synagogam facientes, expulerunt. Quod, quidquid obnitatur *Seldenus*, vix est ut aliter quam de domo Synagogæ exponi possit. Hodiernis sane Judæis, patriorum adhuc rituum, quantum fieri potest, tenacissimis, talem ex Synagoga ejectionem in usu esse, apertis verbis *Leo de Modena* testatur. *De Consuet. Jud. Lib.* II. *Cap.* III. *Quando aliquem excommunicant, id publice significant. Post quod tempus non licet ulli Judæo sermones miscere cum excommunicato, neque ipsi appropinquare ad quatuor cubitos;* INGRESSUS IN SYNAGOGAM IPSI EST PROHIBITUS. Enimvero res ipsa id exigere videtur. Cui enim non licuit mortalium cuiquam appropinquare, nisi ad quatuor, ut minimum, cubitorum distantiam; is, vel sine speciali interdicto, haud facile locum in Synagogis invenisset, non semper amplissimis, & plerumque ingenti hominum multitudine fartis.

XIII. *Neque obstat quod licitus excommunicatis fuerit Templi introitus.*

XIII. Difficilis, fateor, objectio est, quam ex licito excommunicatis in templum introitu urgent. Cæterum non male mihi observasse videtur doctissimus *Vitringa*, qud non in omnibus una eademque ratio Templi & Synagogarum fuerit. Templum commune quoddam universæ gentis Israëliticæ refugium fuit, a cujus introitu, præter impuros, nulli Judæorum arcebantur. Synagogæ autem complectebantur totidem quasi societates Judæorum singulares; ad quas proinde propius pertinebat judicium de vita & moribus eorum qui societatem illam constituebant. Hæc *Vitringa de Synagoga vetere p.* 741. Sed & aliud addendum esse existimo, tollendæ difficultati non minus fortassis idoneum: quod nimirum excommunicatis haud ultra procedere fas fuerit, quam in atrium gentium, quod Rabbini vocant הר הבית *montem domus*, unde ne Ethnici quidem, & immundi excludebantur. Vide sis *Lightfootum in Centuria Geographica Matthæo præmissa Cap.* XXVIII. *&* XXIX. Unde infero, per facultatem istam in extimam templi partem ingrediendi, nihil excommunicatis conferri, quo non & Ethnici & publicani, si velint, gaudere queant. Magnus *Bochartus* ita rem concepisse videtur, *in Epistolis suis p.* 1037. quasi excommunicatis & lugentibus non tam ingredi, quam stare aut sedere ad fores Templi licuerit, ut olim in veteri Ecclesia iis, qui dicebantur ἀκροώμενοι & ὑποπίπτοντες. Sed pace viri incomparabilis, Rabbini non de statione, aut sessione ad portam, sed de introitu per portam, constanter loquuntur. Manifestæ mentis sunt quæ ex *Capit. R. Eliezeris Cap.* XVII. *circa finem* exscripsit *Buxtorfius* ad vocem נדוי. *Rex Salomo, quando ædificavit domum Sanctuarii, fecit duas portas, unam pro sponsis, & unam pro lugentibus & excommunicatis.— Qui*

INGRE-

INGREDIEBATUR PER JANUAM *lugentium*, *ejus caput erat obvelatum &c. Qui autem* INGREDIEBATUR *non obvelato ore, inde cognoſcebant ipſum eſſe excommunicatum.* Verum e diverticulo, quamvis fortean non inamœno, in viam redeamus.

XIV. Præter hanc ſegregationem a commercio Iſraëlitarum, dirius aliquid complectebatur anathema: ſubjiciebat enim excommunicatum Divinæ exſecrationi, non in hac modo vita, ſed &, ſi non reſipiſceret, & reconciliaretur Iſraëliticæ Eccleſiæ, in futura. Hanc enim τȣ̃ *Cherem* ſive anathematis formulam exhibet *Maimonides* in *Talmud Tora Cap.* VII. *§.* 2. paſſim a viris doctis laudatam. פלוני מוחרם וארור בו אלה בו שבועה בו נדוי *Iſte devotus eſto, & maledictus. In eo reſidebit exſecratio, in eo adjuratio, & in eo averſatio.* Formulam horrendi carminis ampliorem & diriorem videat, qui vult, apud *Buxtorfium*, *Lex. p.* 828. Notiſſima, & cui non dicta? Cabbaliſtica Rabbinorum obſervatio eſt: vocem חרם literis ſuis conficere numerum 148. totidem dicunt corporis humani oſſa eſſe; in quæ nimirum omnia & ſingula vim ſuam tremenda iſta exſecratio exerat. Hinc *Schammata* confertur cum סיחא בתנור *adipe clibani.* Quia, ait R. *Salomonis* gloſſa, *ſicut pinguedo clibano intrinſecus allita conſumitur, neque unquam inde exit: ita totus conſumitur is, qui per Schammata devovetur, non evaſurus in æternum.* Vide *l'Empereur ad Bertram l. c.*

XIV. Cherem ſubjiciebat quoque excommunicatum Divinæ exſecrationi.

XV. Omnia iſta quin Paulo, rituum gentis ſuæ peritiſſimo, ideoque quid anathematis vocabulo comprehendatur callentiſſimo, de anathemate nunc loquenti, in mentem venire potuerint, ecquis jure dubitet? Et quid obſtat, quo minus ſtatuamus, non noluiſſe Paulum, ut populares ſui, Iſraëlitæ, ad injectam hanc anathematis mentionem diriſſima quæque ſibi repræſentarent, ex quibus ſponte ab Apoſtolo, ſi fieri poſſet, ſubeundis immenſitatem ſuæ adverſus ipſos charitatis intelligerent? Verum neque hic ſubſiſtendum eſſe reor. Quantum Novi Teſtamenti gratia illam Veteris poſt ſe relinquit, tanto etiam gravius cenſendum Novi Teſtamenti anathema eſt: quippe quo ſublimior iſte excellentioris gratiæ ac gloriæ gradus abdicatur. De hoc autem ſe anathemate agere, innuit Apoſtolus, dum vocat ANATHEMA A CHRISTO.

XV. Credibile eſt, Paulum omnia iſta anathematis vocabulo comprehendere.

XVI. Quæ locutio duplicem habere poteſt ſignificationem, altera, ut *cauſſam efficientem* notet; altera, ut *terminum.* Si cauſſa deſignetur, ſignificabit exſecrationem, non a Judæis profectam, bruto fulmine; non ab hominibus, in quorum manu non eſt exſecutio: ſed ab ipſo Chriſto ſupremo judice, a quo ad alium non datur provocatio. Sic interpretatur *Photius* Epiſt. 216. Ἀπὸ Χριςȣ̃ δικάζοντος, καὶ τὴν

XVI. A Chriſto, notare poteſt cauſſam efficientem.

τὴν τίμωρον ἀφιέντος ψῆφον A Christo judice inflicta, & sententiam pronunciante punitivam. Apud Hebræos quoque gravius anathema cœlo, id est Deo, & Domino imputabatur. שבעה מנודים לשמים *septem sunt cœlitus*, sive *divinitus, excommunicati*, dicitur in *Pesach. fol.* 113. 2. Estque diri carminis initium, על דעת אדוני האדונים *ex sententia Domini Dominorum.* In *Targum* etiam aliquoties occurrit שמתא דיי *excommunicatio Jehovæ;* & in *Talmud* שמתא דאלהי ישראל *anathema Dei Israëlis.* Quod ipse nimirum Deus pronunciat, atque infligit.

XVII. *Quid sit Maranatha, & Ramantha.* XVII. An huc quoque pertineat decantatissimum illud 1. Cor. XVI: 22. *Si quis non diligit Dominum Jesum Christum*, ἤτω ἀνάθεμα, μαρὰν ἀθά, dubitari video. *Seldenus* & *Lightfootus* negant se in Hebræorum scriptis hanc velut exsecrationis formulam invenisse. Quod tametsi verum sit, non impedit tamen quo minus pro Apostolico anathemate habeatur; cujus ipse Dominus terrifico suo adventu exsecutor in omnes hostes suos sit. Nisi cum *Seldeno* malis τὸ *Maranatha*, exclamationem solennem, seu epiphonema, & asseverationem sanctiorem esse. Cæterum si formula aliqua Hebræorum non sit, quæ dici potest ratio, cur Chaldaice potius quam Græce protulerit Apostolus? Frigida enim satis *Lightfooti* conjectura videtur, suspicantis eo id esse factum, quod fulmine hoc Judæos potissimum ferire voluerit, qui soli ex omnibus hominibus dixerunt Jesum anathema, & de quibus Jes. LXV: 15. *relinquetis nomen meum electis in exsecrationem.* Mihi prorsus verisimile est, *Maranatha*, sive finem, sive initium esse horrendi carminis, quo illi præcipue feriebantur peccatores de quorum pœnitentia ac salute conclamatum esse videbatur, sic ut nihil illis superfit præter exspectationem terribilis judicii, ab ipso Domino in illustri adventu suo infligendi. Nec exempla locutionis ἰσοδυναμούσης, tam in Veteri, quam Novo instrumento, desunt. Tale enim est initium imprecationis illius, qua in profligatos id genus homines usus esse perhibetur Henochus Judæ 14. *Ecce venit Dominus.* Atque hoc ipsum minitari videtur Malachias ultimis illis V. T. verbis, *Ne veniam, & terram percutiam anathemate.* Nec abit id quo in conclusione Apocalypsios suæ Johannes usus est. Ubi, postquam multis devovit & detestatus est eos, qui aliquid vel addituri scripto, vel demturi de eo essent, tandem addit, λέγει ὁ μαρτυρῶν ταῦτα, ναὶ ἔρχομαι ταχύ. ἀμήν. Respondet Johannes, Ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ. In Syriaca interpretatione legitur תא מריא ישוע verbis ad phrasin Apostolicam proxime accedentibus. Quæ acute ab *Daniele Heinsio* notata sunt. At non pari successu conjectat, eandem formulam usurpatam fuisse pastori illi apud Laodiceam, qui, ut auctor est

Stepha-

Stephanus de urbibus ad vocem Laodiceæ, fulmine percussus dixerit, Ραμάνθας, τουτέστιν, inquit *Stephanus*, ἀφ' ὕψους ὁ Θεός. ῥάμαν γὰρ τὸ ὕψος, ἄθας δὲ ὁ Θεός. Putat *Heinsius* vocem esse corruptam, & pastorem, viso fulmine, quod Dei telum esse dicitur, lingua sua exclamasse Μαρὰν ἀθά, ὁ Κύριος, ἤγουν ὁ Θεὸς, ἔρχεται. Tantum abest, inquit, ut ἄθας sit Deus, aut ῥάμαν, ὕψος. Sed dubium non est, quin infeliciter admodum observatio ista cesserit viro πολυμαθεστάτῳ. Prorsus credibile est, pastorem clamasse רם אתה *Ram Atta*, vel רם אנת *Ram Ant*, posteriori voce Chaldaicâ, quod significat, *excelsus es tu*. Priorem vocem optime interpretatus ex *Philone* est *Stephanus*, neque posteriorem pessime: imprimis, si ad Cabbalistarum attendamus hypotheses, quibus את *Ath* Dei nomen est, conflatum ex prima & ultima Alphabeti Hebræi litera: quo significari volunt, Deum principium cunctarum rerum & finem esse, τὸ Α & τὸ Ω. Uti in hanc rem appositissime commentatus est ὁ πάνυ *Bochartus Canaan Lib.* II. *Cap.* XII. Conf. *Thomam de Pinedo* ad eum *Stephani* locum. Utcunque sumas, certum est, τὸ *Maranatha* Chaldaice & Syriace tantundem valere, ac, *Dominus venit*, & notare gravissimam imprecationem pœnæ a Domino infligendæ. Quæ subtiliter ab aliis ad exaggerandam utriusque vocis emphasim animadversa sunt, vide apud *Bochartum* laudata nunc aliquoties epistola. Vereor enim ne justo hic fuerim prolixior. Tantummodo animus fuit ostendere, gravissimum esse illud anathema, quod ipso Domino Jesu Christo auctore fit. Cui hoc quoque inest, ut eadem sententia miser a communione Domini arceatur. Quod Arabs in mente habuit, dum Apostoli verba sic exposuit, *is omnis sit excommunicatus a spe Domini*. Vide *Grotium*.

XVIII. Et sane anathema *a Christo* non *auctoris* duntaxat, sed & *termini* respectu intelligendum est; ut separationem a Christo significet, uti Gal. V: 4. κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ *a Christo prorsus abscissi estis*. Atque id rursus exponi potest bifariam, vel respectu *corporis* Christi, quod est Ecclesia, vel respectu *personæ* Christi, qui est caput Ecclesiæ. Certe *Ecclesia* aliquando vocatur Christus. I. Cor. XII: 12. Gal. III: 27. sicut mos erat apud Hebræos, uxores vocari de mariti nomine, Jes. IV: I. Atque hoc sensu anathema a Christo inferret privationem dignissimi muneris in Ecclesia, & locum inter Christianos abjectissimum, multa cum ignominia maximisque sæpe miseriis conjunctum. Sic *Theodoretus* exponit, I. Cor. XVI: 22. ἔστω ἀνάθεμα, ἀλλότριος ἔστω τοῦ κοινοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας. Similiter apud *Athanasium Quæst.* CV. *de parabolis Scripturæ* Χωρίσατε αὐτὸν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν πιστῶν, καὶ ἔστω κεχωρισμένος ἀπὸ τοῦ λαοῦ, ὁ μὴ πιστεύων.

XVIII. A Christo, etiam terminum significat: importatque sejunctionem ab Ecclesia, quæ Christi corpus est.

 Eam

Eam ſeparationem magna ſemper comitabatur indignitas atque ignominia, quandoque etiam traditio Satanæ ad vehementem corporis per morbos doloreſque vexationem. *Balſamon ad Canon.* III. *Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Photio p.* 586. ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω. Κεχωρισμένος ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἔστω, καὶ παραδιδόσθω τῷ δαίμονι, ὡς ἀνάθεμα. Quæ tamen Diaboli vexationes cum æterno exitio non ſemper cenſebantur eſſe conjunctæ, neque importabant omnimodam ſejunctionem a Chriſto. *Ignatius* ad *Roman.* κακαὶ κολάσεις τοῦ διαβόλου εἰς ἐμὲ ἐρχέσθωσαν, μόνον ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. *Mala Diaboli tormenta in me veniant, tantummodo ut Jeſum Chriſtum nanciſcar.*

XIX. *Et ab ipſo Chriſto capite.*

XIX. Verum ἀνάθεμα complectitur etiam ſeparationem a *Chriſto capite*, illiuſque ſalutari gratia, ſaltem quatenus illa exhilarat, atque lætificat. *Chryſoſtomus Homiliæ adverſus Anomœos* I: 6. Τί ἐστιν ὃ λέγει ἀνάθεμα, ἀλλ᾽ ὅτι ἀνατιθέσθω οὗτος διαβόλῳ, καὶ μηκέτι χώραν σωτηρίας ἐχέτω, γενέσθω ἀλλότριος ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. Porro ſeparatio illa a Chriſto poſſet eſſe vel *temporaria* & *ex parte*, vel *perpetua* & *totalis*, qualis eſt reproborum. Hæc excludit amorem Dei ac Chriſti, ac ſalutem æternam: illa, non item. Cujus exemplum oppido memorabile habemus in *Gregorio Nazianzeno*. Qui amore ſalutis Macedonianorum, probe quidem viventium, & de Deo Patre ac Filio recte ſentientium, ſed Spiritum Sanctum non niſi pro creatura agnoſcentium, *Orat.* IV. *in Pentecoſtem* ſic eos affatur: *Adeo vos amplector, atque exoſculor,* ὥστε καὶ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, καὶ παθεῖν τι ὡς κατάκριτος δέχομαι εἰ στσαίητε μεθ᾽ ἡμῶν, καὶ κοινῇ τὴν τριάδα δοξάσαιμεν, *ut anathema etiam a Chriſto eſſe, ac nonnihil ut damnatus perpeti non recuſem, modo nobiſcum adjungamini, communibuſque animis Trinitatem concelebremus.* Atque hæc de anathemate a Chriſto prolixe ſatis diſputata ſunto.

XX. *Pro fratribus, notat tam loco, quam bono fratrum.*

XX. Nunc anquiramus, quid ſit anathema eſſe PRO FRATRIBUS. Id rurſus geminum admittit ſenſum, vel *in bonum* & commodum fratrum, quo modo teſtabatur Apoſtolus, ſe *reliquias afflictionum Chriſti viciſſim explere in carne ſua, pro corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia.* Col. I: 24. hoc eſt, ad ædificationem, confirmationem & conſolationem Eccleſiæ: vel etiam *loco* & *vice* fratrum, ut iis ſe ſuccidaneum ſiſtat, & pœnas iis debitas in ſe ſuſcipiat. Nec obſcurum eſſe arbitror, quin poſtremum hoc ſignificationis amplitudine includatur. Hoc enim potiſſimum erat, tam in Græcorum, quam in Hebræorum ſacris hominibus, qui *anathemata* dicebantur. De illis patet ex iis quæ Sectione VI: allegata ſunt. De his quoque manifeſta res eſt, ex voti formula, *Sim ego expiatio tua.* Sic enim id genus formulas paſſim interpretantur Hebræi. *Baal Aruch* ad vocem כפר. Ubicunque

cunque quis dixerit הריני כפרתו וחוא פירושו הריני במקומו לסבל עונותיו כלומר שאני מקבל עלי עונותיו להתכפר: *Ecce ego sim expiatio illius, perinde est ac si dixisset, sim ipse illius in locum suppositus, ut iniquitates ejus portem. Quod idem valet ac si dixisset: ego illius iniquitates in me suscipio: ut ille earum consequatur veniam.*

XXI. Sic singula hactenus verba sejunctim & in se consideravimus: nunc quid in connexione notent expendamus, & QUID denique Paulus VOLUERIT, quum se anathema a Christo fieri pro Judæis fratribus suis OPTAT. Atque hic quædam supponenda esse videntur, tanquam manifestæ veritatis; alia claranda, ut quæ variarum interpretationum ambiguitate, quasi nebulâ quadam, involuta sunt. Primo quidem loco perspicuum est, non potuisse Paulum ullâ cujuscunque, sive hominis, sive cœtus, sententiâ, nisi iniquissima injustissimaque, vel muneris istius quo fungebatur dignitate privari, vel Ecclesiæ communione ac privilegiis interdici. Nihil enim admisit, quo id mereretur. Neque votum hoc talis poterat esse sententiæ fundamentum: quum enim ex sanctissimæ proficisceretur charitatis principio, quo plus ab ordinariæ pietatis officiis recedebat, eo venerabiliorem ipsum omnibus, atque adeo Apostolatu digniorem efficiebat. Porro & id constat, nulla fieri ratione potuisse, ut Paulus a Deo ad salutem æternam electus, a Christo redemtus, viva fide constantique charitate redemtori suo adhærens, salutifera illius communione excidat. Etiamsi singulari aliqua & extraordinaria mentis emotione eo ferretur, ut ex incredibili gloriæ Divinæ proximique amore id optaret, non tamen verisimile est, id, vel optanti voventique, a Deo permissum iri. Quo enim ardentior est ista charitas, eo & acceptior est Deo, & qui ista est præditus, eo confirmatior est in beatissima Dei, sui diligentes infinito plus diligentis, redamatione. Tertio, non minus liquet, non posse Pauli quantascunque perpessiones improbis illis reprobisque redimendis, Deoque reconciliandis, & ad fidem & pœnitentiam adducendis inservire, nedum sufficere. Ea enim reconciliandi vis & dignitas solis Christi Domini perpessionibus competit; neque in earum partem ulla, quantumvis sanctissimorum hominum, & ex quantalibet charitate suscepta, passio admitti digna est. Et quo pacto denique in mentem Paulo venire potuit, sui qualicunque anathemate confieri ulla ratione posse, quod ea quam Christus pro hominibus subiit exsecratione factum non sit? Quarto loco incontestatæ veritatis est, non licuisse Paulo, quacunque demum id fiat intentione, quidquam optare quod cum ullo vel suo vel proximorum suorum peccato, nedum maximo gravissimoque pec-

XXI. Magnis difficultatibus votum istud Pauli premitur.

peccato, conjunctum est. Unde duo colliguntur, primo non potuisse ipsum optare ut ullo Ecclesiæ anathemate percussus, illius communione & Apostolatu privaretur; hoc enim sine summa injustitia decerni nequivit. Deinde & illud ex ante dictis consequitur, multo minus licuisse, voto se aliquo a salutifera Christi communione segregare, & damnatorum, id est hostium Christi, statui aggregare: quippe qui non solum miserrimus, sed & propter desperationem, odium Dei, & continuas blasphemias, sceleratissimus, & Diabolorum statui simillimus sit. Atque hæ veritates omnes, uti sua luce conspicuæ, ita totidem gravissimæ difficultates sunt, quibus istud Pauli votum premitur.

XXII. *Quod tamen neque temerarium, neque utilitate cassum, neque sanctitati contrarium esse potest.*

XXII. Verumtamen non minus tria hæc quæ mox dicturi sumus rata certaque omnibus esse debent, quibus explorata sunt Pauli tam moderatio animi, quam sapientia & sanctitas. I. Non esse votum istud præcipitanter ac temere conceptum, aut sine matura animi deliberatione prolatum: quod de Jephtæ voto fortean cogitare licet. Id enim ut de Paulo credamus vetat prudens illa & bene meditata protestatio, qua sermonem istum suum orditur. *Veritatem dico per Christum, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum S.* II. Non esse etiam votum inane, sani consilii expers, atque unde nulla possit in Ecclesiam redundare utilitas. Tanto enim tamque insolito prorsus apparatu nihil agere, a sapientia & a magno serio Apostoli perquam alienum est. III. Quidquid denique vovet Apostolus non repugnare ullo modo exactissimæ sanctitati, vel quicquam continere quod cum suo aliorumve peccato aliquo conjunctum sit; nedum ut minimum eo delibetur gloriæ isti quæ solius Christi ἀπολυτρώσει unice debetur.

XXIII. *Varii Interpretum in tollendis difficultatibus labores.*

XXIII. Hæc ut obtineant Interpretes, simulque allegatas supra difficultates e medio removeant, multis se fatigant modis, abeuntque in diversissima. Nonnulli in designatione *temporis*, alii in *emollitione* quadam & diminutione *rei optatæ*, alii denique in *conditione*, quæ in voto subintelligatur, difficultatum remotionem quærunt. Audiamus viros aliquot eruditissimos, omnibusque rite libratis, quid vero proximum sit modeste arbitremur.

XXIV. *Sunt qui Paulum de tempore Pharisæismi sui loqui putant: sed male.*

XXIV. Sunt qui volunt Paulum animum suum testari, qualis erat tempore sui Pharisæismi. Vulgata enim Latina editio habet, *optabam. Ambrosius, optabam, non opto. Primasius, optabam aliquando, non nunc optarem. Hieronymus, Anselmus, Cajetanus*; multique alii in eundem sensum. Nimirum aliqua jam dixerat, plura dicturus erat, quæ ingrata oppido Judæis esse non ignorabat. Ne ergo ex odio

odio hæc proficisci existimarent, adducit naturalem suum affectum, quo olim gentem suam prosequebatur, adeo ut separatus esse a Christo optaverit, quo fratrum suorum jura, gentisque Judaicæ privilegia tueretur. Cæterum hæc coacta sunt; & neque instituto Pauli, nec verborum proprietati consentanea. Non poterat enim Paulus, jam Apostolus, Christique caussam fervidissime agens, & de Judæorum induratione ac rejectione acriter nunc disputans, amoris erga eos sui constantiam ac vehementiam ex iis rebus probare quas olim fecerat antequam religionem Christi amplexus fuisset. Facile fuisset Judæis oggerere: quamvis hactenus nos charitate prosecutus fueris, dum a nostris stares partibus; postea tamen quam te ad Christum contulisti, mutasti animum, & quoniam nos quoque infensos tibi habere meruisti, vicissim nos probris & maledictis incessis. At si hæc dicta intelligantur de præsenti statu, eoque tempore quo hæc ipsa scribebat, & significetur etiam tum illum voluisse pro iis anathema esse a Christo; de ejus adversus illos benevolentia dubitari non potest. Sed nec verba ipsa explicationem istam admittunt. Quomodo enim Paulus optare poterat ut anathemate aliquo a Christo separaretur, quo tempore nulla conjunctione Christum attigerat, aut attingebat? Quodnam etiam amoris erga Judæos argumentum, si eorum caussa lubens se separari pateretur ab eo quem ipse dicebat anathema, & quem pro exsecrabili habebat? Neque ulla præteriti temporis, quod quidam urgent, nota in Græca voce ηὐχόμην est: frequens enim est Græcis imperfecti pro optativo usus, sive addita, sive omissa particula ἄν. Pro exemplo sit Act. xxv: 12. ἐβουλόμην καὶ αὐτὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀκοῦσαι.

XXV. Alii anathema interpretantur de morte violenta, aut annihilatione. Sed nec hoc satisfacit.

XXV. Alii itaque malunt emollire significationem vocis ἀνάθεμα, eaque intelligunt *exterminationem e terra viventium*, sive mortem intempestivam ac violentam, juxta primam expositionem vocabuli חרם, de qua Sect. VIII. Sed bene interpretationem illam refutavit *Chrysostomus*: Εἰ τοῦτο ἔλεγε, πῶς ἀνάθεμα ἑαυτὸν ηὔχετο εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ; ὁ γὰρ τοιοῦτος θάνατος μᾶλλον τῷ τοῦ Χριστοῦ συνῆπτε χορῷ, καὶ τῆς δόξης ἀπολαύειν ἐκείνης ἐποίει *Si id diceret, quomodo anathema semetipsum a Christo esse precabatur? mos enim illiusmodi magis eum choro Christi adjungebat: efficiebatque ut gloria illa frueretur.* Quum itaque constet, talem mortem non exhaurire vim vocis *Cherem*, paulo ulterius progressi sunt aliqui, eamque explicuerunt, de *destructione totali*, & annihilatione. Sic *Martinius* in *Lexico* ad vocem *Anathema*: *optat se ex numero servandorum, adeoque hominum excludi, ut scilicet esse desineret: nimirum si ita χωρίσας εἰς ἀντιπαραβολήν, per istam suæ humanæ naturæ desinentiam posset Judæorum conversionem adjuvare.* Cæterum quum nulla

unquam res totaliter annihilata aut annihilanda sit, consequitur quod *Cherem*, tam de rebus, quam de personis usurpatum, nunquam omnimodam ἀνυπαρξίαν, sive existentiæ desinentiam, notet. Idcirco ne hæc quidem satisfaciunt.

XXVI. *Propius accedunt, qui intelligunt separationem ab Ecclesia.*

XXVI. Propius accedere videntur, qui separationem ab Ecclesia, quæ Christi corpus est, ab Apostolo intellectam esse contendunt, cum omni quidem ignominia cæterisque malis, separationem talem comitantibus & sequentibus, at sine salutis æternæ dispendio. Hac mente interpretatur *Seldenus de Syned. Lib.* 1. *Cap.* VIII. *Grotius* pariter: *Hoc dicit; Velim non modo carere honore Apostolatus, verum etiam contemtissimus esse inter Christianos, quales sunt excommunicati.* Aliquanto plenius *Hammondus*: *Tantum abest ut dignus sim qui habear inimicus Judæorum, quemadmodum habeor, ut non recusem separari, vel excommunicari a Christiana Ecclesia, nec carere duntaxat honore Apostolatus, sed instar vilissimi hominis a communione sanctorum ejici, atque adeo Satanæ tradi.* Verum quidem est, quod antea jeci, non potuisse sine magna injustitia talem anathematis sententiam ab ullo cœtu Christiano in Paulum pronunciari; neque conveniens esse, ut Paulus ullo suo voto Ecclesiæ ad talem adversus se iniquitatem committendam auctor sit. Attamen quum duæ distinctæ res sint; Paulum ex spontaneo voto ignominiam ac miseriam in se suscipere, & Paulum immeritum ad istam ignominiam ac miseriam damnare atque protrudere; prioris rei consideratio sola voventis menti obversabatur, seposita & abstracta consideratione prioris. Sicut & Dominus noster sponte ignominiam & crucem elegit, licet illi non nisi sceleratorum hominum manibus affigi potuerit. Cui observationi affinis altera illa *Hammondi* paraphrasis est. *Quemadmodum Christus, quum per se nequaquam maledictus esset, neque ullo malo dignus, factus est tamen maledictio pro nobis; ita nec recusârim in gravissimas ærumnas incidere.* Cæterum ne hæc quidem, quantumvis probabilia, omnem phrasios emphasim exhaurire videntur. Dirius quid sonat *anathema a Christo*.

XXVII. *Sed admittenda quoque est separatio ab ipso Christo: saltem ad tempus.*

XXVII. *Gomarus* itaque, ut vim dictionis servaret, interimque vitaret extrema, *anathema a Christo* sic interpretatur, partim quod est a Christo, ut caussa efficiente, partim quod est a Christo, ut termino; verumtamen non simpliciter, & in perpetuum, quale est reproborum qui æterna morte afficiuntur; sed temporale & secundum quid, quod salutem æternam non evertit. *Quemadmodum*, inquit, *Christus pro nobis factus est anathema, simpliciter quidem, sed non in perpetuum.* Addit: *atque hoc modo Paulum fieri anathema voluisse, nunc, re diligentius perpensâ, consentaneum existimo, magisque verisimile, quam*

ut

ut simpliciter & de perpetuo exitio intelligamus. Subjungit rationem non spernendam : *Nam etsi charitas Dei charitati erga nos sit præponenda , tanquam summum ac primum mandatum , magisque Dei gloria quam salus nostra sit amanda ; justitiæ tamen contrarium est , ut simpliciter anathema esse , & exitio æterno devoveri ac salute æterna excidere optemus. Hoc enim & amori Dei adversatur , optare ut ab illo , summo bono nostro , perpetuo separemur : & amori erga nos repugnat , ut & summo bono nostro semper careamus , & summo malo ac supplicio , in æternum , afficiamur.* Hæc *Gomarus.* Quibus si cuiquam acquiescere libeat , non habebit me improbe repugnantem. Non intercedo tamen, quin ulterius enitamur. Nam ratio a *Gomaro* allegata talis non est, ut nihil ei reponi queat : sicut ex iis quæ adhuc dicenda sunt patebit.

XXVIII. *Chrysostomus* cum multis aliis , qua Veteribus , qua recentioribus , *anathema a Christo* in omni significationis suæ emphasi interpretatur , cum connotatione exitii æterni. Διὰ τῦτο κόπτομαι , φησι , καὶ εἴγε ἦν χορισθῆναι τῦ περὶ Χριςὸν χορῦ , καὶ ἀλλοτριωθῆναι , ὐχὶ τῆς ἀγάπης αὐτῦ , (μὴ γένοιτο , ἐπεὶ καὶ ταῦτα δι᾽ ἀγάπην ἐποίει) ἀλλὰ καὶ τῆς ἀπολαύσεως ἐκείνης , καὶ τῆς δόξης , κατεδεξάμην ἄν .... Καὶ βασιλείας ἡδέως ἂν ἐξέπιπτον , καὶ τῆς δόξης ἐκείνης τῆς ἀποῤῥήτυ , καὶ πάντα ὑπέμεινα ἂν τὰ δεινά. *Propterea discrucior , ait , & , si quidem fieri posset , vellem ab eo choro separari , atque alienari , qui Christum circumdat ; non ab ipsius amore , (absit , quandoquidem etiam hæc propter amorem faciebat) sed illa fruitione atque gloria privari sustinerem — Et a regno cælorum libens exciderem , & ab illa ineffabili gloria , atque adversa omnia tolerarem.* Non sine ratione ita commentantur fidissimi Interpretes. Phrasis enim ista ἀπὸ Χριςῦ nativa significatione sua importat separationem a Christo & beneficiis ejus : quæ quum non hujus tantum , sed & futuri seculi sint , horum omnium denotatur privatio : & quum qui separatus est a Christo , exsors redemtionis sit , utique simul significatur mors æterna , omnes pœnæ quæ damnatis superventuræ sunt, Dei maledictio , & quidquid ab ira Dei & gloria potentiæ ejus proficisci potest , ad demonstrandam Dei justitiam & vindictam. Nihil gravius dici , imo nec concipi potest : uti judiciose argumentatur *Jacobus Altingius.*

XXVIII. Quidni & in æternum ?

XXXIX. Observandum interim , omnes qui ita interpretantur , a damnatione ista excludere damnatorum peccata. Vix credo melius id a me quam laudati modo *Altingii* verbis dici posse. *Anathema non dicit peccatum aliquod ejus qui id fit , sed damnum , pœnam , maximamque perditionem. Sic Apostolus se anathema fieri optat , exitium subire , & quidem æternum , a Christo quippe ; citra impietatem , (neque enim Chri-*

XXIX. Exclusis tamen damnatorum peccatis.

Christum dicit anathema, loquens ipse per Spiritum S. 1. Cor. XII: 3.) adeoque non vult odisse Christum; sed privari fruitione ejus amoris, pati ea, quæ hostes & inimici ejus passuri sunt: non autem agere, quæ illi agunt, vel agent. Optat sibi inimicorum Christi pœnam, non culpam; damnationem, non damnationis meritum. Sic *Altingius.* Addo ego, neque damnationis in hominibus reprobis sequelas, odium Dei & blasphemiam.

XXX. Difficultates quibus hæc explicatio premitur.

XXX. Equidem id mihi in isthac explicatione præ cæteris omnibus probandum esse videtur, quod singulorum vim verborum, sine ulla significationis diminutione, illæsam retineat. Negari interim nequit, quin & pluribus, iisdemque gravissimis, prematur difficultatibus. I. Qui enim potuit hæc optare sapienter, quum omnes voti partes ex earum rerum genere sint quæ prorsus fieri nequeunt? Nam vel reprobos Judæos servari, vel Paulum damnari, vel Pauli damnatione eorum reconciliationem promoveri, omnia ex æquo sunt ἀδύνατα. II. Qui potuit etiam hæc optare sine violatione venerabundæ istius submissionis quæ Divinæ debetur voluntati, non jubenti solum, sed & decernenti: præsertim ubi Deus sapientissimum, justissimum & ἀμεταμέλητον consilium suum revelavit? Optime enim callebat Paulus, & hoc ipso discursu prolixe alios docebat, consilium Divinæ reprobationis; cui quocunque modo contra niti nefas esse declarat. III. Qui potuit hoc optare sine violatione enixissimæ charitatis Deo debitæ? Qui enim Deum, uti par est, amat supra omnia, is ejus communionem arctissimam ex isthoc amore impensissime necessario desiderat: neque videtur illam sine vilipendio Dei alteri cuicunque rei posse postponere. IV. Qui potuit hæc optare sine inversione ordinis quem Deus in nostri & proximi amore observare jussit? Charitatem enim a nobis incipere, & ad proximum transire, non autem proximum supra nosmet ipsos diligere mandavit. Omnium minime, ut æternum alterius salutem nostræ antehabeamus. V. Denique. Qui potuit sui substitutionem pro Judæis optare, sine injuria Christi, cui soli, ob dignitatem personæ & Mediatorii muneris, talis substitutio convenit? Vix quemquam esse reor, cui non de hac re serio cogitanti difficultates istæ in mentem veniant. Cæterum quo pacto solvendæ sunt? Meditemur aliquantulum.

XXXI. Earum solutio generalis.

XXXI. Nunquid omnes unica hac observatione modestis animis, si non prorsus eximantur, saltem plurimum minuuntur, quod in voto hoc eluceat heroïcus excessus, & quasi ecstasis quædam amoris, qui unice in amabile objectum suum intentus, illiusque bonum incredibili ardore desiderans, nunquam sibi in votis suis satisfacit; justo

justo se remissius diligere credens, si sollicita deliberatione singula, an & quatenus fieri queant, expenderet. Anxia illiusmodi deliberatio sedati magis animi est, & modeste amantis, quam hominis extraordinario amoris impetu velut extra se rapti: qualem sese hic repræsentare Paulus videtur. Οἷα τις κόρον οὐκ εἰδὼς ἐραστής, ἀεὶ δὲ νομίζων ἐλαττοῦσθαι τοῦ χρέους, καὶ τὸ λοιπὸν προσφιλονεικῶν ἀναπληρῶσαι, *veluti insatiabilis amator, qui semper citra debiti lineam se consistere credit, & quod deest summo studio implere nititur*, ait *Photius*. Hoc ferme modo Pauli votum concipit præstantissimus Sacrarum Literarum Interpres *Martinus Bucerus*. Votum hoc, inquit, non nisi ex incomparabili dolore de ruina & perditione Israëlis existere potuit. Probavit ergo eo PORTENTOSAM doloris sui magnitudinem, indeque & amoris in istum populum. *Optabam*, vel *orabam*, dicit. Significat, se non perpetuo hoc orasse, verum aliquando; nimirum quum dolor iste ex contemplatione exitii tantæ gentis, quæ etiam Deo chara adeo fuerat, singulariter invaluisset. Tum certe perditionem illorum sui dispendio avertere, & salutem illorum suo exitio redimere in lucro posuisset. *Rapitur si quidem ad impossibilia animus tantis æstibus agitatus.* Et postquam Mosis exemplum cum hoc Pauli contendisset, sic pergit (digna enim viri magni verba existimo, quæ & hic legantur, quoniam graphice heroicos ardentissimæ charitatis raptus delineant.) Sic, inquam, pergit *Bucerus*. Nec vero convenit hic objicere, quod uterque, Moses & Paulus, Deum summe amarint, nec ullius vi creaturæ potuerint ab amore Dei divelli. Haud siquidem tum, quando ista orabant, librabant se inter Deum & res alias, utro inclinarent; sed totum animum habebant defixum in exitio tanti populi: quem quum ex Spiritu Dei diligerent multo vehementissime, nihil aliud in ista mentis ecstasi cogitare poterant, quam si quo pacto possent eripere illos ex æterna eversione & morte. Quare *ut sunt sancti sui ipsorum ad omnia imprimis prodigi*, nihil illis prius occurrit, quam ut Deo sui commutationem pro redemtione populi Israëlitici offerant: quæ commutatio objicit eis, ut quæ sit ipsis permaximi: non quidem quod se ipsos tanti existiment; sed quod beari in Domino sibi merito summum sit cujus dispendium faciant. *Isti excessus sunt charitatis vere flagrantis, qui Deo displicere non possunt, quum ex charitate proveniant, qua Deum delectat unice.* Pauculis interpositis hæc addit: dum scripsit, ηὐχόμην, *orabam*, non εὔχω, *oro*, significavit hanc orationem fuisse nec perpetuam, nec animi in Deo tranquilli, sed extra se rapti, & jam, ex consideratione perditionis hujus tot seculis sancti populi, quique ex omnibus populis orbis solus Dei populus

fuisset, summe afflicti & perturbati. Hactenus *Bucerus*. Temperare mihi non possum, quin profitear vehementer me lectione & exscriptione horum verborum affectum fuisse. Adeo mihi vir sanctus in animum Apostoli videtur penetrasse, & quasi sensum aliquem flagrantissimæ, &, ut optime ait, *portentosæ* illius charitatis in se habuisse, quem vix quisquam vividius repræsentet. Et quamvis asseverare non ausim omnino mihi observatione isthac satis factum esse; (nam non approbo sane quæ de præterito imperfecto notat, ob ea quæ §. XXIV. dicta sunt) persuasus tamen sum, non esse illos idoneos harum rerum æstimatores: qui cogitationes suas longe supra illius quæ plerumque obtinet & laudari solet charitatis teporem extollere non didicerunt. Si quis quodammodo saltem aliquos Divini amoris raptus expertus est, is demum rite cognoscet, omnia sic amantis vota & verba ad vivum resecanda non esse: neque exigenda ad amussim orationis ex composito sedatoque animo proficiscentis.

XXXII. *Specialiter.* XXXII. Non tamen ita Paulum amori suo indulsisse putandum est, ut sapientiæ aut sanctitatis suæ oblitus sit. I. Nihil enim in hoc voto est quod sapientiæ repugnat; quamvis eas in se res comprehendat quæ fieri non possunt. Plerumque enim optantur ea quæ ἐκ τῶν ἀδυνάτων esse persuasissimi sumus, quia seposita consideratione ejus quod fieri potest, optantis animus unice in rei desideratæ bonitatem intentus est. Non est credendum, desipuisse illum qui præteritos sibi annos referri optabat; aut Davidem, dum optabat mortuum se esse pro jam trucidato filio Absolomo. Super omnia exemplum Christi est, optantis, ut, si fieri pote esset, quod tamen pote non esse optime sciebat, calix amarissimæ passionis suæ a se præteriret. II. Neque quidquam voto hoc derogatur submissioni illi qua Divinæ voluntatis decreto acquiescere par est: non magis quam in eam peccavit Christus, dum pro hoc ipso populo, & urbe Hierosolyma, cujus interitum ex Divina voluntate prædicit, votum istud concepit quod Lucas memorat Evangelii Cap. XIX: 42. *Utinam vel tu nosses, hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent!* Non certe Deo displicet, qui pereuntium hominum, & sua quidem culpa pereuntium, miseriam sinceris lacrumis deflet; quamvis cæteroquin sententiæ Dei ut justissimæ subscribat, & in sanctissimo semper supremi arbitri consilio acquiescat. Nam, pro objecti cogitati consideratione varia, varie etiam homines sancti afficiuntur. Quando mentis suæ oculos in suam aliorumve salutem defixos habent, aliter affecti sunt, quam quum decretum Dei, cui omnia cedere oportet, animo ipsorum obversatur. Tunc semper Christi illud obtinet: *non mea*, Pater, *sed*

tua voluntas fiat. Vel alterum istud: *ita, Pater: quia sic placuit tibi.* Pulcherrime *Calvinus*: *Hinc docemur, non impedire obedientiam, quam Dei providentiæ deferimus, quin ad perditorum hominum ruinam ingemiscamus, cui tamen scimus justo Dei judicio destinatos. Potest enim idem animus duplicem hunc affectum recipere; ut quum in Deum respicit, libenter perire sustineat quos perdere ille decrevit; quum ad hominum cogitationem reflexit, eorum malis condolescat.* III. Non præjudicat etiam Pauli votum charitati Deo debitæ. Duabus enim hisce rebus, Dei gloria & sua salute, cum se invicem collatis, potiorem semper piis Divinæ gloriæ quam suæ salutis rationem esse convenit. Ita vero hæc res Apostoli animo obversabatur, plus ad Deum gloriæ redundaturum esse ex integræ gentis Israëliticæ, tot vinculis Deo nexæ, conversione atque salute, quam ex sua privata felicitate. Communio Dei, quatenus nostram absolvit felicitatem, quantumvis in se sit desiderabilis supra omnia quæ nobis bona esse cognoscimus, postponenda tamen esset Divinæ gloriæ, si ea luculentius aliunde illustrari posset. Nulli docto & pio dividiæ erit si elegantissimam *Photii* ratiocinationem ex laudata epistola hic quoque legendam exhibeam. Τὸ δὲ τοιαῦτα καὶ φρονεῖν καὶ λέγειν οὔτε Θεοῦ χωρισμός ἐστιν, οὔτε διάστασις, ἕνωσις δὲ μᾶλλον θαυμασία τις καὶ ὑπερφυὴς, καὶ καινοπρεπεστάτη συνάφεια, καὶ τοῦ πρὸς Θεὸν καὶ ἀνθρώπους ἀπαραβλήτου φίλτρου ἐναργεστάτη παράστασις, καὶ μόνης, ὡς ἀληθῶς, τῆς μακαρίας ἐκείνης καὶ οὐρανίου Παύλου ψυχῆς ἀπαράγραπτον γνώρισμα. *Hæc sentire & dicere non est a Deo separatio; sed mira potius quadam conjunctio, & unio supra naturam innovata; amoris erga Deum & erga homines incomparabilis manifesta exhibitio; insigne quoddam proprium beatæ & cælestis illius Pauli animæ.* IV. Non invertitur etiam dilectionis ordo. Nam sicuti Servator monuit, satius esse ut unum membrum resecetur, quam ut totum corpus pereat; ita Paulus hoc spectavit, melius esse ut de magno corpore servato Deus haberet gloriam, se resecto; quam ut ipse servaretur, & Judæorum universitas, quæ magni corporis instar erat, abjiceretur in gehennam. Non pro uno aliquo Israëlita anathema fieri optat: quum enim omnium hominum æque pretiosa sit anima, nihil omnino lucri in ista permutatione esset, & sic quisque sibi ipsi est proximus. Lucrum autem semper in ejusmodi permutatione spectandum est: unde ne quidem temporalis vita pro altero ponenda, nisi illius vita majoris pretii atque usus sit. De cætero res ipsa loquitur, aliquot millenas animas potiores esse una; & melius esse unum mori, quam totum aliquem populum perire, Joh. XI: 50. V. Denique omnium minime voluit Paulus voto hoc suo injuriam facere unico redemtori

Chri-

Christo, illiusve redemtioni. Nam, uti bene *Coccejus*, aliud est optare fratribus salutem contingere propter se, sive cupere fratribus prodesse, quod Paulus voluit; aliud putare se tanti esse, ut possit fratribus mereri salutem, quod ne per somnium quidem sibi arrogavit. Quibus observationibus difficultates §. XXX. motas non incommode remotas esse arbitror.

XXXIII. *Toti voto subest conditio: si quidem fieri possit.*

XXXIII. Omnibus itaque rite subductis, hæc Apostoli Pauli mens esse videtur: tam immensa & incredibili charitate fratres meos Israëlitas, populum perenni fœdere Deo nexum, prosequor, ut, quando ad eam felicitatem attendo a qua exciderunt, eamque miseriam in quam se præcipitarunt, æternæ meæ salutis dispendio, si quidem id, salvo Dei beneplacito, fieri possit, redemptos cuperem: ut gloria Dei in universi potius populi salute, quam in mea privata luculentissime fulgeret. Prorsus enim subintelligenda esse videtur illa quam monui conditio. Quod & ipsa vox ηὐχόμην *optarim* innuit, uti judiciose observatum a *Photio*. Οὐδὲ γὰρ εἶπεν, εὔχομαι χωρισθῆναι, ἀλλ' ηὐχόμην ἄν. τουτέςιν, εἰ δυνατὸν ἦν, εἰ συνέβαινεν θείῳ πόθῳ πόθον ἔνθεον ἐκνικηθῆναι, εἰ ἔρως θεοπρεπὴ θεσπέσιον ἔρωτα παρευδοκίμει, καὶ τοῦτον ὑπελθεῖν ἠγωνισάμην. *Non enim dixit*, opto separari, *sed* optarem, *hoc est, si possibile esset, si fieri posset, ut desiderium Divinum Divino desiderio vinceretur; si amor decens Deum Divinum amorem transcenderet, hunc ego ut subirem contenderem.* Paulo post. Ηὐχόμην ἄν, εἰ ἐνεδέχετο, εἰ ἐνεχώρει, εἴ τις ἦν ἀπόςασις σωτήριος, Θεοῦ χαριζομένη συνάφειαν, εἴ τις χωρισμὸς συνδέων σφοδρότερον, εἴ τις ἀλλοτρίωσις οἰκειοῦσα τελειότερον. *Optarem, si concederetur, si liceret, si apostasia aliqua salutaris esset, quæ cum Deo conjunctionem procuraret: si qua separatio arctius constringat: si qua alienatio perfectius uniat.*

XXXIV. *Quæstiones duæ.*

XXXIV. Manum nunc possem tollere de tabula, nisi occasione hujus exempli duo restarent, ulteriore inquisitione dignissima: quorum alterum ad proximi, alterum ad Dei amorem pertinet. De illo quæritur, an Pauli exemplum Christianis omnibus pro regula sit, ut & ipsi ex lege charitatis parati esse debeant aliorum æternam salutem suâ, si fieri posset, redimere. De hoc, an purus Dei Divinæque gloriæ amor ita absorbere debeat nostri ipsorum amorem, ut illius intuitu æternam salutem nostram pro re indifferente habeamus, & æque lubenter æternum damnemur quam servemur, modo in nobis glorificetur Dominus. De priori arbitremur prius.

XXXV. *An lege charitatis omnes Christiani*

XXXV. Sunt qui putent, Christianos omnes necessitate quadam Christianæ legis obligatos esse, ut eodem quo Paulus modo circa fratres suos animati, eademque iisdem præstare parati sint. Atque

que isti his potissimum argumentis pugnant. I. Quod illud involvatur communissimæ istius legis amplitudine, quæ proximos ita diligere jubet ut nos ipsos. Ita vero plerumque comparati sumus, ut quoties in summis versamur angustiis ab alio quopiam redimi optemus, etiam cum redimentis dispendio. Quod iniquissimum foret votum, nisi in simili caussa & casu idem libenter susciperemus pro aliis. *Quæcunque igitur volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis, ista enim est lex & Prophetæ, Mat.* VII: 12. II. Accedit expressissimum Johannis dictum 1. Joh. III: 16. *Nos igitur debemus pro fratribus animas deponere.* Cujus officii æquitatem ad naturæ lumen Gentiles quoque agnoverunt. Notum est *Senecæ* illud *Epist.* IX. *In quid amicum paro? ut habeam pro quo mori possim, ut habeam quem in exilium sequar, cujus me morti opponam & impendam.* III. Præcipue urget exemplum Christi. Quisque nostrum ita tenetur diligere proximum, sicut Christus nos dilexit. At Christus ita vitam in cruce posuit, ut non modo a Patre se suo desertum quereretur, sed & exsecratio pro nobis factus sit. Si roges, quis ita hoc exemplum sequatur, ita hanc legem præstet; respondent, fortassis neminem. Neque tamen ea caussa damnari pios. Quod enim nostræ deest justitiæ, id ex perfectissima Domini justitia gratiose nobis imputata compensari. Non tamen idcirco fas esse quicquam remittere de studio hoc mandatum præstandi. Conandum pro viribus, si non successerit, dolendum; conantibus & dolentibus confugiendum ad perfectam Christi justitiam, & immensam Dei misericordiam.

teneantur eodem modo & gradu animati esse erga proximos suos.

XXXVI. Speciose hæc dici fateor, dubitare tamen licet, an æque solide. I. Nulla lege Divina proximi salutem quærere jubemur ante nostram. Quo loco præcipit Apostolus, ut *ne sua quisque spectet, sed etiam ea quæ sunt aliorum*, & ut *idem in nobis affectus sit qui fuit & in Christo Jesu;* eodem loco singulis inculcat, *cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem conficite*, Phil. II: 4, 5, 12. Qui salutis viam ipse ingreditur, ei non opus est optare, ut alius quispiam ejus vice damnationem subeat. Qui vero ad salutem per Christum partam ea quam Evangelium monstrat ratione adspirare susque deque habet, is & ipse improbus est, & scelerate optaret ut homo aliquis pius, abdicata sua cœlestis hæreditatis portione, ipsi eam cederet. Nemini optare licet quæ a ratione & Evangelio adeo sunt aliena. Mandatum vero Domini, ut aliis faciamus, quæ nobis fieri velimus, non nisi de justa sanctaque voluntate intelligendum est. II. Non loquitur Iohannes de æternæ, sed corporalis hujus & periture vitæ dispendio. Eam autem charam habere non oportet, si quidem morte constanter

XXXVI. *Non videtur.*

& ſancte obita, Deum glorificare, Evangelii curſum, fratrumque ſalutem promovere, & grandia ab iis mala averruncare detur. Dici non poteſt, quantum qui ita pro fratribus moritur ſibi ipſi gloriæ ac felicitatis lucretur. Quod ab hac de qua nunc agimus cauſſa prorſus alienum eſt. III. Denique nec Chriſti exemplum ultra quam par eſt urgeri convenit. Præterquam enim quod multa hic fecerit Chriſtus, non præciſe qua *homo*, ex lege communis charitatis, ſed qua *Mediator*, virtute ſingularis ac voluntariæ ſponſionis, quæ non ita trahenda ſunt in exemplum; certe neque voto, neque reipſa, anathema eo ſenſu fuit quem Pauli fuiſſe diſputavimus. Sciebat enim Chriſtus, ſe, poſt graviſſimam quidem, ſed parvi temporis paſſionem, ut principem ſalutis, gloria & honore coronatum iri: quod pacto convento determinatum erat. Ergo ne hoc quidem exemplo evincitur, optandum nobis eſſe, ut aliorum ſalutem noſtri æterna damnatione redimamus. Quid igitur? Singulare hic aliquid in Paulo fuit, heroicum, & hyperbolicum; *extremum votum, in quod*, ut bene *Calvinus*, *confuſo animo erupit*: quod miremur ac ſtupeamus magis, quam ut in iſta ὑπερβολῇ cunctis Chriſtianis in exemplum imitatu neceſſarium proponamus. Atque hæc ad priorem quæſtionem dicta ſunto.

XXXVII. *Myſticæ Theologiæ circa purum Dei amorem ſubtilitas.*

XXXVII. Veniamus ad alteram. Myſticæ quam vocant Theologiæ Profeſſores, de puro ſimplicique Dei amore diſputantes, diſtinguunt duos ſtatus vel gradus diverſos, quorum alterum RESIGNATIONIS vocant, alterum INDIFFERENTIÆ. Per *reſignationem* eo deveniunt ſancti, ut omnem appetitum, omne deſiderium, omnem denique voluntatem, quæ aliquem ad nos ipſos reſpectum habet, ſuperent, eumque ſubmittant voluntati Divinæ, in omnibus omnino rebus, ſine exceptione ulla, ne quidem æternæ ſalutis. In illo amoris Divini ſtatu qui eſt, is quidem revera Deum amat ſupra omnia, & idcirco Deum amat, quia in ſe pulcherrimus & ob infinitas perfectiones ſuas amore digniſſimus eſt; ſed & Deum cum aliquo ad ſe ipſum reſpectu amat, utpote cujus communione queat beari: ſic ut in amore iſto Dei aliqua ſuæ felicitatis conſideratio & appetitus ſit. Sed appetitum iſtum ſubmittit Divinæ voluntati: ſic ut Deo dicat, Ego quidem, Domine mi dilectiſſime, deprehendo in me appetitum beatitudinis in tui communione inveniendæ: at tu ſi malis a tui me communione arcere & damnare, quam tui communione beare, acquieſco prorſus iſti tuæ voluntati, eademque ſubmiſſione excipiam ſententiam damnationis qua exciperem ſententiam æternæ ſalutis. Qiu huc uſque pervenit, quis dubitet quin plurimum in amore Dei profecerit? Cæterum non paullo ſublimior eſt ſtatus *indifferentiæ*. In eo

eo enim nullus superest appetitus qui resignandus sit. Animus sancte indifferens nihil amat intuitu sui ipsius, nihil amat nisi propter voluntatem Dei: caret omni electione, æqualiter dispositus est ad omnia: ne quidem eas res amat quas Deus vult, sed solum voluntatem Dei qua eas vult. Licet quidem desiderare vitam æternam, at non eam ob caussam quod in se desiderabilis sit, quamvis talis revera, sed unice propter voluntatem Dei qua vult nos desiderare vitam æternam. Tales sancti amatores Dei, vident cœlum sibi apertum, vident mille ærumnas in terris, utrumque quoad electionem æque ipsis est indifferens: sola Dei voluntas inclinat animum ad alterutrum. Si scirent sui damnationem aliquantulum Deo gratiorem esse quam salutem, hac relicta ad illam currerent. Hoc fere modo mentem suam suorumque exponit *Franciscus de Salignac Fenelon*, *Archiepiscopus Cameracensis;* in Libro, non suis plus meritis, quam aliorum contradictionibus, & expetito Papæ judicio, ac impetrata denique condemnatione, in Ecclesia Romana celeberrimo. *Art*. v.

XXXVIII. *Non usque quaque Evangelii simplicitati consentanea.*

XXXVIII. Oppido subtilia atque sublimia hæc esse, quis iverit inficias? Dubito tamen an non in metaphysicas abeant otiosorum hominum μετεωρίας, abducantque nos a simplicitate Evangelii, & actuosa praxi sanctæ charitatis erga Deum & nos ipsos. Ego ex Evangelio hæc quæ dicam didici. I. Citra controversiam amandus est Deus propter se ipsum & infinitas suas perfectiones; quæ cum in se amabilissimæ sint, idcirco amandus supra omnia, omnique virium nostrarum intensione. II. Idem amabilissimus Deus bonus etiam est, & beneficus, docuitque nos in Evangelio, hanc esse omnisufficientiæ suæ gloriam, ut possit ac velit Deus & salus peccatorum in ipsum credentium fieri per Christum. Eam omnisufficientiam ac benignitatem Dei summe diligere oportet, quia Dei est. III. Verum, quum Deus, qui nos adeo diligit, non solum permiserit, sed & jusserit, ut & ipsi nos diligamus; æquum, justum ac sanctum est, ut eam Dei omnisufficientem benignitatem amemus cum isto quoque respectu quem ad nos habet, & sub quo nobis tam amabilis proponitur & offertur in Evangelio. IV. Attamen quum in ista omnisufficiente benignitate Dei, qua beamur, duo distincte considerari possint; primo gloria tantæ perfectionis in Deo, deinde felicitas inde redundans in nos, quanto Deus major ac præstantior est homine, & amor Dei prævalere debet præ amore nostri, tanto etiam potior nobis in hac ipsa re esse debet Dei gloria, quam nostra salus. V. Quandoquidem non potest non ad Dei gloriam esse, ut omnes in Christum sincere credentes & Deum sancte amantes per immensitatem omnisufficientis

benignitatis ipsius æternum serventur; ita non potest non contrarium esse gloriæ Dei, ut tales æternum damnentur: absurda, Deo indigna, & contradictoria fictio est, ut homini sincere Deum diligenti proponatur optio, utrum ad honorem Dei servari an damnari malit. Nam hæc est gloria Dei, ut tales serventur; & contra Dei gloriam esset ipsorum damnatio. VI. Sanctus nostri amor purissimo putissimoque Dei amori non repugnat, sed ei subordinatur. Quamobrem non ideo minus Deum diligimus quod & nos ipsos rite atque ordine diligamus. Quando igitur Deus sui communionem, ut summum nostrum bonum, nobis proponit & offert, tenemur illam diligere & desiderare ex principio amoris Dei, qui jussit ut eam oblatam cum summa grati animi alacritate accipiamus; sed & ex principio amoris nostri, eo nos impellentis, ut & propriæ saluti nostræ operemur. Et quum desiderium salutis sanctum sit Deoque gratum, usu venire non potest ut ei renunciandum sit. VII. Indifferentia circa æternam salutem & damnationem prorsus impossibilis est: & si possibilis foret, esset vitiosa, & injuriosa Deo. Nam quum natura hominis ita comparata, & ab ipso Deo creata sit, ut ab eo quod summum sibi malum esse novit insociabiliter abhorreat, & id quod sub summi boni specie sibi obversatur indeclinabiliter appetat, fieri non potest ut voluntas circa tam contraria objecta indifferenter se habeat. At finge indifferenter se habere: tum certe summam injuriam facit Deo, cujus favorem & communionem haud æquo pretio æstimat, & cujus odium & iram non pertimescit. Audio, solam Dei voluntatem esse quæ nostram inclinet ad alterutrum. At hæc perpetua & constans Dei voluntas est, primum naturæ humanæ insita, deinde in Evangelio patefacta, ut homo ratione sua utens nolit esse æternum miser, velit esse æternum beatus. Non vexat Deus dilectos sibi, & diligentes se, absurdis istiusmodi quæstiunculis: fili, si vellem te, adeo nunc me amantem, in æternum amore meo excludere, an isti voluntati meæ tacitus acquiesceres, foretne tibi in indifferenti amor vel odium meum? Apage væsanas absurditates. VIII. Huc denique res omnis redit: Deum propter se ipsum amandum esse super omnia: nosmet ipsos nobis quoque amandos esse sub Deo & in ordine ad Deum: & uti sanctus & bene ordinatus amor nostri nihil derogat purissimo amori Dei; ita Deus nunquam amantes sui inter suam voluntatem & gloriam ab una parte, & ipsorum salutem ab altera, velut ancipites collocat, ut alterutrum ipsis eligendum sit, quum utrumque inseparabiliter junxerit. Hæc simplicitati nostræ sufficiunt, & in horum axiomatum praxi sita est charitas Evangelica.

EXER-

EXERCITATIO III.

Περὶ τοῦ Λόγου.

BREVIARIUM.

I. Exercitationis partitio. II. Paraphrases Chaldaicæ Verbum Dei in significatione personæ Divinæ sæpe usurpant. III. Et a Deo cujus est verbum distinguunt. IV. Ouweni observatio. V. Isaac Aramaus Verbum Dei exponit per Dei nuncium. VI. Notabilis locus ex libro Sapientiæ in eandem mentem. VII. Tria insignia ex Philone. VIII. Alia ex Zoroastre, Orphicis, Heraclito, Platone. IX. Johannis Evangelium a recentioribus Platonicis laudatum. X. Attamen λόγος *Platonis &* λόγος *Johannis plurimum a se invicem distant. XI. Quidquid in veterum Philosophorum locutionibus boni, id ex antiqua traditione est. XII. Quæ in Paraphrastis & Philone aliquanto purior. XIII. Recentiores Platonici quædam ex Evangelio sumta Philosophicis subtilitatibus corruperunt. XIV. Perperam itaque Christianum dogma ex Platonis Schola arcessitur. XV. Perperam statuitur, Johannem Platonis phrases induxisse in Evangelium. XVI. Quippe qui Philosophorum inanes disputationes neque ipse didicit, neque edoctus est a Spiritu S. XVII. Quamvis fieri potuerit, ut altercationes Philosophorum & Gnosticorum, occasionem ipsi præbuerint Divinam veritatem hoc modo explicandi. XVIII. Rem tamen & phrasin habet ex Ps.* XXXIII: 6. *& 2. Sam.* VII: 21. *XIX. Item ex Hag.* II: 4. *XX. Multi Filium* λόγον *nuncupari autumant, in significatione rationis, vel definitionis. XXI. Improbante Beza. XXII. Et Gomaro. XXIII. Satius videtur ad significationem Sermonis attendere: vel quia de Filio locutus est Deus. XXIV. Vel quia Filius ita se habet ad Patrem ut sermo ad loquentem: quippe qui Patrem declaravit. XXV. Et per quem ab ævo locutus est Pater. XXVI. Et qui suo privoque jure verba Dei loquitur. XXVII. Probabile est, in genuina vocis* λόγου *expositione non esse aggreganda ea quæ disparata sunt. XXVIII. Quater Johannes hac voce isto sensu usus est. XXIX.* I. *Joh.* V: 7. *in multis editionibus non invenitur. XXX. In aliis tamen antiquissimis exstitit. XXXI. Pro genuino retinendum est. XXXII. Extrusio ejus Arianis non est imputanda. XXXIII. Quippe iis antiquior. XXXIV. Ipso seculo secundo Hæretici sacrilegas manus injecerunt Scripturæ. XXXV. Ii maxime qui bo-*

stes erant Deitatis Christi. XXXVI. *Qui scelus istud in hanc ipsam Johannis Epistolam variis modis ausi sunt.* XXXVII. *An & alii Christum* λόγον *vocaverint?* XXXVIII. *Videtur id fecisse Lucas.* Evang. I: 2. XXXIX. *Et Act.* xx: 32. XL. *An & Paulus?* Heb. IV: 12. *Rationes affirmantium.* XLI. *Rationes negantium.* XLII. Ἐπίκρισις.

I. Exercitationis partitio.



Dissertaturus περὶ τοῦ λόγου, quo nomine Johannes Apostolus Filium Dei, Sospitatorem generis humani, aliquoties designat, tria mihi capita explicanda sumo. I. Unde denominationem istam Johannes habeat. II. Quid ea importet. III. An Johanni soli ex omnibus Novi Testamenti scriptoribus proprium sit Filium Dei eo nomine insignire.

II. Paraphrases Chaldaicæ Verbum Dei in significatione personæ Divinæ sæpe usurpant.

II. Johannem non esse primum eorum qui Dei Filium λόγον dixerunt, omnes fere consentiunt eruditi. Non desunt qui existiment, hoc ei præcipue nomen arrisisse, quod & multa significatione fœtum, & Judæis pariter ac Græcis suetum gratumque esse sciret. Plerique observant, similem locutionem frequenter occurrere in Paraphrasibus Chaldaicis, quæ veterum Hebræorum Catechesin, & antiquas loquendi formulas exhibent. Quoties de Deo nobiscum loquente, nobis opitulante, vel nobiscum conversante, sermo est, toties fere Targumistæ pro Deo, vel Jehova, substituerunt מימרא *Verbum Jehovæ.* Pro exemplo hæc paucula ex innumeris sunto: Gen. XXI: 20. *Deus fuit cum illo.* Onkelos: *Verbum Domini fuit illi auxilio.* ibid. com. 22. *Deus est tecum.* Onkelos: *Verbum Domini erit tibi subsidio.* Deut. xx: 1. *Ne timeto ab eis: nam Jehova Deus tuus tecum est.* Onkelos: ארי יי אלהיך מימריה בסערך *eo quod Jehova Deus tuus, verbum ejus, auxilio tibi est, quod eduxit te ex terra Ægypti.* Num. XI: 20. *Eo quod reprobastis Jehovam.* Onkelos: *Eo quod fastidivistis verbum Domini, cujus* שכינה *schecina, Divina Majestas habitat in vobis.* Exod. XVI: 8. *Non contra nos murmurationes vestræ, sed contra Jehovam.* Onkelos: *sed contra* מימרא דיי *verbum Jehovæ?* Ubi *Racanatensis* addit: *intentionem esse, quod* שכינה, *sive Divina Majestas apud homines habitans, ita nuncupetur* Deut. XVIII: 19. *Erit autem, ut quisquis non auscultaverit verbis meis, quæ locuturus est in nomine meo, ego reposcam ab illo.* Onkelos: ויהי גברא דילא יקבל לפתגמי די ימלל בשמי מימרי יתבע מניה *Erit autem ut qui non acceperit verba mea quæ loquetur nomine meo, Verbum meum requirat ab ipso.* Infinita sunt similia. Unde colligitur, receptum eo tempore Hebræis fuisse, ut

Deum,

Deum, quatenus cum populo suo agit, Verbum vocaverint; cui ea attribuerunt, quæ non nisi Dei sunt, quod tamen a Deo, cujus est Verbum, aliquo modo distinguunt.

III. Verum quidem est, quod *Fagius, Buxtorfius* uterque, *Hacspanius*, aliique viri eruditissimi pridem observarunt, vocem מימר Chaldæis Interpretibus sæpissime notare *rem ipsam*, cujus dicitur esse verbum: idemque valere quod נפש Hebræorum, עצם Rabbinorum, sensu reciproco: quem nullo pronomine sermo Divinus exhibere potest. Attamen insignia quædam loca exstare videntur, ubi מימר & ipsum Deum significat, & a Deo, cujus est מימר, distinguitur. Memorabile est quod Targum Hierosolymitanum habet ad Deut. XXVI: 17, 18. :יה מימרא דיי אמליכתון עליכון יומא דין למהוי לכון לאלהא ומימרא דיי אמלך עלכו לשמיה לעם חביביא היך סגולת *Verbum Domini Regem constituistis super vos hodie, ut sit vobis in Deum: Verbum etiam Domini constituit se in Regem super vobis nomine suo, ut sitis ipsi populus dilectus, veluti peculium.* Enimvero ita se res habet. Regem sibi constituerunt Israëlitæ, qui & filius Regis est, & cujus populus ac peculium singulari ratione sunt. Adde & aliud ex eadem paraphrasi Hierosolymitana ad Gen. III: 22. ואמר מימרא דיי אלהים הא אדם דברית יתיה יחידי בגו עלמי היך מא דאנא יחידי בשמי מרומא *Et dixit Verbum Domini Dei, Ecce homo quem creavi, unicus est in mundo meo; sicut ego unicus, vel unigenitus, in cælis excelsis.* At clarius est quod invenitur Gen. XX: 3. Ubi textus Hebræus habet: *Et venit Deus ad Abimelech.* Onkelos autem vertit: *Et venit* מימר מן קדם יי *Verbum a facie Dei ad Abimelech.* Quod certe non potest intelligi, & venit ipse Deus a facie Dei. Sic, quum Ps. CX: 1. Targum Jonathanis, testibus *Petro Galatino Lib.* III: *Cap.* XXVIII. & viro doctissimo integerrimoque *Paulo Fagio in Deut.* V. (Targum enim illud typis expressum, quod sciam, non exstat) ita παραφράζει: *dixit Dominus* למימריה *Verbo suo, sede a dextris meis*, nullo modo potest intelligi, dixit Dominus sibi ipsi.

III. *Et a Deo, cujus est verbum, distinguunt.*

IV. Digna memoratu est doctissimi *Ouvveni* observatio *in Proleg. ad Epist. ad Heb. p.* 114. phrasin hanc Chaldaicam primo omnium occurrere in prima apparitione personæ alicujus Divinæ, mox post lapsum hominis. Gen. III: 8. ubi Moses dicit: וישמעו את קול יהוה אלהים מתהלך בגן, quod verti potest, *& audiverunt vocem Jehovæ Dei ambulantem in horto:* ut [illegible] קול *Vox Dei*, significet non λόγον προφορικὸν, sed λόγον οὐσιώδη καὶ ἐνυπόστατον, cujus ambulantis strepitum audivere, antequam articulato sermone eos compellaret: quod demum factum memorat Moses, Cap. V: 9. Sane Chaldæus Paraphrastes hic habet,

IV. *Ouvveni observatio.*

bet, ושמעו ית קל מימרא דיי אלהים מתהלך בגנתא *Et audiverunt vocem verbi Jehovæ Dei ambulantis in horto.* Targum autem Hierosolymitanum versum sequentem ita inchoat. וקרא מימרא דיי אלהים לאדם *Et vocavit verbum Jehovæ Dei Adamum.* Dehinc frequentissimus hujus locutionis usus est, ubi de persona Divina agitur.

V. Isaac Aramæus Verbum Dei exponit per Dei nuncium.

V. At nihil illustrius esse potest Rabbi *Isaaci Aramæi* verbis, a *Paulo Fagio* allatis, *ad Deut.* v: si modo illa veterum & phrases & sententiam ex vero nobis repræsentent. Scripsit *Isaacus* iste commentarios in librum Mosis quartum: quibus titulus est *Sacrificium Isaac.* Ex iis *Fagius* excerpsit hæc sequentia, Latine a se reddita: *Psaltes dicit:* Mittet Verbum suum & sanabit eos, & eripiet eos de plagis eorum. Ps. CVII: 20. *Dixit R. Samuel Levita,* דבר הוא שלוחו VERBUM DEI EST NUNCIUS, *sive* ORATOR EJUS. *De quo scriptum est:* Profecto tale est Verbum meum qualis est ignis, dixit Deus. Jer. XXIII: 29. *Et hoc est quod dictum est,* Veniet Verbum tuum, & honorificabimus te. כשיבוא דבר אלהים אשר הוא שלוחו *Utique quum veniet* VERBUM DEI, *quod est* NUNCIUS *ipsius, tunc honorabimus eum. Dixit R. Saul: nonne venerunt Prophetæ, & occidimus eos, fundimusque sanguinem illorum; quomodo nunc accipiemus Verbum ejus, aut quam ob rem credemus ei? Respondit ei Rabbi Samuel: quoniam sanabit eos, & liberabit eos a plagis eorum: propter hæc, inquam, signa credemus ei, & honorem ei habebimus. Dixit ei: quare, precor, non dixit,* Mittet Verbum suum, & sanabit vos, *sed sanabit* ILLOS? Ps. CVII: 20. *Respondit, hoc ideo est, ut ego sentio, quoniam loquebatur de parte, de aliquibus duntaxat, non de omnibus: quod signatur scilicet secundum proprietatem Hebræi sermonis in dictione,* illos. *Dixit illi: verum certe dicis. Nam Verbum ejus venit sanare omnes; non aliquos, neque in parte: verum non fuit receptum, nisi ab aliquibus particularibus, qui censebantur inter omnes crassioris ingenii, viri piscatores, exercentesque se in mari.* Hæc *Isaac Aramæus* ex versione *Fagii.* Oppido mirum est, ex calamo hominis Judæi talia esse profecta. Ego, omissis cæteris, hoc tantum nunc observari volo, veteres, quando in Sacris Verbum Domini legerunt, id Messiæ applicuisse: etiam tum fortassis, quando non debebant. Unde nihil novi fecit Johannes, nihil dixit quod popularium suorum aures offenderet, quando & ipse Messiam λόγον sive Verbum nuncupavit.

VI. Notabilis locus ex libro Sapientiæ in eandem mentem.

VI. Verum non Hebræi solum, sua aut Chaldæa lingua loquentes, ita instituerunt; sed & Hellenistæ. Auctor Libri *Sapientiæ Salomonis*, quem nonnulli *Philonem* esse volunt, alii *Philone* longe antiquiorem, Cap. XVIII: 15. hæc habet: Ὁ παντοδύναμός σου λόγος, ἀπ'

οὐρα-

ὐρανῶν, ἐκ θρόνων βασιλειῶν, ἀπότομος πολεμιστὴς, εἰς μέσον τῆς ὀλεθρίας ἥλατο γῆς. Omnipotens Verbum Tuum, *a cælis, ex thronis regalibus, asper bellator, in medium terræ exitio destinatæ desiliit.*

VII. Tria insignia ex Philone.

VII. Apud *Philonem* ejus generis occurrunt plurima. Taceo quæ ex *Platone* sumsit, de quibus mox commodior erit dicendi occasio: ex suæ religionis principiis multa habet, quæ nostro plus serviunt instituto. In libro *de Agricultura, p.* 195. *editionis Parisiensis* 1640. scribit, Verbum, primogenitum Dei filium, gubernationi mundi a Deo esse præfectum. Προστησάμενος τὸν ὀρθὸν αὐτῦ λόγον, πρωτόγονον υἱόν. ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης ἀγέλης, διά τις μεγάλυ βασιλέως ὕπαρχος, διαδέξεται. καὶ γὰρ εἴρηταί πυ. Ἰδὺ ἐγώ εἰμι, ἀποστελῶ ἄγγελόν μυ εἰς πρόσωπόν συ τῦ φυλάξαι σε ἐν τῇ ὁδῷ. *Præfecto his* Recto Sermone, Primogenito Filio, *qui curam sacri hujus gregis tanquam magni Regis Prorex in se recipiat. Dictum enim est alicubi: Ecce ego sum: mittam Angelum meum ante faciem tuam ut custodiat te in via.* Exod. XXIII: 20. Ecce, sermonem, qui idem sit Filius primogenitus, magni Patris Prorex, & Angelus ille in cujus medio nomen Dei est. Adde & hoc ex *Libro de profugis p.* 466. ubi allegorice exponens reditum eorum qui involuntariæ cædis rei erant, mortuo Pontifice, sic loquitur: λέγομεν τὸν ἀρχιερέα ὐκ ἄνθρωπον, ἀλλὰ θεῖον λόγον εἶναι, πάντων ὐχ ἑκυσίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀκυσίων ἀδικημάτων ἀμέτοχον. *Hæc est nostra sententia,* Pontificem hunc *non hominem, sed* Dei Verbum *esse; quod expers est peccatorum omnium, non solum spontaneorum, sed & involuntariorum.* Mox addit, Pontificem hunc *Patrem* habere *Deum, Matrem Sapientiam, per quem quidquid est in lucem prodiit:* καὶ διότι τὴν κεφαλὴν κέχρισται ἐλαίῳ. *Et ideo caput ejus unctum est oleo.* En rursus τὸν λόγον, qui Pontifex sit, omnis vitii expers, Patrem habens Deum, & unctus oleo. Quis ille, nisi Messias, ὁ Χριστός? Jungamus & tertium ex libro de *Confus. Ling. p.* 341. Κἂν μηδέπω μέντοι τυγχάνῃ τὶς ἀξιόχρεως ὢν υἱὸς Θεῦ προσαγορεύεσθαι, σπυδαζέ κοσμεῖσθαι κατὰ τὸν πρωτόγονον αὐτῦ λόγον, ἄγγελον πρεσβύτατον, ὡς ἀρχάγγελον πολυώνυμον ὑπάρχοντα. Καὶ γὰρ ἀρχὴ, καὶ ὄνομα Θεῦ, καὶ λόγος, καὶ ὁ κατ' εἰκόνα ἄνθρωπος, καὶ ὁρῶν Ἰσραὴλ προσαγορεύεται. *Quod si nondum quisquam est dignus ut Dei filius appelletur, tu tamen da operam ut ornatus sis sicut* Verbum ipsius primogenitum, *Angelus antiquissimus, & quidem variarum appellationum Archangelus: videlicet principium, nomen Dei, & Verbum dictus, & homo factus ad imaginem, & videns ille Israël.* Mox subdit: καὶ γὰρ εἰ μήπω ἱκανοὶ θεῦ παῖδες νομίζεσθαι γεγόναμεν, ἀλλά τοι τῆς ἀϊδίυ εἰκόνος αὐτῦ, λόγυ τῦ ἱερωτάτυ. Θεῦ γὰρ εἰκὼν, λόγος ὁ πρεσβύτατος. *Nam si nondum idonei simus ut nominemur Dei filii, simus saltem Verbi istius sacratissimi, quod ejus sempiterna imago est.*

est. Imago enim Dei est Verbum illud antiquissimum. Neque multum abludit, quod eodem habet libro. Εὐπρεπὲς γὰρ τοῖς ἑταιρίαν πρὸς ἐπιστήμην θεμένοις ἐφίεσθαι μὲν τοῦ τὸ ὂν ἰδεῖν, εἰ δὲ μὴ δύναιντο, τὴν γοῦν εἰκόνα αὐτοῦ, τὸν ἱερότατον Λόγον. *Decet eos qui cum scientia societatem inierunt, ejus quod* EST *videndi desiderio teneri, aut si minus id possint, ejus saltem imaginis, quod est Sacratissimum Verbum.* Vid. *Euseb. Præp. Evang. Lib.* XI: *C.* XV. *p.* 533. Plura me id genus apud *Philonem* legisse memini: sed non occurrit nunc locus. Et quid opus est plura congerere, quum hæc sufficiant ad ostendendum, quomodo Judæi, tam Hebraizantes, quam Hellenistæ, tempore Johannis, de Verbo Dei philosophati sint.

VIII. *Alia ex Zoroastre, Orphicis, Heraclito, Platone.*

VIII. Nec Judæi tantum. *Zoroastris* sectatores non absimilia sunt locuti. *Thomas Stanleius* Anglice edidit Historiam Philosophiæ Orientalis, quam Latino sermone transtulit *Johannes Clericus.* Ejus historiæ Liber IV. complectitur Chaldaica *Zoroastris* oracula, at Græcis versibus: in quibus pro Λόγῳ frequenter Νοῦν dicit. Uti vers. 27, 28.

Πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε Πατὴρ, καὶ Νῷ παρέδωκε
Δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κληΐζεται ἔθνεα ἀνδρῶν.
Cuncta enim perfecit Pater, & Menti tradidit
Secundæ, quam primam vocant gentes hominum.

Mens illa vers. 30. vocatur πατρογενὲς φάος *Patre genita lux.* Alii ex veteribus Chaldæorum libris citant: Ἐξ οὗ λόγου καὶ ἥλιος καὶ σελήνη *ex quo* VERBO *& sol est & luna.* Hinc sua sumsit *Orphicorum* scriptor.

Εἰς λόγον δὲ θεῖον σκέψας, τούτῳ προσέδρευε.
In DEI VERBUM *adspiciens, huic adsis semper.*

Alibi αὐδὴν *Vocem* dixit.

Αὐδὴν ὁρκίζω σε Πατρὸς τὴν φθέγξατο πρώτης
Ἡνίκα κόσμον ἅπαντα ἑαῖς στηρίξατο βουλαῖς.
Vocem adjuro te Patris quam protulit primam,
Quum mundum universum consiliis suis firmavit.

Hunc secuti *Heraclitus*, apud quem hoc nomen eo sensu exstare, observatum ab *Amelio*; & *Zeno*, laudatus a *Tertulliano* & *Lactantio. Tertulliani* verba sunt in *Libro adversus gentes*: *Apud vestros quoque sapientes* λόγον, *id est sermonem atque rationem, constat artificem videri universitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit.* Stoicorum mentem sic exponit *Diogenes Laertius Lib.* VII. §. 134. Δοκεῖ αὐτοῖς ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον. τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἄποιον οὐσίαν τὴν ὕλην. τὸ δὲ ποιοῦν τὸν ἐν αὐτῇ λόγον θεόν. τοῦτον γὰρ ὄντα ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἕκαστα. *Videtur autem illis esse duo rerum omnium principia, faciens videlicet ac patiens*

patiens. Quod igitur patitur materiam esse, sine qualitate substantiam: quod autem faciat, RATIONEM *in ipsa esse Deum. Hunc enim, quippe sempiternum, per ipsam omnem singula creare.* Vide *Menagii Observationes ad h. l.* & *Lipsium de Physiol. Stoica Lib.* I. *Dissert.* IV. *Seneca* Stoicos sequens, *Rationem facientem vocat. Epist* LXV. Vide *Grot. ad Joh.* I. At apud neminem Antiquorum sæpius hanc vocem invenias, quam apud *Platonem* & interpretes ejus, adeo prolixe, adeo subtiliter philosophantes, adeo ænigmatice loquentes, ut nesciat lector, in quo orbe versetur. Cujus philosophationis specimina aliqua exhibuit *Euseb. Præp. Evang. Lib.* XI: *Cap.* XVII. XVIII. XIX. *Mornæus De Relig. Christ. Lib.* I. *Cap.* V. & nuperrime *Huetius Alnetan. Quæst. Lib.* II. *Cap.* III. Memoratu dignissimum est, quod ex *Platone* excerpsit *Eusebius Præpar. Evang. Lib.* XI. *Cap.* XVI. ubi beatitudo in admiratione & studio τοῦ λόγου constituitur. At ipsa *Platonis* ex *Epimenide* verba audiamus: Καὶ τιμὰς ἀποδιδῶμεν, μὴ τῷ μὲν ἐνιαυτὸν, τῷ δὲ μῆνα, τοῖς δὲ (ἡμέρας) μήτε τινα μοῖραν τάττωμεν, μήτε τινα χρόνον, ἐν ᾧ διεξέρχεται τὸν αὐτοῦ πόλον, συναποτελῶν κόσμον, ὃν ἔταξε Λόγος ὁ πάντων θειότατος. ὃν ὁ μὲν εὐδαίμων πρῶτον μὲν ἐθαύμασεν, ἔπειτα δὲ ἔρωτα ἔσχε τοῦ καταμαθεῖν ὁπόσα θνητῇ φύσει δυνατά. *Et honores*, inquit, *habeamus: sic tamen, ut non jam annum alteri, alteri mensem, dies aliis tribuamus, aut ullum omnino tempus, quo suam quilibet conversionem absolvat, dum ad mundi, quem Verbum longe omnium Divinissimum conformavit, perfectionem ipse concurrit.* QUOD QUIDEM VERBUM, QUISQUIS BEATUS EST, PRIMUM ADMIRARI, TUM EJUSDEM, QUATENUS MORTALI NATURÆ FAS EST, COGNOSCENDI AMORE AC STUDIO TENERI SOLET.

IX. Quorsum hæc omnia? Dicendumne ergo est, veteres istos eandem propemodum quam Christianismus docet de Filio Dei fovisse opinionem, & Johannem ab iis suas mysticas istas loquendi formulas mutuatum esse? Non desunt ex Christianis, emunctæ etiam naris scriptores, qui ita opinentur. Ii quos modo laudavi viri eruditissimi, secuti *Clementem Alexandrinum, Eusebium, Cyrillum*, aliosque quamplurimos, omni ope nisi sunt ut probarent, priscam Philosophiam sanctissimam personarum Trinitatem agnovisse & professam esse; inque ea re invenire se putant Christianæ veritatis certissimum argumentum. Et sane reperias hic οὐσίαν, ὑποστάσεις, aliaque vocabula nostræ professioni sueta: immo, quod mireris, ipsum τὸ ὁμοούσιον. Reperias, Deum Filium, sive Mentem, a Deo Patre, cui tribuitur *Boni* cognomen, genitum esse ante tempora, modo quodam qui ab hominibus comprehendi non possit; per se constare ipsum, atque

IX. Johannis Evangelium a recentioribus Platonicis laudatum.

esse rerum omnium, omnisque pulchritudinis fontem. Reperias a recentioribus Platonicis, Magistri sui mentem operosius explicantibus, Johannis Evangelium eo nomine laudatum, quod cum *Platonis* dictatis optime consentiret. *Amelius* in *Plotini* Schola eductus, *per Verbum omnia condita esse* scribit, idque ex sententia *Heracliti* & sua: idemque esse Verbum hoc atque illud, quod *Barbarus* ille (sic Johannem Evangelistam indigitat) in principii ordine & dignitate constitutum, apud Deum esse, & Deum esse, dictavit, per quem omnia simpliciter facta sint; atque id Verbum delapsum esse in corpora, indutaque carne humanam speciem tulisse, &c. *Euseb. Præpar. Evang. Lib.* XI. *Cap.* XIX. Ex Mediolanensi Episcopo *Simpliciano* sæpe se audivisse narrat *Augustinus*, *De Civ. Dei Lib.* X. *Cap.* XXIX. *quendam ex Platonicis dixisse, aureis literis describendum esse Evangelii Johannis initium, & in conspicuis Ecclesiarum omnium locis proponendum.*

X. Attamen λόγος Platonis & λόγος Johannis plurimum a se invicem distant.

X. Verum quidquid nostræ sectæ homines antiquorum Philosophorum locutiones sint admirati; quidquid in eorum sententia exsultaverint; quidquid etiam recentiores Platonici Johannis Evangelium laudaverint, mea tamen sic est ratio, & sic animum induco meum, sub verborum similitudine dissimillimum latere sensum. Ut neque nostri Platonicorum sententiam approbare debeant, neque Platonici approbaverint sententiam Evangelii. Qui *Platonem* ipsum, ejusque commentatores, *Plotinum*, *Numenium*, *Amelium*, aliosque attentius legerit, facile deprehendet, eos intricatos & confusos de Deo conceptus habuisse, & quos habebant, ænigmatico dicendi genere expressisse; ut liquido appareat, ne ipsos quidem quid dicerent intellexisse: nedum ut alii systema quoddam bene cohærentium cogitationum inde formare queant. At neque recentiores Platonici intellexerunt mentem Evangelii: quam suis eos subtilitatibus corrupisse, & ad præconceptas opiniones pessimo exemplo torsisse, ex laudato nuper *Amelii* dicto copiose probavit *Christianus Schotanus*, *Triumph. Script. Lib.* III. *Cap.* VII. Certe, quod ad nostrum nunc institutum maxime facit, λόγος Platonis, & λόγος Johannis, toto cœlo distant. Secundum Platonem λόγος est Dei de mundo condendo idea, quæ fabricata est ante hunc mundum, & exemplar mundi adspectabilis, a quo & mensuretur, Deo inferior, minor, junior, nec Deus, sed, qui ab intellectu Divino formatus, Dei filius, mundi anima, ipse mundus. Quid hæc ad eum λόγον quem describit Johannes? Non pigebit appingere quæ notavit *Petavius*, *Theolog. Dogmat. T.* II. *De Trin. Lib.* I. *Cap.* I. §. 2. *Ac longius sane disputando Plato provectus, ejusque discipuli, speciem quandam Trinitatis informarunt: quo etiam nomine*

mine nostrorum aliqui supra modum illos admirantur ac prædicant. Sed profecto majore flagitio, ac dispendio veritatis, quam operæ pretio, istud illorum dogma prodiisse mihi videtur: neque ulla ex re gravior Christianæ fidei noxa, ac pernicies importata fuisse. Ut perinde eos facere putem qui Platonicos deosculantur, quod larvam nescio quam personarum trium adumbraverint; ac si quis poëtas, & profanæ superstitionis, idolorumque buccinatores impense collaudet; quod in Jove, Neptuno, ac turpioribus etiam Deorum portentis, divinitatis utcunque nomen majestatemque commendent. Etenim quidquid hæreseon, opinionumque falsarum primis illis Ecclesiæ temporibus emersit, ac præsertim Ariana tota perfidia, ex illo Platonicorum commento caussam & originem accepit. Adde ex Cap. II. §. 2. *Talibus de Filio Dei præconiis Arianorum Philo perfidiam armavit. Neque quibusdam e nostris*, id est Catholicis, *assentiri possum, qui & hujus, & aliorum, maxime Gentilium, ejusmodi scita, quæ de Divinis personis utcunque aliquid tinniunt, cupide deosculantur, atque ad Christiani integritatem dogmatis accommodare student, labe omni erroris, atque invidia, fuco quodam falsæ ac violentæ interpretationis obducta. Qui quidem merito in Photii reprehensionem incidunt: Codic.* CLXX. *qui nostrorum ait aliquos ea, quæ plurimum distant & abhorrent, eniti ad religionis nostræ, quæ nequaquam indiga, sed sola sincera est ac vera, comprobationem, per vim applicare, eaque conciliare cum nostris, a quibus magis differunt quam a luce tenebræ.* Hæc *Petavius.* Nec abludit *Cavius* in *vita Athanasii. Sect.* I. §. VI. ubi in lemmate marginali laudat clarissimum virum D. *Cudvvorth*, de Platonicorum trinitate plenissime & doctissime disserentem *Lib.* I. *de System. Univers. Cap.* IV. *p.* 551. *&c.*

XI. Si meam mihi mentem exponere liceat, sic sentio: Deum antiquitus semetipsum Patriarchis patefecisse, ut qui unus quidem Deus foret, at in quo plures simul distinguendi essent, quibus eadem competerent opera, eadem etiam deberetur veneratio & cultus. Id simplicissimis expositum est verbis, sicut eorum seculorum ruditas ferebat. Quod & tantæ dignitatis mysterio convenientissimum fuit. Ejusce rei exempla in antiquissimis Religionis nostræ monumentis exstant. Patriarchas arcanam istam de Deo doctrinam posteris suis, prout eorum captus erat, diligenter inculcasse ut credamus jubet ipsorum pietas. Hinc semina tam momentosæ veritatis, late sparsa, quasdam germinum suorum pullulationes in iis quoque reliquerunt pectoribus, quæ superstitio & idololatria pridem invaserant. Non solet autem humanum ingenium simplici veritate, præsertim in rebus Divinis, esse contentum: maxime si quæ abstruosiora & remotiora a communi sensu olim revelata fuerint. Ea tum subtilitate commen-

XI. Quidquid in veterum Philosophorum locutionibus boni, id ex antiqua traditione est.

torum suorum dum exornare se putat ingenita superstitiosis mentibus δοκησισοφία, misere corrumpit. Inde deduco quæ ex vetustissimis Chaldæis proferuntur, & apud *Platonem* inveniuntur, aliquam, verbis saltem, consonantiam habentia cum doctrina Ecclesiæ. Paullo enim remotiora a ratione esse videntur, quam ut ejus inventioni adscribenda sint. Itaque quum *Plato*, illiusque discipuli, imo ipse *Aristoteles* de Deo, de creatione, & similibus arcanioris Philosophiæ mysteriis loquuntur, antiquorum dogma, & majorum per manus traditam fidem, lubenter in testimonium adducunt, tanquam solidissimum in iis quæ hominem excedunt argumentum, & demonstrationi proximum: quod his verbis fere exprimunt: ὥσπερ ὁ παλαιὸς λόγος, ὡς οἱ παλαιότατοι λόγοι, ὥς φασιν οἱ ἀρχαῖοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι: quæ frequenter lectori occurrunt.

XII. Quæ in Paraphrastis & Philone aliquanto purior.

XII. Hebræorum Magistros sua ex Mose, Prophetis, & majorum κατηχήσει habere, palam est. Fuitque cœlestis hæc veritas sacris ipsorum voluminibus sufficienter expressa. Sed, quod Jesaias aliique Prophetæ futurum prædixerant, incredibilis mentis cæcitas, & spississima caligo, toti fere Hebræorum nationi, præsertim Christi ætate, incumbit: unde factum est, ut rectam de Divinis personis, & nominatim de Messia Filio Dei, sententiam, si non penitus amiserint, certe indistincte admodum conceperint. *Philonis* argutationes περὶ τοῦ λόγου, Platonicis subtilitatibus plurimum corruptæ, a simplicitate veteris Hebraismi valde degeneraverunt. Quæ major est in Paraphrasi *Onkelosi*. Kabbalistæ, prorsus ut Platonici, gryphos loquuntur, quos nemo intelligat. Nonnulla tamen retinuerunt ex doctrina & phrasibus veterum: quæ præclari quondam ædificii veluti rudera sunt; in Evangelio recollecta, & Prophetarum fundamento superstructa, ac in augustissimi sapientiæ Templi formam feliciter rursus assurgentia.

XIII. Recentiores Platonici quædam ex Evangelio sumpta Philosophicis subtilitatibus corruperunt.

XIII. De recentioribus Platonicis, qui post publicatum vixerunt Evangelium, *Numenio*, inquam, *Porphyrio*, *Pamelio*, *Hierocle*, & similibus, ita fere arbitror, uti *Lucas Holstenius*, qui in hanc rem in *opere de vita & scriptis Porphyrii* ita disserit: *Isti*, inquit, *quum Divinæ veritatis gustum ex sacris literis, & nascentis Ecclesiæ doctoribus, aut præceptorum Christianorum ore, percepissent, purissimos veritatis rivulos in Pythagoræ & Platonis derivarunt lacunas: & igniculos Divinæ lucis mendaciorum fumo ac tenebris obscurarunt.* Qui secuti sunt instauratæ Academiæ Professores, homines Asiatici, *Syrianus*, *Proclus*, *Marinus*, *Isidorus*, *Damascius*, non contenti luxuriantis ingenii argutiis, magnam veterum opinionum farraginem commentis iterum admiscuerunt;

runt; & dum, crescentis longe lateque Christianismi æmulatione, Platonicam Theologiam phaleris nimium exornare studerent, veritatem, paullo ante *Ammonii* operâ in lucem retractam, πολυλογίᾳ καὶ ἀλλοτρίων δογμάτων ἱστορίᾳ rursus obruerunt. Hinc putat effectum, ut in posteriorum Platonicorum scriptis, præsertim *Plotini*, *Jamblichi* & *Procli*, *tam multa passim reperiantur, quæ non ex obviis & communibus quibusdam religionis nostræ dogmatibus, sed ex intimis & reconditissimis mysticæ Theologiæ penetralibus videntur depromta; neque ea obiter tantum strictimque verbis adumbrata, sed proprio & efficacissimo orationis genere adeo luculenter ab iis expressa, ut magnis ingeniis non levem dubitandi materiem præbuerint; alios in eum impulerint errorem, ut quæ apud vetustissimos Ecclesiæ scriptores Divina prorsus in hoc genere exstant, ea, inverso ordine, à Platonicis mutuata, & velut Ægyptiorum spolia in pios usus conversa assererent, atque isto etiam argumento præclarissimorum operum fidem auctoritatemque convellere aggrederentur.* Hæc *Holstenius*.

XIV. Perperam itaque Christianum dogma ex Platonis Schola arcessitur.

XIV. Equidem non dubito, quin Theologi Apostolorum seculo posteriores, illi præcipue qui ex *Platonis* schola veniebant, simplicitatem Christiani dogmatis philosophematum suorum mistura corruperint; in quo optandum esset ut fuerint aliquanto parciores: sed ipsam doctrinam a philosophis excogitatam, indeque in Christianismum invectam esse, quod Sociniani contendunt, id enimvero nequaquam censeo admittendum.

XV. Perperam statuitur, Johannem Platonis phrases induxisse in Evangelium.

XV. Uti nec illud, quod Johannes locutiones suas a Platonicis philosophis mutuatus sit. De qua re operæ pretium est audire quomodo nuperus scriptor disputet. Judæi, inquit, in Ægypto & Syria viventes, tempore Christi & Apostolorum, imbuti erant philosophiæ Platonicæ opinionibus: quas eo facilius admittebant, quod crederent ita se religionem suam felicius posse tueri, eamque Gentilibus probabiliorem efficere. Atque hinc fortassis est, ut & alii viri docti observarunt, quod multæ phrases Platonicæ in Novo Testamento, & præcipue in Evangelio Johannis, inveniantur. Quod ubi illustrasset parallelismo quodam dictorum Philonis & Christi apud Johannem, sic pergit: *Plura id genus phrasium Platonicarum exempla in N. T. assignari possent: at sufficerit hic animadvertisse, quod Apostoli Jesu Christo ea Veteris Testamenti dicta applicent, quæ Philo applicuit* τῷ Λόγῳ: *& quod Philosophus iste Judæus* τὸν Λόγον *iis plerumque exornet titulis, quos Apostoli attribuunt Jesu Christo.* Vide *Bibliot. Universel. Tom.* x. *p.* 400. *&c.* Imprimis *Clerici Animadverf. ad Cap.* 1. *Joh.*

XVI. Quippe qui philosophorum

XVI. Hæc mihi πονηροῦ κόμματος esse videntur. Et mirum, ni non Apostoli solum, sed & Christus ipse, ex hac sententia, a Platonicis

inanes disputationes neque ipse didicit neque edoctus est a Spiritu S.

tonicis didicerint, quomodo sibi de rebus Divinis loquendum esset; eorum saltem hominum phrasibus prædicationes suas Evangelicas exornaverint. Dicam quod res est. Apostoli munifica Spiritus Sancti virtute locupletati, ab omnibus iis rebus abunde instructi fuere quibus ad Evangelii doctrinam propagandam indigebant. Sed uti ad eam rem non requirebatur philosophicorum commentariorum peritia; ita nec ei studio incubuerunt, neque eas argutias a Spiritu Sancto edocti sunt. Nam *oratio ipsorum & præconium versari non debuit in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spirituali & potente. Ne fides nostra consisteret in sapientia hominum, sed in potentia Dei.* 1. Cor. II. II: 4, 5. Nominatim autem de Johanne apposite notavit *Grotius*, quod Bethsaidensis piscatoris filius, piscator Legem quidem discere potuerit puer, ut mos erat Hebræis, cæterum nulla tinctus fuerit aut Hebraica aut Græca literatura: nisi si quid utriusque hauserit jam major natu in Asia. Quare quidquid ei ad Apostolici muneris functionem necessarium fuit, supplevit Spiritus Sanctus; qui idem in rebus non necessariis solet ea relinquere cuique quæ ei sunt propria. Hinc fit, ut supra alios Apostolos magna sit in Johannis dictione simplicitas, procul a phaleris Platonicis. Et quæ ei dictavit Spiritus Sanctus, ea non ex Philosophorum Schola, sed ex Mosis & Prophetarum potius desumta sunt voluminibus.

XVII. *Quamvis fieri potuerit, ut altercationes philosophorum, & Gnosticorum, occasionem ipsi præbuerint Divinam veritatem hoc modo explicandi.*

XVII. Fieri interim potuisse non diffiteor, ut in Asia degens aliquid de philosophorum altercationibus περὶ τῦ Λόγυ inaudiverit; præsertim si jam tum, quod quidam opinantur, in Ecclesiam Christianam irrepserint nescio qui Gnostici, ex Cabbala Judaica, & *Pythagoræ Platonisque* schola, philosophiam miscentes simplicitati Christianæ, de emanationibus Divinis, earumque syzygiis & pleromatis, non ex Dei Spiritu, sed ex suis commentis, quæ vellent populo venditantes. His omnibus, Cabbalistis, Pythagoricis, Platonicis, Gnosticis, & si qui alii inutilibus istis subtilitatibus sibi placebant, Divinam Evangelii simplicitatem opponit Johannes; docens unum Jesum Christum esse τὸν Λόγον, qui & apud Deum sit, & Deus ipse, & per quem omnia facta sint, qui homo factus sospitator sit generis humani.

XVIII. *Rem tamen & phrasin habet ex Ps. XXXIII. 6. & 2 Sam. VII. 21.*

XVIII. Neque anxie quærendum est, unde hanc τῦ Λόγυ denominationem Johannes habeat. Non habet eam a *Zoroastre*, *Pythagora*, *Platone*; non habet a Paraphrastis Chaldaicis, aut Cabbalistis Hebraicis: habet a Spiritu Sancto, habet ex scriptis Propheticis. Hoc ipsi, hoc Evangelio, hoc universæ religioni Christianæ longe gloriosius, & ad fidem nostram firmandam multo fortius est,

quam

quam si de humana & philosophica mystici nominis origine cogitemus. David olim cecinit Psal. XXXIII: 6. VERBO *Jehovæ cœli facti sunt, & Spiritu oris ipsius omnis exercitus eorum.* Quid melius, aut quem melius per *Verbum* intelligemus, quam eundem illum Dei Filium, quem Johannes quoque *Verbum* nominat, & per quem omnia condita esse testatur, & sine quo nihil factum est. Conf. Col. I: 16. Heb. I: 2. Idem David, Deo pro insignibus promissis suis gratias agens, sic fatur: 2. Sam. VII: 21. *Propter* VERBUM TUUM, *& secundum animum tuum, præstas has omnes res maximas, notas faciendo servo tuo.* Idem 1. Chr. XVII: 19, sic exprimitur, *propter* SERVUM TUUM, &c. Quidni hæc duo ita conferamus, ut qui in Chronicorum libris *Servus* Dei appellatur, idem in iis qui Samuelis dicuntur *Verbum* Dei nominetur; Servus autem Dei κατ' ἐξοχὴν Messias est. Jes. XLI: 1. XLIX: 5. Hujus intuitu Deus Davidi, & omni populo benefacit. Ps. LXXX: 15, 16. Sui autem ipsius considerationem a caussis tantæ benignitatis ac beneficentiæ David prorsus removet & hic vers. 20. & Cap. XXIII: 5.

XIX. Memorabile imprimis est, quod Hag. II: 4, 5. Zorobabeli Principi, & Josuæ Sacerdoti maximo, & populo denique universo dicit Deus: *Vobiscum sum, dicit Jehova exercituum, cum* VERBO, *quo pepigeram,* vel *de quo pepigeram, vobiscum, exeuntibus vobis ex Ægypto, & cum Spiritu meo stante in medio vestri.* Tota sermonis series docet, nihil convenientius esse quam ut Verbum hic exponamus ὑποστατικῶς, quemadmodum Jehova cujus est Verbum, & Spiritus Jehovæ ὑποστάσεις sunt. Ut enim abundantissimam consolationem ex gratiosa Dei præsentia haberent, promittit Jehova Pater se cum Verbo, Filio nimirum, & Spiritu suo, hoc est tota, ut ita loquar, Deitatis plenitudine, iis adfuturum. Et sane Filius est Verbum illud, אשר כרת Deus egredientibus ipsis ex Ægypto. Verti id potest bifariam, vel *in quo pepigit*, vel *de quo pepigit.* Ut Johan. I: 46. ὃν ἔγραψε Μωσῆς, *de quo scripsit Moses.* Et Exod. XXXIII: 1. *In terram* אשר נשבעתי *de qua juravi.* Si priorem interpretationem eligamus, denotabitur Verbum illud quo mediante Deus cum Israëlitis Ægypto exituris pepigit. Hoc autem est Angelus ille qui Mosi apparuit in rubo, & qui semetipsum Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi nuncupavit. Exod. III: 2, 6. & cujus benevolentiam, uti omnis benedictionis fontem laudat Moses Deut. XXXIII: 16. Sin posterior explicatio magis arrideat, significabitur Verbum illud quod se ad populum suum missurum stabili pacto pollicitus est Deus. Et tunc conferri hoc dictum potest cum Exod. XXIII: 20. & Deut. XVIII: 18. ubi Deus promittit

XIX. Item ex Hag. II: 4.

se missurum Israëli Angelum in cujus medio nomen suum sit, & excitaturum iis Prophetam cujus ori verbum suum indat. Utrovis exponas modo, idem Filius Dei notatur, quo mediante, & de quo, populo olim locutus est Jehova; & qui venit ad illud templum, de quo Haggæus loquitur, & cum Spiritu suo stetit in medio populi. Ex his, & si quæ his similia sunt, Veteris Testamenti dictis, Johannis locutionem desumtam esse malo credere, quam ex Chaldæis paraphrasibus, aut *Platonis* dissertationibus.

XX. Multi Filium λόγον nuncupari autumant, in significatione rationis, vel definitionis.

XX. Nunc alterum tractationis nostræ caput aggrediamur, inquisituri quid nomen τοῦ λόγου Filio Dei datum importet, sive quam ob caussam ita dicatur. Ubi notandum, vocem λόγου Græcis esse homonymam. Aliquando enim *Rationem*, aliquando *Orationem*, aliquando & *Definitionem* significat. Nulla harum significationum est, quin a quibusdam huic rei applicetur. Plurimi tam veterum, quam recentium, *Rationem* interpretantur, atque ita dictum Filium Dei autumant, ob has potissimum caussas. I. Sicuti λόγος, ratio, cogitatio, est intimus mentis actus, & immediata illius operatio, & separari non potest a mente, & quodammodo est ipsa mens considerata ut agens; ita & Filius est in Patre, inseparabilis a Patre, ab ipso tamen procedens interna & quam maxime spirituali actione; hypostatica sapientia Patris. II. Sicut intelligens se sibi perfectissime repræsentat, ita Filius Patris semet ipsum intelligentis perfectissima & intima imago est, æqualis Patri, gloria & resplendescentia Patris. Veteres hæc diversimode, at non æquali omnes accuratione, explicuerunt. *Basilius M. in initium Evang. Joh.* breviter & perspicue. Διὰ τί λόγος; ἵνα δειχθῇ ὅτι ἐκ τοῦ νοῦ προσῆλθε. διὰ τί λόγος; ὅτι ἀπαθὴς ἐγεννήθη. διὰ τί λόγος; ὅτι εἰκὼν τοῦ γεννήσαντος, ὅλον ἐν ἑαυτῷ δεικνὺς τὸν γεννήσαντα, οὐδὲν ἐκεῖθεν ἀπομερίσας, καὶ τέλειος ὑπάρχων καθ' ἑαυτὸν ὡς καὶ ἡμέτερος λόγος ὅλην ἡμῶν ἀπεικονίζει τὴν ἔννοιαν. *Cur Verbum? ut quod ex mente procedat ostendatur. Cur Verbum? Quoniam citra passionem genitum est. Cur Verbum? Quoniam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem, nullam inde partem deducens, & perfectum in se existens, quemadmodum Verbum nostrum quod totius nostræ cogitationis imaginem refert. Gregorius Nazianzenus* addit notationem *definitionis*. Orat. XXXVI. Τάχα δ' ἂν εἴποι τις, ὅτι καὶ οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα ὡς ὁ ὅρος πρὸς τὸ ὁριζόμενον, ἐπειδὰν καὶ τοῦτο λέγεται λόγος. ὁ γὰρ νενοηκὼς φησὶ τὸν υἱὸν, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἑωρακὼς. νενόηκε τὸν πατέρα, καὶ σύντομος ἀπόδειξις καὶ ῥᾳδία τῆς τοῦ πατρὸς φύσεως, ὁ υἱός. γέννημα γὰρ ἅπαν τοῦ γεγεννηκότος σιωπῶν λόγος. *Fortasse etiam dixerit aliquis, quia eodem modo se ad Patrem habet, quo definitio ad definitum. Nam definitio quoque λόγος dicitur. Qui enim Filium cognovit, ait Christus (hoc enim significat qui vidit) Patrem quoque cognovit:*

cognovit : ac brevis & compendiosa facilisque paternæ naturæ declaratio, est Filius. Omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit. Has similesque explicationes, quæ ad Christum quatenus Filius Dei est referuntur, plerique Theologi non admittunt solum, sed ut præcipuas amplexantur, & adversus Photinianos, Arianos, Socinianos firmiter tenendas dictant, quippe quibus impia istorum hæreticorum dogmata funditus eruantur.

XXI. Non tamen hoc impedivit *Bezam*, *Gomarum*, aliosque acerrimos, sed & judiciosissimos, orthodoxiæ hyperaspistas, quo minus hæc sibi non admodum probari testarentur. *Beza* candide, ut solet : *Sed quamvis de rebus omnium abstrusissimis loquatur Johannes, & hæc testimonia de Filio Dei vere & sapienter dicta agnoscam, mibi tamen non sit verisimile tam subtiliter illum voluisse hoc loco disserere. Deinde habenda potius fuit (opinor) ratio idiomatis Hebræi quam Græci. Quamvis enim Johannes Græce scripserit, tamen in tradenda Theologia, ac præsertim in istis declarandis arcanis, neque a locutionibus recessit, quæ in Verbo Dei & in Synagogis erant ita usitatæ, ut ab ipso etiam vulgo, si non res ipsa, at certe vocabula intelligerentur. Jam vero apud Syrum interpretem pro λόγος legitur* מלתא, *qua voce significatur λόγος προφορικὸς, quam linguam multi existimant ætate Christi fuisse in Judæa popularem : & in editione Chaldaica innumeris pene locis pro eo quod in contextu scribitur Jehova, scriptum invenimus* מימר : *ut mihi verisimile videatur Johannem hoc nomen veluti e medio sumsisse, quo soliti fuerint Veteres illi Messiam vocare.* XXI. Improbante Beza.

XXII. Cui *Bezæ* observationi, postquam eam ut eruditam laudaverat *Gomarus*, hanc de suo rationem addit : *Si caussa, cur Filius Dei appellatus sit λόγος, est quod sit Rationi menti insitæ similis ; tum eadem erit caussa cur a Davide Ps.* XXXIII. *vocetur* דבר, *verbum aut sermo. Atqui non eadem est caussa cur ita vocetur a Davide Ps.* XXXIII. *Ergo neque ea est, cur a Johanne. Propositio nititur hypothesi confessa ac probata ab Orthodoxis : cum priscis, tum posteris : nempe quod eodem utrimque sensu Filius Dei vocetur verbum sive sermo. Assumtio vero probatur ex vocis Hebrææ, & conjugatæ, sive thematis illius usu. Nam* דָּבָר *verbum &* דִּבֵּר *verba facere, seu dicere, proprie ad externum verbum pertinere, ut* Ps. XVIII : 1. *deinde per metaphoram, ad internum, seu ad cogitationem, quæ est quasi sermo intellectus, transferri, ut* Ps. XII : 3. XIV : 1. *notissimum est. Tertio vero modo, ut sermonis intellectus caussam, seu rationem insitam menti (a qua cogitatio procedit) significet nullum prorsus documentum apparet : ideoque hæc significatio, usu* XXII. Et Gomaro.

 om-

omni destituta, non est admittenda Ps. XXXIII. Non diffiteor hæc mihi accurata & solida videri.

XXIII. *Satius videtur ad significationem Sermonis attendere; vel quia de Filio locutus est Deus.*

XXIII. Ponamus itaque Filium Dei λόγον dici, non tam Rationis, quam *Orationis* & Sermonis significatione; at quærendum restat, quam ob caussam Sermo dicatur, an quia de eo, an quia per eum sermo Dei factus est, an propter utramque hanc caussam simul. Prior ratio probatur *Bezæ*: *Quasi eum dicas* inquit, *de quo locutus est, sive quem pollicitus est Dominus: ne quis fortasse me existimet statuere Filium non esse* ἔμφυτον λόγον *& Patri* ὁμοούσιον. *Itaque* ὁ λόγος *benedictum illud semen Deum & hominem hoc sensu declarat, de quo Adæ, Abrahæ, Isaaco, Jacobo, Davidi, & electis omnibus locutus est Dominus, quasi sermonem seu promissum Dei voces.* Et sane de Filio suo locutus est Dominus in omni sermone suo. *In volumine libri de ipso scriptum est.* Ps. XL: 8. *Prophetæ omnes testimonium ei perhibent.* Act. X: 43. Adeo ut *testimonium Jesu sit spiritus*, & quasi anima, *prophetiæ.* Apoc. XIX: 10. Sine quo omnes prophetiæ, quasi vita cassæ, nullam vivificandi vim haberent. Et quomodo non idoneum est eum sermonem Dei nuncupari de quo sermo Dei factus est? quum idem quoque dicatur dari in *Fœdus populi*, Jes. XLIX: 8. quasi ipsum fœdus esset, quia fœdere promissus. Quo sensu ostendimus exponi posse Hag. II: 5. *Ego vobiscum sum cum Verbo quod promisi vobis.* Neque existimandum est parum significationi huic inesse præcellentiæ, eâve tam præclari nominis vim imminui. Nam, quod acute a celeberrimo *Coccejo ad initium Evang. Joh.* §. 15. observatum est, magna est hujus sensus efficacia. De quo enim locutus est Deus quidquid in fœdere suo locutus est, in eo verificatur, quidquid gloriosum & magnificum Deus in fœdere suo promisit: ut id quod omnium summa est, *ero vobis in Deum.* Gen. XVII: 8. Lev. XXVI: 12. Jer. XI: 4. ita quod Deus Salvatorem se nominat, Vindicem Israëlis, Sanctificatorem, Heroëm Israëlis, Dominum, Rupem unicam ad quam confugiant, Deum Amen in quo sibi benedicant, in quo solo glorientur, cui se flectat omne genu, cui confiteatur omnis lingua, & cæteræ maximæ promissiones in Filio fiunt Næ & Amen. 2. Cor. I: 20.

XXIV. *Vel quia Filius ita se habet ad Patrem ut sermo ad loquentem: quippe qui Patrem declaravit.*

XXIV. At quantumvis magnifica sit interpretatio ista, alii tamen malunt, Filium Sermonem Patris dici, quia ita se habet ad Patrem uti sermo ad loquentem. Sub qua communi χέσει aliquammulta commode comprehendi possunt. Et primo quidem, uti sermo hominis est character & index cogitationum mentis, (unde ἄγγελος νοήματος *nuncius cogitationis* dici solet) sic Filius Dei is est in quo cognoscitur quænam sit sanctitas, & decentia ac sufficientia, & gratiosa voluntas Patris. Is no-

nobis invisibilem Deum ἐξηγήσατο. Joh. I : 18. non tantum dictis, sed & factis. gloriam ipsius & voluntatem testantibus. Est εἰκὼν Θεοῦ ἀοράτου. Col. I : 15. 2. Cor. IV : 4. Sic ut qui Filium viderit, viderit etiam Patrem. Joh. XIV : 9. id est virtutem & voluntatem Patris cognoscat in virtute & voluntate Filii : qui est resplendescentia gloriæ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Πατρός. Heb. I : 3. Pulcre in hanc mentem *Augustinus Lib. de Fid. & Symb Cap.* III. *Verbum autem Patris ideo dictum est, quod per ipsum innotescat Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, quum verum loquimur, ut animus noster innotescat audienti, & quidquid secretum in corde gerimus, per signa ejusmodi ad alterius cognitionem perferatur : sic illa sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, Verbum ejus convenientissime nominatur.*

XXV. Deinde hoc quoque sensu Filius Verbum Dei dici potest, quia per ipsum Deus omni tempore, etiam ante manifestationem ipsius in carne, hominibus locutus est. Per quem quis loquitur, is illius *os* dicitur. Exod. IV : 16. Et Jeremias *os Dei* vocatur. Jer. XV : 19. Et quod proxime huc accedit, Johannes Baptista sese dicit esse *vocem clamantis in deserto* Joh. I : 23. Clamans ille Deus est, cujus vox erat Johannes. Per Filium autem locutus est ab ævo. Filius est qui dicit Jes. XLVIII : 16. *Accedite ad me, audite istud : non a principio in occulto locutus sum : ecce quo tempore fuit hoc, ibi sum ; & nunc Dominus Jehovi misit me, & Spiritus ejus,* vel *& Spiritum suum.* Confer Jes. VI : 8, 9. cum Joh. XII : 41. Adde Act. VII : 38. Heb. XII : 25, 26. I. Petr. III : 18. Præstantissimi Theologi *Petri Martyris* observatio digna est quæ hic quoque legatur. Exstat ea *Loc com. Class.* I *Cap.* IV. §. 6. *Filius Dei verbum, seu λόγος, ab Evangelista vocatur : quod ab eo temere fieri credendum non est ; sed quia per ipsum Deus intelligatur loqui, quum Scripturæ illum testantur esse locutum. Propterea quoties legimus Verbum Domini ad hunc vel ad illum fuisse factum, ego toties Filio Dei Christo Domino nostro id attribuendum censeo : nempe ut Deus per eum Patribus & Prophetis locutus fuerit.* Quod ne frustra dixisse videretur, pro sententia isthac sua duo testimonia laudat ; quorum alterum duntaxat brevitatis caussa hic adscribam. *Johannis* I. *Cap. habetur,* Deum nemo vidit unquam : *& statim per occupationem subjicitur ;* Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit. *Rogasset enim quispiam, si Deum nemo unquam vidit ; Patribus, quum eis Divina ostenderentur, quisnam aderat ? quis cum eis loquebatur, quando variæ formæ atque imagines Dei nomine iis apparebant, & cum eis agebant ? E vestigio respondetur,* Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit : *fuit apud homines veracissimus Patris interpres.* Cætera qui vult apud auctorem videat.

XXV. Et per quem ab ævo locutus est Pater.

XXVI. Et qui suo privoque jure verba Dei loquitur.

XXVI. Addi & tertio loco potest, eam ob rem Filium Λόγυ Dei nuncupari, quod κατ' ἰδιότητα, suo privoque jure, *verba Dei* loquatur. Joh. III: 34. & Deut. XVIII: 18. id est ea verba, quæ præter Deum nemo loqui potest, nisi narrans de alio; & quæ Deus sibi reservaverat dicenda ultimo tempore; & quorum dictione is qui dicit suam probat Divinitatem. Quamvis enim ista phrasis, de nudis usurpata hominibus, eam significationem non habeat; quum tamen in Christo omnia sint διαφορώτερα, conveniens est, majorem hic cogitare emphasin, quæ dignitati loquentis respondeat. Insignis in hanc rem locus exstat Jes. LII: 6. *Quapropter cognoscet populus meus nomen meum; idcirco*, inquam, cognoscet *eo ipse die* כי אני הוא המדבר *quod* EGO IS SUM QUI LOQUITUR, *Ecce me*. Is qui loquitur absolute: quo loquente aliis omnibus auscultandum & tacendum est. Qui dicere potest, quod nemo vel angelorum vel hominum, *Respicite ad me & salvemini omnes fines terræ: nam ego Deus, & non est præterea*. Jes. XLV: 22. Ego sum ille qui ab initio locutus sum, & vocavi verbo meo quæ non erant, & tuli eadem verbo meo potenti, & sine quo nihil dixit Pater; qui Patribus me olim notificavi, & descendens in montem Sinai terram commovi, & Prophetas per Spiritum meum illuminavi, & nunc humana carne vestitus, omnibus inclamo, *Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis*. Qui ita verba Dei loquitur, næ is dignus est ut singulari ac privo sibi titulo λόγ☉ Dei dicatur.

XXVII. Probabile est, in genuina vocis λόγυ expositione non esse aggreganda ea quæ disparata sunt.

XXVII. Quandoquidem vero omnes Theologi, quotquot Christi gloriam ex animo diligunt, in eo conspirant, nomen λόγυ Christo attributum esse διαφορώτερον ὄνομα; hinc facile in istam ducuntur opinionem, tutissime se facturos esse, si omnes illas significationes τῦ λόγυ conjungant, ut quotiescunque augustum illud nomen explicandum habent, toties omnia ista quæ præstantiam Domini sui arguunt animo simul complectantur. Negari equidem non potest, quin cogitatio ista pia sit; sed an æque prudens & solida, disquiri meretur, Enimvero ea quæ dicta sunt omnia Christo conveniunt, & frequenter animo nostro cum lætitia inculcanda, fortiterque adversus quoscunque obloquentes tuenda & vindicanda sunt. Verum id nunc agitur, an una vox λόγυ, in una alicujus pericopæ parte, tam diversas ac disparatas significationes habeat, eâque mente a Spiritu S. usurpata sit, ut quæ alibi de Filio Dei convenientibus cuique rei locutionibus docentur, istâ quoque voce indigitata censeri debeant. Judiciose mihi *Gomarus* adnotasse videtur, expositiones ejusmodi *hoc habere incommodi; quod unius ejusdemque vocis significationem non ab una me-*

metaphora, sed a pluribus simul derivent. Quod, inquit, *ad cautionem solum monemus: nam hac occasione adversariis ridendi præbetur occasio, quum in caussa nominis λόγυ adsignanda ea aggregantur, quæ in recto vocis usu minime concurrunt.* Mihi itaque, ne quid dissimulem, ea præ cæteris explicatio placet, quæ §. 24. 25. 26. comprehensa ad unum generale caput omnia refert: nimirum Filium ideo λόγον dici, quia ita se habet ad Deum uti se habet sermo ad eum qui loquitur.

XXVIII. Adeo Johanni placuit hoc nomen, ut quater eo usus sit. Loca quibus hoc sensu invenitur, ista sunt: Joh. I: 1, 14. 1. Joh. 1: 1. 1. Apoc. XIX: 13. 1. Joh. V: 7. Ubi insigne hoc & luculentissimum pro adoranda Trinitate exstat testimonium. *Nam tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt.* De cujus pericopæ genuinitate quum multum inter eruditos disputetur, meam quoque mentem expromere hic liceat. XXVIII. *Quater Johannes hac voce isto sensu usus est.*

XXIX. Negari non potest in multis antiquis editionibus comma hoc defuisse: quod longa inductione ab *Erasmo* olim, & nuperrime a *Simonio*, *Hist. Crit. N. T. Part.* 1. *Cap.* XVIII. comprobatum est. Et confirmatur porro his argumentis. I. Quia in versionibus Orientalibus, Syriaca, Arabica, Æthiopica, constanter abest. Nam quod in nupera editione Syriaca *Ægidii Gutbirii*, edita Anno 1668. Hamburgi, in Octavo, reperiatur, illud a recenti manu est, & ut ipse auctor fatetur, ex notis *Tremellii* transsumtum. II. Quia ex Patribus acerrimi Trinitatis propugnatores hoc loco adversarios non premunt: quod sane in caussa tam probabili, vel potius argumento tam ἀποδεικτικῷ, non omisissent, nisi vel non invenissent in suis codicibus, vel ut suspectæ fidei neglexissent. III. Quia ne tum quidem hoc comma urgent quando ex proxime conjunctis argumentantur. Ita *Cyrillus in Thesauro Lib.* XIX. *Cap. penultimo*, antecedentia & consequentia allegat; versum hunc intermedium, in quo cæteroquin præcipua vis argumenti esset, omittit. *Augustinus* similiter contra *Maximinum Arianum Lib.* III. *Cap.* XXIII. antecedentium mentionem facit, hujus commatis nullam. Imo in ipso *Concilio Niceno* versus 6. urgetur, septimus hic silentio præteritur. IV. Quia in illis quibus exstat codicibus, sive Græcis, sive Latinis, diversimode admodum legitur; uti in *Itinerario* suo *Epist.* 1. singulari diligentia adnotavit *Burnetus*; non ita tamen ut effugerit censuram *Simonii*, majorem accurationem pollicentis. *Hist. Crit. N T. Part.* II. *Cap* XX. XXIX. *1. Joh. V: 7. in multis editionibus non invenitur.*

XXX. Attamen in aliis editionibus non minus antiquis idem comma exstitisse certum est. Legit illud *Cyprianus*, qui floruit sub Decio XXX. *In aliis tamen antiquissi-*

nis exstitit. Decio Imperatore circa A. C. 250. & sub *Valeriano* & *Galieno* Carthagine capite truncatus est 260. in tractatu de *Simplicitate Prælatorum*, vel, ut alias inscribitur, de *Unitate Ecclesiæ. Dicit Dominus, Ego & Pater unum sumus. Et iterum* DE PATRE FILIO ET SP. S. SCRIPTUUM EST: ET HI TRES UNUM SUNT. Quem *Cypriani* locum *Fulgentius* quoque laudat, *Libro contra objectiones Arianorum, sub finem.* Idem ante *Cyprianum* legit *Tertullianus contra Praxeam*, QUI TRES UNUM SUNT. Disertus admodum in hujus commatis vindiciis *Hieronymus* est, in *prologo ad Epistolas Catholicas:* ubi exagitat malam fidem translatorum testimonium illud omittentium. *Bellarminus Lib.* I. *de Christo Cap.* VI: plures ex Veteribus affert, verum ea quæ laudat scripta ὑποβολιμαῖα sunt: antiqua tamen. Confer sodes doctissimam *Johannis Gerhardi* super hoc commate disputationem, quæ exstat *Disputationum Jenensium Part.* III. *p.* 1318. Accedit consensus antiquorum codicum quibus usus est uterque *Stephanus*, & juxta quos concinnata est editio Complutensis, ut & *Britannici* illius quem *Erasmus* magni fecit.

XXXI. *Pro genuino retinendum est.* XXXI. Et prorsus retinendum id testimonium existimamus. I. Quia continet veritatem, ac sapientiam Deo dignam, plurimisque aliis Scripturæ locis traditam. II. Quia verbis Johanni Apostolo suetis expressum est. Quæ quis Divinæ veritatis assertor improbe fingere, & in Canonicum scriptum infarcire sustinuisset? Nulla id faciendi necessitas incubuit Orthodoxis; qui præter hoc testimonium multa habent alia. Hæreticis autem animus non defuit ea eradendi quæ sibi tam aperte obstabant. III. Quia ad textus ὁλοκληρίαν omninò facere videtur. Etenim Johannes vers. 9. respiciens ad testes illos plane Divinos ac cœlestes, hoc commate laudatos, infert, *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Illatio autem ista longe esset obscurior, si nulla testimonii exserte Divini mentio facta fuisset.

XXXII. *Extrusio ejus Arianis non est imputanda.* XXXII. Unde autem hæc in antiquis exemplaribus diversitas? Nonnulli *Arianos* corruptarum in hac parte Scripturarum reos agunt, præsertim quando *Constantii* tempore, pulsis Orthodoxis, totum pene orbem occuparant. Sed ea observatio ab omni verisimilitudine aliena est. I. Quia etiam ante illa tempora ex hoc loco adversus Arianos disputatum non est, uti ante jecimus. Neque potuerunt, opinor, Ariani corrumpere codices Nicænorum Patrum. II. Quia etiamsi maxime hoc voluissent Ariani, non potuissent tamen vivente *Athanasio* & illius sequacibus: in quorum ore perpetuo hic versus fuisset, si

ſi in eorum voluminibus exſtitiſſet. III. Quia non probatur, hoc unquam iis ab Orthodoxis exprobratum eſſe.

XXXIII. Anterioribus ergo ſeculis hujus commatis expunctio imputanda eſt. Cujus hiſtoriam ex antiquitatis monumentis ſolerter eruit *Nicolaus Vedelius in Opuſculis Theologicis Franequeranis.* Ego hac methodo commodiſſime procedi arbitror. Ut *primo* in genere probem, peſſimos Hæreticos jam inde ab antiquo adulterandis Scripturis incubuiſſe. *Dein* ſpecialius, eos id imprimis egiſſe qui Trinitatis hoſtes erant. *Denique* ſpecialiſſime, hanc Johannis Epiſtolam ſacrilegas eorum manus non effugiſſe. XXXIII. *Quippe iis antiquior.*

XXXIV. *Primi* aſſerti fidem facit *Dionyſius*, Corinthi Epiſcopus, qui vixit ſub *Marco Antonino Philoſopho*, de quo agit *Baronius* ad A. 175. Is apud *Euſebium Hiſtor. Eccl. Lib.* IV. *Cap.* XXIII. poſtquam conqueſtus eſſet Diaboli Apoſtolos ſe vivo ſuas epiſtolas corrupiſſe, pro arbitrio addentes & dementes, addit: Οὐ θαυμαστὸν ἄρα εἰ καὶ τῶν κυριακῶν ῥᾳδιουργῆσαί τινες ἐπιβέβληνται γραφῶν. *Unde mirandum non eſt, ſi quidam corrumpere ſacras literas aggreſſi ſunt.* Idem de *Marcione* ſæpe conqueſtus *Irenæus* eſt, *Polycarpi* diſcipulus, qui floruit circa A. 180. XXXIV. *Ipſo ſeculo ſecundo hæretici ſacrilegas manus injecerunt Scripturis.*

XXXV. *Alterum* patet ex narratione Scriptoris Eccleſiaſtici, Anonymi quidem, ſed Orthodoxi & pii, apud eundem *Euſebium Lib.* V. *Cap. ultimo.* Ubi refert *Aſclepiadem* alioſque *Theodoti Coriarii* diſcipulos, qui auctor erat τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας, & Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον eſſe calumniabatur, ſine ullo pudore Divinas literas adulteraſſe. Verba ſunt. Γραφὰς μὲν θείας ἀφόβως ῥεραδιουργήκασι, πίστεως δὲ ἀρχαίας κανόνα ἠθετήκασι. *Sacras literas audacter adulteraverunt; primitivæ autem fidei regulam rejecerunt.* Paullo poſt: Διὰ τοῦτο ταῖς θείαις γραφαῖς ἀφόβως ἐπέβαλον τὰς χεῖρας, λέγοντες αὐτὰς διωρθωκέναι. *Hinc eſt quod Divinis Scripturis audacter manus intulerunt, eas a ſe emendatas eſſe dicentes.* In hac depravatione, quam blaſphemo ore correctionem vocabant, tam ſibi ipſis non conſtabant, ut aliter libros ſacros mutaret *Aſclepiades*, aliter *Apollonius*, aliter *Hermophilus*, ejuſdem cæteroquin pravitatis ſocii. Et habebant hi impuri canes diſcipulos ſuos, qui plurimos codices ita a ſe adulteratos deſcriberent, & in vulgus ſpargerent. Facta hæc tempore *Victoris* Epiſcopi Romani, qui *Theodotum* illum *Coriarium* excommunicavit, circa finem ſeculi ſecundi. XXXV. *Ii maxime qui hoſtes erant Deitatis Chriſti.*

XXXVI. *Tertium* docet *Socrates*, *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib.* VII. *Cap.* XXXII. Οἱ παλαιοὶ ἑρμηνεῖς αὐτὸ ἐπεσημήναντο, ὡς τινες εἶεν ῥᾳδιουργήσαντες τὴν ἐπιστολήν. *Hoc ipſum veteres indicarunt, declarantes quoſdam corrupiſſe hanc Epiſtolam.* Loquitur autem de prima Johannis. Si ergo hoſtes adorandæ Trinitatis, jam inde ab initio hæreſium ſuarum, li- XXXVI. *Qui ſcelus iſtud in hanc ipſam Johannis Epiſtolam*

variis modis ausi sunt.

bris sacris corrumpendis operam dederint, præsertim circa ea testimonia quæ sibi obesse videbant, & speciatim huic Johannis epistolæ non pepercerint; omnino credibile est alios hoc testimonium erasisse, quo evidentius alibi non exstat, alios corrupisse. Et quum *Theodoti* discipuli tam diversimode textum adulteraverint, hinc fortasse illa exemplarium in hoc loco diversitas. Laudanda interim Dei providentia est, quæ obstitit ne ulterius ea corruptio grassaretur.

XXXVII. *An & alii Christum λόγον vocaverint?*

XXXVII. Ultimum quæsitum, quod expediendum restat, hoc est; an & alii, præter Johannem, Novi Testamenti scriptores Christum τῦ λόγυ nomine insigniverint. Sunt qui Lucam id fecisse autumant Evang. I: 2. & Act. XX: 32. nonnulli & Paulum addunt Heb. IV: 12. Non abutemur, opinor, operam, si singula isthæc loca aliquanto diligentius excutiamus.

XXXVIII. *Videtur id fecisse Lucas Evang. I: 2.*

XXXVIII. Ita Evangelium suum orditur Lucas, ut multos aggressos esse memoret componere narrationem earum rerum, *quarum*, inquit, *plena fides nobis facta est: prout tradiderunt nobis* οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπλαι καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τῦ λόγυ, *qui a principio spectatores ipsi & ministri fuerunt sermonis.* Quod ut omnium convenientissime de Christo exponi credam, his inducor rationibus. I. Quia locutio ista gemina prorsus est alteri qua Johannes utitur, de Apostolis & Christo extra controversiam loquens. I. Joh. I: I. *Quod erat a principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectarunt de sermone vitæ.* Nulla autem caussa dici potest, qua jubeamur similes aut easdem locutiones aliter exponere apud Johannem, aliter apud Lucam. II. Accedit explicationis hujus concinnitas. Nam ex quo Christus se pro Messia gessit, Apostoli & oculis eum suis spectarunt, & ministri ejus fuerunt, & familiariter cum ipso conversati sunt; quibus etiam sese, postquam passus fuit, exhibuit vivum cum multis certissimis signis, per dies quadraginta conspectus ab eis; quique testes ipsius fuerunt, & Hierosolymis, & in tota Judæa, & Samaria, & usque ad ultimas terras. Act. I: 3-8. III. Adde inconcinnitatem aliarum quarumcunque explicationum. Etenim si ab hac significatione discesseris, aut *sermonem Evangelii* notabit, ut Act. VIII: 4. XI: 19. XIV: 25. aut *rem* ipsam Evangelio narratam, Hebræorum more, quibus דבר sæpe idem notat quod πρᾶγμα, uti hic vers. 4. ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν, *ut agnoscas earum rerum veritatem quas auditione accepisti.* At neutra explicatio hic videtur commoda. Si sermonem Evangelii intelligas, illius non αὐτόπλαι fuere, quod rerum natura vetat; sed auditores primum, mox præcones. Sin res Evangelio narratas designari putes, plurimæ sunt

quas

quas exposuerunt Apostoli, quarum tamen neque αὐτόπται neque ὑπηρέται fuerunt. Uti sunt, Christi conceptio, nativitas, apparitio Angelorum, præsentatio pueruli in templo; multaque id genus alia. IV. Accedit interpretationi huic consensus veterum, *Origenis, Ambrosii, Athanasii*: & recentiorum maximi nominis interpretum, *Vallæ*, *Budæi*, *Gomari*, *Cameronis*, *Ludovici Cappelli*, aliorum.

XXXIX. Eadem significatio commodissima esse videtur ACTOR. XX: 32. *Et nunc quoque, fratres, commendo vos Deo*, καὶ τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, τῷ δυναμένῳ, *&* SERMONI GRATIÆ *ipsius*, *potenti superstruere & dare vobis quod hæreditatem jure possideatis cum sanctificatis omnibus*. Nam I. Christus uti alibi λόγος, sic hic merito λόγος χάριτος dici potest: quia gratiæ conciliator & auctor est: uti 1. Joh. 1: 1. λόγος ζωῆς. Conf. Heb. v: 9. Consimili prorsus locutione *Deum omnis gratiæ* dixit Petrus. 1. Pet. v: 10. II. Longe concinnius est, fideles commendari Christo, quam Evangelio. Nam Evangelium commendatur fidelibus. 1. Tim. 1: 18. col. c. 2. Tim. 11: 2. III. Sequentia huc ducunt; quæ ad Deum referri vix possunt sine fictione hyperbati non necessarii, neque Evangelio conveniunt; quod neque superstruit nos fundamento, neque dat hæreditatem; sed est instrumentum quo superstruit nos Christus sibi, & quo declaratur hæreditas & modus eam adeundi. Christo autem optime convenit: is enim Ecclesiam sibi ipsi superstruit, ac conservat. Mat. xvi: 18. Heb. 111: 3. & dat nobis hæreditatem. Col. 111: 24.

XXXIX. Et Act. XX: 32.

XL. Anxia magis disquisitio est circa HEB. IV: 12. Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, *Vivus enim est sermo Dei*, *& efficax*, *& penetrantior quovis gladio ancipiti: & pertingit usque ad divisionem animæ ac spiritus compagumque & medullarum, & dijudicat cogitationes & conceptus cordis*. Ex veteribus multi per τὸν λόγον hic quoque intelligunt Filium. Ex Pontificiis eodem inclinant *Lyra*, *Cajetanus*, *Carthusianus*, *Ribera*, *a Lapide*, alii. Ex nostris pauciores, sed magni viri, *Gomarus*, *L. Cappellus*, *Ouwenus*, *J. Altingius*, aliique. Quorum hæc potissimum sunt argumenta. I. Certum est eo nomine alibi designari Filium. Quidni & hic, si nihil vetet? Quamvis Paulus alias ea nomenclatione non utatur; rationem tamen habuit, cur nunc uteretur Nam Hebræis scribit, quibus hoc nomen familiare, tam Syro-Chaldæa quam Græca lingua loquentibus. Facitque hic maxime ad propositum. Agit enim Apostolus de Christo ut legato & oratore Patris, cujus dictis præstantior sit audientia; quod non potuit efficacius quam nomine τοῦ λόγου significari. II. Nexus verborum hanc interpretationem suadet. Vers. 11. judicium ἀπειθείας metuendum dixerat: hic vero ratio-

XL. An & Paulus Heb. IV: 12. Rationes adfirmantium.

nem addit, ductam ab eo qui judicii exercendi habet potestatem, imprimis contra eos qui Evangelio sunt immorigeri: id autem singulari ratione Christo competit. 2. Thes. 1. 8. idque sub ista appellatione τῦ λόγυ τῦ Θεῦ. Apoc. XIX: 13. III. Sequentia huc ducunt. Nam versus 13. verba, *nec est ulla res creata non manifesta in conspectu ipsius*, &c. non nisi de persona explicari possunt. Mutationem autem subjecti esse, & a re ad personam transiri, nullo argumento evincitur. Certe Christus ille est, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος, *cui reddenda est nobis ratio*. Rom. XIV. 12. 1. Pet. IV. 5. Is constitutus est judex. Rom. XIV: 9, 10. Estque ἀνταναάκλασις elegantissima, ὁ λόγος πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος. IV. Attributa omnia Filio Dei optime conveniunt, quod ex singulorum expositione patebit. A. Dicitur hic sermo Dei VIVUS; quod in Emphasi Christo competit. Apoc. 1: 18. quippe qui vitam habet in seipso. Joh. V: 26. est גואל חי *Redemtor vivens*: Job. XIX: 25. & sub isto *Viventis* nomine designatus ab Adamo Gen. III: 20. Hujus vitæ ratio hic habetur; quum necessaria sit ad judicium. Heb. X: 31. B. Ἐνεργὴς, EFFICAX. Vita consistit in actuositate intrinseca; ἐνέργεια est efficacia illa quæ extrinsecus se exserit, in productione vitæ consimilis, 1. Joh. V: 11. Joh. XIV: 19. C. PENETRANTIOR QUOVIS GLADIO ANCIPITI. Id competit Christo respectu verbi sui. Jes. XLIX: 2. Os enim ipsius veluti gladius acutus, & ipse veluti sagitta mundata. Ex ore ipsius egreditur gladius, &c. Apoc. 1: 16. quo belligerat. II: 12, 16. percutietque gentes. XIX: 15, 21. D. PERTINGIT USQUE AD DIVISIONEM ANIMÆ, &c. Notatur, Christo intime patere secretissima corporis & animæ Joh. II. ult. Apoc. II: 23. E. Κριτικὸς, &c. DIJUDICAT COGITATIONES ET CONCEPTUS CORDIS. Κριτὴς est nomen muneris. Κριτικὸς actum & exercitium muneris notat. Utrumque designatur nomine שופט, quod participiale est. Non indicatur hic καρδιογνωσία, quam præcedens descriptio docet; sed de cognitis judicium. Quod est Christi, circa secretissima cordium. Jes. XI: 3. Rom. II: 16.

XLI. *Rationes negantium.* XLI. Qui per τὸν λόγον Evangelium intelligunt, primo pugnant Christo hæc attributa haut bene; dein Evangelio eadem optime convenire. Prioris generis argumenta hæc sunt. I. Non solet Paulus Christum ita appellare in ullis suis epistolis. Ex cujusque autem scriptoris suetâ dictione de mente ejus judicandum est. II. Præter omnem Scripturæ morem est, Christum comparare gladio ancipiti. Gladius autem ipsi ita attribuitur ut aperte ab eo distinguatur. Ps. XLV: 4. Jes. XI: 4. Apoc. I: 16. II: 12, 16. XIX: 15, 21. Posterioris ordinis argumenta hæc sunt. I. Λόγος τῦ Θεῦ constanter Paulo Evan-

Evangelium notat; neque ulla hic ratio est quæ suadeat a sueta significatione recedere. II. Nexus huc ducit. Nam in eo est Apostolus ut doceat, quantopere attendendum sit voci illi, sive prædicationi Dei, qua invitamur ad introitum in requiem Dei. Hac intentione commendat efficaciam istius prædicationis; eamque geminam, alteram, ut qui credunt, vi istius sermonis consequantur vitam; alteram, ut rebelles perimantur. Ergo λόγος significat invitationem illam Dei, cujus summa est vers. II: III. Omnia attributa Evangelio optime conveniunt. Quod & VIVUM est. Conf. Joh. VI:63. Phil. II: 16. I Pet. I:23. & EFFICAX. Conf. Rom. I: 16. 2 Cor. X: 4. I Thess. I: 5. Et præcipue I Thess. II: 13. λόγος Θεοῦ, ὃς καὶ ἐνεργεῖται. Et PENETRANTIUS QUOVIS GLADIO, &c. Conf. Eph. VI: 17. Hinc dicitur exire ex ore Christi, passim in Apocalypsi. Est autem gladius δίστομος, ANCEPS, quia in utramque patrem secat; tam ad sanationem & vitam, aperiendo ulcera, & amputando noxia, quam ad destructionem & mortem. 2. Cor. II: 15, 16. ET PERTINGIT USQUE AD DIVISIONEM ANIMÆ, &c. Levitarum culter perveniebat ad minima, quales sunt nervi, & ad intima, quales sunt medullæ. Sic sermo Evangelii minima & intima animæ penetrat, inque ea efficaciter agit; omniaque bellissime discernit, quo perituros perdat, & servandos salute donet. Denique DIJUDICAT COGITATIONES, &c. Conf. Jac. II: 12. Rom. II: 16. IV. Nec valide obijcitur connexio vers. 13. Nam quæ ibi dicuntur non pertinent ad τὸν λόγον, sed ad τὸν Θεὸν, cujus est λόγος.

XLII. Si mea mihi hic quoque dicenda est sententia, equidem fateor tam speciosa in utramque partem argumenta videri, ut utra eligenda foret animo hæsitaverim. Omnibus tamen expensis, eam interpretationem simpliciorem arbitror, quæ hanc Pauli pericopam ad sermonem Evangelii refert. Ob eam potissimum rationem, quod non solum omnia attributa Evangelio optime conveniant, sed & quod non nisi durissimâ κατάχρησει persona Christi ancipiti gladio comparetur: Evangelium autem ipsi sub similitudine gladii eleganter & frequenter adscribatur. XLII. Ἐπίκρισις.

EXERCITATIO IV.

DE

MICHAELE.

BREVIARIUM.

I. Michaelis & Archangeli nomen sexies in sacris exstat. II. Tres sunt de Michaele sententiæ. III. Michael notat, quis, vel qui est sicut ille Deus. IV. Archangelus non nisi unus est, & cæterorum omnium Angelorum princeps. V. Idcirco boni Angeli, Angeli Michaelis dicuntur. VI. Idem magnus Princeps populi Dei est. VII. Judas ei eadem attribuit verba quæ Zacharias Angelo qui est Jehova VIII. Veterum Hebræorum Catechesis de Angelo Principe populi Israëlitici. IX. Acuta Masii observatio. X. Insignis Mosis Nahmanidæ locus. XI. Mira de Metatron. XII. Alii Michaelem unum ex creatis Angelis esse volunt. XIII. Quia Archangelus a Christo distinguitur. XIV. Et Michael, unus principum primariorum dicitur. XV. Eique limitata adscribitur potentia. XVI. Et persona aliqua Divina quæ missa est, se a Michaele distinguit. XVII. Indignum majestate Filii Dei videtur, quod non ausit maledictum ingerere Diabolo XVIII. Michaëlis nomen pie imponi potest personæ creatæ. XIX. Eaque Princeps bonorum Angelorum esse; æque ac Beëlsebul malorum. XX. Cui etiam sui Angeli attribuantur, non minus quam Draconi. XXI. Quæ denique tam Princeps populi Israëlitici esse potest, quam Diabolus Princeps hujus mundi. XXII. Zacharias de Angelo Domino non prorsus eadem dicit, quæ Judas de Michaele. XXIII. Hebræorum commentationes de Metatron Cabbalisticæ sunt. XXIV. Tuba Archangeli notare potest tubam Christi, qua se Angelorum demonstret Dominum. XXV. Unus aut primus principum primariorum non est redigendus in eorum ordinem. XXVI. Gabriel uno Michaele adjutore contentus fuit. XXVII. Michael non distinguitur a Christo, sed a Gabriele. XXVIII. Ουκ ἐτόλμησε *notare potest, non duxit consultum. XXIX. Sunt qui putant per Michaelem, aliquando Christum, aliquando creatum Angelum designari. XXX.* Ἐπίκρισις.

MICHAE-



MICHAELIS & ARCHANGELI nomen, ubi de Angelo sermo est, sexies omnino, quantum memini, in sacris literis invenitur. Ter quidem in solo Daniele. Nimirum Cap. x: 13. *Sed Princeps regni Persiæ stetit coram me uno & viginti diebus, quum, ecce* MICHAEL, *unus,* vel *primus, e principibus primariis, venit ad juvandum me.* Iterum vers. 21. *Ne unus quidem est qui se confirmet mecum ad ista, nisi* Michael *Princeps vester.* Rursus Cap. xii: 1. *Tempore illo adstabit* Michael, *Princeps ille maximus qui stat pro popularibus tuis.* In Novo Testamento pariter ter: sed apud scriptores diversos. Quorum primus Paulus est, 1. Thess. iv: 16. *Nam ipse Dominus cum hortationis clamore, cum voce* ARCHANGELI, *& cum Dei tuba, descendet e cœlo.* Alter, Judas, Epistolæ comm. 9. *At* MICHAEL ARCHANGELUS *ille, quum, adversus Diabolum altercans, disceptaret de corpore Mosis, non ausus est illi impingere notam maledicti, sed dixit: Increpet te Dominus.* Tertius, Johannes, Apoc. xii: 7. *Et factum est prælium in cœlo:* MICHAEL *& Angeli ejus præliati sunt cum Dracone, & Draco pugnavit & Angeli ejus.* Operæ pretium esse existimavi ipso disputationis hujus initio omnia hæc loca unico veluti obtutui objicere: quia in progressu singula examinanda atque explicanda erunt. *I. Michaelis & Archangeli nomen sexies in sacris exstat.*

II. Hoc enim illud est quod quæritur, quisnam ille sit qui MICHAELIS ARCHANGELI nomine designatur; an semper Filius Dei, Jesus Christus, Angelus Fœderis; an semper creatus aliquis Angelus, Princeps reliquorum; an denique in quibusdam locis Christus, in aliis creatus Angelus. Nam in hæc tria sententiarum divergia secedere præstantissimos arcanorum librorum nostrorum Interpretes animadverti. Quorum argumenta suis singula ponderibus librare, tum ἐπίκρισιν meam subjungere, animus est. *II. Tres sunt de Michaele sententiæ.*

III. Qui Michaelem Archangelum, ipsum Dei Filium, Dominum nostrum Jesum Christum esse autumant, his potissimum nituntur rationibus. Primo, quod ipsa vox *Michael* eo ducere videatur. Credibile est nomen istud ab ipso profectum esse Deo, ideoque in omni vi significationis suæ interpretandum. Exponi autem potest bifariam; vel interrogative, *quis est sicut Deus ille?* vel affirmative, *qui est sicut Deus ille.* Si priorem interpretationem eligas, supponitur, illum, cui hoc nomen datur, esse אל *Deum fortem*, immo האל *illum Deum fortem*, ἀντονομαστικῶς ita dictum אל גבור Jes. ix: 5. Et interrogatione ista, *quis est sicut ille Deus*, indicatur, ex omnibus Angelis, omnibusque adeo creaturis, neminem ei esse parem. Prorsus sicuti Moses canit Exod. xv: 11: מי כמוכה באלים יהוה מי כמוכה *Quis est* *III. Michael notat, quis vel qui est sicut ille Deus.*

est sicut tu inter fortes, ô Jehova, quis est sicut tu? Et Ethan Ezrachita Ps. LXXXIX: 7. *Quis in superiore nube par æstimetur Jehovæ? adsimiletur Jehovæ inter filios fortium?* Et versu 9. *O Jehova Deus exercituum, quis est par tibi* יָהּ חֲסִין *robustus Jah,* vel ut fortasse commodius vertitur, *præditus Divina decentia?* Quæ nisi Deo, vel de Deo dici non posse videntur. Sin quis posteriorem expositionem malit, *qui est sicut Deus ille;* evidentissime docebitur, eum, qui hoc nomine insignitur, esse ἴσον τῷ Θεῷ. Joh. v: 18. eamque ἰσότητα sibi sine ἁρπαγμῷ, sine sacrilegio, posse attribuere. In qua re magna diversitas est inter nomen *Michael* & *Gabriel.* Nam uti illud facile & quasi sua sponte istam animo audientis cogitationem ingerit, eum qui sic appellatur parem esse Deo, & neminem sibi parem habere; ita hoc, significans *Fortitudo mea est Deus,* clare satis ostendit, eum qui sic nominatur fortitudinem in se non habere, sed in Deo; & consequenter non esse Deum, sed esse creatum aliquem Angelum.

IV. Archangelus non nisi unus est, & cæterorum omnium Angelorum Princeps.

IV. Verum & alterum, *Archangeli* nomen, eandem Deitatis magnificentiam innuere videtur: de quo id primo observandum, quod non nisi singulari numero in Scriptura exstet. Unde palam est, nugas agere Romanenses, quando freti nescio cujus *Dionysii*, certe *Pseudareopagitæ*, auctoritate, quem commenta sua ex Pauli revelatione habere fabulantur, integrum Archangelorum ordinem finxerunt; eique, quod ridiculum, penultimum in choris Angelicis locum adsignant. Novem enim fingunt Angelorum choros, tribus hierarchiis distinctos. In prima hierarchia locant Seraphim, Cherubim & Thronos. In secunda, Dominationes, Virtutes & Potestates. In tertia denique, Principatus, Archangelos & Angelos. Qui ordines quomodo distinguantur, & quid quaque voce notetur, si quis scire aveat, ei auctor sum ut consulat elaboratissimas Theses celeberrimi VOETII nostri, quibus quidquid de hac re cognitu dignum est exhaustum videbit. *Tom.* I. *p.* 882. Non lubet nunc mihi eorum vesaniam hominum, uti meretur, explodere, qui de rebus sibi prorsus incognitis adeo secure atque audacter fabulantur, quasi nefas sit alio illos loco habere, quam qui cum cælicolis ætatem triverint, & Angelorum quotidiani fuerint congerrones. Sufficit nunc notasse, & imperite eos facere quod myriadas Archangelorum comminiscuntur, & inique quod in penultimum eos detrudunt locum. Quandoquidem Scriptura unum duntaxat Archangelum docet, eumque Angelorum omnium Principem & Dominum. Qui ita est *Angelus*, ut simul sit *Dominus.* Mal. III: I. κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας. Col. II: 10. per quem & Angeli creati sunt. Col. I: 16. & de quo dictum est, *adorent eum omnes Angeli Dei.*

Heb.

Heb. I: 6. *Qui est ad dextram Dei, profectus in cœlum, subjectis ipsi Angelis, & potestatibus ac virtutibus.* I. Pet. III: 22.

V. Atque hinc est, quod Angeli boni *Angeli Michaelis* dicantur. Apoc. XII: 7. Angeli autem, alium Dominum, alium Principem, cujus Angeli sint & dicantur, nullum habent præter Jehovam. Hinc passim in sacris *Angelos Dei* vocari audias, cujus thronum cingunt, cujus faciem intuentur, cujus majestatem venerantur, cujus jussis obsequuntur. *Benedicite Jehovæ Angeli ejus, valentissimi robore efficientes verbum ejus, auscultantes voci verbi ejus; Benedicite Jehovæ omnes exercitus ejus, ministri ejus, facientes placitum ejus.* Ps. CIII: 20, 21. Nominatim Filium Dei, qui & ipse cæteroquin ob missionem suam in mundum ad exsecutionem muneris mediatorii *Angelus Jehovæ* nuncupatur, Dominum suum esse agnoscunt, cujus mandatis parent, & ad quem redeunt demandati sibi officii reddituri rationem. Sic enim apud Zachariam legimus, Cap. II: 7, 8. Angelo illi, qui alloquebatur Prophetam, & qui se pro Domino gerebat, obviam processisse Angelum alterum; *cui edixit, curre, alloquere puerum istum.* Legimus item, ad eundem Angelum Dominum, stantem inter myrtos, accessisse cæteros Angelos missos ad perambulandum terram, eique rationem reddentes respondisse, *perambulavimus terram, & ecce tota terra desidet, & tranquilla est.* Zach. I: 10, 11. Angeli ergo boni, Dei Christique Angeli sunt: non sunt Angeli cujuscunque creaturæ. Unde consequitur, quum *Angeli Michaelis* dicantur, Michaelem ipsum esse Christum.

V. Idcirco boni Angeli, Angeli Michaelis dicuntur.

VI. Quod & valide ex eo probari videtur, quod idem Michael vocetur *Princeps ille magnus qui pro populo Dei stat,* Dan. XII: I. Quis autem ille, nisi Christus? Idem nimirum qui apparebat Josuæ, cum districto gladio, qui se *Principem militiæ Jehovæ* vocabat, jubebatque calceamenti exutione eundem sibi honorem tribui, qui a Mose olim tributus erat Angelo Jehovæ, qui & ipse Jehova erat, apparenti sibi in rubo. Jos. V: 14. Idem quem promiserat olim Deus populo Israelitico in viæ ducem. Exod. XXIII: 20. Quem Jesajas *Angelum faciei Jehovæ* nuncupat., qui servavit Israëlitas, qui dilectione & clementia sua vindicavit eos, & imponens eos sibi bajulavit omnibus diebus seculi. Jes. LXIII: 9.

VI. Idem magnus Princeps populi Dei est.

VII. Novum argumentum suppeditat Judæ comm. 9. *At Michael Archangelus ille, quum, adversus Diabolum altercans, disceptaret de corpore Mosis, non ausus est illi impingere notam maledicti, sed dixit, Increpet te Dominus.* Partes altercantes sunt, hinc *Michael Archangelus*, Mosis Dominus, Doctor, & Ductor ab initio; inde Diabolus, Deus & Princeps hujus mundi, Michaelis per omnia adversarius. Alterca-

VII. Judas ei eadem attribuit verba, quæ Zacharias Angelo qui est Jehova.

tionis subjectum & caussa, fuit corpus Mosis; quod Michael volebat abscondere, consulens quieti servi sui, & impediturus superstitionem atque idololatriam: Diabolus autem in apertum proferre, ut illudens Prophetæ reliquiis, populum ad idololatriam alliceret. Ubi notandum, id, quod hic Michaeli adscribitur, Jehovæ attribui Deut. XXXIV: 5, 6. *Mortuus itaque est ibi Moses, servus Jehovæ, in terra Moabitarum,* על פי יהוה *ad os Jehovæ, qui sepelivit eum in eadem valle.* Porro in illa altercatione credibile est, Diabolum plurimas contra Jehovam & Michaelem evomuisse blasphemias. Michael autem οὐκ ἐτόλμησε *non sustinuit*, non induxit animum, impingere ipsi notam maledicti, id est, ultionem maledicendo sumere. Non quod timuerit Diabolum, sed quod ex decoro omnia agere voluerit, personam Angeli quam susceperat rite tueri, Diabolo se dissimillimum demonstrare, & hominibus, quibus hæc erant patefacienda, patientiæ exemplar relinquere. Ante omnia autem conferendum hoc Judæ dictum est cum Zach. III: 1, 2. Ubi repræsentatur Josua sacerdos maximus stans coram Angelo Jehovæ, & Satanas stans ad dextram ejus ut adversaretur ei: *dicebat autem Jehova Satanæ, Increpet Jehova te, ô Satan, increpet te Jehova, qui eligit Hierosolyma.* En Angelum Jehovæ, qui & ipse Jehova, cum Satana altercantem, & dicentem, Increpet te Jehova, ô Satan. Non sustinet ipse sententiam convitii proferre aliter quam postulando judicium Patris. Nimirum, quia Filius nihil potest dicere & facere, nisi quod audiverit Patrem dicere & facere. Joh. V: 19, 20. Ratio est, non minoritas, sed unitas. Creatura potest, aliud volendo quam quod Creator vult, & aliud dicendo præter id quod vidit & audivit, deficere & abire a Creatore: qui id nullo modo potest facere, ejus & voluntas, & bonitas, & φύσις, est eadem cum Deo, ut gignente, aut spirante. Adeo in tota hac re nihil est quod infra præstantiam Filii Dei sit. Quemadmodum igitur Angelus Jehovæ, qui & ipse Jehova est, alia occasione judicium Jehovæ postulare quam suum proferre maluit: ita Judas colligit, quia idem semper est φρόνημα ipsius, in illo quoque certamine eum similiter locutum esse, neque aliter sententiam pronunciasse, quam postulando judicium Patris. Ex hac itaque collatione infertur, primo indignum non esse Filio Dei ita agere ut eum agentem repræsentat Judas; deinde, Michaelem iisdem verbis utentem, quibus utitur Angelus Jehova, Angelum quoque Jehovam esse. Vide sis *Coccej. ad Zach.* III: 3. & *ad Jud. comm.* 9.

VIII. *Veterum Hebræorum catechesis*

VIII. Nec abludit catechesis veterum Hebræorum, cujus adhuc reliquiæ apud recentiores Interpretes exstant. Ubi sæpius inculcatur, Principem populi Israëlitici, Angelum quidem esse, sed & Angelis om-

omnibus majorem, ipsumque adeo Deum, a Deo tamen, cujus est Angelus, distinctum. Notabile est quod ex *Tanchuma*, vetusto commentario Hebraico, adduxit *Masius ad Jos.* v: 14. *Dicebat*, sic Hebræus ille, *Deus Mosi, Ecce ego mitto ante faciem tuam Angelum. At Moses respondebat, At ego Angelum nolo, sed Te ipsum volo. Porro Josua filius Nun quum primum videret Angelum, dicebat,* Nosterne es, an adversariorum nostrorum? *Tum ad eum Angelus,* Ego, *inquiebat*, sum Princeps exercitus Domini. Jam veni. *Ac si diceret, Ego jam secundo adsum, ut Israëlitas in possessionem suæ hæreditatis ducam. Veneram enim etiam, quum imperator esset Moses, Magister tuus: sed ille quum me videret, nolebat me secum ire, sed a se repulit. Hæc autem simul atque audisset Josua, procumbebat in faciem, adoransque dicebat, Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* In qua commentatione aliquid veri invenio, quod ex prisca catechesi est; sed & aliquid quod a vero abludit. Verum est, eum qui apparebat Josuæ, eundem esse quem promiserat Deus Mosi. Exod. XXIII: 20. Non est verum, eum quem tum promittebat Deus, a Mose repulsum fuisse. Male consulti Israëlitæ eum repulerunt, dum ejus loco vitulum sibi in viæ ducem petierunt. Quod & posteri ipsorum fatentur. *Sanhed. Cap.* IV. Perperam enim intellectis verbis illis לא ישא לפשעכם, *non feret defectionem vestram*, sic argumentati sunt: *si non possit condonare peccata, quid ergo præstat? Credimus ipsum non posse tollere peccata nostra, & ideo etiam respuimus eum, & nolumus eum accipere, ne in legatum quidem, qui nobis præsit, & sit dux noster.* Vid. *Joseph. Voisin. Observ. ad Raimun. p.* 496. *edit. German.* Quem vero repulisse legitur Moses, Exod. XXXIII: 12. diversus ab eo est. Is quem pollicebatur Deus Exod. XXIII: 20. erat Angelus faciei, in cujus medio Dei nomen est, qui facultatem habet delicta puniendi aut condonandi; denique ipsa Dei facies, quam sibi comitem ac ducem poscebat Moses. Exod. XXXIII: 12, 15. Hic autem quem se post μοσχοποΐαν missurum esse dicit Deus, non erat nisi creatorum Angelorum aliquis; quo eunte cum ipsis, facies sua non itura erat. vers. 2, 3. Quod & ipse R. *Menahem* monuit *ad Exod.* XXXII: 34. *Angelus*, inquit, *quem hic promittit Deus, non est Angelus fœderis, de quo locutus est tempore gratiæ, dicens* שכינתי *Schecina mea, gloriosa inhabitatio mea, vobiscum ibit. Nam Deus O. M. Divina præsentia sua ab iis recesserat, volebatque eos ducere alterius Angeli ope.* Utut sit, Princeps ille magnus, qui pro populo Israëlitico stabat, Filius Dei est, a Josua agnitus, & religioso ac Divino honore cultus.

de angelo Principe populi Israelitici.

IX. Doctissimus *Masius* grandius sibi mysterium in ista Hebræi auctoris observatione deprehendisse visus est. Putat enim alludere ad Ju-

IX. Acuta Masii observatio.

Judaici populi Ecclesiam, quæ de Mose magistro se jactabat, & ad eam, quæ nunc a Josua, id est Jesu Christo, regitur. Illa enim allegatum ad se Angelum Christum, ut ipsi ad cœlestem hæreditatem patefaceret aditum, repudiavit; atque urbe etiam ejectum cruci adfixit. Hæc vero simulatque quum ex doctrina tum ex miraculis intellexisset, eum a se, non ab adversario Beelzebub stare, adoravit, ejusque jussa submisse & obedienter amplexata est. Quæ quidem doctissimi *Masii* annotatio, si rem ipsam spectes, certissimæ veritatis est: at vereor ne ab Hebræi interpretis mente plane aliena sit.

X. *Insignis Mosis Nahmanidæ locus.*

X. Sed cedro digna sunt, quæ ex Rabbi *Mose Nahmanide Gerundensi* idem nobis *Masius* exhibet. Is enim R. *Moses* expositurus versiculum Exod. XXXIII: 14. *Facies mea præibit, & efficiam ut quiescas,* sic scriptum reliquit: *Animadverte attente quid sibi ista velint. Moses enim & Israëlitæ semper optaverunt Angelum primum, cæterum quis ille esset vere intelligere non potuerunt. Neque enim ab aliis percipiebant, neque prophetica notione satis adsequebantur. Atqui facies Dei ipsum significat Deum, quod apud Interpretes in confesso est. Verum ne per somnium quidem intelligere ea quisquam possit, nisi sit in mysteriis Legis eruditus.* Et post pauca: *Facies mea præcedet: h. e. Angelus fœderis quem vos cupitis: in quo videbitur facies mea: de quo dictum est, Tempore accepto exaudiam te. Nomen meum in eo est, faciamque ut quiescas, sive efficiam ut ipse tibi sit lenis ac benignus, neque te ducat per jus rigidum, sed placide ac clementer.* Hæc *Gerundensis.* Atque hunc ipsum Michaelem esse dicit, quem & PONTIFICEM COELORUM *vocat, qui preces justorum offert Deo.* Idem est מלאך הגואל, *Angelus Redemptor*: quem Rabbini ipsissimum Deum esse fatentur: certe *Menahem*, scribens in Gen. XLVIII: 16. *Innuit* השכינה *Divinam Majestatem, quum dicit, Angelus qui redemit me.* Non possum hic prætermittere quod cum summa animi voluptate legisse me recordor in cl. viri *Jacobi Altingii* commentariis in septimum Caput Divinæ ad Hebræos epistolæ p. 198. col. 1. Ubi ex *Jalkut fol.* 82. ista nobis exhibet. *Luctatus est vir cum eo. Dicunt quidam, fuit Michael.* Et mox: *Vidit quod ei non prævaleret, & tetigit acetabulum femoris ejus. Dixit itaque Sanctus Benedictus Michaeli: Recte ne fecisti quod sacerdotem meum feceris vitiosum, i. e. aliquo corporis vitio laborantem? Respondit ille, Domine mundi,* NONNE EGO SUM SACERDOS TUUS? *Deus vicissim.* TU SACERDOS MEUS ES IN EXPANSO, *sive cælo; ipse vero sacerdos meus est in terra. Illico itaque Michael petiit a Raphaele, ut eum sanaret; quod hic præstitit. Sanctus Benedictus dixit Michaeli, Quare sic fecisti filio meo primogenito? Respondit ille, Ad gloriam tuam feci. Et Deus, Abhinc, inquit, eris super*

super ipsum constitutus, & super semen ejus, usque ad finem omnium generationum: hoc est quod dicitur, praeterquam Michael Princeps vester. Dan. x: 21. *Illo tempore stabit Michael, Princeps* MAGNUS. Dan. XII: 1. *Et ipsi sunt populus* MAGNUS. Deut. IV: 7. *Veniat ergo* MAGNUS, *& consistat super* MAGNUM.

XI. In libro Zorobabelis, quem *Buxtorfius* allegat in *Lexico Talmudico* ad vocem מטטרון, docetur Michaelem alias METATRON vocari, eumque esse *Principem facierum*, & *Cancellarium cœli*. De quo *Metatron* operæ pretium est audire quomodo Hebræi philosophentur. *R. Salomo* ad Exod. XXIII: 21. sic scribit: *Rabbini nostri inquiunt, Ille est Metatron, cujus nomen est sicuti nomen Doctoris sui, nempe Dei* שדי *omnipotentis. Nam* שדי *Geometrice facit* 314. *Tantundem faciunt literæ vocis* מטטרון. Luculenta sunt, quæ de eodem nomine ad eundem locum commentatur *R. Bechai*, quamvis nugacibus quibusdam observatiunculis turpata. *Metatron vocatur*, inquit, *quoniam eo nomine comprehenduntur duo significata, nempe* ארון *Dominus, &* שליח *Legatus. Domini significatum ex sermone Rabbinorum, qui Heram vocant* מטרונה *Matronam. Legati ex sermone Græcorum, qui vocant Legatum* מנטור. (fortasse respicit ad vocem Græcam Μηνύτωρ) *Imo & tertia potest in eo esse significatio, custodiæ sive custodis. Nam Targum pro Hebræo* משמרת habet מטרת *custodia. Et quia custodit mundum, appellatur custos Israëlis. Ex his etymologiis patet, ipsum esse & Dominum & Legatum Domini, idemque habere cum Domino suo nomen. Ipse est Dominus omnium quæ sub ipso sunt: nam omnes exercitus superiorum & inferiorum sunt sub ejus arbitrio, & sub manu ejus: & ipse Legatus est ejus qui est supra ipsum, quique eum dominari fecit supra omnia, & constituit eum Dominum domus suæ, & dominatorem omnis possessionis suæ. Est autem tibi observandum, quod ratione significati dominii,* ט *in eo duplicatum est, & duo* ט *faciunt* 18. *Totidem facit* חי *Vivus, epithetum Dei. Iis sublatis manet* מרון, *idem quod* מרא, *id est* ארון *Dominus.* HIC EST ANGELUS ILLE PER QUEM SOLUM DATUR ACCESSUS AD DEUM. Hactenus *Bechai*. In quibus, si pretiosum a vili, ut par est, secernamus, habemus præclara priscæ & piæ κατηχήσεως rudera. Nimirum exstare Angelum aliquem, qui & Deus sit & Legatus Dei, custos & redemptor hominum, Pontifex cœli: per quem solum accessus ad Deum detur, quem sacræ literæ *Michaelem*, Magistri *Metatron* vocent; fortasse nomine corrupto ex Latino *Mediatoris*. Atque ita ea nunc argumenta vidimus, quibus viri eruditissimi conficere se posse putant, sub Michaelis nomine designari Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum.

XI. Mira de Metatron.

XII. Longe tamen aliter instituunt alii præclari viri, quorum non

XII. Alii Michaelem

unum ex creatis Angelis esse volunt.

non minus celebre in Ecclesia nomen est, quibus magis adlubescit Michaelem unum ex creatis Angelis esse, sed cui a Creatore præfectura aliqua in cæteros concessa sit. Existimantque & valida sibi pro isthac sententia argumenta esse; nec deesse quæ ad laudata modo argumenta respondeant. Enimvero & hi digni sunt, qui caussam suam agentes æquo a nobis animo audiantur. Sic ergo instituunt.

XIII. *Quia Archangelus a Christo distinguitur.*

XIII. Michaelem eundem esse qui & Archangelus dicitur, consentiunt omnes: & Judas Apostolus totidem id verbis adstruit comm. 9. Archangelum autem a Christo palam discriminat Paulus 1. Thess. IV: 16. *Nam ipse Dominus cum hortationis clamore, cum voce Archangeli, & cum Dei tuba descendet e cælo.* Incredibilis illa Domini Jesu magnificentia, quâ illustri adventus sui die in nubibus conspicuus apparebit, locutionibus a regum hujus seculi pompa desumtis, uti alibi, ita & hic exponitur. Solent autem illi, præsertim in solemnioribus regni actibus, magna comitum, militum, populi stipante caterva, cum tubarum, tympanorum, plaudentiumque turbarum strepitu, comparere. Ita & Jesus, Rex regum & Dominus dominantium, e cœlo ad universale hominum ac dæmonum judicium, quo nullus unquam regni sui actus solemnior exstitit, descensurus, veniet cum Angelis potentibus suis, eaque Divinæ majestatis ac gloriæ demonstratione, cui par ab orbe condito conspecta non est. Et quemadmodum Legem promulgaturus in monte Sinai, venit cum myriadibus sanctorum suorum, & igne ardenti, & turbine, & caligine, & procella, tubæque sonitu, & voce verborum, quam qui audierant cum excusatione petierunt, ne amplius sibi fieret sermo: ita secundum Legem istam judicaturus, adveniet cum sanctis millibus suis, hortantiumque se mutuo ad tanti Regis obsequia clamore, (hoc enim κέλευσμα Græcis notat) & voce Archangeli, qui millibus istis præest, tubaque Divina instructus veluti classicum canit. Nam, uti a *Grotio* aliisque bene observatum est, vox Archangeli & tuba Dei ita jungenda sunt, ut significetur vox tubæ Divinæ ab Archangelo inflatæ. Omnino videtur hîc Christus, qui venit, ab Archangelo, quocum venit, distingui: & vox Christi, sententiam dicturi, a voce Archangeli, solemnitatis istius veluti pompam instruentis. In sacra Johannis Apocalypsi, ad singulos Divinorum judiciorum actus, Angeli tubis canentes audiuntur. Idem usu veniet in peremtorio mundi totius judicio. *Tunc* enim *mittet Dominus Angelos suos cum tubæ voce magna, ut cogant electos suos a quatuor ventis, & a cælorum extremo ad eorum extremum.* Mat. XXIV: 31. Cujus tubæ vox Angelis generatim attribuitur a Domino: eam Archangelo, cæterorum Principi, & exer-

exercituum cœlestium sub Christo Rege Imperatori, attribuit Paulus. Enimvero decore magis tuba est in manu & ad os principis ministri, quam ipsius Domini, & Regis. Et in hac explicatione plerique conveniunt Interpretes.

XIV. Et Michael unus principum primariorum dicitur.

XIV. Alterum argumentum petitur ex Dan. x : 13. Ubi Michael dicitur אחד השרים הראשנים, *unus principum primorum.* Per Principes, Angelos notari perspicuum est; primi Principes, sunt præcipui Angelorum, gloria, auctoritate ac potestate præ cæteris eminentes. Eorum autem unus si Michael sit, oportet ut ejusdem cum ipsis sit ordinis; licet fortassis gradu aliquo auctoritatis superior. Sunt qui ad argumenti hujus vim infringendam contendunt, voce אחד tam *primum* notari, quam *unum*, ut Gen. I : 5. ideoque convenientius hæc verba verti, *Primus principum primariorum.* At respondent alii, ab ordinaria & communi vocum significatione recedendum non esse, nisi jubeat necessitas. Vocem vero אחד communiter significare *unum*, non *primum*: præsertim in istiusmodi constructione qualis hic occurrit. Similem prorsus phrasin invenimus Ps. LXXXII : 7. *Tanquam homo moriemini*, וכאחד השרים *& tanquam unus aliquis principum cadetis.* Sic & Gen. XXII : 2. על אחד ההרים *super uno aliquo montium.* Rursus 2. Sam. VI : 20. *Nudatus est sicut* אחד הרקים *unus aliquis levium.* At pone, si præfracte velis, pro *uno primum*; quid inde lucri feceris? Eodem redibit. Nam primus principum primorum, e numero & ordine eorum est. Rem acu tetigisse videtur *Josephus Jacchiades*, dum ita παραφράζει. מיכאל שהוא אחד והמיוחד מהשרים הראשנים רואי פני המלך ה׳. Quod *Constantinus l'Empereur* sic vertit: *Michael, qui est primus & dotibus separatus, e primariis illis principibus intuentibus faciem Regis, sive Dei.*

XV. Eique limitata adscribitur potentia.

XV. Tertium argumentum sic instruit præstantissimus Theologus, *Gomarus*: *ad* Luc. I : 26. Præterea Angelus Gabriël, loco Danielis citato, facti sui difficultatem describens, ait: vers. 21. *Ne unus quidem est qui confirmet se mecum, nisi Michael, Princeps vester.* Atqui si ea voce Filius Dei intelligeretur, inepta & illo indigna esset oratio: quoniam nullum majus auxilium quam Filii Dei, cujus infinita est potentia, excogitari potest.

XVI. Et persona aliqua Divina quæ missa est, se a Michaele distinguit.

XVI. Addi potest & quartum argumentum ex eodem Cap. x. Danielis: at hypothesi aliquantulum mutatâ. Is quem comm. 5. conspexisse se narrat Daniel, vir indutus vestibus lineis, cujus lumbi accincti erant insigni auro Uphazi, & corpus simile beryllo thalassio, vultus autem similis speciei fulguris, oculi similes tædis ardentibus, &c. Filius Dei est, qui eadem fere forma videndum sese obtulit Johanni

hanni Apoc. I. Ejus manus tangit Danielem tantæ majestatis fulgore stupentem. comm. 10. Idem compellat Danielem blandaque oratione consolatur. comm. 11, 12. Versu autem 12. sic pergit loqui: *Sed Princeps regni Persici stetit coram me uno & viginti diebus, quum ecce Michael primus ex principibus primariis venit ad adjuvandum me.* Unde, si hanc analysin sequamur, perspicuum est, Filium Dei qui loquitur, & Michaelem de quo loquitur, uti ad auxilium sibi veniente, personas esse distinctissimas. Tanti ea difficultas Celeberrimo *Coccejo* visa est, ut maluerit ad eam evitandam, personam Danieli apparentem pro Spiritu Sancto sumere. Sic enim Michael, quem Christum esse vult, ab eo distingui posset. At nescio an probari queat, Spiritum Sanctum distinctim tali similive specie unquam se hominibus conspiciendum præbuisse. Nec puto virum doctissimum aliam ob caussam interpretationem istam esse amplexum, nisi quod persuasus esset, personam hanc, quam merito Divinam esse credidit, se ipsam a Michaele distinguere.

XVII. *Indignum est majestate Filii Dei, quod non ausit maledictum ingerere Diabolo.*

XVII. Denique Jud. comm. 9. de Michaele dicitur, quod οὐκ ἐτόλμησε *ausus non fuerit Diabolo maledicti impingere notam*, id quod ad Filium Dei omnipotentem, omnium Judicem ac Dominum, referri indignum est. Nam licet talis increpatio qualis Jehovæ adscribitur Zach. III: 3. Filio Dei adscribi possit; non tamen satis consuli videtur honori Filii Dei, si quis dixerit, *non ausum fuisse* Diabolo maledictum ingerere: quum & Christus Joh. VIII: 44. ipsi perspicue maledixerit, & judex sit dæmonum, quos ultimo die ad æterna damnabit supplicia. His potissimum pugnant rationibus, qui per Michaelem non Christum, sed ex creatis Angelis aliquem, & cæterorum principem, intelligunt.

XVIII. *Michaelis nomen pie imponi potest personæ creatæ.*

XVIII. Ad objectas autem sibi difficultates, hoc fere modo respondent. Ad *primum* argumentum reponunt: Michael non commode verti, *qui est sicut Deus*, ut personæ isthoc nomine insignitæ paritas cum Deo notetur, sed vertendum esse interrogative, *quis est sicut Deus?* Nam vox Hebræa מי non est pronomen relativum, sed interrogativum: sicut usus demonstrat. Neque majestas Dei læditur, quum nomen hoc nudæ attribuitur creaturæ. Est enim integra enunciatio, continens confessionem infinitæ perfectionis, quæ soli Deo competit: cujus veritatis meditatio & Angelis & hominibus frequentanda est. Idcirco non aliquis solum Angelorum eo nomine venit, sed idem a piis parentibus liberis suis crebro impositum est. Num. XIII: 13. I. Chr. V: 13, 14. & VI: 40. & VII: 3. & VIII: 16. & XXVII: 18. 2. Chr. XXI: 2. Ezr. VIII: 8. Præterea synonymum & subli-

sublimius nomen מיכיהו *quis est sicut Jehova*, homini attribuitur. 1. Reg. XX I: 13. *Cloppenburgius*, quamvis in adversa sententia sit, pro ingenuitate tamen sua, rationem hanc invalidam esse fatetur *Anti-Smalc. Cap.* XVI. *Disput.* LIII: §. 18. *Non pugnamus*, inquit, *hic argumento illo quod urget Franciscus Junius, ex notatione nominis* מיכאל: *quasi postulet significari eum qui tanquam Deus fortis est & aequalis Deo. Concedimus* מִי *in hoc nomine non esse Qui, sed Quis: ut nomen habeat γνώμην istam, Quis est sicut Deus? Atque hac analogiâ pie etiam hominibus est impositum, qui illo insigniti leguntur.*

XIX. Ad *secundum* argumentum respondetur. Non minus creatum aliquem Angelum Archangelum dici posse, quam Beelzebul dicitur ἄρχων τῶν δαιμονίων. Mat. XII: 24. Et sane qui nunc malorum princeps est, eundem eorum principem fuisse quando adhuc boni erant, vero valde est consentaneum. Cur enim credamus malitia eum sua majorem in socios auctoritatem potestatemque esse nactum? *XIX. Eaque princeps bonorum Angelorum esse; aeque ac Beelzebul malorum.*

XX. Ad *tertium.* Revera boni Angeli Christi Angeli sunt; eique subjecti, uti summo Domino. Michaeli autem subjecti esse possent uti Principi, quem Filius Dei iis praefecit. Nam & Draconi sui adnumerantur Angeli. Atque eo ipso Apocalypsios Cap. XII. Christum a Michaele distingui videas. Repraesentatur enim Christus sub emblemate filii masculi, recens ex muliere nati, quem dum devorare conatur Draco, opponit se ei Michael pro Christo pugnaturus. *XX. Cui etiam sui Angeli attribuantur, non minus quam Draconi.*

XXI. Ad *quartum* haec dicuntur. Licet Christus sit jure summus & absolutus populi Judaici princeps, id non impedit, quominus & alius sub Christo princeps sit, qui ad ipsius nutum omnia dirigat. Nam & principatus nomina Angelis generatim attribuuntur Eph. 1:21. Col. 1:16. Et Michaeli alii principes primarii junguntur. Dan. X: 13. Denique quid obstat, cur non bonorum Angelorum princeps, princeps unius populi, Israëlitici nimirum, censeatur; quum Diabolus dicatur *Princeps hujus mundi?* Joh. XIV: 30. & κοσμοκράτωρ. Eph. VI: 12. imo *Deus hujus seculi.* 2. Cor. IV: 4. Illi certe hoc argumento niti aut uti non posse videntur, qui prolixe caeteroqui disputant Ecclesiam Veteris Testamenti Angelis fuisse subjectam. *XXI. Quae denique tam princeps populi Israëlitici esse potest, quam Diabolus princeps hujus mundi.*

XXII. Ad *quintum.* Apud Zachariam *Cap.* III: 2. neque Michaelis, neque Archangeli nomen exstare; nihil itaque inde inferri posse, nisi exstare Angelum Jehovae, qui & ipse Jehova sit. Hoc autem Orthodoxis extra controversiam est: quaeritur duntaxat, an Michael sit iste Angelus Jehova. Id vero neque ex Zacharia probari potest, ob rationem modo dictam: neque ex collatione Judae cum Zacharia. Non enim adeo certum, Judam ad eum Zachariae locum respexisse: *XXII. Zacharias de Angelo Domino non prorsus eadem dicit, quae Judas de Michaele.*

quandoquidem de re agitur diversissima. Nec locutio prorsus est eadem. In eo conveniunt, quod & Angelus Jehova, & Michael dixisse narrantur, *Increpet te Dominus*. Et sane utrumque illud dignum utroque est. Filium Dei decet sententiam ferre in nomine Patris: & Michaelem in nomine Dei judicis. At de Michaele scribit Judas, *non ausum fuisse* maledictum ingerere Diabolo. Quod de Angelo Jehova nequaquam scribit Zacharias. Et sane, quomodocunque explices, durum dictu est, Filium Dei non audere maledicere Diabolo. Quum enim toties maledixerit, & væ denunciaverit atque intentaverit hominibus nequam, qui Diaboli semen sunt: quidni ipsi Diabolo, cunctorum hostium suorum principi? Quamvis etiam œconomice Christum consideres, eâ quoque χέσει constitutus a Deo diaboli judex est: quænam itaque in eo est τόλμα, si pro officii sui ratione agat?

XXIII. *Hebræorum commentationes de Metatron Cabbalisticæ sunt.*

XXIII. Ad *sextum* reponi potest. Neminem esse mortalium qui antiqua ista Hebræorum dictata pro sufficienti argumento venditare velit. Quæ de Michaele & Metatron Rabbini nonnulli garriunt, pluribus invitis, ea Cabbalisticas ut plurimum nugas esse: quibus id unum insit sani, quod Angelus aliquis prædicetur, qui supernus Pontifex sit, & per quem accessus nobis paretur ad Patrem. Cujus momentosæ ac fundamentalis veritatis reliquias læti in Hebræorum libris legimus. Et sic sese vim intortarum sibi rationum satis elisisse viri docti arbitrantur.

XXIV. *Tuba Archangeli notare potest tubam Christi, qua se Angelorum demonstret Dominum.*

XXIV. Cæterum nec adversæ sententiæ patroni, qui Michaelem & Christum pro eodem habent, ad primum conflictum victas facile manus dant: se quoque instructos umbone rati, quo immissa retudant spicula. Non enim deesse sibi quod contra argutantibus reponant. Postulat itaque æquitas, ut quæ dicunt ordine singula expediantur. Ad *primum* argumentum observat *Cloppenburgius*, *loco citato*, §. 23. minime liquidum esse, quod 1. Thess. IV: 16. Archangelus a Christo Domino & Judice distinguatur: possumus enim dicere, simile hic esse schema dictionis, 1. Sam. III: 21. *quoniam manifestaverat se Jehova Samueli in Siloh*, *in verbo Jehovæ*. Ut, quemadmodum illic exponendum est, *in verbo Jehovæ*, *in verbo suo*; similiter & hic celeusma, & vox Archangeli, nec non Dei tuba, intelligatur celeusma, & vox ac tuba ipsius Christi Domini, qua in glorioso illo adventu suo se demonstrabit Archangelum & Deum. Eleganter, ut solet, *Vogelsangius*: *Exerc. Theol. p.* 623. *Tantum singulari numero Archangelum legimus. Qui Christus est, Salvator. Qui & venturus aliquando dicitur cum celeusmate atque voce Archangeli, hoc est tali cum voce, qua sese demonstrabit principem Angelorum, quaque pro auctoritate omnes*

omnes illos adesse jubebit; tanquam satellites. Ne quis creatum Angelum, quasi æneatorem Christi, & anteambulonem forte imaginetur. In eundem sensum *Coccejus*, aliique.

XXV. *Unus aut primus principum primariorum non est redigendus in eorum ordinem.*

XXV. Ad *secundum.* Idem qui dicitur *Angelus Interpres, unus ex mille*, Job. XXXIII: 23. non est utique in millenorum istorum ordinem cogendus, sed omnibus immensum quantum potior. Unus principum primorum Dan. X: 13. est primus principum, maximus inter principes, ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς. Col. II: 10. Idem qui Dan. *Cap.* VIII: 25. vocatur *princeps principum.* Non ejusdem cum cæteris ordinis, sed ἐν πᾶσι πρωτεύων. Col. I: 18.

XXVI. *Gabriel uno Michaele adjutore contentus fuit.*

XXVI. Ad *tertium.* Dan. X: 21. non queritur Gabriel de difficultate operis postquam adjutorem nactus est Michaelem; sed eo uno adjutore contentus, certam sibi pollicetur victoriam. Neque ullus creatus Angelus habet vim & jus ad eripiendum Diabolo principatum mundi, atque ita rescindendum sententiam legis addicentis peccato & seductori regnum in omnes homines. Sic *Coccejus*.

XXVII. *Michael non distinguitur a Christo, sed a Gabriele.*

XXVII. Ad *quartum.* Dan. X: 13. Michael non distinguitur a Christo, sed a Gabriele. Non est diffitendum, Christum esse qui describitur vers. 5, 6. Cæterum is qui Danielem tetigit, compellavit, informavit, distinctus est ab eo qui in antecedentibus laudatur; & probabile est, fuisse Gabrielem. Cui eadem ista tribuuntur Dan. VIII: 18. & IX: 21. Et sane forma tangentis Danielem, fuit *instar filiorum hominis*, vers. 16. distincta ab augustiori forma illius qui ex adverso Danielis stabat. Denique verba ipsa vers. 13. non conveniunt Filio Dei. Non est Christi dicere, *Michael venit ad juvandum me; ego relictus sum apud Reges Persiæ.*

XXVIII. *Οὐκ ἐτόλμησε notare potest, non duxit consultum.*

XXVIII. Ad *quintum.* Pridem a viris Græcæ linguæ peritissimis observatum est, quod τολμᾷν non solum sit *audere*, sed & καρτερεῖν *sustinere*: ut in *Euripide*: τολμῶ μεθεῖναι, *sustineo dimittere.* Et *Plato*: III. *de Republ.* τολμήσει ἀπέχεσθαι, *sustineat abstinere.* Sic & Rom. V: 7. τολμᾷ ἀποθανεῖν, *sustineat mori.* & XV: 18. οὐ γὰρ τολμήσω λαλεῖν, *non enim sustinuerim loqui.* Ita & Christus hoc loco, a Diabolo ἀντιλεγόμενος, imo λοιδορούμενος, ipse ἀντιλοιδορεῖν, & ἀντιβλασφημεῖν οὐκ ἐτόλμησεν, id est, *non sustinuit, non animum induxit.* Non quod ulla vel Diaboli reverentia absterreretur, vel compesceretur metu legum; sed quod ipse se comprimeret, nobis mansuetudins ac patientiæ exemplum præbiturus. Latini quoque dicunt *audeo* pro *volo*, ut in illo, *fac sodes*, id est si audes.

XXIX. *Sunt qui putans per*

XXIX. Denique multi exstant eruditi Interpretes, qui aliquando per Michaelem Christum, aliquando creatum aliquem Angelorum prin-

Michaelem, aliquando Christum, aliquando creatum Angelum designari.

principem designari arbitrantur: uti nomen Messias & Sauli & Cyro & Domino nostro; nomen Josuæ & filio Nuni, & filio Jozedeci, & filio Dei ac Mariæ, diversissimo significatu attribuitur. Diversitatem autem hanc dignoscendam existimant ex diversis prædicatis. Hoc nixi fundamento, nomen Michaelis Christo adscribunt Apoc. XII. Creato Angelo Dan. X: 13, 21. Jud. vers. 9. 1. Thess. IV: 16. Vide Belgas ad loca allegata.

XXX. Ἐπίκρισις.

XXX. Meam si quis sententiam cognoscere desiderat; is sic habeto. Hactenus existimavi & docui, loca omnia quæ de Michaele agunt, de Filio Dei, Angelo fœderis, Christo Domino, intelligenda esse. Neque est quod illius me interpretationis pœniteat pigeatve. Nam præterquam quod præstantissimos secutus sum auctores; rationes pro ista parte, non quidem singulæ, at cunctæ tamen & in cumulo sumtæ, potiores mihi visæ sunt. Non tamen ita, ut putem eam sententiam nimis asseveranter & dictatorie esse urgendam; quum & aliquid reponi rationibus illis queat: & adversæ sua non destituantur probabilitate. In talibus quæstionibus magis mihi placet hæsitantis ingenii modestia, quam considerata determinandi pervicacia.

EXERCITATIO V.

AD

GALAT. IV. 21-26.

DE

MONTE AGAR.

BREVIARIUM.

I. Exercitationis occasio, & institutum. II. Thema quod explicandum est. III. Suis, tam in verbis, quam in re ipsa, laborans difficultatibus. IV. Octo difficultates in verbis. V. Discussio difficultatis PRIMÆ. *VI.* SECUNDÆ. *VII.* TERTIÆ. *VIII.* QUARTÆ. *An Sina, vel alius aliquis Arabiæ mons, Agar dictus sit. IX. Non est solide a viris erudi-*

eruditissimis probatum. X. Sunt qui expungant illud, τὸ γὰρ Ἄγαρ. XI. Bentleji conjectura. XII. Confutata. XIII. Agar Sina dici potest, ob significationis convenientiam. XIV. Nova viri docti observatio. XV. Altera nova. XVI. QUINTÆ *difficultatis solutio. XVII.* SEXTÆ. *XIX.* SEPTIMÆ. *XX.* OCTAVÆ. *XXI. Difficultates in rebus ipsis. XXII. Perperam allegoriæ huic negatur vis argumenti. XXIII. Quæ non tam ab Apostolica auctoritate arcessenda est. XXIV. Quam ex rei evidentia. XXV. Duo fœdera non sunt hic fœdus Operum & Gratiæ. XXVI. Sed fœdus Sinaiticum Legale, & fœdus pure Evangelicum. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. Concinna typorum cum antitypis convenientia. XXXI. Conclusio.*



INter δυσνόητα, quæ in Paulinis Epistolis Petrus laudavit, haud postremum sane locum ista tenet pericopa quam explanandam mihi sumsi. Quippe quæ ab ipsis propemodum Ecclesiæ Christianæ incunabulis, uti præstantissimorum Interpretum solertiam vexavit, ita & varie ab iis vexata est. Novis autem curis occasionem dedit recens observatio doctissimi viri, RICHARDI BENTLEJI, qui in Epistola ad *Joannem Millium*, excusa ad calcem *Historiæ Chronicæ Joannis Malalæ*, animum induxit suum, non quidem Pauli Scripturam, sed eam quæ nunc exstat, imperitorum hominum audacia, uti caussatur, insigniter corruptam, obeliscis aliquot configere, & variarum vocum ac constructionum mutatione non temnenda, pristinæ, uti autumat, integritati restituere. Ego vero ita commentationem hanc comparabo, ut servatis quæ nunc exstant verbis, eorumque ordine, difficultates omnes, pro mea copia, si non expedire, de quo despero, saltem aliquanto minores reddere annitar. I. *Exercitationis occasio, & institutum.*

II. Ante omnia igitur necessarium erit ut ipsam Pauli ῥῆσιν legentium oculis subjiciam, addita, in juvenum nostrorum gratiam, Latina *Theodori Bezæ* versione. Sic ergo Paulus GAL. IV: 21-26. II. *Thema quod explicandum est.*

21. Λέγετέ μοι οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι, τὸν νόμον οὐκ ἀκούετε;	21. *Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non auditis?*
22. Γέγραπται γὰρ, ὅτι Ἀβραὰμ δύο υἱοὺς ἔσχεν, ἕνα ἐκ τῆς παιδίσκης, καὶ ἕνα ἐκ τῆς ἐλευθέρας.	22. *Scriptum est enim Abrahamum duos filios habuisse; unum ex ancilla, & unum ex libera.*

23. Ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἐκ τῆς παιδίσκης, κατὰ σάρκα γεγέννηται· ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐλευθέρας, διὰ τῆς ἐπαγγελίας.

23. Sed is qui ex ancilla natus est, secundum carnem natus est; qui vero ex libera, per promissionem.

24. Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι. μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ.

24. Per quæ aliud figuratur. Nam hæ sunt duo illa fœdera: unum quidem quæ est Agar ex monte Sina, generans prolem ad servitutem.

25. Τὸ γὰρ Ἄγαρ, Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ· συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ, δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς.

25. Illud enim Agar, est Sina mons in Arabia: eâdem autem serie respondet ei Hierosolymæ quæ nunc est: servitque cum filiis suis.

26. Ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν.

26. Illa vero quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum.

III. Suis, tam in verbis, quam in re ipsa, laborans difficultatibus.

III. Fieri vix potest, quin attento, vel certe scrupuloso, lectori variæ subnascantur difficultates, quarum aliæ fortassis exiguæ, nec multo labore superabiles, aliæ gravioris momenti, videri possint: aliæ in *verbis* latent, aliæ in *mente* divini scriptoris indaganda. Mihi nullas, quæ quidem animo occurrunt, dissimulare certum est: quo uberior diligentiæ meæ, & si qua est, industriæ, materia suppetat.

IV. Octo difficultates in verbis.

IV. In verbis occurrunt ista. I. Quod commate 21. in posteriore coli parte Apostolus LEGIS vocabulo abuti videatur, eo nomine intelligens historiam cum allegorica sua interpretatione: quam anquiri meretur, an valide opponat iis qui *Legis*, proprie & stricte sic dictæ, τὸ ῥητὸν, pro sua allegabant sententia. II. Si commate 24. versionem *Bezæ* sequamur, quomodo Agar est EX MONTE SINA, quum constet eam fuisse Ægyptiam? Commodene ex monte Sina esse dicitur, *quia ipsa cum Ismaele & nepotibus suis in Arabia habitavit?* quod obtendit *Beza*. Vel si legamus, ut Græca suadere videntur, prius fœdus esse ex monte Sina, an concinne de isthoc fœdere dicitur, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ; QUOD EST AGAR? *Hoc mihi*, inquit *Beza*, *videtur violentum. Sic enim cogimur exponere* EST, *non pro* significat, *sed pro* significatur. *Deinde commodius dicitur* Agar gignere filios, *quam ipsum fœdus, quod adumbratur per Agar: ut fœdus potius* feminis, *quam* matris *rationem in hac anagoge sustineat.* III. Quum hactenus de Agare fœminino genere locutus sit, cur repente stilum vertit comm. 25. dicitque τὸ Ἄγαρ? IV. Qua

Qua subita μεταμορφώσει ancillam Abrahami, matremque Ismaelis, transformat in MONTEM, & nominatim in MONTEM SINA? An SINA, vel alius aliquis in Arabia mons ei vicinus, dictus fuit AGAR, nomine tam noto, ut supponi id, tanquam indubitatæ veritatis, ab Apostolo debuerit? V. Quomodo *mons Sina* συστοιχεῖ, EADEM SERIE RESPONDET, *Hierosolymæ* terrestri, a qua longo terrarum tractu sejunctus est? VI. Quid notant ἡ νῦν Ἱερουσαλὴμ, QUÆ NUNC EST JERUSALEM, & ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, JERUSALEM QUÆ SURSUM EST? VII. An justa ista oppositio est? quum hoc sit adverbium *loci*, illud *temporis*; locus autem loco, aut tempus tempori opponi debuisse videatur. VIII. An tota Pauli ratiocinatio satis methodice procedit? An non versus 26. accurate deberet complecti ea omnia quæ sunt ἀντίστοιχα, ex adverso respondentia iis quatuor quæ versu 24. & 25. memorata sunt? Memoraverat ibi *unum* sive *prius fœdus*, *montem Sina*, *Agarem*, *Hierosolymam quæ nunc est*: annon hic quoque distincte memorari oportuit, *alterum fœdus*, *mons Sion*, *Sara*, *& Hierosolyma quæ sursum est*? Hac ferme, aut simili ratione: *Alterum vero, quod est a monte Sion, ad libertatem generans, quod est Sara, & respondet Hierosolymæ quæ sursum est, quæ est mater omnium nostrum.* Atque hæ sunt difficultates quas in verbis observavi: quibus expeditis in re ipsa pauciores esse deprehendentur. An autem, & quo potissimum modo, expediri queant, ordine experiamur.

V. Discussio difficultatis PRIMAE.

V. Initium faciamus a PRIMA. Adeo necesse non est in oratione eodem semper vocabulo eâdem significatione uti, ut pars oratoriæ elegantiæ sit significationem acute variare. Eam locutionis figuram *Antanaclasin* dicunt Rhetores: quæ & ipsi Apostolo nostro in deliciis fuisse videtur; eâ quippe frequenter uso. Pro exemplis sint hæc paucula. 2. Cor. V: 21. *Fecit ut qui non novit* peccatum, peccatum *pro nobis esset*; ubi *peccatum* prima coli parte *delictum* & *crimen* notat, altera *sacrificium pro peccato.* Gal. III: 13. *Christus redemit nos ab* exsecratione *Legis, factus pro nobis* exsecratio. Ubi *exsecratio* priori loco significat statum illum miserrimum in quo sunt peccatores virtute comminationum legalium, posteriori personam quæ velut sponsor, vel veluti victima succidanea, exsecrationem aliis debitam sponte in se suscepit. *Chrysostomus* & aliam antanaclasin in eodem hoc Pauli dicto observat. Distinguit enim inter eam exsecrationem quam transgressoribus intentat Lex, & eam de qua scriptum est, *Exsecrabilis qui pendet in ligno*: hanc sustinuisse Christum, ut ab illa nos liberaret. Ἐπεὶ οὖν καὶ ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου ἐπικατάρατος, καὶ ὁ τὸν νόμον παραβαίνων ἐπικατάρατος, μέλλοντα δὲ ἐκείνην λύειν κατάραν ὑπεύθυνον οὐκ ἔδει γενέσθαι αὐτῆς, δεῖ δὲ δέξασθαι κατάραν ἀντ' ἐκείνης, τοιαύτην ἐδέξατο· καὶ δι' αὐτῆς ἐκείνην ἔλυσε. Mitto id genus alia.

Hoc

Hoc unum præterire non possum, quod in ipsa voce *Legis* alibi quoque eadem variatæ significationis elegantia utatur. Rom. III: 21. *Nunc vero absque* LEGE *justitia Dei manifestata est, comprobata testimonio* LEGIS *ac Prophetarum. Sine Lege*, id est non ex tali dicto Dei quod præscribit homini officii alicujus præstationem, uti conditionem vitæ æternæ. *Testimonio Legis*, id est, doctrinæ in libris Mosis, qui *Lex* dicuntur, comprehensæ. Similiter in hac ipsa ad Galatas epistola Cap. II: 19. *Ego enim per* LEGEM LEGI *mortuus sum.* Hoc est, per promissiones illas quæ de Messia agunt, & spem faciunt meliorum temporum, quas ipse Legislator Moses suis tradit voluminibus, edoctus sum, & convictus, non teneri me amplius obligatione Legis ceremonialis, aut alterius ullius, ut in ejus observantia justitiam & vitam quæram. Iterum hic loquatur *Chrysostomus.* Τουτέστιν, αὐτός με ὁ νόμος ἐνήγαγεν εἰς τὸ μηκέτι προσέχειν αὐτῷ. εἰ τοίνυν μέλλοιμι αὐτῷ προσέχειν, καὶ αὐτὸν παραβαίνω. Πῶς καὶ τίνι τρόπῳ; Μωϋσῆς φησι, προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει Κύριος ὁ Θεὸς ἐκ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, ὡς ἐμὲ, αὐτοῦ ἀκούσεσθε, περὶ τοῦ Χριστοῦ λέγων· ὥστε οἱ μὴ τούτῳ πειθόμενοι παραβαίνουσι τὸν νόμον. Sueto itaque sibi more agit Paulus nihil istâ quidem dictionis figura ab oratoria recedens elegantia, quando hoc quoque loco *Legis* vocabulum diversa notione adhibet. *Qui sub Lege esse* vultis, qui tam sponte Legis jugum subitis, ut in ea partem saltem justitiæ vestræ quæratis, Legem non auditis? non attenditis ad ea quæ alibi in Legis volumine exstant, quæque ad Legislatoris mentem rite percipiendam valde conducunt? Fallebantur sane, & fallebant illi, qui in hac controversia τὸ ῥητὸν Legis obtendebant. Paulus τὴν διάνοιαν Legislatoris, ex collatione Scripturarum, sapientissime enucleavit. Legem autem vocat, non suam allegoricam expositionem, sed historiam Mosaicam, quæ allegoriæ dedit occasionem. Porro quam conveniens, sapiens, firma, allegorica historiæ Mosaicæ tractatio sit, in difficultatum realium enodatione examinabimus.

VI. SECUNDA. VI. ALTERAM nunc difficultatem discutiamus. Non impetrat assensum meum *Beza*, ita Pauli verba transponens comm. 24. quasi diceret, *Agarem esse ex monte Sina, & generare prolem ad servitutem:* quum palam id dicatur de priori fœdere, sive testamento, quod in monte Sina publicatum est. Neque quas objicit *Beza* rationes ullius videntur esse valoris. Nam ut a priore ordiar, velim doceri quidni concinne dicatur *Vetus Testamentum est Agar?* Quid obstat quo minus verbum *Est* pro rei exigentia diversa significatione veniat? & nunc notet *significat*, nunc *significatur*? Bene ὁ κριτικώτατος *Grotius*: *hic contra rei significatæ nomen dat rei significantis. Sensus enim est, per Agar significari fœdus in Sina factum.* Nec sine exemplo est, ut verbum *Est* tantun-

tundem valeat ac *significatur*. Sic enim Christus Joh. VI : 41. *Ego sum panis ille qui e cœlo descendit.* Quod perinde est ac si dixisset, *Ego sum Manna*, id est, ego præsignificatus sum per manna in deserto, de quo scriptum est, *Panem e cœlo dedit eis quem ederent*. Confer. comm. 31. Porro quid frequentius est, quam ut res significata nomine rei significantis veniat? Quoties *Christus* dicitur *David; Johannes, Elias; Cælum*, *Paradisus; Ecclesia* Novi Testamenti, *Jerusalem*, vel *Templum; Gratia Christi*, *Arbor vitæ*, & *Manna absconditum*; & quæ id genus sunt innumera. Cur itaque violentum censebitur, si prius testamentum dicatur Agar? Hæc enim alternantur : si Agar est testamentum prius, testamentum prius quoque est Agar. Alteram *Bezæ* rationem quod attinet; nihil in eo duri deprehendo, quod *fœdus* dicatur *gignere*. Cum enim fœdus *matri* comparetur; qua in re simile matri erit, demtâ *generatione*? *Calvinus* quidem observavit, durum esse ut in neutro genere *testamentum* vocetur mater : ideoque maluit transferre per *pactionem*, ne perderetur gratia similitudinis. Sed hoc propemodum nihil est. Certe non nisi Romanas aures offenderet. Paulus vero Græce scribens, fœminino genere dixit, διαθήκη γεννῶσα. Porro quæ sequuntur apud *Calvinum* optima sunt. *Jam*, inquit, *Apostolus rem ipsam proponit, quod sicut in domo Abrahæ duæ matres; ita etiam in Ecclesia Dei. Doctrina enim mater est, ex qua nos Deus generat : ea est duplex*, Legalis *&* Evangelica. Legalis *in servitutem generat : est similis Agar*, &c.

VII. TERTIA difficultas pertenuis, prorsusque, si in se sola spectetur, Grammatica est; eamque, nisi majora subessent, unicâ & brevicula observatione tollere possemus, cum *Heinsio*, haud obesæ profecto naris Critico, dicentes : τὸ τεχνικῶς *sumitur*, *quomodo*, *qui glossas*, *hoc est*, *peregrinas interpretantur voces*, *uti eo solent. Tò enim Agar sic interpretatur, quod est mons Arabiæ, ac peregrinus.* Hæc *Heinsius*; qui quum *Agar* הגר *peregrinam* interpretatur, supponit esse nomen Hebraicum, derivandum a radice גור, quæ *peregrinari* notat. At vera hujus qualiscunque difficultatis solutio dependet a sequentibus. VII. TERTIA.

VIII. Id enim porro inquirendum, quomodo AGAR tam subito in MONTEM mutetur, & montem quidem SINA. Hic sudat quidquid est Interpretum. Nonnulli magna sibi sumunt fiducia montem *Sina* Arabibus dictum fuisse *Agar*. In ea opinione fuit *Chrysostomus* : Ἄγαρ ἐλέγετο ἡ δούλη. Τὸ δὲ Σινᾶ ὄρος οὕτω μεθερμηνεύεται τῇ ἐπιχορίῳ αὐτῶν γλώττῃ· ὥστε τοὺς ἐκ τῆς παλαιᾶς τικτομένους πάντας ἀνάγκη δούλους εἶναι. *Grotius* annotat : *Mons Sina, ubi factum est illud fœdus, vocatur Agar* κατὰ συνεκδοχὴν *nempe, quia ibi & opidum* Agra *Plinio*, Agara *Dioni in rebus Trajani; gens ipsa* Ἀγαρηνοὶ, *& Chaldæi* אגרי. Aliquanto propius accedere videtur *Lu-* VIII. QUARTA. *An Sina, vel alius aliquis Arabiæ mons, Agar dictus sit.*

dovicus Cappellus: qui, *forte, inquit, in his verbis Apostolus allusit ad ipsum vocis Agar sonum, quasi Agar idem esset quod Arabice* חגר *sive* חגרת, *quod illis significat petram, sive lapidem. Unde etiam Petra, Arabiæ Petrææ metropolis, dicitur Arabice* חגרת. Post pauca sic pergit: *Quandoquidem ergo Arabice* חגר *petram significat, jam vero petra & mons idem ferme sunt, quasi Ἄγαρ esset quod Arabicum* חגר, *videtur Paulus, alludendo ad duarum illarum vocum soni affinitatem, dixisse*, Τὸ Ἄγαρ ὄρος ἐςὶν ἐν Ἀραβίᾳ. Non multum a *Cappello* abludit *Bochartus Phalegi Lib.* IV. *Cap.* XXVII. *Arabia Petræa non dicitur a Pathros, sed a metropoli Petra, cujus Hebræum nomen* סלע *Sela.* 2. *Reg.* XIV: 7. *& Jer.* XVI: I. *& Arabicum* חגר *Hagar Geographo Nubiensi Clim.* III. *parte* V. *Hebræis* סלע, *& Arabibus* חגר, *id ipsum sunt quod Græcis* πέτρα. *Atque hoc nomen urbi inditum, quia illi imminent saxosi montes, de quibus ita Geographus Arabs: Agar distat a torrente Kora (Cory fluvio Herodoti) statione una, estque arx pulcre sita inter montes, in quibus commorabatur filia Tamud, suntque ibi domus excisæ in Petra.* Hæc quum scripsisset vir, ipsa fatente invidia, gentis ac seculi sui decus, subjungit: *Hos montes Arabica voce* Ἄγαρ, *id est Petram, appellat Paulus, Galat.* IV: 25. *tanquam urbi cognomines.* *Golius* etiam, in voce חגר, monet, *nomen hoc esse primariæ urbis in Bahrein, provincia Arabiæ.*

IX. Non est solide a viris eruditissimis probatum.

IX. Equidem inficias neutiquam ivero, eruditissime hæc a maximis viris esse observata; attamen an ad hanc rem valde faciant, vehementer dubito. Quæcunque enim tanta diligentia collegerunt viri doctissimi, non conficiunt tamen, nisi oppidum aliquod extitisse in Arabia, cui nomen Agar. Nullo modo conficiunt, montem aliquem eo nomine fuisse: neque enim oppidum Agar in monte structum fuit, sed situm inter montes, ad torrentem, & sic dictum, quod saxosi montes illi imminerent, uti modo ex *Geographo Nubiensi* & *Bocharto* didicimus. Quod autem addunt viri magni, ab oppido, κατὰ συνεκδοχὴν, denominatos esse omnes in vicinia montes, id de suo addunt; nullo, quod vidi, veterum adducto testimonio. At liberales simus, plenaque largiamur manu, fuisse non unum aliquem, sed plures in Arabia montes, qui dicebantur Agar; quid hoc ad montem Sina? Num idcirco Paulo licuit dicere, Ἄγαρ esse Sina? quod neque Divini fœderis tabulæ, neque veterum quorumcunque testantur monumenta. Hæc sine dubio *Coccejum* moverunt, ut memoratis iis quæ modo ex *Grotio*, *Golio*, *Bocharto* laudavimus, sic concluderet: *De quibus rebus quum nobis parum constet, sufficit, Apostolum hic innuere, Israëlitas stantes ad montem Sina, ut ibi acciperent Legem, in deserto, & non prius in terram introductos, habitos esse ut incolas illius loci, in quo acceperint*

rint Legem: qui Arabes sunt, Ismaëlis posteri, adhuc matrem suam profitentes. Verum esto, voluerit id Apostolus: an idcirco dicendum ei fuit, *Agar est Sina?*

X. Tanti difficultas ea quibusdam æstimata est, ut textum Græcum sollicitaverint. *Zegerus* non dubitat scribere: *præstaret, ne dicam deberet, illud Agar abesse. Cornelius a Lapide* hinc argumentum pro Vulgata sua Versione supra editionem Græcam conficit. Caussatus *orationem, uti se ibi babet, biulcam & distortam esse*, subdit: *videntur ergo Græca hic, uti & alibi, esse corrupta, legendumque, ut noster legit*, (Sina enim mons est in Arabia, *omissa voce Agar*) *uti & Beza fatetur: hæc enim lectio plana est, vera, & certa.* Ita *a Lapide. Bezæ* autem mens ex posterioribus ejus curis optime cognoscetur. *Vetus*, inquit, *Interpres, expuncto Agaris nomine, legit*, Sina enim mons est, &c. *ut citat etiam hunc locum Augustinus, Libro de utilitate credendi, Cap.* 11. *& Origenes in Cantic. Cantic. Homil.* II. *& certe non videtur necessaria repetitio nominis Agaris, quæ etiam superiore versu non dicitur esse Sina, sed vetus illa pactio, quæ ex Sina monte, ubi sancita fuit, servos liberos gignat. Nolui tamen receptam Græcam lectionem immutare: quod, in priore editione a me factum, video quibusdam, etiam ex iis qui alioqui veterem Latinam editionem ipsi Græco contextui anteponunt, displicuisse.* X. *Sunt qui expungant illud, τὸ γὰρ Ἄγαρ.*

XI. Aliam ingressus viam haud paullo ulterius sibi procedendum ratus est RICHARDUS BENTLEJUS, vir Græcanicæ eruditionis callidissimus, laudata initio hujus diatribes Epistola ad *Joannem Millium*, circa finem, *p.* 97. Lubet illi retinere vocem Ἄγαρ, sed ea lege, ut integram istam pericopam Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν Ἀραβίᾳ, expungat. Scilicet conjectat, e regione verbi Σινᾶ adnotasse olim quempiam enarrationis caussa, Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, *Sina iste, quem memorat Apostolus, mons Arabiæ est;* ea vero verba, non multo post, ut sæpe usu venit, de libri margine in orationem ipsam irrepsisse: nam Apostoli quidem ea non esse, sed παρεμβεβλημένα, ex ipso statim vultu & colore, totiusque adeo corporis filo, cognosci posse. Idcirco paratum se esse pronunciat ὀβελίζειν hunc locum; nisi secus amico suo videatur. At, qua est ingenuitate, ipse fatetur, ut vera sit ista, sive opinio, sive suspicio sua, necesse esse illud γὰρ, quod vocem συστοιχεῖ proxime subsequitur, pro supervacaneo auferri. Atque hic admodum sibi gratulatur, quod quatuor ad minimum MSS. libros compererit conjunctionem istam non agnoscere. Ex hoc, quamvis pertenui, indicio assurgit animus ad magnificam istam plenamque fiduciæ orationem: *Quis dubitet, quin melior multo & apertior fiat sententia, si auctoritate manu-* XI. *Bentleji conjectura.*

 scripto-

scriptorum expungatur δὲ, *tum autem* Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ *de medio discedant*; *& totus deinde locus sic legatur*, Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο Διαθῆκαι, μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ. Τὸ δὲ Ἄγαρ συστοιχεῖ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ. δουλεύει γὰρ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Ita γὰρ & δὲ. locum inter se permutare jubet, fide, ut ait, MS. Alexandrini, & aliorum. Postquam vero prospere hæc ipsi conjectura processit, & mons iste Arabiæ omnibus istis machinis loco motus est, majorem sibi sumit conjectandi fiduciam: & quia verba textus post eam correctionem necdum satis leniter fluere videntur, facile animum induxit suum, ut crederet hoc modo scripsisse S. Paulum: Τῇ δὲ Ἄγαρ συστοιχεῖ ἡ νῦν Ἱερουσαλὴμ, δουλεύει γὰρ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Ἡ δὲ ἄνω, &c. *Agari autem respondet Jerusalem quæ nunc est: servit enim cum liberis suis. Quæ vero supra est Jerusalem libera est,&c. postea vero adulterina ista sese insinuasse hoc exemplo*, τῇ δὲ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ συστοιχεῖ ἡ νῦν Ἱερουσαλὴμ. *Quum autem hæc oratio in manifestum solœcismum cadat, simile vero esse* putat, *ne dicam necessarium, verba ista* τῇ & ἡ *ita brevi immutata esse, quemadmodum hodie vulgo feruntur.* Hæc *Bentlejus.*

XII. *Confutata.* XII. Ceterum nihil horum est, quod animo satisfaciat meo. Non enim a me impetro ut expungi sinam τὸ Ἄγαρ, contra plerorumque & optimorum codicum Græcorum, contra Patrum ejusdem linguæ Paulinas epistolas interpretantium, contra versionum antiquissimarum, Syriacæ etiam atque Arabicæ, consensum. Dignam autem laude *Bezæ* ingenuitatem censeo, qui, quamvis non contemnendam in hujus vocis retentione difficultatem animadverteret, posterioribus tamen curis receptam Græcis lectionem non immutare satius duxit. Quam vero viam insistere clarissimo *Bentlejo* libuit, ea mihi mirabilis oppido, & ab hominis modesti ingenio perquam aliena visa est. Nimirum nihil est ad tollendas difficultates facilius, quam ipsa illa ex orationis contextu, pro arbitrio & auctoritate, verba effurcillare in quibus difficultas hæret. Nihil mihi unquam in quocunque auctore tam abstrusum erit, quod non promtissime expediam; si liceat eam sermonis partem quæ molestiam facessit, una cum importuna ista sua molestia, ultra Thulem in Cimmerias tenebras relegare; & quæ in orationis serie exilio isti reclamant, Dictatoria potestate in ordinem redigere. Conjecto, inquit vir longe doctissimus, ista verba, *Sina mons est in Arabia*, ex margine in textum irrepsisse. Quid porro? Conjecto, istud δὲ, quod verbum συστοιχεῖ sequitur, tollendum esse e medio. Etiamne? Conjecto, Apostolum pro eo quod nunc legitur, τὸ γὰρ Ἄγαρ συστοιχεῖ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ, scripsisse τῇ δὲ Ἄγαρ

συστοι-

συστοιχεῖ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ. Jamne conjectandi finis est? At pace tua, virorum optime, velim scire, quis tibi tot, talia, tanta, conjectandi fecerit facultatem? Quo auctore, cujus antiquæ versionis, cujus MS. fide, exulare jubes agnitam hactenus ab omnibus, Apostolici sermonis pericopam? A quo, quomodo, quando, margini primum adscripta, mox textui inscripta est? Qui factum, ut in omnibus quotquot hodie nota sunt exemplaribus, in omnibus veterum commentariis, in versionibus omnibus, nullo ante te fraudem subolfaciente, ineptum illud, uti tu credis, assumentum pro purpura Apostolica agnitum sit? Adeone universalem scioli unius imperitia, uniusve librarii incuria, corruptionem, tantillo, quod factum oportuit, tempore, in Divina potuit inducere volumina? Cui hæc persuadebuntur, nisi supra communem Theologorum sortem impense credulo? Mea certe mens de isthoc genere conjecturis non pascitur. De conjunctione δὲ non moveo controversiam. Ad textus enim integritatem nihil pertinet, sive δὲ legatur, quod plerique habent codices, sive γὰρ, quod habent pauciores, sive prorsus desit, ut est in paucissimis. At tuæ illud nostrum δὲ crux conjecturæ est; ideoque ex pauculorum manuscriptorum fide tam magnifice de illius expulsione triumphas. Cæterum qua tandem auctoritate, qua probabili ratione, reliqua Apostolici sermonis membra, sic uti tibi commodissimum videtur, reconcinnas? eadem propemodum fiducia, ac si Apostolo hæc dictanti a manu fuisses. In profanorum tractatione auctorum has Correctoribus leges sanxit Senatus Populusque Criticorum: *Si quis e libris bonis fidisque correxerit, laudi semper esse. Si quis e conjecturis, noxæ. Nisi ea clara, liquida, certa sint. Qui aliter cunque divinationibus usus, in eo leges veteres, & edicta de Mathematicis valere: Porcias, Fabias, Sempronias leges non valere.* Enimvero si tam ridicule a viris cordatis ac seriis audaces illi *Plauti* alicujus, *Ciceronis*, vel *Ovidii* correctores excipiantur, qua non reprehensione digni sunt, qui tantum sibi juris in sacratissima sumunt religionis nostræ oracula? Equidem centies ignorantiam & stuporem meum confiteri mallem, quam ex nescio qua conjectandi audacia receptam ac constantem Divinarum literarum lectionem temerare.

Lipsii Satyra Menippæa.

XIII. Huccine igitur deveniendum denique erit, ut fateamur, verba, prout nunc habent, nulla a viris doctis commoda interpretatione exponi posse? Non putem. Si non vera, at vero proxima eorum mihi sententia videtur, qui hic, ut in antecedenti commate, *est* sumunt pro *significat*. *Agar est Sina mons.* h. e. *significat Sina montem*, sive significat idem quod Sina significat, in significatione cum

XIII. *Agar Sina dici potest, ob significationis convenientiam.*

Sina convenit. Sic *Heinsius*: *Ac si dicat, vox enim Agar Sinæ respondet, qui mons est Arabiæ, ac peregrinus. Quæ ut alia extra promissionis terram, ita Judæorum Hierosolymæ respondet, quæ & ipsa legi nunc adhæret, multum dissimilis cœlesti illi, cujus filii nos sumus. Tantum abest, ut aut montem Arabiæ, aut eandem cum Sina fuisse Agar dicat.* Adeo perspicuam interpretationem eam esse *Calvinus* credidit, ut miratus fuerit non cuivis extemplo in mentem venisse. *Nam futilis est*, inquit, *conjectura Hieronymi, montem Sina binominem fuisse, nec minus puerile Chrysostomi commentum, philosophantis in nominum congruentia. Agar enim Sina esse dicitur, quia typus sit vel figura, quemadmodum Pascha erat Christus. Situm etiam montis per contemtum exprimit. In Arabia, inquit, hoc est extra limites terræ sanctæ, quæ symbolum est æternæ hæreditatis. Mirum in tam familiari applicatione adeo fuisse erratum.* Sed bona magni Interpretis venia, mirum est quod vir sagacissimus non animadverterit ingens esse discrimen inter hanc phrasin, *Pascha est Christus*; & istam, *Agar est Sina*: non enim, uti Christus est res significata per Pascha, illi respondens ut corpus umbræ, ad eundem modum mons Sina significatus est per Agar. Sed Sina se ita habet ad Agar, ut Hierosolyma terrestris se habet ad Sina: quæ singula typi & figuræ unius rei sunt, nempe fœderis legalis. Sic ergo Agar est Sina, sicut aquæ diluvii quibus servatus est Noach, & transitus Israëlitarum in nube, & per mare Idumæum, sunt Baptismus. Omnia sunt ἀντίτυπα, in ejusdem rei spiritualis significationem consentientia. 1. Cor. x: 2. 1. Pet. III: 20, 21. Neque alienum est, quod *persona*, qualis est Agar, & *res*, qualis est mons Sinai, ita inter se comparentur, ut in eandem perhibeantur conspirare mysticam sententiam.

XIV. *Nova viri docti observatio.*

XIV. Quod si ne hæc quidem satisfaciunt, quæ pridem observata esse fateor, novi hominem eruditissimum, eundemque candidissimum, addo, & in eo glorior, mihi amicissimum, qui diverso prorsus tramite ad veram Pauli mentem investigandam procedit. Is illud τὸ γὰρ Ἄγαρ ita explicat, ut ex commate antegresso repetatur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ vox ὄρος, perinde ac si scriptum esset, τὸ γὰρ ὄρος τῆς Ἄγαρ, *mons enim Agaris*. Prorsus ut Heb. XII: 24. Καὶ αἵματι ῥαντισμοῦ κρείττονα λαλοῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ, ubi saniores Interpretes ultima verba explicant παρὰ τὸν ῥαντισμὸν τοῦ Ἄβελ, repetendo prius vocabulum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, & accipiendo Ἄβελ pro genitivo. Porro per *montem Agaris* intelligit montem *Pharan*, ubi Agar, ejecta penitus ex Abrahami tabernaculis, resedit, cum filio suo Ismaële. Gen. XXI: 21. Mons vero iste ab Agare potius quam Ismaële denominatur, quia illa filii sui non matrem modo, sed & dominam egit: quippe quæ filio suo uxorem

sumsit

sumsit ex Ægypto: unde & factum est, ut Ismaëlis posteri *Agareni* dicti fuerint, ab avia potius quam a patre. Idem ille mons Agaris, Pharan, *est mons* Sina, h. e. eadem significatione typica monti Sina respondet. Nimirum postquam Ismaël ferum se ostendit ab Agaris monte, & ab eodem omnium hominum oppugnatorem, mons ille terrificus evasit omnibus subjectarum vallium incolis; veraque proinde imago, sive figura montis Sina, qui tantum Judæis incussit terrorem, & cujus contactu sub præsenti capitis pœna interdictum iis fuit. Hæc, & plura in hanc rem alia, prolixe ac judiciose vir doctissimus exsequitur, & ab objectis difficultatibus liberat, in Dissertatione ἀνεκδότῳ; cujus mihi, pro summa sua humanitate, fecit copiam: & quam ne publico invideat, majorem ipsum in modum rogo.

XV. Si post tot clarissimorum hominum labores mihi quoque meam liceat conferre symbolam, non invitus communicabo quid curate super hisce cogitanti inciderit. Nonne verba, τὸ γὰρ Ἄγαρ, hunc patiuntur, si non exigunt, sensum? *Illud enim Agaris est.* Quasi scriptum foret, τοῦτο γὰρ τῆς Ἄγαρ. Quid autem est Agaris? prolem gignere ad servitutem. Meditemur hic aliquantulum; & singula primum verba expendamus, tum eorum nexum. Τὸ frequenter usurpari pro τοῦτο aut ἐκεῖνο, idemque valere quod *hoc* vel *illud*, norunt omnes qui Græce norunt. Juniores discere possunt ex Lexicis, & exempla petere ex *Thesauro Stephani*. Ἄγαρ Apostolo nomen indeclinabile est, & consequenter cujusvis, pro rei exigentia, casus. Nihil igitur impedit, quo minus æque pro genitivo ac pro nominativo sumatur. Copula ἐστι in enunciatione sæpe non exprimitur, sed intelligitur. Uti in illo, Καὶ τὰ τῆς φωκυλίδου. &, Καὶ τὸ τῆς φωκυλίδου. Porro aliquid alicujus esse dicitur, quod illi proprium est, quod illi competit, aut ad illum quoquo modo pertinet. Quum itaque Agari competat prolem gignere ad servitutem; quidni dixerit Apostolus, τὸ γὰρ Ἄγαρ, *hoc enim Agaris est*? Sic, nisi fallor, liquido ostendi, nihil in verbis ipsis esse, quod istum sensum respuat. Nunc nexum videamus, quem indicat conjunctio caussalis γάρ. Illa docet, aliquid hoc dicto comprobari quod modo erat assertum. Assertum autem erat, Testamentum prius, quod ad servitutem generat, figuratum fuisse per Agarem. Quod qua ratione validius probatur, quam hac, quia Agaris illud est, ad servitutem generare? Antecedentia ergo ad hanc expositionem non ducere solum, sed & trahere videntur. Sequentia quid? Ea quoque optime respondent. Postquam comm. 24. prius testamentum a monte Sina esse declarasset, pergit hanc quoque assertionis suæ partem illustrare, jubens situm montis Sina attendere,

XV. *Altera nova.*

dere, qui in Arabia est, extra limites terræ sanctæ. Quod tantum abest, ut suo sit movendum loco, ut contra insignem ista observatio lucem Apostolicæ argumentationi affulgeat. Cæterum de his omnibus eruditi arbitrentur.

XVI. *Quintæ difficultatis solutio.*

XVI. Facilius explicatu est, qua ratione mons Sina dicatur συςοιχεῖν UNA SERIE RESPONDERE τῇ νῦν Ἱερυσαλὴμ. Non profecto quoad situs vicinitatem & contiguitatem, sed quoad anagogen, aut allegoriam, & mysticæ significationis paritatem. Nam, ut *Grotius* annotavit, σύςοιχα λέγεται ἀλλήλοις, τὰ ὁμοίως ἔχοντα πρός τινα. Errorem errant Tartessia muræna grandiorem, qui, in tanta eruditionis Orientalis luce, credunt, montem Sina, continuo montium tractu, ex Arabia ad ipsam Hierosolymam pertinere. Quod *Chrysostomo* fortassis & veterum aliis condonandum fuit. *Genebrardo* autem, tam exquisitam Hebraicarum rerum peritiam præ se ferenti, condonari non debet. Cui in Psalmum CXXXIII. ita commentari lubitum est: *Judæa montosa erat tota. Qua ratione Sinai conjunctus esse dicitur ei quæ nunc est Jerusalem: perpetuo enim dorso sese versus Sionis montes exporrigit.* At prima tabularum Geographicarum inspectio refutandæ opinioni isti sufficit. Optime *Erasmus*: *Paulus non metitur spatium intervalli, sed confert similitudinem allegoriæ. Nam quæ inter se similitudine quadam respondent, vicina & confinia dicuntur; quod Paulus Græce dixit συςοιχεῖν. q. d. in eadem esse serie.* Satis ergo est, quod Sina, & terrestris, quæ olim erat, Jerusalem, ejusdem spiritualis rei significatione respondeant: utraque enim legale Testamentum cum sua servitute notant.

XVII. *Sextæ.*

XVII. Porro, quænam est illa ἡ νῦν Ἱερυσαλὴμ. QUÆ NUNC EST JERUSALEM? & quamobrem sic dicitur? Non puto dubitandum esse, quin intelligatur Hierosolyma, qualis erat tempore Pauli, stante templo, & vigente cultu Levitico, Scribis & Pharisæis sedentibus in Cathedra Mosis, & populum ad scrupulosam ceremoniarum observantiam severe obligantibus, ignorata interim aut rejecta justitia & libertate Evangelii. Aliam enim rem agere existimo, qui quoniam eadem urbs antiquissimis temporibus dicta fuit *Jebus*, deinceps vero, & Pauli quoque ætate, *Jerusalem*, eo ipsum respexisse pugnant; quasi dixisset, quæ olim dicta fuit *Jebus*, nunc autem *Jerusalem*. Majora subsunt, de quibus homini Theologo cogitandum est. Nullus dissimulo, adeo mihi celeberrimi *Cocceji* super hac temporis designatione cogitata placuisse, ut alacriter animum induxerim integrum ejus commentarium heic exhibere. Sic ergo ille: *Apostolus dicit:* Hierosolyma quæ nunc est. *In omni sermone Apostoli animadvertere est, quod*

quod suum tempus primæ prædicationis Evangelii adjungat tempori Veteris Testamenti, tanquam appendicem, quamdiu scilicet prius tabernaculum habebat stationem. Heb. IX: 8. *Nempe illorum respectu qui non crediderant in Christum, sed eum adhuc exspectabant, quos Divina longanimitas exspectabat, adhuc prius tempus & seculum erat: &, eorum respectu qui crediderant in Christum, & vel ipsi infirmi fide erant, vel propter infirmos fide cogebantur accedere ad templum, nondum erat plene revelata Novi Testamenti libertas. Sed eorum respectu qui ex gentibus crediderant in Christum, quique libertate jam uti poterant, in populo Dei abolita jam erant sacrificia, & omnia erant nova. Sed amoto templo & politia Israëlis, tanquam velo, futurum erat, ut regnum Christi, quod est regnum justitiæ & libertatis, in apertum veniret, & sic fieret seculum novum, & οἰκουμένη nova.* Hæc quidem, fateor, prorsus sunt Theologica: at nec hic omitti posse videbantur, si exponenda esset vis particulæ νῦν.

XVIII. Non multa collectionum ambage opus est, ut ex oppositione cognoscatur, quid notet ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, *quæ sursum est Jerusalem*; nimirum Ecclesiam Testamenti Novi, quæ spiritualis est, & cœlestis originis atque indolis. Solent sacræ literæ ea quæ spiritualia sunt, & in æternam terminantur gloriam, τὰ ἄνω, & τὰ ἐπουράνια vocare, eaque opponere partim caducis hujus seculi rebus, partim umbraticis Veteris Testamenti ceremoniis, quas *infirma & egena elementa* dixerat comm. 9. & *egena mundi elementa* vocat Col. II: 20. quarumque intuitu ipsum tabernaculum ἅγιον κοσμικὸν, *sanctuarium mundanum* nuncupatur, Heb. IX: I. totum denique systema institutorum eo pertinentium, νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς, *lex cujus præceptum sit carnale.* Heb. VII: 16. Ea mente dicit Paulus Col. III: I, 2. τὰ ἄνω ζητεῖτε, τὰ ἄνω φρονεῖτε, *superna quærite, superna curate, non terrestria.* h. e. desiderate statum gloriæ, operam date ut crescatis in cognitione Dei & Christi, fide, spe, sanctimonia, consolatione Spiritus S. πληροφορίᾳ ac prælibatione salutis, ut salutem denique ipsam in plenitudine sua consequamini. Præ his omnibus nihil vobis sint terrestria: per quæ si quis heic loci intelligere velit vana & inania præsentis vitæ bona, non admodum repugnabo, modo non excludantur ceremoniæ. *Calvinus* ait: *Hic Paulus Colossenses hortatur ad meditationem cœlestis vitæ. Quid autem adversarii? Detinere eos volebant in puerilibus rudimentis. Ista igitur doctrina facit, ut ceremoniæ magis vilescant.* Post aliqua sic pergit: *Adhuc persequitur Apostolus suam disputationem de ceremoniis, quas similes tricis facit, quæ nos humi repere cogant. Christus, inquit, nos sursum ad se vocat, isti deorsum vos reducunt. Est enim conclusio, & expositio eorum quæ nuper attigerat, de interitu ceremoniarum per Christi mor-*

tem. &c. Τὰ ἄνω igitur *spiritualia* sunt *cælestibus* annexa. τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, *ritualia* ac *ceremonialia.* Priora alibi ἐπουράνια vocat Paulus in eadem oppositione. Heb. IX: 23. *Itaque necesse fuit exemplaria quidem eorum quæ sunt in cælis hisce rebus purificari*, αὐτὰ δὲ τὰ ἐπουράνια, IPSA VERO COELESTIA *potioribus quam hæ sunt victimis.* Iterum hic *Calvinum* audiamus. Cœlestia *vocat regnum Christi quod spirituale est, solidamque habet veritatis revelationem.* Enimvero multo commodius rebus indole quidem sua cœlestibus, at quæ in terris non sine labe sunt, purificatio attribuitur, quam ipsi supremo cœlo, sanctissimæ majestatis solio, nulla unquam peccati labe inquinato. Expendi etiam meretur, an non & Eph. VI: 12. τὰ ἐπουράνια melius explicentur de rebus spiritualibus ad regnum Dei pertinentibus, quam de regionibus aëris, in quibus scilicet versentur spiritus nequam. Neque enim ista hujus vocis significatio alibi, quod sciam, apud Paulum exstat: & quid jubet credere dæmonibus habitationis suæ locum in sublimi aëris regione specialiter adsignatum esse? Nonne commodius est, ut per illa ἐπουράνια intelligatur status noster cœlestis quem habemus in N. T. benedictiones quibus benedixit nobis Deus in supercœlestibus; justitia, pax, lætitia, spes, communio cum spiritibus justorum consummatis? Hisce enim se miscet Satanas, & per πονηρίας suas, nequitias, fraudes, sophismata, obscurare ea & corrumpere nititur; controversiam etiam sanctis movet super spirituali ipsorum statu. At quæ prolixius nunc disputata sunt, instituto demum nostro applicemus: ex iis inferentes quod ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ non necessario, nec præcise, notet animas Patrum cœlo jam receptas, sed Ecclesiam Christi spiritualem in terris, quæ *cœlestis Jerusalem* dicitur, sicut *regnum cælorum.* I. Ratione *originis*: nam descendit e cœlo. Apoc. III: 12. II. Ratione *indolis* ac *naturæ*: nam a servitute elementorum mundi libera, æque ac illi qui cœlo asserti sunt, in spiritu ac veritate Deum colit, & πολίτευμα suum in cœlis habet. Phil. III: 20. III. Ratione *finis*: nam uti ad cœlum adspirat, ita & cœlo potietur, &, per omnium in Christo recollectionem, unam cum iis qui in cœlo sunt constituit civitatem, pomœriis cœlestis civitatis in terram usque protensis. Eph. I: 10. Heb. XII: 22.

XIX. Septima. XIX. Verum, inquiet aliquis, an legitima oppositione contenduntur Hierosolyma quæ *nunc* est, & Hierosolyma quæ *supra* est? Nonne satius fuisset, utrobique vel loci vel temporis collationem fecisse? ut diceretur Hierosolyma quæ *nunc* est, & Hierosolyma quæ *futura* est: vel Hierosolyma quæ *infra* est, & Hierosolyma quæ *supra* est? At profecto non decet hominem Christianum in exigendo Pauli sermone

ad

ad omnes Logicorum minutias nimis esse scrupulosum. Non pertimescit miniatulas ceras nostras Divina sacrorum vatum oratio : non minus idcirco sapiens, quod jejuna scholarum præcepta, uti infra majestatem suam posita, negligat atque despiciat. Sapientia ejus in abdito est : quam, nisi fodiendo & scrutando, non assequaris. Id vel hujus, quam nunc præ manibus habemus, pericopæ accuratior evincet discussio. Dum brevitati studet Apostolus, multa paucis est complexus. Binæ, quas inter se confert, Hierosolymæ, non temporis modo, sed & loci, sive indolis, notabili discrimine sejunguntur. Temporis discrimen, prioris; loci, posterioris oppositionis parte indicat. Quum enim dicit, Hierosolyma quæ *nunc* est, fieri non potest, quin attentus Lector perspiciat, eam quæ huic opponitur *futuram* esse. Rursus, quum dicit, Hierosolyma quæ *supra* est, res ipsa loquitur *terrestrem* esse alteram illam priorem. Et sic idem concisius docuit, quod nos pluribus fortasse exsequeremus.

XX. Superest novissima in verbis difficultas, quam & *Coccejus* animadvertit & hac ratione diluit. §. 109. *In sermone Apostoli est* ἀνακόλουθον. *Non enim secundi Testamenti mentionem facit. Attamen rem ipsam dicit; & commode dicit. Brevitatis studium, & fuga repetitionis (nam de secundo Testamento locutus erat cap.* III : 8 *) jam facit hoc* ἀνακόλουθον. Ita est. Ad Scripturarum intellectionem requiritur σύγκρισις τῶν πνευματικῶν, ac diligens locorum, quibus de eadem agitur materia, collatio. Dum prius Testamentum exponit typis tribus, nimirum *montis Sina*, *Agaris*, & *Hierosolymæ quæ nunc est:* quamvis non expresse dicat, attento tamen Lectori satis innuit, *priori Testamento* respondere *posterius;* monti *Sina* montem *Sion*, quod omnes propemodum Prophetæ clamant, & ipse disertissime testatur Heb. XII : 18, 22. *Agari Saram;* Hierosolymæ *terrestri cœlestem.* Ex iis, quæ partim antecedentibus, partim alibi ab Apostolo explicata sunt, facile est supplere quæ comm. 26. in oratione omissa esse videntur. Voluit Spiritus Sanctus in Scripturarum scrutinio aliquid nobis relinqui ad exercitium diligentiæ. XX. Octava.

XXI. Atque hactenus Criticum egisse videor, circa *verborum* constructionem atque expositionem hærens. Nunc Theologi mihi partes sumam, quæ in rerum ipsarum perceptione sitæ sunt difficultates consideraturus. Ubi primo occurrit ingens illud quæsitum: an & quæ vis in allegorica ejusmodi Scripturarum expositione, ad dogmatis alicujus Theologici probationem, & animorum convictionem, sit? Itemque, si quæ vis est in allegoriis scripturariis, an illa unice fundetur in auctoritate Apostolica, an in re ipsa, & concinna typi cum antitypo, XXI. *Difficultates in rebus ipsis.*

ex instituto Divino, convenientia, quæ ostendi queat ad conscientiam. Secundo anquisitu dignum est, quænam sint *αἱ δύο διαθῆκαι*, duo illa sive Fœdera sive Testamenta, (utraque enim voce indiscriminatim nunc utimur) quæ duobus montibus, matribus, Hierosolymis significantur. Tertio, quo pacto demonstrari possit exacta typorum cum suis antitypis convenientia.

XXII. *Perperam allegoriæ huic negatur vis argumenti.*

XXII. Non desunt gravissimi, atque acerrimo judicio prædîti, rerum divinarum Interpretes, qui tantillum allegoriis tribuunt, ut vix ullam iis probandi vim inesse arbitrentur. *Calvinus* hujus ipsius loci exegesin his verbis inchoat: *Interpositis exhortationibus ad affectus movendos, pulchram exhortationem addit superiori doctrinæ.* NON ESSET QUIDEM SATIS VALIDA PER SE PROBATIO: *sed postquam argumentis satis pugnavit, confirmatio hæc non est spernenda.* Neque abludit *Beza*: *Cæterum (ut hoc quoque dicam παρέργως) Apostolus* JAM NON ARGUMENTATUR, (ESSET ENIM ARGUMENTUM ISTUD AB ALLEGORIA SUMTUM VALDE INFIRMUM, *& totam disputationem firmissimis argumentis propositis absolvit) sed offendiculo medetur, quod erat maximi momenti.* Hæc ego a viris maximis dicta esse nollem. Nam sane Apostolus argumentatur, & quidem adversus homines hypothesibus suis pertinaciter addictos, sibique infensissimos. Et si argumentetur, dubium non est, quin omni sua sapientia in argumentando utatur, ideoque valide argumentetur. Profecto non est pietatis nostræ demonstrationum Apostolicarum valentiam ulla specie elevare. Quod autem argumenta argumentis cumulans, argumentando pergat Apostolus, probat exprobratio illa adversus Judaizantes: *Dicite mihi qui sub Lege vultis esse, Legem non auditis?* Ea quæ profert *Legem* vocat, id est, ipsissimum Dei verbum, cujus arcanam quidem *ὑπόνοιαν*, at veram tamen, & ex ipsius Dei mente, exponit. Exigit ab iis Legis istius *audientiam*, id est, fidem atque obsequium, quæ non nisi Divinis debentur oraculis. Exprobrat, quod ad historiam, & quæ ea innuuntur mysteria, haut satis perite attenderint. *An non auditis?* Imo tam evidentem contendit esse hanc observationem suam, ut prætextum ignorantiæ suæ vix habeant adversarii. *Dicite mihi.* Si non nisi elegantem ingenii in Scripturis quomodocunque applicandis, & ad propositum suum flectendis, lusum hic exhiberet Paulus: nihil ne tam procaces habuissent adversarii quod contra dicerent? Adde quod Paulus non se, vel pro arbitrio, vel pro Apostolica auctoritate, *ἀλληγορίζειν* profiteatur: sed in ipsis rebus reconditiorem esse sensum doceat. *Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα.* Nihil fere horum est, quod non observaverit *Theophylactus*; qui ad comma 21. sic commentatur. *Ἐπειδὴ ἱκανῶς αὐτοὺς ἐμάλαξε καὶ κατεσπάσατο,*

πά-

πάλιν εἰς ἀγῶνας ἐμβαίνει, δεικνὺς ὅτι αὐτὸς ὁ νόμος οὐ βούλεται ἑαυτὸν φυλάττεσθαι. Καί φησιν, ἀποκρίθητέ μοι. *Postquam abunde eos emolliit & attraxit, rursus ad certamina descendit, ostendens quod ipsa Lex non vult se ipsam custodiri: Respondete, inquiens, mihi.* Ad initium vero comm. 24. hæc habet: τοῦτ' ἔστιν. ἡ μὲν ἱστορία αὕτη, οὐ μόνον τοῦτο δηλοῖ, ἀλλὰ καὶ ἄλλα τινὰ ἀγορεύει. διὸ καὶ ἀλληγορία κέκληται· τύπος γὰρ ἦσαν ἐκεῖνα τῶν παρόντων. *Hoc est, hæc quidem historia non hoc solum indicat, verum & alia quædam nunciat: unde & allegoria vocata est: figura enim fuerunt illa præsentium.* Fixum igitur esto, Apostolum non ingeniosa aliqua allusione Lectorum animos pascere, & materiam suam quomodocunque amplificare, vel illustrare; sed novo argumento caussam suam addicere atque probare.

XXIII. Verum unde sua huic argumento vis est? Sunt qui ad auctoritatem confugiunt Apostolicam: eas solum se allegorias agnoscere profitentes, quas vel ipse Christus Dominus, vel Apostoli, Divini Spiritus instinctu, exposuerunt; eo ipso se hominis Christiani animo approbantes quod a Christo & ipsius Spiritu sint. Cæterum, utut hæc prudenter & pie dici videantur, non tamen omni ex parte sunt probanda. Nemo Christianus est qui dubitet, quin Christo & Apostolis quidlibet affirmantibus simpliciter sit credendum, propter auctoritatem Divini, quod proferunt, testimonii. Sed, ut de Apostolis nunc solis loquar, non semper illi dictis suis Apostolicam obtendunt auctoritatem; quæ non satis agnoscebatur ab omnibus quibuscum illis sæpe res erat. Tunc caussam suam rationibus agebant, & argumentis, ad probandum & convincendum idoneis. Quæ argumenta, non dicam, ab adversariis Apostolorum, sed ne ab ipsis quidem eorum discipulis, pro firmis admitti par erat, eam solum ob caussam, quod ab Apostolis proficiscerentur, sed quod iis inesset manifestatio veritatis ad omnem conscientiam. Aliud est fidem adhibere alicujus testimonio; ad quod sola dicentis sufficit auctoritas: aliud est rei veritatem agnoscere ex argumentis; ad quam rem requiritur perspecta recte subductarum rationum probabilitas. Quæ duo, etiamsi in Scripturarum pia lectione jungenda sint, ex rei tamen natura toto genere sunt distinctissima. Profecto res gestæ Veteris Testamenti non sunt factæ allegoricæ per prædicationem Apostolorum; sed allegoria, quæ ex mente Dei ab initio in iis latuit, ab Apostolis, illuminante Spiritu Sancto, cognita, agnita & declarata est. Et sic argumenti robur non tam ab Apostolorum arcessendum est auctoritate, quam ex rei evidentia, & legitima rationum subductione. XXIII. *Quæ non tam ab Apostolica auctoritate arcessenda est.*

XXIV. Tantæ rei momentum ἐπιμονὴν aliquam, curatioremque me- XXIV. *Quam ex*

rei evidentia. meretur meditationem. Nimirum receptissima apud Judæos, non recentiores solum, sed & antiquissimos, quorum aliqua exstant monumenta, sententia est, plerasque omnes V. T. historias, eas saltem quæ præ cæteris valde sunt notabiles, præter historicum sensum habere quoque mysticum. Huc pertinet effatum illud vulgatissimum אין בתורה אפילו אות אחת שאין הרים גדולים תלויים בה *Ne unica quidem in Lege litera exstat, a qua non pendeant montes magni.* Atque hinc est, quod in allegorico Legis & Prophetarum sensu eruendo, ante Christi & Apostolorum ætatem, plerorumque Judæorum desudaverit industria: uti prolixâ exemplorum inductione comprobatum dedit illustris *Huetius, Demonstr Evang: Propos.* IX. *cap.* CLXXI. *Parag.* VIII. Non fuisse autem illam Judæorum de scriptis Mosaicis sententiam vanam quandam cassamque ratione opinionem, ipse Dominus Jesus, omnesque propemodum Novi Testamenti Scriptores, frequenti veterum historiarum in allegoricum sensum allegatione, arguunt. Quandoquidem Deus, unico voluntatis suæ actu constituendo quidquid unquam in toto futurum esset universo, varias Ecclesiæ suæ œconomias, euntibus ordine fatis, disposuit; sapientiæ suæ credidit esse consentaneum, ea ratione res digerere, ut, quæ priscæ Ecclesiæ ætate facturus ac dicturus esset, veluti concinna imagine atque emblemate, recentioris œconomiæ statum repræsentarent. Ita enim ex utrorumque collatione mirabilem in modum elucescit multiformis illa Dei sapientia secundum præstitutum æternum. Atque hanc suam esse mentem, antiquitus per Prophetas innuit, quando res, sub Novi Testamenti œconomia eventuras, iis prænunciavit loquendi formulis, quæ ab antiquissimis non institutis modo suis, sed & rebus a se præclare gestis, desumtæ sunt. Sed omnium apertissime id declaravit per Filium suum, illiusque Apostolos, incredibili arte mysticos significatus ex vetustis legibus & historiis eruderantes. Imprimis Paulus isthac excelluit sapientiâ: quod pleræque ejus clamant Epistolæ. Substratâ igitur argumentationibus suis hypothesi, uti in se verâ, ita & ab adversariis concessa, de arcano & mystico Scripturarum sensu, mysticum illum sensum sic exposuit, ut nihil sapientius, nihil sublimius, nihil rebus quas inter se contendit congruentius, nihil toti Scripturarum tenori convenientius, dici potuerit. Atque in hac concinnitate allegoricæ explicationis illius consistit demonstratio.

XXV. Duo fœdera non sunt hic fœdus Operum & Gratiæ. XXV. Anquiramus nunc, quænam DUO ista FOEDERA, sive Testamenta sint, quæ cum typis suis ab Apostolo hic contenduntur. Qui existimant sibi invicem opponi FOEDUS OPERUM, & FOEDUS

GRA-

GRATIÆ: si per Fœdus Operum intelligant, tale quale Deus cum Adamo integro pepigit, quo pollicitus vitam est sub conditione obedientiæ omnibus numeris consummatæ, mortem interim intentans ad minimam Legis suæ transgressionem: per Fœdus autem Gratiæ, id quod Deus pangit cum electis peccatoribus, quo addicit iis salutem, cum omnibus ad salutem necessariis, per & propter Christum, vivâ atque operosâ fide apprehendendum. Certe Fœdus Sinaiticum Fœdus Operum esse non potest. I. Quia id cum homine peccatore renovari nequit, sic ut ei dicat Deus: Tu, si dehinc obedientiam omnem perfectè mihi præstes, per eam, secundum formulam fœderis operum, justificaberis. Ita enim supponeretur ante commissorum peccatorum venia: quam fœdus operum, peccatum omne excludendo, pariter excludit. II. Quia Deus non est pro conditione fœderis hujus ab Israëlitis stipulatus obedientiam omnibus partibus gradibusque perfectam, ut caussam juris petendi mercedem: sed obedientiam sinceram, ad demonstrationem fidei, reverentiæ & gratitudinis. III. Quia non conclusit Israëlem sub maledictione, eo sensu qui fœderi operum proprius est, omni spe veniæ ablata, si vel minimum peccaret. IV. Accedit denique, quod, si Israëlitæ jussi fuissent salutem suam in operibus quærere, tunc Lex contraria fuisset promissioni ante multa sæcula Patribus factæ. Id autem fieri potuisse negat Apostolus. Galat. III: 17. Qua observatione non modo probatur, fœdus Sinaiticum non fuisse fœdus operum; sed &, alterum illud quod ei, ut successurum, opponitur, non esse fœdus gratiæ in se & absolute spectatum. Hoc enim, in prima fundatum promissione, per omnia secula idem est; illiusque virtute ab ævo servati sunt quotquot sunt servati: ideoque fœdere Sinaitico est anterius.

XXVI. Satius itaque est, ut *prioris* fœderis nomine intelligamus *fœdus Israëliticum*, secundum σχέσιν suam & œconomiam *Typicam* ac *Legalem*. Pro typo enim hæreditatis cœlestis data hoc fœdere Israëlitis terra Canaan est, cum servitute elementorum mundi inibi subeunda. Multus etiam legislationi terror adfuit. Nam horrenda illa tonitruum ac fulgetrorum, terræ motus, ac spissi fumi, atræque caliginis signa, ad incutiendum Israëli ingentem terrorem comparata erant. Et disterminatio ac circumscriptio montis, qua Israëlitæ a præsentia Dei arcebantur, exprobrabat ipsis separationem illam, quam peccata inter ipsos Deumque effecerant. Repetita quoque ipsis axiomata fœderis operum sunt. Lev. XVIII: 5. & XXVI: 2. & seq. Exstatque formula, quæ, si literam spectes, proxime eo accedere videtur, Deut. VI: 25. *Eritque vobis justitia, si observantes feceritis omnia hæc præcepta.* Unde factum

XXVI. Sed fœdus Sinaiticum Legale; & fœdus pure Evangelicum.

ctum, ut carnales Iſraëlitæ, qui longe maximam populi partem faciebant, ad conſilium Dei non, uti oportebat, attendentes, a vero hujus fœderis ſenſu aberraverint, illudque amplexi ſint, quaſi eſſet fœdus operum, atque ex eo ſuam quæſiverint ſalutem. Rom. IX: 31, 32. Altero igitur fœdere deſignatur *purum putum fœdus gratiæ*, mere Evangelicum, cum Teſtamento Novo, ſine ulla œconomia Typica aut Legali: uti eſt poſt factam peccatorum veram expiationem, ſciſſo, & e medio ſublato, omni chirographo.

XXVII. *Concinna typorum cum antitypis convenientia.* XXVII. Omnibus hiſce ita conſtitutis, reſtat ut elegantem ac concinnam typorum ab Apoſtolo laudatorum cum ſuis antitypis convenientiam, velut in tabella, exhibeamus: aliquanto quidem ulterius quam a Paulo factum eſt procedentes; ſic tamen, ut nihil dicamus, ad quod dicendum ipſe nobis occaſionem non præmonſtravit. Typi hic ſunt, DUÆ MATRES, DUO MONTES, DUO FILII.

XXVIII. XXVIII. MATRES erant, hinc AGAR. I. Serva. II. Prius Abrahamo pariens. III. Aliquando ejicienda. Inde SARA. I. Libera. II. Serius pariens. III. Manſura. AGAR præfigurabat TESTAMENTUM SINAITICUM LEGALE. Quod fuit I. partim quia ſubjiciebat Iſraëlem elementis mundi, partim quia, per ſtuporem, male intellectum, credebatur ipſos obligare ad quærendam ex eo juſtitiam. II. Pariens ſua informatione Deo populum externe fœderatum, profeſſione & cultu. III. Aliquando exturbandum. SARA notabat TESTAMENTUM PURE EVANGELICUM. Quod eſt I. Liberum, tam ab elementis mundi, quam a lege ut conditione. II. Mater ſerior, ſed populi ſpiritualis. III. Perennaturum.

XXIX. XXIX. MONTES erant, hinc SINA. I. Horrens rubetis, unde nomen habet. II. Terribilis tonitrubus ac fulgetris. III. Situs in deſerto. Inde SION. I. Amœnus. II. A Domino gratioſe habitatus. III. In meditullio terræ promiſſæ. Montes hi pariter ut Matres ſignificabant duo Teſtamenta. SINA, TESTAMENTUM LEGALE. I. Pungens conſcientiam exprobratione peccati. II. Terrens intentatione maledictionis. III. Non valens introducere in cœlum. SION, TESTAMENTUM EVANGELICUM. I. Jucundum. II. Blandis ſignis initiatum. III. In cœlum ducens.

XXX. XXX. Duo FILII erant, hinc ISMAEL. I. Primogenitus. II. Ex ſerva natus. III. Ad ſervitutem. IV. Perſequens fratrem. V. Ejiciendus. Inde ISAAC. I. Poſt natus. II. Ex promiſſione. III. Liber. IV. Perſecutionem patiens. V. Manens hæres. Duobus his Filiis deſignabantur DUO POPULI. ISMAELE, HIEROSOLYMA PRÆSENS, id eſt populus carnalis. I. Prius pro populo habitus. II. Pro-

Propter λατρείαν σαρκικήν. III. Serviens Legi, ceremoniis se subjiciens, ac ex Lege justitiam quærens. IV. Persequens pios. V. Exterminandus. Isaaco, Hierosolyma superna, hoc est Ecclesia Christiana spiritualis. I. Tempore posterior. II. Ex spiritu genita. III. Libera. IV. Persecutionem patiens. V. Mansura hæres.

XXXI. Tanta quum sit, tamque accurata, figurarum cum rebus figuratis analogia, dubitare nefas est, quin singulari Dei destinatione ita comparata sint omnia. Gratiasque post Deum O. M. ingentes debemus Paulo, cui hanc reconditissimæ sapientiæ patefactionem acceptam ferimus. XXXI.

EXERCITATIO VI.

AD

ECCLES. XII: 1–7.

DE

OFFICIO JUVENTUTIS.

ET

Incommodis Senectutis.

BREVIARIUM.

I. Tota Ecclesiastis oratio ad virtutem & felicitatem est composita. II. Insignite vero hæc pericopa. III. Illius argumentum, & partitio. IV. Cur Deus Creator dicatur. V. Et quidem numero plurali. VI. Quid sit illius meminisse. VII. Gentiles etiam memoriam Dei Creatoris commendarunt. VIII. Cum monela, ne tanto nos unquam opifice indignos præstemus. IX. Sed sacramento ei ad perpetuum devoveamus obsequium. X. Notabile Simplicii votum. XI. Omni quidem ætati, at singulatim juventuti, officium hoc commendatur. XII. Ingruunt enim senectutis incommoda. XIII. Quorum meditatio utilissima juventuti est. XIV. Quæque idcirco Ecclesiastes elegantissimo sermone exponit.

XV. Orsus ab imbecillitate mentis. XVI. Inde pergens ad imbecillitatem corporis: per catharros. XVII. Tremorem brachiorum ac pedum. XVIII. Infirmitatem dentium & oculorum. XIX. Loquelæ difficultatem. XX. Somni defectum, & surditatem. XXI. Pavorem, & canitiem. XXII. Membrorum olim agilium gravitatem, & privationem voluptatis. XXIII. Quæ tandem morte terminantur. XXIV. Sic tamen, ut partes internæ ac vitales primum deficiant. XXV. Contractis aut laxatis nervis. XXVI. Corrupto cerebro. XXVII. Jecore, & venis. XXVIII. Denique corde, & arteriis. XXIX. Hinc mors. XXX. At non omnibus æque gravis senectus est. XXXI. Piis etiam optata & felix. XXXII. Desitura in placidam mortem. XXXIII. Cujus memorabile exemplum in Jacobo Fabro Stapulensi est.

I. Tota Ecclesiastis oratio ad virtutem & felicitatem est composita.



Uidquid male consultis quibusdam hujus ævi Criticis videatur, liber ille, qui in arcanis voluminibus nostris titulo ECCLESIASTIS exstat, oratio est Salomonis, maximi regum Israelis, tanti viri sapientia, pietate & facundia dignissima: quam credibile est, jam senem & anteactæ vitæ pœnitentia ductum, instinctu Divini Spiritus dictavisse. Enimvero totius scripti summa est vera & mera hominis humiliatio coram Deo: ex consideratione vanitatis istius quæ in omnibus mortalium actionibus, omnibus vitæ humanæ casibus, omnibus denique in universum rebus, etiam bonis cæteroquin, extra Deum illiusque communionem, tam prolixe invenitur. Unde plurimum eos falli necesse est, qui fundamenta Sadducæismi, aut Epicurismi, Divino isto sermone inculcari pugnant. Toto libro nil nisi virtus docetur, non fucata illa, austera, tetrica; quæ ex sordibus & illuvie, ac ἀφειδίᾳ τοῦ σώματος, laudem captat: sed ingenua, liberalis, hilaris; quæ, deprehensa rerum cæterarum inanitate, felicitatem suam quærit & invenit in conscientia tranquilla ac læta, & usu bonorum ex favore Divino profluentium. Ita tamen, ut memor fluxæ hujus ac lubricæ vitæ, & imminentis judicii, omnia cum reverentia summi Numinis peragat. Omnibus enim quæ disputaverat recollectis, cuncta in hanc summam contrahit: DEUM IPSUM REVERERE, ET PRÆCEPTA EJUS OBSERVA, QUIA HOC EST TOTUM HOMINIS. NAM OMNE OPUS DEUS IPSE ADDUCET IN JUDICIUM CUM OMNI RE OCCULTA; SIVE BONUM, SIVE MALUM. Quæ secus sonare videntur, ea, in suo nexu considerata, huc quoque ducere comperies. Incivile autem est, inquiunt Juris consulti, particulam aliquam legis sumere, non perspecta tota lege.

II. Ma-

II. Insigni-te vero hac pericopa.

II. Maxime autem ad virtutem, pietatem, ipsamque adeo felicitatem facit, insignis ista pericopa quam Exercitatione hac explanandam mihi sumsi; quod in ea cum rerum præstantia, dictorumque sapientia, elegantia sermonis quasi de palma certet: & Salomon hic non solum summum se Theologum esse monstret, sed & summum Philosophum, summumque Oratorem. Exstat autem Cap. XII: 1--7. ex versione clarissimi *Cocceji* his concepta verbis. I. *Itaque memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ; dum non veniunt dies mali, & accedunt anni, de quibus dicas, Non est mihi in istis voluptas.* II. *Dum non obtenebratur sol & lux, & luna & stellæ, & redeunt nubes post pluviam.* III. *Quo die tremunt custodes domus, & incurvati sunt robusti, & ociosæ sunt molitrices, quod raræ sunt; & tenebris laborant videntes per fenestras.* IV. *Et clausæ sunt fores ad forum, quod submissa est vox molitionis, & surgit ad vocem aviculæ, & deprimuntur omnes filiæ cantillationis.* V. *Etiam ab alto metuunt, & formidines sunt in via; & floret amygdalus, & bajulatur locusta, & impeditur acquiescentia: (nam abit homo ad domum suam secularem, & circumeunt in foro plangentes.)* VI. *Dum non procul amoveatur funis argenteus, & quassetur lenticula aurea, & frangatur urceus ad fontem, & quassetur rota ad puteum.* VII. *Et redeat pulvis, ut fuerat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit eum.*

III. Illius argumentum, & partitio.

III. Argumentum istius pericopæ est pathetica excitatio ad continuam Dei Creatoris memoriam, etiam juvenibus pie recolendam; ante ingruentis senii incommoda, non nisi morte terminanda. Partes duæ sunt. I. Officii commendatio. II. Designatio temporis, quo officium illud præstari oporteat. Tempus hoc describitur bifariam; I. Uti est in se. II. Collatione instantis senectutis. Senectus autem exponitur, I. Verbis propriis. II. Figuratis & ænigmaticis. Nihil est quod non suam, eamque attentissimam, mereatur considerationem.

IV. Cur Deus Creator dicatur.

IV. Officium paucis, at multo significatu gravidis, exprimitur verbis: וּזְכֹר אֶת בּוֹרְאֶיךָ. Itaque memento Creatoris tui. Qui *Creator* universi, idem & hominis *Creator* est; non primi duntaxat, sed & singulorum: quorum generatio, quamvis naturalis, non nisi ipsius potentia & ordinatione peragitur. Quippe qui non solum spiritum hominis in homine format, Zach. XII: 1. sed & corpus, (insciis, nihilque conferentibus, patre qui genuit, & matre quæ concepit) mirabili artificio, & quasi phrygionico opere fingit & concinnat, in imis partibus terræ, in utero fœminæ prægnantis. Ps. CXXXIX: 14, 15, 16. Quod præter Davidem Jobus quoque pie celebravit Cap. X: 10, 11. *Nonne sicut lac fudisti me, & sicut caseum*

R 2 *coagu-*

coagulasti me? Cute & carne induisti me? Ossibusque & nervis texisti me? Et sane amplius dixit Ecclesiastes Creatorem vocando, quam si Deum dixisset. Clarius enim ita innuitur jus quod in hominem habet Deus, & beneficia quæ in hominem contulit, & omnimoda hominis a Deo dependentia. Atque hæc est ratio, cur ipse se Deus ita Israëli repræsentet: *Ego Jehova sum sanctus vester, Creator Israëlis, rex vester.* Jes. XLIII: 15. Qui Creatorem dicit, is dicit æternum, omnipotentem, summe sapientem, summe bonum; easque virtutes suas ipso actu exserentem; atque insimul supremum atque absolutissimum Dominum eorum quos creavit: qui quum se ipsos in solidum ei debeant, omnia debent.

V. Et quidem numero plurali.

V. At neque illud prætereundum, quod vox Hebræa pluralis numeri proprie *Creatores* sonet. Eadem locutio invenitur Ps. CXLIX:2. ישמח ישראל בעשיו *Lætetur Israël in iis qui fecerunt ipsum.* Itemque Jes. LIV: 5. כִּי בֹעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ *quia mariti tui factores tui, Jehova exercituum est nomen ejus.* Quæ phrases non immerito referuntur ad pluralitatem Divinarum personarum. Nam quamvis unius Dei una virtute unaque actione creati simus, & hactenus unum habeamus Creatorem: plures tamen sunt Divinæ personæ, quibus ea creandi virtus & actio attribuitur. Ipsa Mosis creationem narrantis dissertatio cogitationem istam legentis animo ingenerat. Quo enim melius referas illud ברא אלהים, &, נעשה אדם *faciamus hominem*, &, *factus est* כאחד ממנו *sicut unus ex nobis?* Et sane hæc princeps salutaris sapientiæ pars est, Deum nosse: non ita generatim & confuse, ut scias existere aliquod summum Numen, a quo sint omnia. Ea enim cognitio Dei remansit in Gentilibus; quos cæcos & imagine Dei destitutos esse, quantumvis sibi sapientes viderentur, sacræ nos literæ docent. Sed ad veram Theosophiam pertinet, ut distincte noris, quis sit ille Deus; unus quidem revera, at distinctus tribus personis. Sic se ab initio Patribus manifestavit; quantum temporum istorum ruditas, & Ecclesiæ pueritia ferebat. Mansitque doctrina ista in familiis piorum, perpetua κατηχήσει tradita. Cujus memoriam & attentionem in quibusdam sui ævi hominibus exolevisse, serio indignatur Elihu. Job. XXXV: 10. *Non dicunt* איה אלוה עשי *Ubi est Deus qui fecerunt me.*

VI. Quid sit illius meminisse.

VI. Ab hac Dei Creatoris oblivione auditores suos dehortatur Ecclesiastes, perpetuam ejus memoriam commendans. *Memento Creatoris tui.* Nemo cujuscunque rei meminit, nisi quam prius cognoverit. Itaque omnis recordatio supponit antecedaneam scientiam, & involvit repetitam mentis attentionem ad ea quæ pridem didicerat. Ecclesiastes igitur, quum jubet meminisse Creatoris, ante omnia exigit, ut mens

mens bene informata ſit de infinita perfectione & eximiis virtutibus Dei, prout in conditu & gubernatione mundi, ac præcipue generis humani elucent; deque ea obligatione qua Deo conditori, conſervatori, ac benefactori ſuo obſtricta eſt: ſed & ſimul poſtulat, ut eam Creatoris ſui cognitionem crebro ſibi in memoriam revocet, neque patiatur eam, veluti in obſcuro repoſitam, otioſam deliteſcere, ac ſitum quaſi & rubiginem contrahere: denique ut, ſicut veritatibus iſtis dignum eſt, vitam, mores, actioneſque componat. Omnia hæc una reminiſcendi voce complectitur Eccleſiaſtes. Perinde ergo eſt ac ſi dixiſſet: Quisquis es mortalium, cognoſce & agnoſce Deum, uti Creatorem, & conſequenter Dominum ac Judicem tuum; cujus arbitrio ſis aut non ſis, cui te ipſum prorſus debeas, cui denique omnium actionum tuarum redditurus ſis aliquando rationem. Meditare virtutes Dei, Bonitatem, Sapientiam, Potentiam, in omnibus operibus ejus tam glorioſe reſplendeſcentes. Iterum ea iterumque tibi in animum revocato; neque unquam ſinas excidere. Expende diligentiſſime, quæ tua erga Creatorem ſint officia. Eum amato: timeto: imitator: cum gratiarum actione laudato: ejus quum ſis, voluntati quoque illius, tam decernenti quam jubenti, te ſubjicito: ei te purum caſtumque ſervato: ejus miniſterio te totum impendito: in ejus providentiam curas tuas omnes rejicito: ei denique ut fideli Creatori animam tuam committito. 1. Pet. IV: 19.

VII. Cuncta hæc tam evidentis ſunt æquitatis, ut pleraque Gentilium etiam ſapientes inculcaverint. Aſſuefaciendum eſſe animum, ut præcepta quælibet virtutis promte, ubi opus eſt, ſuggerat, *Marcus Antonius* Imperator, Romanorum Salomo, monet. *Lib.* III. *§.* 13. *Ὥσπερ οἱ ἰατροὶ ἀεὶ τὰ ὄργανα καὶ σιδήρια πρόχειρα ἔχουσι πρὸς τὰ αἰφνίδια τῶν θεραπευμάτων, οὕτω τὰ δόγματα σὺ ἕτοιμα ἔχε πρὸς τὰ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα εἰδέναι. Quemadmodum Chirurgi inſtrumenta & ferramenta ſua ad curationes ſubitaneas ſemper habent ad manum; ita tu dogmata in promptu apud te habeas, ad res tam divinas, quam humanas.* Nominatim Deum in memoria haberi vult. Lib. VI. §. 7. *πάντα σὺν μνήμῃ Θεοῦ.* OMNIA CUM RECORDATIONE DEI. Nihil committam quod Regum Imperatorumque ſapientiſſimis indignum ſit, ſi ſervum iis junxero, corpore claudum, Irum pauperie, at *φίλον ἀθανάτοις*, delicias ſuperum. *Epictetus* ille eſt, cui & ſe aliquammulta debere profitetur Imperator. Is ergo eodem ferme modo, referente *Maximo Collectan. Cap.* LII. diſcipulis ſuis hanc monelam reliquit: *συνεχέστερον νόει τὸν Θεὸν ἢ ἀναπνεῖ.* FREQUENTIUS DE DEO COGITA QUAM RESPIRA. Rurſus *Diſſert. Lib.* II. *Cap.* XVIII. *Μέγας ὁ ἀγών ἐστι, θεῖον τὸ ἔργον, τοῦ Θεοῦ μέμνησο.*

VII. Gentiles etiam memoriam Dei Creatoris commendarunt.

Magnum eſt certamen, *Divinum opus*. MEMENTO DEI. Idem Deum ut Creatorem ab hominibus conſiderari, eoque adſpectu ab ipſis laudari & celebrari voluit, eo hymno quem ipſe maximum ac Diviniſſimum vocat; quemque aliis ita præit, ut ad præclari hujus operis ſocietatem, publice privatimque, etiam inter arandum, fodiendum, & edendum, invitet. *Diſſert. Lib.* I. *Cap.* XVI. Verba me alibi exhibuiſſe memini.

VIII. *Cum monela, ne tanto nos unquam opifice indignos præſtemus.*

VIII. Quia etiam Dei opus homines ſumus, ad ipſius ſimilitudinem conditum, hinc ſapienter & ſancte infert, eam Dei imaginem intemeratam nobis ſervari debere, ne opificem operis ſui pudeat. *Lib.* II. *Cap.* VIII. Ἀλλ᾽ εἰ μὲν τὸ ἄγαλμα ἧς τȣ̃ φειδίȣ, ἡ Ἀθηνᾶ, ἢ ὁ Ζεὺς, ἐμέμνησο ἂν καὶ σαυτȣ̃, καὶ τȣ̃ τεχνίτȣ, καὶ εἴ τινα αἴσθησιν εἶχες, ἐπειρῶ ἂν μηδὲν ἀνάξιον ποιεῖν τȣ̃ κατασκευάσαντος, μηδὲ σεαυτȣ̃, μηδ᾽ ἐν ἀπρεπεῖ σχήματι φαίνεσθαι τοῖς ὁρῶσι. Νῦν δέ σε ὅτι ὁ Ζεὺς πεποίηκε, διὰ τȣ̃το ἀμελεῖς οἷόν τινα δείξεις σεαυτὸν; *At ſi Phidiæ ſtatua eſſes, ſive Minerva, ſive Jupiter, quum tui & opificis meminiſſes, tum (ſi quem haberes ſenſum) operam dares ne quid indignum vel eo qui te fabricaſſet, vel temetipſo, admitteres, neve indecoro habitu ab iis conſpicereris qui te ſpectarent. Nunc quia te Jupiter fecit, eone qualem te demonſtres non curas?* Poſt pauca ſic pergit: neque enim piget verba auro ſcribenda in charta depingere, digniſſima ſane quæ ubivis legantur. Τȣ́τȣ τȣ̃ δημιȣργȣ̃ κατασκεύασμα ὢν, καταισχύνεις αὐτὸν; τί δ᾽, ὅτι ȣ̓ μόνον σε κατεσκεύασεν, ἀλλὰ καὶ σοὶ μόνῳ ἐπίστευσε, καὶ παρακατέθετο; ȣ̓δὲ τȣ̃το ȣ̓ μεμνήσῃ, ἀλλὰ καὶ καταισχύνεις τὴν ἐντροπήν; εἰ δέ σοι ὀρφανόν τινα ὁ Θεὸς παρέθετο, ȣ̔́τως ἂν αὐτȣ̃ ἠμέλεις; παραδέδωκέ σοι σεαυτὸν, καὶ λέγει, ȣ̓κ εἶχον ἄλλον πιστότερόν σȣ. τȣ̃τόν μοι φύλασσε τοιȣ̃τον οἷος πέφυκεν, αἰδήμονα, πιστὸν, ὑψηλὸν, ἀκατάπληκτον, ἀπαθῆ, ἀτάραχον. Εἶτα σὺ ȣ̓ φυλάσσεις; *Cujus opificis quum fabrica ſis, pudore illum adficis? Quid porro, quod te non modo fecit, ſed & ſua dona tibi ſoli credidit, penes te depoſuit? Ne hoc quidem recordabere; ſed & in fideicommiſſo ignominiam ſuſcipies? At vero ſi quem tibi pupillum tradidiſſet, itane eum negligeres? Tradidit tibi temetipſum; aliumque ſe habuiſſe te fideliorem negat. Hunc, inquit, mihi conſerva talem, qualis ſua natura eſt; verecundum, fidelem, ſublimem, imperterritum, perturbatione tumultuque vacuum. Tu vero non conſervas?* O pulcra! ô nobis Chriſtianis incutientia pudorem?

IX. *Sed ſacramento ei ad perpetuum devoveamus obſequium.*

IX. Sed majora audite. Ita Dei Creatoris meminiſſe vult, ut ne tantæ unquam ac tam momentoſæ rei nos capiat oblivio, ſacramento nos ei ad perpetuum devoveamus obſequium. *Lib.* I. *Cap* XIV. *in fine.* Τȣ́τῳ καὶ Θεῷ ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον οἷον οἱ στρατιῶται τῷ καίσαρι. *Huic Deo & vos dare tale jusjurandum oportet, quale milites Cæſari. Verum illi quidem ducti ſtipendiis jurant, ſalutem Cæſaris ſibi rebus omnibus*

bus fore antiquiorem: vos autem tot & tantis adfecti a Deo beneficiis, non jurabitis? aut quum juraveritis, fidem non servabitis? Μὴ ἀπειθήσειν μηδέποτε, μηδ' ἐγκαλέσειν, μηδὲ μέμψασθαί τι τῶν ὑπ' ἐκείνου διδομένων, μηδ' ἄκοντας ποιῆσαι τι, ἢ πείσεσθαι τῶν ἀναγκαίων. *Vos nunquam non dicto illi fore audientes, nunquam eum incusaturos, nunquam reprehensuros quidquam ab illo datum, nunquam invitos quidquam vel facturos, vel toleraturos quod sit necesse.* Enimvero hoc tandem est meminisse Dei, uti Creatoris ac Domini.

X. Notabile Simplicii votum.

X. Haut spero dividiæ fore Lectoribus, saltem non juvenibus nostris, quorum arctior bibliotheca priscos scriptores fere non capit, si hoc quoque loco iis exhibeam votum illud, quo *Simplicius* suos in *Epicteti Enchiridion* commentarios conclusit: quippe in quo & celebratio Dei ut Creatoris, & agnitio sui erga eum officii, & petitio Divini ad id præstandum auxilii, & denique expressio quædam pluralitatis in unica Deitate est, verbis ad Christianam fidem proxime accedentibus. Sic ergo ille: Ἱκετεύω σε, Δέσποτα, ὁ Πατὴρ καὶ ἡγεμὼν τοῦ ἐν ἡμῖν λόγου, ὑπομνησθῆναι μὲν ἡμᾶς τῆς ἑαυτῶν εὐγενείας ἧς ἠξιώθημεν παρὰ σοῦ, συμπρᾶξαι δὲ ὡς αὐτοκινήτοις ἡμῖν, πρός τε κάθαρσιν τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος τῶν ἀλόγων παθῶν, καὶ πρὸς τὸ ὑπερέχειν καὶ ἄρχειν αὐτῶν, καὶ ὡς ὀργάνοις κεχρῆσθαι κατὰ τὸν προσήκοντα τρόπον. καὶ πρὸς διόρθωσιν ἀκριβῆ τοῦ ἐν ἡμῖν λόγου, καὶ ἕνωσιν αὐτοῦ πρὸς τὰ ὄντως ὄντα, διὰ τοῦ τῆς ἀληθείας φωτός. καὶ τὸ τρίτον, τὸν σωτῆρα ἱκετεύω, ἀφελεῖν τελέως τὴν ἀχλὺν τῶν ψυχικῶν ἡμῶν ὀμμάτων, ὄφρα γινώσκομεν εὖ (κατὰ τὸν Ὅμηρον) ἠμὲν Θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα. *Supplico tibi, Domine, Pater & Dux rationis nostræ; ut nostræ nobilitatis recordemur, qua tu nos ornasti; & ut nobis præsto sis, ut iis qui per sese moventur, ut & a corporis contagio, brutorumque adfectuum, repurgemur, eosque superemus & regamus, &, sicut decet, pro instrumentis iis utamur. Deinde ut nobis adjumento sis ad accuratam rationis nostræ correctionem, & conjunctionem cum iis quæ vere sunt, per lucem veritatis. Et tertium, Servatorem supplex oro, ab oculis animorum nostrorum caliginem prorsus abstergat, ut, quod apud Homerum est,*

Norimus bene, qui Deus, aut mortalis habendus.

XI. Omni quidem ætati, at singulatim juventuti, officium hoc commendatur.

XI. Dubium non est, quin officium hoc omnibus omnino hominibus, omni ætate, omni tempore incumbat. Universum vitæ nostræ tempus, non nostrum sed Dei est. *Dei est dies; Dei nox; lumen & solem ipse fecit.* Ps. LXXIV: 16. Ne ullum quidem est in tota vita momentum, quod intervertere liceat, & subducere Deo. Prov. XXIII: 17. Heb. III: 13. *Juvenes* tamen hic potissimum compellat Ecclesiastes, & juvenili ætati officium commendat, quod & decorum seneсtuti est. Prudentissime. Ut enim viti pedamentis quibusdam & ridicis opus est, ne jaceat: sic juventuti monitis, ne cadat.

Solent

Solent equidem juvenes eam virtutis ἀκρίβειαν, uti ætati ſuæ minus convenientem, in ſeriores rejicere annos. At ingenti errore: quem detexit ac reprehendit ipſe otii Magiſter, *Epicurus.* Μήτε νέος τις ὢν φιλοσοφεῖν μελλέτω, μήτε γέρων ὑπάρχων κοπιάτω. Οὔτε γὰρ ἄωρος οὐδείς ἐστιν, οὔτε πάρωρος, πρὸς τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαίνειν. *Neque juvenis aliquis differat philoſophari, neque ſenex defatigetur. Non enim immaturus quiſquam, aut vietus & effœtus eſt, ad animæ ſanitatem.* Optime. A corpore ſi æger ſis, Medicum non differas: mentis ſanitas neglectui aut procraſtinationi erit? Ut in cœlo tranquillo, & mari placido, nautæ, quæ contra tempeſtatem ſunt, expediunt: ſic in iſta ætate, nondum tot curis & fluctibus expoſita, jure præpares, quæ ſint illis mitigandis, aut tollendis. *Lipſ. Manuduct. ad Stoic. Philoſoph. Lib.* I. *Diſſert.* I. Et ſane primitiæ rerum omnium Deo debentur. Prov. III: 9. Tempus autem inter pretioſiſſima poſſeſſionum noſtrarum numerandum, ſolliciteque redimendum eſt. Eph. V: 16. Cætera pleraque aliena ſunt; tempus noſtrum eſt, inæſtimabile æterni Numinis munus. In hujus rei unius fugacis ac lubricæ poſſeſſionem natura nos miſit, ex qua nulla noſtra inertia, nulla aliorum, felicitati noſtræ inſidiantium, odioſa interpellatio, expellere deberet. Æternitati impendatur, cui promovendæ ac procurandæ nobis datum eſt. Eximium etiam juventutis ornamentum, pulcherrima laus, virtus eſt. Αἰδοῦ Θεὸν, σῶζε ἀνθρώπους. βραχὺς ὁ βίος. εἷς καρπὸς τῆς ἐπιγείου ζωῆς διάθεσις ὁσία, καὶ πράξεις κοινωνικαί. *Deum verere, homines tuere. Fructus unus hic terreſtris vitæ iſtius, diſpoſitio pia, actioque benefica. Anton. Lib.* VI. *§.* 30.

Ætas honeſtat opera quævis junior.

Eadem ſenectutis decus & ſolatium erit.

Acta cui bene eſt juventus, & ſenectam aget bene.

Si modo eam attigerit: quo nihil eſt incertius. Omni tempore jus Deo eſt citare quem vult ad judicium: ubi actionum omnium, earum etiam quas juvenes patravimus, reddenda erit ratio, Eccl. XI: 9. Quis Mathematicus longæ nobis ſponſor eſt vitæ? Sed eſto. Veritas ipſa ſpondeat. Quanta tamen amentia eſt, quod juſtis ſpatiis, & ex commodo fieri poteſt, inter anguſtias differre? Non tempero mihi quin auream Romani ſapientis ad Lucilium ſuum exhortationem adpingam; ita eam juvenibus meis placituram ſperans, uti mihi placuit. *Quid ergo ceſſamus*, inquit, *nos ipſi concitare, ut velocitatem rapidiſſimæ rei æquare poſſimus? Meliora prætervolant, deteriora ſuccedunt. Quemadmodum ex amphora primum quod eſt ſinceriſſimum effluit, graviſſimum quodque turbidumque ſubſidit, ſic in ætate noſtra, quod optimum, in primo eſt. Inhæreat iſtud animo, & tanquam miſſum oraculo placeat:*

Opti-

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit.

Quare optima? quia restat quod incertum est. Quare optima? quia juvenes possumus discere, possumus facilem animum, & adhuc tractabilem, ad meliora convertere: quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingeniis. Quod superest, segnius & languidius est, & propius a fine. Itaque toto hoc agamus animo, ne hanc temporis pernicissimi celeritatem, quam retinere non possumus, relicti demum intelligamus. Primus quisque tanquam optimus dies placeat, & redigatur in nostrum. Quod fugit occupandum est. Seneca Epist. CVIII.

XII. At nemo senectutis incommoda pulcrius auctore nostro descripserit: qui eam ad rem proprio primum sermone utitur, mox figuratis & ænigmaticis, ut dixi, verbis argumentum suum exornat, atque amplificat. DUM NON VENIUNT, inquit, DIES MALI, ET ACCEDUNT ANNI, DE QUIBUS DICAS, NON EST MIHI VOLUPTAS IN ILLIS. Quum *dies* dicit, videtur innuere quotidianum incommodorum recursum: quum *annos*, continuantem eorundem durationem. Dies autem *malos* vocat, non adspectu turpitudinis alicujus, & mali inhonesti; sed propter incommoda, & mala tristia, quibus exposita senectus est. Annis etiam senilibus *voluptatem* inesse negat: quippe quibus omnis fere cesset jucunditas & delectatio, quæ vitam faciunt vitalem. Cessat autem delectatio, partim quia corpus ei percipiendæ amplius idoneum non est; XII. *Ingruunt enim senectutis incommoda.*

Non eadem vini atque cibi, torpente palato,
Gaudia.

Partim quia animus morosus evadit: quod commune senibus vitium.

Difficilis, querulus, laudator temporis acti.

Memorabilis est optimi senis *Barsillai* oratio, qua apud Davidem utitur. Invitatus Hierosolymam ad contubernium regis, regiæque participationem mensæ, in hæc verba respondit: *Natus sum octoginta annos hodie; an dignoscere possum inter bonum & malum? num gustare poterit servus tuus quid comedam & bibam? num audire potero amplius vocem cantorum & cantatricum? & quare esset servus tuus oneri domino meo regi?* 2. Sam. XIX: 36. Innuit, senectutem suam & sibi odiosa fecisse quæ aliis sunt jucundissima, & se odiosum facturam aliis. Nimirum.

Σκληρὸς ἀνὴρ ἐςὶν ἐν νέοις γέρων.
Molestus vir est inter juvenes senex.

XIII. Huic autem argumento immorandum sibi duxit sapientissimus Ecclesiastes. At ne tædiosa juventuti mora sit, elegantibus illud verbis XIII. *Quorum meditatio mi-*

lissima juventuti est. verbis exornat. Operæ enim pretium est sedulo inculcari, & accurate perpendi, quomodo se mundus paullatim sensibus & fruitioni hominis subducat, quomodo facultates tam mentis quam corporis defetiscant, quomodo omnis vitæ delectatio sensim cesset, donec tandem vita ipsa cum morte commutetur. Unde, uti a celeberrimo Inprete judiciose observatum est, hæc tria consequuntur. I. Non esse juveni gloriandum, aut superbiendum viribus suis, & alacritate juventutis. II. Iis, dum adsunt, ad Creatoris glorificationem utendum. III. Mature renunciandum esse mundo, antequam nobis ipse nuncium mittat.

XIV. *Quæque idcirco Ecclesiastes elegantissimo sermone exponit.* XIV. Nil sane præter veritatem dixit noster, quum dixit; *Quæsivit Ecclesiastes adsequi verba delectabilia, & singula scripta recte, verba fidelia, verba sapientum similia aculeis, & similia clavis infixis, lectissima, tradita a pastore eodem.* Cap. XII: 10, 11. Exemplo sint ea quæ sequuntur, in quibus nec Rhetor elegantiam, nec Philosophus physices peritiam, & præsertim humani corporis exactissimam scientiam desideret. Virium itaque voluptatumque imminutionem hoc ordine proponit, ut ab imbecillitate mentis orsus sermo, inde ad imbecillitatem corporis pergat. Mens certe præcipua hominis pars est: ea vero quamdiu in corpore hospitatur, de corporis incommodis participat; & ab eo male adfecto male etiam adficitur.

XV. *Orsus ab imbecillitate mentis.* XV. De mentis imbecillitate, quam senium importat, sic disserit: DUM NON OBTENEBRATUR SOL, ET LUX, ET LUNA, ET STELLÆ. Quod, ad evitandam tautologiam, de internis microcosmi luminibus intelligo: de corporis enim oculis mox audiemus. Hic itaque significatur imminutio intellectus, memoriæ ac judicii: quæ omnia in senibus debilitari solent, ut quasi repuerascere videantur. Unde proverbium, *Bis pueri senes.* Non putem vero philosophice hic nimis distinguenda esse solem, lucem, lunam, stellas: ut per solem intelligatur superior animæ pars, primarium lumen intellectus: per lucem, inferiores partes animæ rationalis, intellectus quem vocant passivus: per lunam, illa animæ pars quæ rationalis non est, aliquo tamen modo rationis particeps: per stellas, πάντα μνημονεύοντα, omnes species, quæ, ceu stellæ in orbibus suis, memoriæ infixæ hærent. Hæc enim subtiliora, quam solidiora sunt; neque in verbis Oratoris nostri, neque in re ipsa idoneum fundamentum habentia. Sufficit indicari magnam mentis obscurationem; eamque gradatim procedentem, ut quæ lux primum fuerat instar solis, dein sit instar lunæ, mox instar stellarum, donec & hæc obtenebretur.

XVI.

XVI. Corporis imbecillitatem per partes exſequitur. REDEUNT NUBES POST PLUVIAM. Intellige copiam catharrorum, & iteratarum defluxionum, unde incommoda multa, & morbi graves atque frequentes. Languente in ſenibus nativo calore, qui humorum nimiam adfluentiam abſumere aut moderari poſſit, ex omnibus partibus, tam externis quam internis, defluere humor ſolet, ex oculis lacrumæ, ex naribus & ore pituita,

XVI. Inde pergens ad imbecillitatem corporis: per catharros.

—— *Madidique infantia naſi,*

ex cerebro catharri. Id notant denſæ nubes, iterandorum imbrium plenæ, & poſt pluviam redeuntes: uti, pluvia tempeſtate, exhauſta & diſſipata una nube, mox ſuccedit altera.

XVII. TREMUNT CUSTODES DOMUS. Corpus confertur domui, in qua mens habitat. Job. IV: 19. 2. Cor. V: 1. Cuſtodes ſunt brachia cum manibus; quæ a provido Numine homini data ſunt ad totius corporis cuſtodiam, ad averruncationem malorum quæ illatura ſint noxam, & ad procurationem omnium eorum, quæ futura ſint uſui. Et ſane plus nobis utilitatis iſtæ corporis noſtri partes, a ratione gubernandæ, adferunt, quam ſi cornibus, unguibus, aliisve quæ natura brutis ad ſui defenſionem indulſit, inſtructi fuiſſemus. Hinc Jacobus, Joſephum deſcripturus adverſus fratrum injurias egregie munitum, earumque omnium victorem, narrat, *roborata eſſe brachia manuum ejus a manibus robuſti Dei Jacobi.* Gen. XLIX: 24. At has primum partes in ſenibus occupare ſolet tremor. Sed non has ſolum. Nam & ſimul התעותו אנשי חיל INCURVANTUR VIRI ROBUSTI. Sic vocat crura & pedes, qui ſunt Atlantes corporis. In pedibus robur corporis collocatur Pſ. CXLVII: 10. *Non crura præſtantis viri accipit.* Hoc robur ſenes deficit, quibus crura התעותו, diſtorquentur, pervertuntur, incurvantur, ut inter gradiendum vacillent, nutent, cæſpitent, ſcipionem in ſubſidium depoſcentes.

XVII. Tremorem brachiorum ac pedum.

Hinc eſt quod baculo incumbens ruitura ſenectus,
Adſiduo pigram verbere pulſat humum.
Fitque tripes, prorſus quadrupes, ut parvulus infans,
Et per ſordentem flebile ſerpit humum.

XVIII. Sed & os ſenum ſuis premitur incommodis, quæ guſtus deliciis obſunt בטלו הטחנות כי מעטו. OCIOSÆ SUNT MOLITRICES, QUOD RARÆ SUNT. Obſcurum non eſt quid molitrices notent, dentes nimirum, quibus mandendus, comminuendus, & quaſi molendus eſt cibus. Illi בטלו *ceſſant*, primo quoad officium & uſum, dein ſic ut ne exiſtant quidem amplius. Facile enim eos in ſenibus nigredo, putredo, diſruptio, & gingivæ laxitas occupat,

XVIII. Infirmitatem dentium & oculorum.

 donec

donec & ipsi minuantur numero, &, postquam rari facti sunt, omnes excidant. Et sic

Frangendus misero gingiva panis inermi est.

Nec minus debilitantur oculi. Nam TENEBRIS LABORANT VIDENTES PER FENESTRAS. Fenestræ sunt intervalla palpebrarum, quæ in visione, velut fenestræ, aperiendæ sunt; vel foramina, quibus inclusi sunt oculi, de quibus Zach. XIV: 12. Hæ sunt oculorum orbitæ, quæ, sex ossibus constantes, fornicem constituunt, per quem oculi prospiciant. Alii vitra conspicillorum intelligunt: sed, præterquam quod incertum sit an Hebræis tunc in usu fuerint, ista interpretatione exceduntur limites allegoriæ, qua corpus humanum domui comparatur: cujus pars utique perspicilla non sunt.

XIX. *Loquelæ difficultatem.*

XIX. Accedit loquelæ difficultas, hoc ænigmate indicata: CLAUSÆ FORES AD FORUM, ET SUBMISSA EST VOX MOLITIONIS. Fores sunt labia, per quæ mens hominis in publicum prodit, suo se sermone monstrans, & loquens ut videatur. Per vocem *molitionis* intelligo vel strepitum respirationis, qui submissior est, ob pulmonum & cordis imbecillitatem; vel stridorem dentium, ad canoræ vocis modulationem plurimum facientium; qui stridor uti in manducandis cibis durioribus cessat, ita & in formanda voce articulata & canora. Nec inest huic explicationi ταυτολογία: quum depressior molitionis, quæ dentibus fit, sonus, non ut novum σύμπτωμα ætatis senilis repetatur; sed memoretur, ut alterius συμπτώματος caussa.

XX. *Somni defectum, & surditatem.*

XX. Verum & hoc senectutis incommodum est, quod SURGAT AD VOCEM AVICULÆ. Qua locutione somni defectum designari arbitror. Non dico cum *Coccejo*, ut stridore passerculi facillime excitetur, hoc enim non convenit cum surditate ea, de qua mox audiemus. Sed malo ad diei tempus referre, ut sensus sit: summo mane, quum avicularum cantillationes incipiunt, irrequietus senex, somni expers, membra levabit thoro, cæteræ etiam familiæ quietem turbans. Nam uti intempestivus somnus, ita & intempestiva vigilia, comites aut sequelæ senectutis sunt. A qua vix est ut separetur surditas. DEPRIMUNTUR OMNES FILIÆ CANTILLATIONIS. Nullo pretio illi sunt Musæ. Virginum cantus, alioqui satis sonorus & tinniens, submissus illi accidet, ad voluptatem ex Musica capiendam non amplius idoneo. Confer ea, quæ Barsillajum nuper dicentem audivimus 2. Sam. XIX: 36.

XXI. *Pavorem, & canitiem.*

XXI. Porro pavida solet esse senectus. ETIAM AB ALTO METUUNT, ET FORMIDINES SUNT IN VIA. Quum visu amplius non valeant, & spiritus ipsorum obnubilati sint, depressa gyrari, alta

ruinam

ruinam minitari videntur. Hinc ab excelsis conscendendis, scalis, turribus, collibus, ob lassitudinem, spirandi difficultatem, vel vertiginem, sibi metuunt: &, si omnino in viam se dent, ubique pavor, necubi offendant in exstantia aut depressa.

Stat dubius, tremulusque senex; semperque malorum
Credulus, & stultus quæ facit ipse timet.

Præterea, FLOREBIT AMYGDALUS. Caput conspergetur canitie, albescetque sicut flores amygdali, quæ citius aliis arboribus, ipso mense Januario, florere incipit. Sic & non opinantibus cum senectute canities obrepit.

Inde senilis hiems tremulo venit horrida passu,
Aut spoliata suos, aut quos habet alba capillos.
Intempestivi funduntur vertice cani.
Et tremit effœto corpore laxa cutis.

XXII. ET BAJULATUR, vel *oneri erit*, LOCUSTA. Dici vix potest, quantopere in hoc ænigmate explicando varient Interpretes. Vide *Bochart. Hieroz. Part.* II. *Lib.* IV. *Cap.* VIII. p. 494. Ego, omissis operosis aliorum commentationibus, quæsitisque subtilitatibus, cum *Coccejo* arbitror, per *locustam* commode significari posse membra quæ in statu suo naturali præ cæteris levia sunt, ac sua sponte se erigunt, sicut locusta incitatissime salit; in senio autem flaccescunt, deprimuntur, & sustentatione egent, sic ut sibi ipsi, totique homini oneri sint. Verbi gratia (nisi quis de ea parte cogitare velit quæ inservit generationi) caput nunquam levius est, quam quum sublime geritur. Id vero tunc sustineri amplius non potest; &, ut corpus scipione portatur, ita caput, pendulum nunc ac cernuum, corpori pro sarcina est. *Senectus*, ait *Scipio* apud *Ciceronem*, *plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Æthna gravius sustinere dicant.* XXII. *Membrorum olim levium gravitatem, & privationem voluptatis.*

Jamque parum firmo me mihi ferre grave est.

Sic denique IMPEDITUR ACQUIESCENTIA. Senectus enim plerumque morosa, nulla fere re delectatur: sed injucunda, tædiosa, odiosa accidunt ei pleraque omnia:

---- etiam inventis misera abstinet, & timet uti.

XXIII. Horum omnium finis, mors est, qua ABIT HOMO אל בית עולם. DOMUM SUAM SECULAREM. Unde nunquam naturalis ad hanc vitam reditus. Vita via est ad æternum domicilium, sive beatitudinis & lætitiæ, sive miseriæ & mœroris. Ergo dum in via est, meminerit Creatoris sui: nam non licet, ut in Hippodromo, κάμψαι τὴν νύσσαν, & a carceribus ad metam iterum procurrere: uti eleganter *Coccejus*. Eo autem quum pervenerit homo, CIRCUI- XXIII. *Quæ tandem morte terminantur.*

BUNT IN FORO PLANGENTES. Omnis lætitia planctu obsignatur. At qui Creatoris in tempore meminerit, neque habebit quod lugeat in morte, neque plangendus erit ab aliis, quasi amissis magnis bonis in malam conditionem devenerit.

XXIV. *Sic tamen, ut partes internæ ac vitales primum deficiant.*

XXIV. Ab incommodis membrorum externorum ad defectum partium internarum & vitalium transit vers. 6. Cujus ænigmata cæteris difficiliora esse videntur. Nonnulli generali explicatione contenti sunt: ut senex comparetur fonti arescenti, fractisque instrumentis misere deformato, & paullatim ad nullam rem utili. Nam sicut hydriâ, rotâ, fune & urceo confractis, aquam haurire non licet; ita deficientibus & exhaustis facultatibus naturalibus, & vitalibus, vita retineri non potest. Sed convenientius sapientiæ Salomonis, & elegantiæ sermonis est, ut singula eo referantur, cui significando verba idonea sunt.

XXV. *Contractis aut laxatis nervis.*

XXV. Sic ergo pergit Ecclesiastes. עד אשר לא ירחק חבל הכסף DUM NON PROCUL AMOVEATUR FUNIS ARGENTEUS. Per funem argenteum intelligo nervos, qui funis vocantur, quia ab uno omnes orti principio, veluti unius funis infinita fila, per totum corpus extenduntur, fibrillis suis extremas partes permeantes, ut motus ac sensuum instrumenta. Argenteo autem funi comparantur propter colorem: qui albus, pulcher & splendidus est, etiam in corpore recens mortuo; nedum in vivente, quando spiritus distenti sunt. De hoc fune dicitur: עד אשר לא ירחק. Sic habet textus. *Donec non elongetur*, id est, contrahatur. Solent autem senes contractionem nervorum pati, unde ipsorum incurvatio. In margine notatur legendum esse יֵרָתֵק, quod notaret *decatenari*, dissolvi, laxari, sensu contrario. Ex laxatione medullæ dorsi & nervorum, est paralysis, & denique mors. Vox Hebræa, tam textualis, quam marginalis, est ἅπαξ λεγομένη: ideoque variis, imo & contrariis expositionibus obnoxia: ex quibus difficile est potiorem eligere: maxime quum utrumque contrariorum in senes cadat.

XXVI. *Corrupto cerebro.*

XXVI. Addit: ET QUASSETUR LENTICULA AUREA. Intelligo cerebrum, quod & formam lenticulæ habet, in pressa rotunditate, & usum, (nam sicut ex lenticula oleum, ita ex cerebro spiritus animales in corpus defluunt) & in membrana exteriore colorem auri. Est enim illa rufa & subflava, auro propior, quam ulla corporis pars. Quassatio imbecillitatem cerebri notat: sive eo sensu ut senex delirus non amplius utatur integra mente; sive ut distillantibus copiose humoribus cerebrum veluti rimosum perpluat.

XXVII. *Jecore, & venis.*

XXVII. Pergit: ET FRANGATUR URCEUS AD FONTEM. Fons potest dici jecur: urceus, venæ, quæ a jecore, ut fonte, hauriunt sanguinem: fractio urcei cessantem usum venarum mesaraicarum, quæ, juxta hepar sitæ, succum sanguineum hauriunt, paullatim commutandum in sanguinem.

XXVIII. *Denique corde, & arteriis.*

XXVIII. Ultimum est, QUASSATIO ROTÆ AD PUTEUM. Per puteum intelligere licet cor; per rotam, venam cavam, quæ in dextrum cordis ventriculum sanguinem leniter immittit, & arteriam magnam, quæ ex sinistro cordis ventriculo emittit. Unde continua oritur circulatio; cui significandæ idoneum admodum rotæ emblema est. Ejus confractio est cessatio συςολῆς καὶ διαςολῆς.

XXIX. *Hinc mors.*

XXIX. Hanc sequitur mors, descripta vers. 7. REDIT PULVIS UT FUERAT, ET SPIRITUS REDIT AD DEUM, QUI DEDIT EUM. Quam pericopam non indiligenter explicui in *Oeconomia Fœderum Dei. Lib.* III. *Cap.* XIV. *§.* 15. quo nunc se patiatur Lector amandari. Suffecerit hic observasse, nihil in tota hac Ecclesiastis oratione esse, quod non eo tendat, ut juvenes ad memoriam Creatoris sui excitentur. Eo facit consideratio incommodorum senectutis, ne res tam ardua, tam ad salutem necessaria, in eam rejiciatur ætatem, quæ & incerta, &, si contigerit, rebus gerendis omnium minime idonea est. Eodem pertinet hæc mortis descriptio: qua clarissime docetur, aliam corporis, aliam spiritus, sive mentis humanæ, conditionem esse. Nimirum corpore in pulverem redeunte, anima non interit, non in nihilum, sive statum non existentiæ revertitur, in quo fuit antequam jussu Creatoris inciperet existere; sed redit ad Deum, uti ad Judicem, reportatura secundum ea quæ in corpore fecit, sive bona, sive mala. Si hic sensus non esset, futilissima foret ratiocinatio: Memento Creatoris tui, quia post mortem nihil est, ipsaque mors nihil. Pulcre *Sophocles* apud *Clement. Strom. Lib.* II.

Πρὸς οἷον ἥξεις δαίμον᾽; ὡς ἀρηρότα;
Ὅς ὔτε τὐπιεικὲς, ὔτε τὴν χάριν
Ἤδει, μόνην δὲ ἔςεργε τὴν ἁπλῶς δίκην;
Heu quam severi pectoris vises Deum,
Qui gratiæ largitur aut æquo nihil,
Sed jure summo semper & ubique utitur?

Nimirum, nisi quis fide, ac resipiscentia tempestiva, iram severi Judicis prævertat. Conf. Ecclesiastem nostrum infra *Vers.* 16.

XXX. *At non omnibus æque gravis senectus est.*

XXX. Tenendum interim est, neque omnium senectutem omnibus hisce incommodis premi, neque senectuti sua bona deesse, quæ bonis juventutis opponi queant; quod sub *Catonis* persona, aureo libello,

bello, demonstravit *Cicero*. Ideoque, si quis juventutem, non ita uti fas est, in recordatione Creatoris sui exegerit, non idcirco ei in senectute desperandum, & quod superest ætatis sola anteactæ vitæ accusatione, nihilque profuturo mœrore transigendum est. Nulla resipiscentia, nulla sui emendatio, nulla virtus sera est; modo vera & seria sit. Et quo plus temporis inconsideratis impensum voluptatibus, aut inutilibus, vel noxiis etiam, sollicitudinibus est, eo majori diligentia, quod seni restat ætatis, pietati sacrandum & saluti.

XXXI. *Piis etiam optata & felix.*

XXXI. Sin vero a pueritia, vel adolescentia ei operam dederit, tum priscæ virtutis, ac recte factorum recordatio, senectutis incommodis ita medebitur, ut non solum non molesta admodum, sed & grata ac jucunda pio seni accidat. Tunc licebit, cum *Francisco Petrarcha, Epistol. Senil. Lib.* VIII. *Epist.* II. præsentem senectutem sancta hac ἀποστροφῇ excipere: *O veneranda ante alias senectus! ô diu optata! ô nequidquam formidata mortalibus! ô felix ætas! Indignus est ad te pervenire, qui te metuit. Indignus pervenisse, qui te accusat. Ego te semper optavi: nunquam timui. Ego tibi obventanti, quando licuit, obviam processi. Ego te votis expetitam, & præoccupatam animo aliquando, & præsentem teneo, & amplector. O bona malorum victrix affectuum, expultrixque optima libidinum pessimarum! Tibi uni, post Deum, tribuo, quod, præduris compedibus & tristi carcere relaxatis, liber tandem meique juris esse incipio.*

XXXII. *Desitura in placidam mortem.*

XXXII. Cæterum hoc quoque commodi pia sanctaque senectus habet, quod in mortem placidam beatamque, sine vehementi corporis animive concussione, sua quasi sponte quandoque desinat: eamque ultimam ac certissimam infirmitatum suarum medicinam inveniat: ut est apud *Stobæum tit.* 120.

Ἀλλ' ἔσθ' ὁ θάνατος λοισθὸς ἰατρὸς νόσων.

Medicus mors morborum omnium est novissimus.

Quod sapienter animadversum, & eleganter explicatum, ab eo quem modo laudavi *Catone* est. *Quid*, inquit, *tam secundum naturam est, quam senibus emori? quod idem contigit adolescentibus, adversante & repugnante natura. Itaque adolescentes sic mihi mori videntur, ut quum aquæ multitudine flammæ vis opprimitur: senes autem sic, ut quum sponte, nulla adhibita vi, consumtus ignis exstinguitur. Et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, avelluntur, si matura & cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas: quæ mihi quidem tam jucunda est, ut, quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum longa navigatione esse venturus.*

XXXIII.

XXXIII. Pro exemplo tam placidæ mortis, beatæque εὐθανασίας, laudari meruit, JACOBUS FABER STAPULENSIS, inter veritatis Evangelicæ & bonarum literarum instauratores haut ignobile in Galliis nomen. Is senecta admodum ætate, persecutionis vehementiam, qua veritatis professores premebantur, effugiturus, ad Navarræ Reginam, piæ caussæ animosam prudentemque tutricem, Albretum in Vasconibus se contulit. Quadam autem die misit ad ipsum Regina, & condixit ad prandium: convocatis doctis quibusdam & piis hominibus, quorum confabulationibus mirum in modum delectabatur. Inter prandendum dum cæteri convivæ hilari sermone cibos condiebant, multa mœroris indicia edidit Faber. Caussam a Regina rogatus, in hæc verba respondit: Et qui possem, Regina, lætus esse, aut alios exhilarare, omnium quos terra sustinet scelestissimus. At quod tantum potuisti admisisse scelus, inquiebat illa, mi Jacobe, qui ab ineunte ætate sanctissime semper vixisse visus es? Ego, inquit, primum supra centesimum nunc annum attigi, purus ob omni contagione muliebri; & nihil me admisisse memini, quo gravi conscientia ex hac vita discedere formidarem: nisi unum, quod tamen expiari posse confido. Præ lacrumis vero vix fandi potens, sic tandem perrexit. Quo animo ad summum Dei tribunal comparitturus sum, qui sanctum Dei Evangelium sincere multos docui, adeo me in illius professione fortiores & constantiores, ut non pauci eorum mille tormenta, ipsamque adeo mortem animose subierint? Ego vero male constans Doctor, vitæ, sua sponte decrepitum senem ocius deserturæ, turpi fuga, contra Domini præceptum, consului: cui nihil gloriosius contingere potuisset, quam ut cœlestes veritates, quarum crebro expertus virtutem sum, pauxillo quod restat senilis sanguinis alacriter obsignarem. Ad quæ Regina, ut erat eloquentissima, & in sacris nostris literis exercitatissima, quum multa disseruisset, quæ leniendo dolori perquam idonea erant, eaque assidentium suffragiis firmata auctaque essent, ille resumto animo sic infit: Ergo nihil restat, nisi ut hinc ad Deum migrem, condito, si libet prius testamento: neque ultra differendum censeo, quum a Deo me vocari intelligam. Mox contentis in Reginam oculis, Ego te, inquit, hæredem instituo. Concionatori M. Gerardo libros meos omnes lego. Vestes, & quidquid insuper habeo, pauperibus relinquo. Cætera Deo committo. Ad quæ subridens regina, Jacobe, inquit, quid itaque ad me ex hæreditate deveniet? Negotium, respondet ille, distribuendi in pauperes. Accipio, inquit, juroque gratiorem mihi hanc esse hæreditatem, quam si frater mihi Galliarum regnum legas-

XXXIII. Cujus memorabile exemplum in Jacobo Fabro Stapulensi.

legasset. Lætior inde factus, aliqua sibi quiete opus esse monet, convivas autem jubebat esse hilares, & vale dicto concessit in proximum lectulum. Illis vero dormire ipsum existimantibus, obdormierat in Domino, nullis signis malæ valetudinis editis. Hunc sancti viri exitum sæpe memorabat Regina. Vide *Rivet. Oper. Tom.* II. *p.* 1266. Et *Drelincourt. Visit. Charit. Tom.* III. *p.* 148.

EXERCITATIO VII.

DE

UXORE LOTI.

AD

LUC. XVII. 32.

BREVIARIUM.

I. Miranda prorsus memoriæ nostræ facultas est. II. Cui idcirco non nisi præstantia quæque committenda sunt. III. In quibus Jesus laudat historiam uxoris Loti. IV. Lotus imprudenter ab Abrahamo ad Sodomitas concessit. V. At non sine insigni Divinæ Providentiæ ductu. VI. Rabbinorum de uxore Loti fabulæ. VII. Mandatum Dei de non respiciendo retrorsum, inconsiderate ab ea spretum. VIII. Nonnulla ad facti illius excusationem aliquam allegari possunt. IX. At multa in eo concurrunt, quibus valde criminosum esse probetur. X. Facta est statua salis, per veram metamorphosin. XI. Alibi quoque solidæ salis massæ memorantur. XII. Unde necesse non est salem perpetuitatis sensu hic exponere. XIII. Veteres veræ historiæ multa incerta addiderunt. XIV. Non est credibile statuam istam adhuc exstare. XV. Incertis accesserunt palam fabulosa. XVI. In quibus Irenæus frustra quæsivit mysterium. XVII. Clerici paradoxa hujus historiæ explicatio. XVIII. Illius firmamenta. XIX. Uti nimia facilitas, ita & nimia difficultas in admittendis miraculis improbanda est. XX. Periculosum est rationi nimium

nimium tribuere. XXI. Quæ tamen hic nihil invenit quod meritò horreat. XXII. Quum & aliæ mutationes, huic quodammodo similes, in natura inveniantur. XXIII. Etiam homines in salarias aut lapideas quasi statuas mutati. XXIV. Paradoxa interpretatio vim facit verbis historiæ. XXV. Illiusque firmamenta prorsus sunt invalida. XXVI. Observationes practicæ.



N animæ humanæ admirandis, si non principem, eximium certe locum meretur ea facultas quam memoriam nuncupamus. Quæ veluti sanctius mentis nostræ ærarium est, in quo thesauri infatigabili diligentia collecti reconduntur, ubi usus erit depromendi. Hujus autem rei modus tam est inextricabilis, ut acutissimi Philosophorum inter ea retulerint, quæ mirari nos Deus, non scire, voluit. Quis enim concipiat, quo pacto infinitæ rerum species facultati huic, cujus operatio omnis parvo cerebri spatio circumscripta est, imprimantur, nec tamen confundantur: & quanquam in humida & flaccida capitis substantia resideat, ubi continuus spirituum, quos vocant, animalium per infinitos meatulos cursus ac recursus est, receptas tamen species tam fideliter sæpe conservet; eoque locet ordine ac nexu, ut ad imperium voluntatis nunc hæ se sistant, nunc illæ; & vel omnes adsint, vel plurimæ, vel singulæ? At eo discrimine, ut quamvis imagines in eodem cerebro stabulentur, quædam tamen præsto sint veluti ultro & injussæ, non aliter ac si in labris natarent; quædam non nisi longiore meditatione subeant, quasi precario & invitæ adessent; quædam vocatæ & jussæ adesse recusent, tanquam altius repostæ, ut non nisi per attentam reminiscentiam excitari & in apertum produci queant. Ingentes sane Divino Numini pro tam admirabili facultate debemus gratias. Quid enim omnis studiorum molestia, quid meditationum longa intentio, quid inventionum industriosa felicitas nobis prodesset, nisi repositorium aliquod haberemus, cui tot annorum labor tuto credi ac committi posset?

I. Miranda prorsus memoria nostra facultas est.

II. Verum quo admirabilior, quo utilior magisque necessaria nobis ista facultas est, eo sollicitius operam dare oportet, ne minutulis nulliusque pretii rebus, nugis atque crepundiis, quas servare nihil attinet, magnam partem oppleatur; multo magis, ne pravis & noxiis speciebus, quas meminisse nocet, profanetur. Non nisi pulcherrima quæque, pretiosissima ac sanctissima, sancto ærario isto digna sunt; quorum recordatio & sapientiores, & meliores, & ad laudum Divinarum præconium instructiores reddat. Talia autem præ

II. Cui idcirco non nisi præstantia quæque committenda sunt.

cæteris

cæteris omnia ista sunt, quæ Deo placuit nobis de se, de consiliis, de operibus suis, imprimis de procuratione salutis nostræ, itemque de officiis nostris, illisque rebus omnibus quibus parta nobis per Christum salus obtingit, revelare. Multum etiam ad virtutem conducit, ut cognoscamus quæ olim a majoribus natu vel bene vel male gesta sint, & quem eventum utraque habuerint; ut in iis veluti in speculis cernamus, quid faciendum sit, quid fugiendum.

III. In quibus Jesus laudat historiam uxoris Loti.

III. Hoc fine memorabilia quædam victuris chartis optimi Numinis providentia commisit, ut posteri aliorum exemplo saperent. 1. Cor. x: 6, 11. Quibus profecto adnumerari meretur impurorum Sodomitarum tremendum exitium, & quæ in eo LOTO ac CONJUGI ipsius mirabilia prorsus acciderunt: quorum memoriam suis ipse discipulis commendavit Jesus. Luc. XVII: 32. Μνημονεύετε τῆς γυναικὸς Λώτ, MEMENTOTE UXORIS LOTI.

IV. Lotus imprudenter ab Abrahamo ad Sodomitas concessit.

IV. LOTUS filius fuit *Haranis*, nepos *Tharæ*, qui cum avo, & patruo Abrahamo, avitas sedes, simulque priscas superstitiones, lubens reliquit, vocantem secutus Deum. Et quamvis non pari cum Abrahamo, cui potior semper in Divino favore pars erat, gratiæ mensura æqualibusque promissis bearetur; constanter tamen & Deo & patruo adhæsit. Donec ob familiæ utriusque opulentiam, & domesticorum jurgia discessionem ipsa juberet necessitas. Abrahamo itaque optionem dante, Lotus loci amœnitate allectus, in rerum suarum sedem eligit planitiem Jordanis: quippe quæ tota irrigua erat, & cum ipso vere Paradiso certare videbatur. Non ausim profecto omni hic culpa Lotum absolvere: nescio tamen an eo nomine objurgandus sit, quod patrui modestiæ non satis responderit. Quis enim dixerit, quid gestum sit inter utrumque mutuæ humanitatis reciprocatione? Potuit enim recusasse optionem, quam non nisi urgente patruo accepit. Non omnia Moses tam brevi narratione edisserit. At nec Judæorum facile magistris assenserim, affirmantibus, Abrahamum mansionis in suo loco certum, eam solum optionem Loto dedisse, ut in quam vellet partem cum pecude & possessionibus suis secederet, se nolle relinquere locum prophetiæ. Hæc nos a simplicitate Mosaicæ narrationis abducunt. Tantundem enim Abraham Loto permissum vult quantum sibi: nedum ut manendi facultatem sibi poscat, retineatve. *Si tu*, inquit, *sinistram petas*, *ego dextram*: & contra. Cæterum in eo procul dubio peccavit Lotus, quod se tam opima habitatione, ad quam temere non minus quam cupide festinaverat, beatum fore putaret. Deinceps sensit, quam infeliciter sibi ea cesserit electio: quia negotium cum superbis perversisque hospitibus habuit,

buit, quorum mores ferre longe durius erat, quam cum terræ sterilitate luctari. Ita dum sola prospectus amœnitate ducitur, inconsideratæ cupiditatis pœnas dat.

V. *At non sine insigni Divinæ Providentiæ ductu.*

V. Cæterum in cæcis hominum molitionibus partes suas Dei consilium agit. Quum uterque, tam Abrahamus, quam Lotus, insignes pietate viri essent, quorum in regionibus istis mira erat raritas; separare eos Deo visum est, ut apud diversos populos partibus quisque suis defungeretur, monendo verbis, & præeundo exemplis. Quod uti de Abrahamo certum est, ita de Loto dubitare non sinit Petrus *Epist.* II. *Cap.* II:8. Præterea, Abrahamum, non Lotum, Deus ad possessionem terræ Canaan evocaverat. Offert Loto Abraham id cujus jure cedere non poterat, quodque Deus Loto ejusque soboli nolebat dare. Renuit igitur Lotus, sic gubernante Numine, ut juste excidisse videatur, qui spreverat. Voluit itaque hac separatione præfigurare Deus separatam fore utriusque familiæ habitationem, neque futurum unquam ut in unum coalescant populum. Quo facit quod mox a Loti discessu repetit Abrahamo promissiones terræ Canaan. Sic vidimus quis Lotus sit, & qua occasione in tractum illum Sodomiticum habitatum concesserit.

VI. *Rabbinorum de uxore Loti fabulæ.*

VI. Nunc de UXORE Loti videamus. Hebræorum Magistri, qui nihil sibi ignoratum esse patiuntur, ejus & *nomen*, & *genus*, & *familiam*, & *mores* narrant, haut secus ac si familiares Loto & necessarii fuissent. *Nomine* ajunt fuisse עדית *Adith*, a testando, quod humanæ fragilitatis & Divinæ severitatis apud omnem posteritatem testimonium exstiterit. *Genere* fuisse *Sodomæam*: neque enim ex Chaldæa cum conjuge venisse Lotum, neque eo rediisse ut uxorem sibi e cognatis sumeret, neque Cananæam sibi despondisse; sed tum demum de matrimonio cogitasse quum apud Sodomæos moraretur. Unde *Targum Hierosolymitanum*: על דהות אתתיה דלוט מן בני בניהון עמא דסדום אסתכלת מן בתרה למחמי מה הוי בסוף ביתיה דאבוי. *Quia uxor Loti fuit ex filiis filiorum populi Sodomæi, respexit post se, ut videret quid tandem futurum esset domui paternæ.* *Filias* ei *quatuor* attribuunt, quarum binæ pridem nuptæ cum maritis & sobole perierint, binæ adhuc virgines incendio ereptæ sint. Quod colligunt ex sermone Angelorum ad Lotum: *Habes hic quempiam tuorum, generum, aut filios, aut filias?* Rogant Lotum de *filiis*, quum filium nullum habuerit. Rabbini id exponunt de nepotibus ex filiabus quæ enupserant. *Jarchius*: בני בנותיך הנשואות. In eadem sententia *Mercerus* est: cui verisimile non videtur, quod Lot desponsatas oblaturus fuisset in stuprum. Quo etiam facere videtur, quod Gen. XIX:15.

dicatur in exeuntium recensione, *Tolle uxorem tuam, & duas filias* הנמצאות, *quæ præsto sunt*, quas domi habes: omitte immorigeras, quia festinandum est. Ego cum *Schotano* existimo id datum Loto, quod ipse & familia servati sint: Deum etiam prævenisse, ne viri sanctissimi filiæ impiis jungerentur, quamvis se & patrem gravissimo postea facinore involverint. Quod dicitur הנמצאות, accipio opposite ad sponsos. Porro *mores* fœminæ ita describunt, ut morosam admodum & marito obstreperam fuisse narrent. Atque hos ipsos hospites, qui ad familiæ suæ salutem advenerant, tristi ac tetrico vultu acceperit, & hospitalitatem violaverit; cibum parare, sal adferre, jubenti marito renuerit: unde Lotum ipsum cibis parandis occupari oportuerit: dicitur enim in genere masculino ומצות אפה, *& ipse panes infermentatos coxit*. Gen. XIX: 3. Scriptor Pentateuchi *Ibn Sihal*, ex mente Orientalium quorundam Interpretum, asserit, postquam advenæ ad Lotum diverterunt, tunc uxorem notum illud fecisse civibus, signo utrique parti posito: pulsato videlicet pariete dixisse אעטוני מלחא *Date mihi sal.* Cæterum omnia ista male feriatorum hominum commenta esse, quis tam cæcus est ut non videat?

VII. Mandatum Dei de non respiciendo retrorsum, inconsiderate ab ea spretum.

VII. Nos seria sectemur, & consideremus in hac fœmina, primo *culpam*, tum *pœnam*. Culpa in eo est, quod חבט מאחריו RESPEXERIT POST IPSUM, scilicet Lotum. Gen. XIX: 26. Vocem Hebræam alii aliter interpretantur. Græci εἰς τὰ ὀπίσω. In eundem sensum Syrus. Chaldæus מתריה *post se*. Sic & Vulgatus. Sed non convenit affixum, quod masculini generis est. In re ipsa tamen differentia aut nulla est, aut exigua. Lotum præeuntem & festinantem non æquis passibus secuta conjux, respexit ad ea quæ pone Lotum, & pone se erant. Ut numero dicam, reflexit oculos versus Sodomam. Quod in se non fuisset malum, si ex bono ortum fuisset principio; & nisi diserto Dei repugnasset interdicto. Nimirum Loto dixerat Deus comm. 17. NE RESPICIAS POST TE. Quod quidem exigui momenti mandatum videri posset, solo corporis situ vel præstandum, vel violandum; sed sine dubio plura complexum est. Sunt qui volunt, Deum in re tam facili Loti obedientiam explorare voluisse. Verum non ea tunc res agebatur. Sunt qui ad festinationem referunt, ut moneretur præcipiti se fuga subducere, quia festinabat Divina vindicta. Jubentque similes conferri formulas, quibus diligentia ac celeritas commendatur. Uti 2. Reg. IV: 29. *Si quem inveneris, ne salutato eum, & si quis te salutaverit, ne respondeto ei.* Adde Luc. X: 4. *Neminem in via salutetis.* Id est, sine mora ac intermissione iter vestrum celeriter conficite. Nec abnuo, modo ne id solum esse

esse credatur. Genuinam prohibitionis rationem hanc fuisse arbitror: Voluit Deus Loti & suorum animum abducere ab omni pristini domicilii cogitatione, & monere salutis ac vitæ curam potiorem esse omnibus quæ reliquerant Sodomæ; ne talium amore ac cupiditate titillati beneficium Divinum negligerent, aut amitterent: quasi eo redire volentes, unde tanto erepti erant prodigio. Amœnitas ac fertilitas tractus istius effecerat, ut, nequicquam obstantibus incolarum sceleribus, diuturnas ibi moras Lotus nexuerit. Tametsi autem Sodomæ habitans cor suum quotidie excruciaverit, fieri tamen vix potuit, quin ex profunda scelerum colluvie sordium aliquid contraxerit: hoc saltem, ut ista bonorum & commodorum hujus seculi ubertate ultra quam par est delectaretur. Nunc itaque a Domino purgandus, deliciis privatur, in quibus sibi nimium placuerat, jubeturque adeo non invitus iis carere, ut ne oculos quidem retroflectat. Ipso igitur corporis motu significare eos Deus voluit, se affectus suos omnes ita subegisse, vel saltem velle subigere, ut de domo, supellectile, armentis, cæterisque possessionibus relictis, solliciti amplius non essent.

VIII. Spreta tam diserti interdicti religione uxor Loti, dum maritus strenue pergebat, oculos retroflexit. Multa equidem in patrocinium hujus facti excogitari possent, quibus, si non prorsus exculpetur, magna tamen criminis diritate excusetur. Nam & fœmina erat, cujus sexus imbecillitati ab ipsis etiam hominibus multum condonari solet; & tot cara in urbe reliquerat; urbe si non patriâ, at saltem quæ patriæ vicem sibi totique familiæ a multis retro annis præstiterat. Nonne a natura ita facti sumus omnes, ut rerum pulcrarum ac jucundarum, quibus suæ bonitatis imaginem quandam impressit Deus, quarumque usum humano generi immensa Numinis benignitas gratificata est, amore ac desiderio teneamur? Quis ab animo impetrare suo potest, ut antiquæ consuetudinis memoriam omnem uno veluti ictu a se removeat? Quis vicinorum & notorum commiserationem, quis curiositatem cognoscendi res eas mirabiles, ac incredibiles propemodum, quæ tunc agebantur, truci sententia damnet? Quis denique, nisi supra humanæ imbecillitatis sortem positus, ita affectus cunctos in manu sua habeat, ut non tantillum saltem quantum Loti uxor, sibi quoque indulgeret?

VIII. Nonnulla ad facti illius excusationem aliquam allegari possunt.

IX. Hæc sane, & quæ multa dici possent his similia, non improbe dicerentur, si de excusanda quomodocunque persona ageretur. Non enim laudanda eorum severitas est, qui præfracta impetuosi sermonis duritie in obvios quosque detonant, quos peccato alicui cernunt impli-

IX. At multa eo concurrunt, quibus valde crimino-

sum esse probetur. implicitos; suæ interim fragilitatis immemores, & obliti similium, vel majorum forte criminum, quibus & ipsi sese obstrinxerunt. At quamvis venia quærenda sit peccanti; improbum tamen est, patrocinium commodare peccato: maxime si peccati excusatio vergat ad accusationem summi Judicis, quasi non servata æquitatis proportione culpæ mensuram pœna exsuperet. Et profecto, si recte attendamus, multa in fœminæ hujus delicto concurrunt, quibus valde aggravetur. Fuit in eo I. *Inobedientia*, contra expressum Dei mandatum, cujus nullam prætexere poterat ignorantiam. Talem vero inobedientiam, vel in minima re, aut rei circumstantia, ægerrime sæpe tulit Deus. Nec immerito: quippe in qua est adversatio Deo, & contemtus majestatis ejus, nostræque voluntatis superba supra Divinam elatio. Quod *Saulo* inculcavit *Samuel*. 1. Sam. xv: 22. *An delectatur Jehova holocaustis & sacrificiis, ut quum auscultatur voci Jehovæ? Ecce auscultare melius est sacrificio, attendere adipe arietum. Quin sicut peccatum divinationis est rebellio; & sicut superstitio & idola est repugnantia: quia sprevisti verbum Jehovæ, sprevit similiter te, ne sis rex.* II. *Incredulitas*, contra apertam rei futuræ revelationem: dubitans de fide Angeli, videre voluit quid fieret. *Qui vero non credit, Deum ipsum mendacem efficit.* 1. Joh. v: 10. III. *Ingratitudo*: quod tanto affecta beneficio, in tantilla re detrectaverit obedientiam. Hoccine rependi debuit tam prolixo Numinis amori, tam prodigiosæ e præsenti exitio ereptioni? IV. Κοσμοφιλία, animus rebus terrenis nimium addictus. Quæ omnia non nostro, sed supremi Judicis arbitrio, æstimanda sunt.

X. Facta est statua salis per veram metamorphosin. X. Quanti autem ea fecerit Deus, ex *pœna* liquet: his expressis verbis, ותהי נציב מלח, ET FACTA EST STATUA SALIS. Quæ ut rite intelligantur, *certa* ab *incertis*, & palam *fabulosis* distinguenda sunt. *Certum*, me judice, est, factam hic esse veram μεταμόρφωσιν, ut corpus muliebre Divina virtute mutatum sit in *statuam*, sive *acervum* salis, id est materiæ solidæ & stabilis; quale est sal minerale, quod marmoris instar exscinditur ex rupibus, & nullo imbre liquescit, & pro saxis ad ædificandas domos idoneum est.

XI. Alibi quoque solidæ salis massæ memorantur. XI. Salinarum metalla esse quæ *Cautium* ministerio funguntur, ex quibus nimirum ut ex lapicidinis sal cæditur, quo simulacra hominum deorumque formantur, tanquam aliquo *marmore prophyretico*, *Solinus* tradit. In eo solum castigatus a *Salmasio*, quod montes istiusmodi salis ex *India* in *Siciliam* transtulerit. *Plinian. Exerc. p.* 82. Addit *Salmasius*: Arabes fossilis salis massis domos exstruere. De sale etiam qui *Utica* effodiebatur hoc scriptum reliquit *Aristoteles* in *Admiran-*

mirandis, p. mihi 711. & acceptum refert Punicis Annalibus: Τῆς δὲ Λιβύης ἐν Ἰθύκῃ τῇ καλουμένῃ γίνεσθαί φασιν ἅλας ὀρυκτοὺς, ἐπὶ τρεῖς ὀργυιὰς τὸ βάθος, τῇ ὄψει λευκοὺς καὶ οὐ στερεοὺς, ἀλλ' ὁμοίους τῷ γλισχροτάτῳ γλοιῷ· καὶ ὅταν ἀνενεχθῶσιν εἰς τὸν ἥλιον ἀποστερεοῦσθαι, καὶ γίνεσθαι ὁμοίους τῷ παρίῳ λίθῳ· γλύφεσθαι ὅτι ἐξ αὐτῶν λέγουσι ζώδια καὶ ἄλλα σκεύη. *In Utica Libyæ nasci salem fossilem ajunt, trium passuum profunditate, adspectu album, & minime firmum, sed similem viscosissimo glutini, qui in solem prolatus adeo indurescit, ut nihil a Pario lapide differat; quocum animalia mascula poliuntur.* Sic inepte incerti Interpretis versio habet: pro eo quod dicendum fuerat: *ex quibus ajunt animalia & alia vascula sculpi.*

XII. *Unde necesse non est salem perpetuitatis sensu hic exponere.*

XII. Quæ eo a me allata sunt, ne incredibile videatur massam aliquam salis, longo tempore aëri & imbribus expositam, liquefactam tamen non esse. Neve cogamur vocem salis metaphorica notione accipere, ut perpetuitatis symbolum. Uti videtur accepisse *Targum Hierosolymitanum*: והא היא קיימא עמוד דמלח עד זמן תחייה דייחיון מיתייא. *Et ipsa facta est columna salis, duratura usque ad tempus resurrectionis, quando vivificabuntur mortui.* Ita Num. XVIII: 19. ברית מלח *pactum salis*, est pactum perpetuum, nunquam desiturum. Sed perplacet mihi *Riveti* observatio: *Locutionem illic esse figuratam liquet, quia pactum, quum sit actio relativa inter duos, non potest in salem converti: potest tamen sale adhibito sanciri, quemadmodum olim sacrificia fuerunt sale condita. Intelligimus igitur corpus illius mulieris in salis statuam, eamque durissimam, concrevisse intus & foris, in perpetuam rei memoriam.*

XIII. *Veteres veræ historiæ multa incerta addiderunt.*

XIII. Hæc certa arbitror. Pro *incertis* habeo I. *Modum* quo metamorphosis hæc facta sit: an quod Judæi volunt vi ignis & sulphuris cœlestis, quo misera fœmina quasi fulgure tacta obriguerit, ac quasi in calcem versa sit, an alia quacunque ratione nobis incognita. II. *Figuram*, quam retinuerit, an ea fœminea fuerit; an vestita; an eadem in specie quam viva gesserat: sic ut & mutata cognosci pro uxore Loti potuerit. III. *Durationem* in eodem statu; quamdiu remanserit, & an *Josephi* adhuc ætate superstes fuerit. Quamvis eam sibi visam expresse narret, non tamen idcirco pro exploratissimo habendum est. Multa enim celebri isti Hebræorum Historico excidisse, in quibus diligentiam, judicium, imo & fidem desideres, pridem ab hominibus eruditissimis, & nuperrime a clarissimo viro *Campegio Vitringa*, evidentibus exemplis demonstratum est. Si quidquam viderit *Josephus*, vidit fortassis aliquid sibi ab accolis demonstratum: quod illi hanc statuam esse fabulabantur, ipse imprudenter credidit.

sum esse probetur.

implicitos; suæ interim fragilitatis immem[illegible] [illegible]entioribus itinerum scrip- vel majorum forte criminum, quibus [illegible] [illegible]atis habuerunt, majorive h- quamvis venia quærenda sit peccan[illegible] [illegible]ale visum esse fatentur. Pro cinium commodare peccato: [illegible] *Terr. Sanct. Part.* I. *Cap.* VII. § 34 accusationem summi Judicis [illegible] *subii labores itinerum, nec tamen ex-* culpæ mensuram pœnæ [illegible] *quidem incolæ retulerunt mihi, locum il-* multa in fœminæ [illegible] *sine mortis periculo adiri non posse propter* Fuit in eo I. [illegible] *præcipue autem propter Beduinos loci habita-* nullam [illegible] *inhumanos, pessimorumque morum. Nicolaus* vel in [illegible] *[illegible]vilius*, Princeps Polonus, curiosus istorum loco- Nec [illegible] *ex* Arabe suo, cæterisque qui loca illa explora- jestatis [illegible] *diligenter* quæsivisse testatur; verum eos constanter affirmasse, Quod [illegible] *illic re*periri.

[illegible] *Incertis* hisce *fabulosa* accesserunt multa. In quorum cen- XV. [illegible] quod viri cætera graves tradiderunt, eandem semper [illegible] *refero; statuæ huic* redire formam, sive ab hominibus, sive a feris, sive a *lambentibus* corrupta sit gregibus. Id *Tudelensis* narrat *Benjamin Itiner. p.* 44. *Ex monte*, inquit, *olivarum despiciunt mare Sodomiticum: a quo mari ad salis statuam, quæ Loti uxor fuerat, duæ sunt parasangæ.* והצאן לוהכות ממנה ואחר כך חוזרת צומחת כברשונה *Statua quidem a gregibus lambendo diminuitur; sed denuo excrescit ad pristinam quantitatem.* Eadem ante *Benjamin* noto carmine cecinit sive *Tertullianus*, sive *Cyprianus*.

Durat adhuc etenim nuda statione sub æthram,
Nec pluviis dilapsa, situ, nec diruta ventis:
Quin etiam si quis mutilaverit advena formam;
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.

Non minus fabulosum est, quod & salvo vix dici potest honore, quodque idcirco ejusdem Poëtæ quam meis verbis hic exstare malo:

Dicitur & vivens alio jam corpore sexus,
Munificos solito dispungere sanguine menses.

XVI. In quibus Irenæus frustra quæsivit mysterium.

XVI. *Irenæus* in futilibus næniis istis, non quod pueri in faba, sed mysterium aliquod quæsivit, & invenisse se putat; dum ita commentatur: *Lib.* IV. *Cap.* LI. *Et quum hæc fierent, uxor remansit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, sed statua salis, semper manens, & per naturalia ea quæ sunt consuetudinis hominis ostendens: quoniam & Ecclesia, quæ est sal terræ, subrelicta est in confinio terræ, patiens quæ sunt humana. Et dum sæpe auferuntur ab ea membra, integra perseverat statua salis; quod est firmamentum fidei, firmans & præmittens filios ad Patrem ipsorum.* Vah; quanti est sapere! Unde tandem non extundentur mysteria?

ſteria? Non poſſum quin adſcribam prudens *Riveti* monitum, qui, poſtquam hæc *Irenæi* verba recitaſſet, ſic pergit: *Hoc ſcilicet eſt rem acu tangere! Non tamen inutile eſt meminiſſe, ut quum periculoſum ſit in talibus ludere, etiam magnorum alioqui virorum lapſu præmoniti diſcamus ſapere ad ſobrietatem.*

XVII. Sed uti nimium credulitati ſuæ indulgentes viri optimi, hac quidem parte in exceſſu peccaverunt; ita, ut molliſſime loquar, longe cis obſequioſæ fidei terminos conſiſtit *Johannes Clericus*, nimium indulgens laſcivientis ingenii ratiocinationibus: cujus exſtat *Diſſertatio de Statua ſalis*, quam ſuis in Geneſin Commentariis ſubnexuit. Hujus viri ratio ipſi dictat, multa concurrere abſurda, ſi cum Interpretum vulgo ſtatuamus, vera metamorphoſi uxorem Loti in ſtatuam ſalis eſſe converſam; quum ſatis ſit, eam cunctationis ſuæ pœnam morte dediſſe, & portenta naturæ viribus ſuperiora rara ſint, & denique in toto hoc negotio nihil tanto miraculo dignum reperiatur. Quid itaque verbis Moſis fiet, diſerte dicentis, ותהו נציב מלח, ET FACTA EST STATUA SALIS? Gen. XIX: 26. Nihil hic admodum vir expeditiſſimus moratur. Quum metamorphoſis ejuſmodi rationi diſſona ſit, præſtare dictat ut ad alium ſenſum quam verba præ ſe ferunt confugiamus. Additque, quod notatu dignum: *Imo vero, licet nonnihil torquerentur Scriptoris Divini verba;* (quod tamen a ſe fieri negat) *ſatius eſſet* DURAM ADHIBERE INTERPRETATIONEM, *quam abſurda dicentem inducere. Multo credibilius*, inquit, *phraſi minus propria uſum eſſe Moſem, quam abſona planis verbis eſſe elocutum;* CONTORTAQUE *proinde* ENARRATIO *tolerabilior eſſet, quam portentoſi eventus, ad duas voculas ambiguas exponendas, fictio.* At operæ pretium eſt cognoſcere, quo modo ambiguas iſtas, quas vocat, voculas tractet. Obſervat vocem נציב tralatitio ſenſu ſignificare *immotum* aliquid, & *durum*, columnæ & ſtatuæ inſtar, unde & apud Chaldæos נצבתא eſt *durities* Dan. II: 41. Itaque Moſes hoc velle poſſet, uxorem Loti diriguiſſe, & inſtar columnæ aut ſtatuæ immotam illic remanſiſſe. Sic *Philo, Libro de Profugis*, ubi hanc hiſtoriam allegorice interpretatur, ait, eos qui anterioribus relictis εἰς τοὐπίσω cervicem flectunt ἀψύχου καὶ κωφῆς λίθου τρόπον στηλιτεύεσθαι, *inanimati ac muti lapidis inſtar columnas fieri.* Similiter notat, vocem מלח proprie quidem *ſalem* notare, ſed & *ſolum ſalſum* ac *ſterile*, quale eſt circa lacum Aſphaltidem. Deut. XXIX: 23. quod alibi dicitur מלחה Pſ. CVII: 34. & a LXX. Interpretibus vertitur ἁλμυρὶς aut ἅλμη. Quo ſenſu, inquit, ſi hic intelligatur, deerit præpoſitio ב, ut ותהי נציב מלח, ſi pro ותהי נציב במלח *& fuit ſtatua in ſalſo ſolo*, ſeu in ſubverſo ſolo

XVII. *Clerici paradoxa hujus hiſtoriæ explicatio.*

 inte-

interiit. Pergit; interdum מלח *diuturnum tempus* significat. Num. XVIII: 19. Quæ significatio si hic admittatur, uxor Loti in perpetuum mansisse in Sodomitico agro, seu illic diriguisse, neque unquam reversa intelligetur. Rem ipsam fusiore commentario illustrat p. 333. *Verisimilius, mulierem metu diriguisse, aut vapore sulphuris & bituminis suffocatam. Quum enim patria cæli & terræ ignibus arderet, —quid mirum si præ metu & dolore animam efflaverit, aut saltem exanimata conciderit, &, quum nemo suppetias ferret, obierit. Si cui tamen hoc mortis genus minus arrideat, non absurde forte conjiciat, mulierem non tantum oculos ad patrium solum retorsisse, sed etiam, postquam Angeli abierant, rediisse, ut propius incendium spectaret; atque ita suffocatam fuisse.*

XVIII. *Illius firmamenta.*

XVIII. Firmamenta paradoxæ interpretationis hæc sunt. I. Quod res ipsa cum ratione optime conveniat, & plurimum habeat verisimilitudinis. Nam & alias observatum est motu terræ insanos plurimos homines esse factos, atque impotes sui errasse. Nusquam est, neque fuit, qui securus adspiceret ruptis compagibus dehiscens solum. Mirumne ergo videbitur, si dixerimus tam horrendo spectaculo oppressam uxorem Loti subito diriguisse, aut semianimem collapsam, dum licuit, vitæ suæ non consuluisse? II. Quod similes locutiones, tam in sacris quam profanis, exstent, metaphorico sumendæ sensu. In sacris de re minori similis occurrit phrasis. 1. Sam. XXV: 37. ubi de Nabale: *& mortuum est cor ejus in illo, & ille* היה לאבן *fuit in lapidem.* Quemadmodum igitur ex eo quod dicitur Nabal lapis factus, nemo dixerit hominem in lapidem μεταμορφωθῆναι: nec uxor Loti censenda est statua salis evasisse, quod dicatur fuisse statua salis. Sic etiam locuti sunt in summi stuporis expressione Latini Poëtæ. *Ovidius Ariadnem* ita loquentem inducit:

> *Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi,*
> *Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.*

Alibi:

> *—Mater ad auditas stupet ceu saxea voces.*

Rursus:

> *—duroque simillima saxo*
> *Torpet.*

Hinc fabula de *Niobe* in saxum mutata: cujus verum sensum indicavit *Cicero, Tuscul.* III. *Niobe*, inquit, *fingitur lapidea propter æternum, credo, in luctu silentium.* Addit novus Interpres ex *Palæphato* de *Incred. Hist Cap.* IX. quod valde ad ipsius mentem dictum arbitror: ὅστις πείθεται ἐκ λίθου γενέσθαι ἄνθρωπον, ἢ ἐξ ἀνθρώπων λίθον, εὐήθης ἐστί.

Quis-

Quisquis credit ex lapide fieri hominem, aut ex hominibus lapidem, stultus est. Neque dissimulat, multa a se observari posse, *quibus appareat Niobes casum morti uxoris Loti similem esse;* quemadmodum utramque ob simile exitium conjungit *Clemens Alexandrinus Protrept. p. 65.*

XIX. Non indignabitur, spero, vir doctus, si quo soleo candore, & quem rei momentum exigit zelo, animi mei sententiam super paradoxa hac interpretatione exponam. Atque ita quidem, ut primo ejus *originem*, tum *ipsam*, denique illius *firmamenta* examinem. Principium & origo hujus interpretationis, quod ignorare nos vir doctus noluit, est fuga portentorum, ne scilicet miraculosi aliquid in hac historia agnoscere cogeretur. Id vero ego homine pio, Deum amante, & gloriæ ipsius studioso, indignum esse arbitror. Uti non sunt temere fingenda miracula, & Scripturæ verba anili credulitate eo trahenda, quod Hebræis Interpretibus perquam familiare est: ita nec justo difficiliores esse licet in admittendis miraculis, quando narrantur: nec Sciptura verba quæsita durave expositione ita torquenda ne portentosi aliquid innuere videantur. Quid tandem hoc malæ rei est? In extollendis prodigiosis Dei operibus toti fuerunt prisci vates, & hoc suæ existimarunt esse pietatis: & nos nostræ putabimus esse sapientiæ, ut miracula elevemus, omnique ingenii nisu ex tabulis Christianæ fidei exturbemus? *XIX. Uti nimia facilitas, ita & nimia difficultas in admittendis miraculis improbanda est.*

XX. Vel hoc exemplo discere liceat, quid sit superbam istam Rationem Scripturæ interpretem facere: quæ eam, modo cum acumine aliquo, torqueri mavult, quam ut id dicere censeatur, quod ex principiis suis deducere Ratio potis non est. Hoc sane est, in gratiam Rationis, Scripturæ primum bellum indicere, tum & Rationi ipsi, in Scriptura ita interpretanda. Quis enim regulas interpretationis sequens quas præscribit Ratio, animum inducere potest, ut credat, hominem sanum & sobrium, dum, in historia portentorum plena, narrat fœminam aliquam factam esse statuam salis, hoc solum dicere voluisse, eam ingenti metu perterrefactam repentina morte obiisse, suave imprudentia propius flammis admotam arsisse? Quis ejusmodi verborum portenta in *Polybio* aliquo aut *Livio* ferat? Aut quis tantam interpretum in simplicibus verbis eorum pervertendis audaciam sine indignatione legat? Adeone omnia nobis in Divina volumina licere arbitramur, quæ si quis in *Plautum* aut *Lucianum* auderet, ut exsecrandi in Republica Literaria flagitii reus, sacer & intestabilis esse juberetur a Senatu Populoque Criticorum? *XX. Periculosum esse rationi nimium tribuere.*

XXI. Cæterum quidnam illud est, quod tantopere refugit Ratio? Deum facere portenta? Ubi terrarum sumus? Hæccine in medio *XXI. Quæ tamen hic nihil inve-*

nis quod merito horreat. dio audiuntur Christianismo, quæ vel Gentilismus horreat? Repugnatne Rationi omnipotentem infinitumque Deum ea facere, quorum rationem proximasque caussas nos miseri mortales assequi non possumus, neque in opulentissimo (sic saltem jactatur) idearum nostrarum thesauro invenimus? Repugnatne Rationi, eum qui ordinem omnem naturæ pro sapienti, sed & liberrimo, arbitrio constituit, ejusdem ordinis dominum manere, illudque, ubi visum est, ipso facto ostendere, per sapientem rursus liberamque ordinis istius, ad exiguum tempus, & singulari aliqua occasione, mutationem? Meo quidem animo Davidicum illud immotum semper sedebit: Ps. LXXII: 18. BENEDICTUS SIT JEHOVA DEUS, DEUS ISRAELIS, QUI FACIT MIRABILIA SOLUS. Et quid tandem hic adeo absonum? Credimusne Sacris Literis? Credimusne Mosis baculum mutatum esse in serpentem? Quidni & Loti uxorem mutatam esse in statuam salis? Illi nihil simile in natura. Huic similia, sed cum aliqua dissimilitudine, multa.

XXII. *Quum & aliæ mutationes, huic quodammodo similes, in natura inveniantur.*

XXII. An non videmus eorum qui fulmine tacti sunt corpora mirum in modum obrigescere? Spiritum etiam lapidificum Physici observarunt, qui corpora apprehensa in lapidum duritiem convertit. Eum aquis alicubi inesse *Plinius* adnotavit *L.* II. *C.* CIII. *In Ciconum flumine, & in Piceno lacu Velino, lignum dejectum lapideo cortice obducitur, & in Surio Colchidis flumine, adeo ut lapidem plerumque durans adhuc integat cortex. Similiter in flumine Sylaro, ultra Surrentum, non virgulta solum immersa, sed & folia lapidescunt, alias salubri potu ejus aquæ.* Consentit *Seneca Natural. Quæst. Lib.* III. *Cap.* XX.

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Medicamentum est, & ejus habet naturæ limum, ut corpora adglutinet & induret. Quemadmodum Puteolanus pulvis, si aquam attigit, saxum est: sic e contrario hæc aqua, si solidum tetigit, hæret & affigitur. Inde est, quod res abjecta in eundem lacum, lapideæ subinde extrahuntur. Quod in Italia quibusdam locis evenit, sive virgam, sive frondem demerseris, lapidem post paucos dies extrahis. Cæterum & illud valde memorabile est, quod *Scaliger* refert *Exerc.* LIX. 12. *Singularis nunc miraculi*, inquit, *subtexenda historia est, ubi de aquis agimus. Allata est Francisco regi optimo maximo concha non admodum magna, cum avicula intus bene perfecta, alarum fastigiis, rostro, pedibus hærente extremis oris ostraci. Viri docti, quorum ille pius parens fuit, simul & munificentissimus observator, atque etiam conservator, mutatum in aviculam ipsum ostreum existimarunt.* Verum potior mihi videtur, clarissimi viri, *Christiani Schotani*, mei

mei quondam in Academia Franequerana antecessoris, observatio, *eos qui spiritum lapidificum norunt, potius dicturos, aviculam mutatam esse in lapidem.* Vide sis ejus *Histor. Sacr. ab Abrah. ad ingress. in Ægypt. p.* 195.

XXIII. At propius ad institutum nostrum accedit, quod in *Bavaria* anno 1348. *plures quam quinquaginta rusticos, cum vaccis, quas mulgebant, terræ motu & pestilenti aura correptos, in statuas quasi salarias diriguisse*, narrat *Aventinus in Annalibus Bojorum.* Alia ejus generis vide apud *Marcellum Donatum Hist. Med. Mirab. p.* 264. quem citat clarissimus *Heideggerus Exerc.* VIII. quæ est *de excidio Sodomæ.* Adde quæ collegit *Johannes Henricus Ursinus in Analect. Lib.* III. *Cap.* IV. *p.* 168. *Cordæus Medicus in Hippocr. de Mulier.* & Gallicus Scriptor *Thesauri Supernat. & Mirabil. Hist.* referunt in Burgundia vixisse *Columbam Chatri, Ludovici Chatriæ*, sartoris uxorem, quæ repigrato fœtu, & obsepto utero, sarcinam prægnationis totis XXVIII annis gestaverit. Mortuæ & resectæ *infans lapideus*, durissimo quasi e marmore, exemtus est. Nec mirandum minus est, quod idem Gallicus auctor habet: in civitate Aquensi anno 1583. excisum esse e rupe integri hominis lapidei sceleton, cujus ossa quidem e saxo friatili, at medulla & cerebrum adeo dura fuerint, ut nec malleo cesserint, & admoto chalybe ignem ex iis elicere licuerit. Imprimis autem hic adferri meretur, quod *Bisselius* narrat: *Argonaut. Americ. Lib.* XIV. *Cap.* II. *Didacus Almagrus*, per gelidissima montium juga primus e Peruvia in Chilam cum copiis suis penetravit, inque ea expeditione, frigoris immanitate & pestifera aura multos suorum amisit: dein non magnis rebus gestis reliquias exercitus sui in eundem reduxit locum ubi tantam stragem frigus ventusque ediderant. Atque ibi comperit rem prope incredibilem: *Stabant adhuc equites peditesque, qui quinto ante mense obriguerant, immoti, inconsumti, situ, forma, habitu, quo repentina pestis quemque alligaverat. Alius pronus, humi stratus; alius rectus; nonnemo videbatur inserta manibus frena quassare. Ad summam, invenit eos tales, quales reliquerat: odore nullo tetro, colore non solito funeribus; ac, nisi quod anima dudum intercidisset, cætera spirantibus quam exstinctis similiores.* Quæ quum ita sint, nihil nobis in sacra hac historia tam incredibile videri debet, ut idcirco paradoxa interpretatione vim inferamus verbis.

XXIII. *Etiam homines in salarias aut lapideas quasi statuas mutati.*

XXIV. Id profecto facit *Clericus*, nulla voce omissa quam non injuste vexet. Nusquam נציב in Sacris Literis hominem attonitum, stupentem, & statuæ instar immobilem notat: sed vel *statuam*, vel *præsidium militum.* Quod ex *Philone* laudat, nulli rei est. *Philo* historiam

XXIV. *Paradoxa interpretatio vim facit verbis historiæ.*

nit quod merito horreat.

dio audiuntur Christianismo, quæ vel Gen[illegible] ...certissime: *Libro de* gnatne Rationi omnipotentem infinitum [illegible] ...ναι γυναῖκα Λὼτ ϛραφεῖσαν rum rationem proximasque caussas [illegible] ...ὰ πρᾶγματος ἰδιότητα μηνύων. possumus, neque in opulentissi[illegible] ...*tam in statuam*, NON FABU- strarum thesauro invenimus? [illegible] ...ATEM INDICANS. Cætera al- omnem naturæ pro sapien[illegible] ...convertentes ϛήλας vocat; solummo- ejusdem ordinis dom[illegible] allusione manifesta. Nusquam etiam facto ostendere [illegible] aut *salsuginosam*. Ea dicitur מְלֵחָה. exiguum tem[illegible] ...34. Jer. XVII: 6. At מלח etiam Deut. quidem ar[illegible] ...*salem* notat, quo terra infrugifera reddi- 18. Ber[illegible] ...habent: גפרית ומלח שרפה כל ארצה. Quod cit [illegible] *& sal, combustio omnis terra ejus.* Uti sulphur dim[illegible] ...notant solum sterile, sed id quo sterile efficitur, ad ser[illegible] ...modum *sal*. At fingamus quod נציב hominem stupentem, [illegible] *sterile solum* designet, quid tum porro interpretatione sua lu- [illegible] doctus; Nam ex expositione ista non exsurgit sensus nisi [illegible] aut verius, nullus. Hic nimirum, *& facta est uxor* [illegible] *sterile solum.* Non, inquit: מלח scribitur pro במלח, [illegible] pro, *in sterili solo.* Pulcre, belle, sapienter, nihil su- [illegible] Ita si commentari liceat, quid non a quocunque scriptore, quo- vis loco, impetrabimus? Ne sævi, inquit: *Frequentissime deest præ- positio* ב. *Vide* Gen. XXIV: 23. Ps. II: 12. Parebo, videbo. Et pri- mo quidem video, duo testimonia non probare frequentiam. Dein- de & hoc video, sive præpositio ב in allegatis testimoniis adsit, sive absit, eundem semper manere sensum. Palam enim est, ibi de *loco* agi. In Genesi rogat Elieser Rebeccam, היש בית אביך מקום לנו ללין *Estne domi patris tuæ locus nobis ad pernoctandum?* In Psalmo dicit David, פן תאבדו דרך, *ne pereatis via.* Ubi ad sensum perinde erit, sive *domi* dicas, sive *in domo*; sive *via*, sive *in via.* At מלח non est nomen *loci*: & præsentia vel absentia præpositionis ב magnam hic sen- sus diversitatem inducit. Porro, si vox מלח sensu *perpetuitatis* su- matur; an ea verba, *facta est statua salis*, significare possunt, *repen- tina morte exstincta est?* Quid est candida vertere atris, si hoc non est? Denique obtestor conscientiam hominis, si Moses dicere voluisset id quod ipse contendit, nimirum mulierem hanc vapore sulphuris & bi- tuminis fuisse suffocatam, aut rediisse ad incendium, eoque consum- tam, potuissetne aut debuisset id his exponere verbis, *& facta est statua salis?*

XXII. Quum alia tior [illegible]

XXV. Illiusque firmamenta

XXV. Firmamenta quæ adferuntur hujus interpretationis, inva- lida prorsus, aut nulla sunt. Non enim, quia nobis fortassis pro- babile

babile videtur rem aliquam tali modo facilius fieri potuisse, idcirco colligere licet, eo illam modo revera esse factam. Et profecto grande nefas est, contra claram ac perspicuam sacræ historiæ narrationem nescio quam probabilitatem obtendere. Quidquid ea dictat, quantumvis improbabile, verum tamen ac certum est. Quidquid ei contrariatur, licet seposita sacra historia probabilissimum censeri queat; admissa tamen ejus historiæ fide, non jam probabile amplius, sed liquido falsum est. Non exspectant Divina volumina a Christianis lectoribus oppositas fictarum probabilitatum ratiocinationes; sed humile fidei obsequium. Quæ vero allegantur uti similes locutiones, eæ valde dissimiles sunt. Nabalis historia I. Sam. xxv. tam perspicuo conscripta sermone est, ut super illius sensu nulla unquam inter interpretes fuerit controversia. Nemo tam insanus est, qui ullam illius hominis in lapidem metamorphosim somniaverit: qualem omnes, quantum constat, interpretes in hunc usque diem, de Loti uxore concepere. Unde palam est, diversitatem locutionis legentium omnium oculis & mentibus sua quasi sponte se ingerere. Quæ ex profanis auctoribus adduntur, nihil obscuritatis, nihil ambiguitatis habent; neque ulli mortalium occasionem metamorphosim illiusmodi cogitandi dederunt; & sic vel nihil omnino probant, vel eo tendunt, ut casum Niobes & uxoris Loti eodem censu habeamus. Illa vero quum Poëtica fabula sit; de hoc nobis quid statuendum restat? *prorsus sunt invalida.*

XXVI. Imo vero hoc restat, ut, certissima fide persuasi de admirabilitate historiæ, eo referamus omnia, quo referre nos Dominus Jesus voluit dicens, MEMENTOTE UXORIS LOTI. Sic autem optime meminerimus, si discamus, I. Ad omnia Divinæ jussionis mandata, ea etiam quæ minimi cæteroqui momenti videri possent, attendendum esse quam accuratissime; nihil ut nostris circa ea ratiocinationibus indulgeamus. II. Ab omni nobis Divinarum legum violatione, quanta maxima possumus sollicitudine, cavendum. III. Quippe quam longe pluris sæpe æstimat universi Judex, quam hominum peccantium parum judiciosa temeritas. IV. Horrendis aliquando pœnis Deum in ea hominum facta animadvertisse, in quibus nos vix peccati, nedum criminis, rationem, nisi ex ea Dei vindicta, deprehenderemus. Saltem quæ multa se excusatione tueri possent. Confer Lev. x: 1, 2. 1. Sam. vi: 19. xiii: 12, 13. 2. Sam. vi: 6, 7. 1. Reg. xiii: 18, 20. &c. V. Exuendum esse animum insano isto rerum mundanarum, carnique blandientium, amore: easque, Deo jubente, alacriter relinquendas esse, ut ipsius favore contenti, sine seculi deliciis, cœlestis gratiæ ubertate pascamur. VI. Festinandam *XXVI. Observationes practicæ.*

eſſe egredientibus ex Sodoma peccati atque exitii, ne elapſa, dum moramur, evadendi opportunitate, implicemur malo. VII. Semel egreſſis, neque animo neque affectu eſſe redeundum ad priſtina vitia, & inquinamenta mundi, & curas hujus ſeculi. Luc. IX: 62. 2. Pet. II: 20, 21, 22. Concludo verbis *Sedulii:*

—dum reſpicit uxor
In ſtatuam mutata ſalis, ſtupefacta remanſit,
Ad pœnam converſa ſum: quia nemo retrorſum,
Noxia contemti vitans contagia mundi,
Reſpiciens, ſalvandus erit: nec debet arator,
Dignum opus exercens, vultum in ſua terga referre.

EXERCITATIO VIII.

Qua anquiritur, quinam ASSYRIORUM *Nomine in Sacris Literis veniant.*

BREVIARIUM.

I. Aſſyriorum nomine multæ gentes deſignantur. II. Aſſyriacæ dominationis initium non eſt ab Aſſur, ſed a Nimrod. III. Qui egreſſus in Aſſyriam ædificavit Ninivem. IV. Regnumque habuit anguſtis limitibus circumſcriptum. V. Quod variantibus fatis immenſum crevit. VI. Deſtructa Ninive Babylonici nominis gloria increbuit, evanuit Aſſyriaci. VII. Attamen Babylonii Reges Aſſyrii quandoque dicuntur, quippe qui in Aſſyriorum jus ſucceſſerant. VIII. Ob eandem cauſſam, debellatis Babyloniis Perſæ dicti ſunt Aſſyrii. IX. Dein Alexandri ſucceſſores, Seleucidæ. X. His ſucceſſerunt Parthi, Arſacidæ. XI. Diſtinguendi a Perſis. XII. Arſacidarum familiæ ſucceſſit familia Choſroorum, reſtituto Perſarum nomine. XIII. Adverſus Choſroem Saracenis militibus uſus eſt Mauritius. XIV. Qui male ab ipſo habiti, ſedem regni ſui conſtituerunt Babylonem. XV. Hos excuſſerunt Turcæ,

accepta

accepta religione Muhammedica. XVI. Ejectoque Calypha Babylonico. XVII. Et præstituto sibi Solymanno. XVIII. Concluditur, Assyrios dici posse omnes qui terræ olim ab Assyriis possessæ imperant. XIX. Et consequenter, Persas etiam, Saracenos ac Turcas. XX Michæ v: 4, 5. *agitur de pace Ecclesiæ T. N. XXI. At quam turbabunt Turcæ. XXII. Sed non ferent inultum: oppositis sibi* VII. *aut* VIII. *Principibus. XXIII. Regnum in terra Nimrod erecturis. XXIV. Quod factum in regno Christianorum Hierosolymitano. XXV. Jes* XIX: 23-25. *designantur tres populi, proprie sic dicti. XXVI. Et describitur eorum status tempore N. T. XXVII. Ea enim quæ Ægyptiis contigit sanatio, non nisi ex Christo est. XXVIII. Assyriis Ægyptiis & Israëlitis jungendi in unitate fidei & charitatis, sunt Turcæ Muhammedani.*



AD multorum oraculorum intelligentiam plurimum expedit rite exploratum habere, quænam gentes ASSYRIORUM nomine in arcanis literis nostris designentur. Quicunque enim non prorsus segniter & perfunctorie in tractandis vatum voluminibus versatur, facile deprehendet, pro temporum & imperiorum diversitate, diversos quoque populos *Assyrios* dictos fuisse. Unde obscurum remanet, quæ gens intelligenda sit, nisi aliunde claretur. Lux autem inferri potest ex consideratione eorum quæ quoque loco de *Assyriis* prædicantur, & ex collatione historiæ istius temporis. Cujus rei specimen aliquod exhibere hac Diatribe visum est. I. *Assyriorum nomine multæ gentes designantur.*

II. Certum utique est *Assyrios* primo & secundum literam dictos esse illos qui rerum suarum sedem & imperium in urbe *Nino*, quam Sacræ Literæ *Niniven* vocant, habuere. Initium hujus imperii non est ab *Assur*, *Semi* filio, sed a *Nimrod*, *Chusi* filio, *Chami* nepote, *Noæ* pronepote. Ita enim Moses Gen. x: 8, 10, 11. *Cusch genuit Nimrodem: ipse cœpit potens esse in terra. Erat enim principium regni illius Babel, & Erec, & Accad, & Calne, in terra Sinear.* Est aliud in *Nimrodis* nomine ominosum: nisi fortasse, ex eo quod fecit, deinceps eo nomine dictus fuerit. Significat enim Hebræorum sermone *rebellem.* Et sane neglecta auctoritate *Noæ*, cui imperii partes omni jure hactenus competierant, principatum erigere molitus est: allectis, ut rebellantes solent, a paterno *Noæ* præsidio, ad sua castra complurimis. Cujus regni custodiendi ac proferendi gratia, in campo *Sinear*, has quas Moses memorat civitates exstruxit. *Erec* autem est *Arecca* in confinio *Susianæ* & *Babyloniæ*, de qua *Ptolemæus* & *Ammianus Marcellinus.* Invenias etiam *Arectæos campos* apud *Tibullum Lib.* IV. II. *Assyriacæ dominationis initium non est ab Assur, sed a Nimrod.*

& Ἀρακτηνὴν χώραν, quæ mendose Ἀρτακηνὴ scribitur *Straboni Lib.* XVI. ut observat *Scaliger.* Quidam credunt *Erec* esse *Edessam*, celebre ad Euphratem oppidum. *Accad* vestigium nominis sui reliquisse creditur in *Argade* fluvio *Sittacenes.* Græci enim pro eo scribunt Ἀρχάδ. Postea dicta est *Nisibis*: unde *Acadene*, Mesopotamiæ pars, quæ apud *Ptolemæum Acabene.* *Calne* Chaldæi Interpretes, *Eusebius* & *Hieronymus* faciunt *Ctesiphontem*, oppidum prope *Tigrim* celeberrimum, quod est caput *Chalonitidis*, *Parthorum* regia. Maxime autem ædificationem illius urbis ursisse videtur *Nimrod*, cui, a *confusione* ibi orta, *Babelis* inditum nomen est. Quumque, dispersis cæteris, ædificationis continuandæ auctor & ædificantibus dux esset, factus est compos alicujus potestatis inter homines; atque ita *Babele* primum regnare cœpit.

III. *Qui egressus in Assyriam ædificavit Niniven.*

III. Pergit Sacer Textus: מן הארץ ההוא יצא אשור. Id est, uti vertendum esse magnis argumentis contendunt *Bochartus* & *Johannes Vorstius, Miscel. Academic. Cap.* x. *e terra illa egressus est in Assyriam,* non ut alii volunt, *ex terra illa egressus est Assur* (*Semi* filius) *& ædificavit Niniven.* Nam aliena hoc loco esset mentio *Assuri*, filii *Semi*, ubi texitur genealogia filiorum *Chami.* Nec patitur ordo historiæ ut *Assuri* gesta referat Moses versu 11. & nativitatem versu 22. utque ex abrupto memoret urbes ab eo conditas quem hactenus ne nominaverat quidem. E contra, si qua diximus mente exponatur, optime cohærent, & nexu pene necessario: principium regni *Nimrodis* fuit *Babel*, &c. in *Sinear*, & is inde egressus est in *Assyriam.* Nam ideo principium regni vocatur *Babel*, quia priori illi regno aliud adjunxit *Nimrod*, nempe *Assyriam.* Adde quod *Assyria* vocetur terra *Nimrod.* Mich. v: 5. ubi diversis verbis idem bis dicitur. *Et depascent terram Assyriæ gladio, & terram Nimrod lanceis ejus.* Egressus autem esse videtur, vel propter inundationes, quibus tractum illum frequenter obnoxium fuisse testantur Veteres; vel, quod verisimilius esse crediderim, ad bellum inferendum. Confer phrasin 2. Sam. XI: 1. Zach. XIV: 3. Jes. XLII: 13. Quum enim *Assyria Semi* filiis obtigisset, nihil in eam *Chami* posteritas, ex qua *Nimrod*, juris habebat. Quod ergo jure sibi arrogare non poterat, id per vim usurpavit: atque ut sibi suisque retineret, *ædificavit ibi Niniven, & Rechabothas urbem, & Calachum.* *Assur* itaque in ista Mosis pericopa, non *hominis*, sed *regionis* nomen est; ita dictæ vel a *conditore.*, vel a *felicitate* & *ubertate.* Nam *Assur* אשור *beatum* sonat. Et, si *Josepho* credimus, *Antiquit. Lib.* 1. *Cap.* VII. *Assyrii* omnium hominum μάλιστα εὐδαιμόνισαν, *maxime beati fuerunt.* Quam ob rem multi quoque hortum *Edenis* in

Assyria

Assyria quæsivere. Et sane fuit illa *terra frumenti & musti, terra panis & vinearum, terra olei & mellis.* 2. Reg. XVIII: 32.

IV. Porro regnum illud *Nimrodi* in *Assyria* licet omnium fuerit antiquissimum, angustis tamen inclusum fuit limitibus, si cum insecutis *Ægyptiorum*, *Babyloniorum*, aliarumque gentium imperiis conferatur. Nam quæ de antiqui illius imperii *Assyriaci* amplitudine, de nominibus, numero, & annis primorum regum, *Africanus* apud *Eusebium*, & ex eo alii tradunt: quæ de rebus a *Nino* & *Semiramide* gestis *Diodorus* & *Justinus* commemorant, ea omnia, ut a viris doctissimis observatum est, fabulis & commentis accenseri debent: quippe quæ solius *Ctesiæ* auctoritate nixa, Sacræ historiæ, aliisque melioris fidei ac judicii scriptoribus adversantur. Numero dicam: ingenti mendacio orbi erudito imposuit *Ctesias*, dum vastissimam jam inde a *Nini* temporibus *Assyriorum* Monarchiam fingit. Fabulans *Ninum* universæ inter *Indos* & *Nilum* terræ imperasse, tantumque imperium posteris usque ad *Sardanapalum* reliquisse. *Syriam* etiam inter provincias ejus imperii nominatim referens. Quod ex Sacra historia, ne de exoticis nunc dicam, tam clare refutari potest, quam sol est ipso meridie. Divina historia ab *Abrahami* vocatione, id est ab anno bis millesimo vigesimo tertio, quo tempore *Semiramis* in vivis esse desierat, res *Cananææ* & *Syriæ* ostendit. Multa illic mentio regum, qui vicinis infesti aut dominati fuerunt; altum ubique silentium *Assyriorum*. Gen. XIV. mutua multorum regum bella memorantur: præ cæteris *Cedorlaomer* laudatur: cui multi tunc reges parebant. Totius *Syriæ* commotio narratur, inde a *Tigri* usque ad fines *Ægypti*: nec quidquam sese movet *Assyrius* noster. Orta deinde sunt regna *Ammonitarum*, *Moabitarum*, *Idumæorum*, *Amorrhæorum*, *Amalecitarum*, quorum reges, sui juris, ad *Euphratem* usque dominati sunt: de *Assyrii* jugo ne fando quidem audiverunt. In omnibus bellis *Josuæ*, in bellis *Judicum*, nullus *Assyrius*. Cur oppressi apud communem Dominum de injuria non conquesti sunt? Regnum in Israëli capessit *Saul*: mox *David* & *Salomo* longe lateque dominantur. Quid ita altum stertit *Assyrius*? Post *Salomonem* ortum est regnum *Damasci* in *Syria*, amplum & potens: quod crevit Israëlitis divisis. Illa tria regna, *Israëlis*, *Judæ* & *Syriæ*, frequentibus collisa bellis, nullum *Assyrium* dominum agnovere. Vide sis *Schotan. Biblioth. Sac. T.* 2. *p.* 1030. Confer *Marsham Canon. Chron. p.* 509. *Horn. Arc. Noæ. p.* 89. & accurate de hac re differentem *Clericum ad Gen.* X: 10.

IV. Regnumque habuit angustis limitibus circumscriptum.

V. Postea anno Templi CCXXXIII. primus in *Ciseuphratensibus* regionibus inclaruit *Phul Assyriorum* Rex, qui Israëlitidem invadens, mer-

V. Quod variantibus satis

immensum crevit. mercede conductus, *Menahem* in regno Israëlis confirmavit. 2. Reg. xv: 19. Hic primus omnium *Assyriorum* regum est, cujus post *Nimrodem* in sacris factam deprehendimus mentionem. Per eum & successores ejus *Assyriorum* potestas crevit. At non sine quadam fatorum diversitate. Hic enim creditur esse ille, cujus sub regno *Ninivem* profectus est *Jonas*: cujus filius *Sardanapalus*, sive *Sardan-Phul*, eversionem *Ninives* & regni, effœminata mollitie meruit. Ex hujus regni eversione tria alia orta esse videntur. I. MEDORUM, ante subjectorum *Assyriis*, cui præfuit *Arbaces*, sive *Pharnaces*; qui *Sardanapalum* vicit. II. BABYLONIORUM, cui præfuit *Nabonassar*, in Scriptura dictus *Baladan*. Jes. xxxix: 1. III. ASSYRIORUM, restauratum in *Ninive*, per *Tiglatpilesarem*; cujus magna satis fuit potestas & gloria. Jes. viii: 7. Is *Pecacho* in Israële regnante, anno Templi CCLX. *Galilæam* in provinciam redegit, incolis in *Assyriam* deportatis. 2. Reg. xv: 29. Idem *Damascenum* regnum excidit. 2. Reg. xvi: 9. Postea sub *Salmanassare*, ejusque filio *Sennacheribo*, *Assyriorum* res multis accessionibus auctæ sunt. *Asarhaddon*, *Sennacheribi* filius, *Babylonicum* regnum *Assyriaco* junxit. Ab initio *Nabonassaris* reges *Assyrii* duplices erant: quorum alii *Nini*, alii *Babylone* regnabant, usque ad annum *Nabonassaris* LXVIII. Templi CCCXXVIII. quo facta est hæc quam diximus regnorum conjunctio.

VI. Destructa Ninive Babylonici nominis gloria increbuit, evanuit Assyriaci. VI. Ab eo tempore evanuit *Assyriaci*, increbuit *Babylonici* nominis gloria. Maxime post destructam *Ninum*, ubi præcipua *Assyriaci* imperii sedes fuerat. Hujus πανωλεθρίαν tanquam suo tempore jam peractam elegantissime describit Ezech. Cap. XXXI. Ea autem in hunc modum se habuit. Post *Asarhaddonem* imperium *Assyriacum* simul & *Babylonicum* administravit *Saosduchinus*, annis xx. Hic idem esse creditur, qui in libro *Juditha* communi regum *Babylonicorum* nomine *Nabuchodonosor* appellatur: qui tamen & rex *Assyriorum* dicitur, & in civitate *Ninives* imperasse traditur. Judith. 1: 1. *Saosduchino* successit *Chynaladan*: annis imperans XXII. *Alexander Polybistor Saracum* eum appellat. Hoc imperante *Phraortes Medorum* rex, *Ninivem* obsidens, cum magna exercitus parte periit. Sed *Cyaxares*, ejus filius, obsidionem repetivit. Cui se per scelus adjunxit *Nabopolassar*, a *Chynaladano* exercitui suo præfectus: sic ut junctis viribus *Niniven* cum rege expugnaverint. *Nabopolassar* autem regnum *Babyloniæ* suscepit. Estque hic pater *Nebucadnetzaris Magni*, ipse quoque *Nebucadnetzar* dictus. Ita fere hæc omnia *Usserius*. Sic autem destructa *Ninive* est, ut *nullum ejus vestigium superesse* ex vero *Lucianus* dixerit; imo ut de loco ubi sita fuerit multum inter eruditos

tos homines controvertatur. Qua de re videri *Bochartus* potest *Phal. Lib.* IV. *Cap.* XX. Cum *Ninive* autem *Assyriorum* imperium subversum esse creditur. *Diodorus* ex *Ctesia Lib.* II. Τῆς Νίνου κατεσκαμμένης ὑπὸ Μήδων, ὅτε καθέλυσαν τὴν Ἀσσυρίων βασιλείαν. *Nino a Medis diruta, quum Assyriorum imperium subverterunt.* Non male *Ctesias* subversionem illam *Medis* attribuit: sed debuisset *Babylonios* adjungere: per utrosque enim, sociatis operis, *Assyriorum* imperium eversum est; ut *Josephus* tradidit *Antiq. Lib.* X. *Cap.* VI. Consentit *Tobiæ* historia *Cap.* XIV: 17. eversionem illam *Nebuchodonosoro*, primo nimirum, & *Assuero* imputans. *Assuerus* ille est *Cyaxares*, *Cyri* avus. Nam אחשורש videtur Græcis in Ἀσσουῆρος, Κυαξάρης, Ξέρξης mutatum.

VII. Porro quum *Assyriis* in imperio & illarum terrarum possessione successerit *Babylonius Nebucadnetzar*, ipse quoque ex *Assyriis Principibus* oriundus; hinc & ille, eumque secuti *Babylonii* reges, *Assyrii* quandoque dicuntur. Docet id, ut alia taceam, inscriptio *Canonis* quo *Babylonis* reges enumerantur. Ea ita habet: Κανὼν Βασιλέων Ἀσσυρίων καὶ Μήδων. Ante *Cyrum* reges XX. recensentur: XVIII. priores sunt *Assyrii*: posteriores duo *Medi*. Vide *Marsham. p.* 509. Imo & ipsa *Babylon* pars *Assyriæ*, non Poëtis solum, sed & *Straboni*. Vide *Grot. ad Mich.* V: 5. Nec immerito huc refertur Jes. LII: 4. *In Ægyptum descenderat populus meus primum ut hospitaretur ibi; & Assur eum pro nihilo injuste rapuit.* Qui sermo quum ad totum Israëliticum populum referatur, & singularie ad *Hierosolymæ* a *Nebucadnetzare* devastatæ consolationem directus sit; judiciose a celeberrimo Interprete annotatum est, non esse hic distinguendos *Assyrios Ninivitas* & *Babylonios*. Nam hic, quod toti Israëli evenit, spectatur. Decem tribus *Pulem*, *Tiglatpilesarem*, *Salmanassarem* nulla injuria affecerant. Ita Judæi nec *Sanheribo*, nec *Nebucadnetzari* obligantur. Ergo gratis ipsis venditi sunt.

VII. Attamen Babylonici reges Assyrii quandoque dicuntur; quippe qui in Assyriorum jus successerant.

VIII. Deinceps quum PERSÆ *Babylonios* superavissent, & ipsi *Assyrii* dicti sunt. Notabile hujus rei argumentum habemus Ezræ VI: 22. ubi de reducibus ex captivitate Babylonica: *denique celebrarunt festum azymorum septem diebus cum lætitia; quoniam exhilaraverat eos Jehova, & converterat animum* REGIS ASSYRIÆ *erga eos, ad confirmandum manus eorum in opere domus Dei, Dei Israëlis.* Ubi clarum est per *Assyriæ Regem Darium* intelligi, *Persam* quidem illum, sed cui *Assyria* tunc parebat.

VIII. Ob eandem caussam, debellatis Babyloniis, Persæ dicti sunt Assyrii.

IX. Exacto tempore quum *Persæ Græcis* cessissent, illi ex *Alexandri Magni* successoribus *Assyriorum* nomine veniunt, qui in Assyria rerum potiebantur, SELEUCIDÆ nimirum. Huc spectat *Bileami* vaticinium

IX. Dein Alexandri successores, Seleucidæ.

dictarum Num. XXIV: 25. *Naves venient a parte Chittim, & debilitabunt Assur.* Quod conferendum est cum Dan. XI: 30. *Et veniet in ipsum naves Chittea, & hebetabitur, & redibit.* Vix dubitandum est quin de *Antiocho* utroque loco agatur. *Naves Chittim*, inquit *Bochartus*, *Phaleg. Lib* III. *Cap.* I. *haut dubie sunt naves Romanorum, Cajo Popilio duce, quorum metu Antiochus re infecta discessit.* Nota historia est ex *Livio Lib.* XLV. *Cap.* XII. *Antiochus* ergo *Assyrius* ille est, cujus debilitationem prædixit *Bileam*.

X. His successerant Parthi, Arsacidæ.

X. Ostendimus hactenus evidentibus Sacrarum Literarum testimoniis, *Assyrios* eos dictos esse, qui regionem atque imperium ab *Assyriis* olim possessum obtinuere. Superest, ut brevi, at continuo filo, pertexamus historiam, donec ad *Saracenos* ac *Turcas* perventum sit, quibus eodem successionis jure idem *Assyriorum* nomen competit. *Babylonem* igitur *Seleucidæ* post *Alexandri* tempora aliquamdiu retinuerunt. Ulterioribus tamen non ita multo post potiti sunt *Parthi*, duce *Arsace*: a quo qui secuti sunt reges longo ordine, usque ad annum quartum *Alexandri Mammeæ*, qui fuit annus Christi CCXXVIII. *Arsacidæ* sunt nominati.

XI. Distinguendi a Persis.

XI. *Parthos* multi cum *Persis* eosdem faciunt. At perperam: nam discrepare origine, situ, lingua, moribus, ostendit *Hornius*. *Arca Noæ p.* 155. Hodieque inter *Hispahan* & *Schiraz*, quorum illa *Parthiæ*, hæc *Persidis* metropolis, ea differentia observatur. *Parthi* ergo *Scythæ* septentrionales & montani, a *Medis* & *Sarmatis* originem trahentes, cœpta a *Seleucidis* defectione sub *Antiochio Theo*, eademque continuata & confirmata sub *Seleuco Callinico*, & *Antiocho Hierace*, regnum suum multarum provinciarum accessione ab *Indo* ad *Euphratem* produxerunt: & quanquam *Antiochus Magnus*, & postea *Demetrius Nicanor*, *Babyloniam*, *Persiam*, *Elymaidem*, *Bactrianam* receperint, brevi tamen *Parthi* amissa recuperarunt, *Syrorum* præsidiis una die interemtis sub *Phrahate secundo*. Et quod nunc nobis notandum, regiam suam, uti *Athenæus* auctor est, Lib. XII. sub brunam *Babylone* habuerunt. Ita enim ille: οἱ δὲ Πάρθων βασιλεῖς ἐαρίζουσι μὲν ἐν Ῥάγαις, χειμάζουσι δὲ ἐν Βαβυλῶνι. *Parthorum autem reges ver traducunt Ragis, Babylone vero hyemem.*

XII. Arsacidarum familiæ successit familia Chosroorum regi-

XII. Familiæ *Arsacidarum* successit familia *Chosroorum*, sive *Sassanidarum*; quam, ultimo *Parthorum Artabano* occiso, ARTAXERXES *Persa* condidit. *Chosrou* autem commune nomen est, significatque, *late regnans*. Hujus *Artaxerxis* posteritas, qui *Persiam* a *Parthorum* dominio liberatam sui juris fecit, restituto etiam *Persarum* nomine,

guber-

gubernavit regnum *Persicum* ab anno Christi CCXXVIII, usque ad *Heraclium* Imperatorem, & initium *Saracenicæ* potentiæ, id est annum Christi DCXXII. cumque Imperatoribus Græcis continenter bella gessit. *Persæ* isti post *Parthos* rerum in Oriente potiti, urbem *Ninum* instaurarunt, quæ floruit *Ammiani* ævo, anno Christi CCCLXX. De *Heraclio* etiam traditur, quod in Orientem proficiscens castrametatus sit circa *Niniven. Marsh. p.* 616. *tuto Persarum nomine*

XIII. *Heraclio* gravis admodum *Chosroës* fuit, qui *Mauritii* Cæsaris filiam, nomine *Mariam*, uxorem duxerat, & in ejus gratiam sacri fontis lavacrum susceperat. Adversus hunc *Heraclius Saracenorum* militum opera usus est. SARACENI autem sunt *Arabes* νομάδες & λῃστρικοὶ: nam *Sarac* Arabibus *furari* notat. Eos tunc commentis suis dementaverat *Muhammedes*: qui & prælio quo *Chosroæ* res conciderunt interfuisse creditur. Rebus ergo feliciter gestis, *Syria*que & *Hierosolyma* aliisque provinciis quas *Chosroës* occupaverat Romano imperio restitutis, ab hoc bello redeuntem *Heraclium Muhammedes* regio comitatu & pompa stipatus convenit, & regionem ad habitandum petiit, atque obtinuit. *XIII. Adversus Chosroem Saracenis militibus usus est Mauritius.*

XIV. Quum autem militibus stipendium daretur, quererenturque *Saraceni* se merito stipendio fraudari: Quæstor imprudenter nimis & arroganter, *vix esse* respondit, *quod Græco & Romano militi daretur, nedum huic canum turbæ.* Quæ verba alte in pectus demissa, & sæpius inter sectæ principes gregariosque milites iterata, brevi toti fere Christianæ reipublicæ exitio fuere. Hac enim contumelia ad iram accensi, duce *Muhammede* ac successoribus ejus fortiter belligerantes, intra annos triginta potiti sunt *Arabia*, *Palæstina*, *Phœnicia*, *Syria*, *Ægypto* & *Persia*; *Africa* denique propemodum universa. Et paullatim etiam in *Asiam* processerunt: & totum adeo *Persicum* regnum obruerunt. In eo regno abolitis legibus & institutis prioribus novam prorsus politiæ formam condiderunt. Sedem regni constituerunt *Babylonem*: *Nino*, ut *Eustathius* in *Dionys. p.* 125. tradidit, *excisa*. SARACENI itaque illorum temporum *Assyrii* sunt. *XIV. Qui male ab ipso habiti, sedem regni sui constituerunt Babylonem.*

XV. SARACENOS excusserunt TURCÆ: qui ex ea parte *Sarmatiæ Asiaticæ* orti, quæ est inter montem *Caucasum*, fluvium *Tanain*, paludem *Mæotidem*, & mare *Caspium*, crebris excursionibus longe se lateque diffuderunt. Horum pars aliqua, sive ex *Septentrione*, ut nonnulli, sive ex *Carmania*, ut alii volunt, evocati, *Persis* contra *Saracenos* subsidio venerunt. Quumque *Orimisda*, ultimo *Persarum* rege, cæso, regnum in potestatem *Saracenorum* concessisse comperissent, soli fertilitate atque amœnitate capti, in terra *Chorasenorum*, *XV. Hos excusserunt Turcæ, accepta religione Muhammedica.*

quæ antiquitus *Sogdiana* vel *Hircania* dicta fuit, consederunt: tandemque cum *Calipha Babylonio*, qui *Saracenus* erat, iis conditionibus transegerunt, ut terram in qua consederant possiderent colerentque, vicissimque, accepta religione *Muhammedica*, quam sua Gentili commutabant, *Caliphæ* parerent.

XVI. Ejectoque Calipha Babylonico

XVI. At labente tempore exortis inter *Calipham* cæterosque *Saracenorum Sultanos* vehementibus ac diuturnis dissidiis, insecuta est *Saracenicæ* potentiæ inclinatio atque ruina. *Persidis*, *Sogdianæ* & *Mediæ Sultanus*, viribus *Caliphæ*, a quo defecerat, impar, *Turcas* armavit: quorum opera quum vicisset, quod pacta stipendia solvere recusaret, mox ab illis, hac injuria irritatis, iterum victus atque regno ejectus est.

XVII. Et præstituto sibi Solymanno.

XVII. Hinc *Turcarum* & animus crevit & potentia: qui immensum multiplicati sub uno se Principe omnes junxerunt. Eum ipsis familia *Salguci* dedit, cujus singularis tunc apud Barbaros veneratio. Tandem quum *Saracenos* tribus præliis cecidissent, *Persiam* occuparunt; mox *Palæstinam* & *Syriam*: donec maximis rebus in utraque *Asia* gestis, *Solymanno* duce ad *Hellespontum* usque penetrarunt, qui *Nicæam*, vi expugnatam, tam rerum suarum quam belli adversus Græcos sedem fecit, circa annum Domini MLXXXI. Hic est ille *Solymannus*, quicum *Argonautæ* nostri in *Asia* dimicarunt, & duce *Godefredo Bulionio* terram sanctam recuperarunt, regno *Hierosolymorum* complexi *Mesopotamiam*, *Syriam*, & *Ciliciam*. Ita pro *Saracenis*, vel etiam cum iis, illis in locis TURCÆ imperarunt, ubi olim regnabant *Assyrii*.

XVIII. Concluditur, Assyrios dici posse omnes, qui terræ olim ab Assyriis possessæ imperant.

XVIII. Quando igitur in vaticiniis, quibus Novi Testamenti tempora describuntur, *Assyriorum* fieri videmus mentionem; quid proclivius est, quam ut per *Assyrios* eas gentes intelligamus, quæ possessæ olim ab *Assyriis* terræ imperant? Ob eam enim rationem & *Babylonios*, & *Persas*, & *Seleucidas Græcos*, *Assyrios* dictos esse ostendimus. Quidni etiam qui iis successerunt *Saraceni* & *Turcæ*? Justo latius significationem hujus nominis extendit *Eusebius*, *Demonst. Evang. Lib.* VII. dum arbitratur, eo τὴν καθ' ἕκαστον χρόνον ἐπικρατοῦσαν τῶν ἐθνῶν βασιλείαν σημαίνεσθαι, *id quodcunque per singula tempora impositum gentibus regnum est significari*: διὰ τὸ κατευθύνοντας ἀπὸ τῆς Ἑβραίων φωνῆς ἑρμηνεύεσθαι τοὺς Ἀσσυρίους. *Propterea quod ex Hebraica lingua interpretantibus Assyrii gubernantes significant.*

XIX. Et consequenter, Persas etiam, Sara-

XIX. Exstare ejusmodi de *Assyriis* vaticinia, quorum complementum in posterioribus quærendum temporibus est, nunc quidem supponitur: & mox ex prophetiarum serie manifeste probabitur.

Quum

Quum ergo veteres *Assyrii* cum suo imperio dudum perierint, aliud imperium, *Assyriaci* æmulum, quodque per tot temporum rerumque vicissitudines prisco illi successit, intelligi debere videtur. Quod autem illud est, nisi imperium *Persicum* primum, mox *Saracenicum* ac *Turcicum*? Aut quodnam denique aliud est, cui meliori jure *Assyriaci* nomen vindices? *cenos, ac Turcas.*

XX. Quantum lucis hæc obscurioribus quibusdam oraculis adferant, uno nunc lubet alteroque exemplo demonstrare. Michas Cap. v: 4, 5. in hæc verba vaticinatur: *Et erit hæc pax: Assyrius quum veniet in terram nostram, & quum calcabit palatia nostra, tum constituemus contra ipsum septem pastores, & octo* נסיכי אדם *unctos hominis. Et pascent terram Assyrii gladio, & terram Nimrod in ostiis ejus. Et eripiet ab Assyrio quum venerit in terram nostram, & quum calcabit terminum nostrum.* Facile ostendit prophetiæ series de quibus hic agatur temporibus. Comm. 1. describuntur *egressiones* Messiæ, illiusque persona & officium. Quem quum *Dominatorem* dixisset Propheta, & Cap. IV: 14. *Judicem Israëlis*, pergit comm. 2. judicium ejus exponere. Id vel severitatis est erga rebelles Judæos, quos *traditurus* esse dicitur, nimirum hostibus, *usque ad tempus parientis, quum pepererit*, usque dum Ecclesia Christiana plenitudinem Gentium stiterit Domino. Conf. Jes. LIV: 1. Gal. IV: 27. Rom. XI: 25. Vel gratiæ, tam erga Judæos, quorum, rejectis cæteris, reliquiæ servabuntur, *reliquum fratrum redibunt ad filios Israëlis*; quam erga Gentes, sine nationum discrimine, dilatatis regni sui pomeriis *usque ad terminos terræ*. Comm. 3. Tum *stabit*, qui jacuerat mortuus: *& pascet*, colliget, alet, conservabit oves suas: *in robore Domini*, Divina, victrice, & irresistibili potentia; *& in elatione Domini Dei nostri*: gloriosas omnes Dei virtutes, in prædicatione Evangelii, & gubernatione Ecclesiæ, patefaciendo. *Et considebunt*, in tranquillo erunt statu, cessantibus jactationibus persecutionum. Cœpit id fieri, quando *Constantius Chlorus* Christianis in sævissima persecutione *Diocletiani* suffugium in terris suis præbuit. Sed hæc initia duntaxat sunt. Nam *nunc magnificabitur usque ad fines terræ.* Factum id potissimum sub *Constantini* imperio: quando data Ecclesiæ a suis persecutoribus *pax* est, cum maxima rerum omnium ubertate. XX. *Mich.* v: 4. 5. *agitur de pace Ecclesiæ* I. N.

XXI. Non ea tamen pax præcipienda animo fuit quam nulla comitaretur angustia. Nam præter illas vexas quas ab Hæreticis exspectandas habebat Ecclesia, & ab exoriente paullatim Antichristi regno, (de quibus aliæ prophetiæ agunt) hic insignis aliquis Ecclesiæ Christianæ hostis nominatur *Assyrius*. Cujus potestas, post ea quæ modo XXI. *Ac quam turbabunt Turcæ.*

modo descripta sunt tempora, invalitura, graviterque Ecclesiæ incubitura erat. Adeo quidem ut *venturus* sit ille *Assyrius in terram* Ecclesiæ, id est eas regiones ubi habitant qui Christi nomen profitentur: & *calcaturus palatia ipsorum*, partim destructurus, partim profanaturus, atque impiis usibus destinaturus Christianorum basilicas. Lucem huic prophetiæ fœneratur historia. Postquam enim per Christianos Imperatores conciliata Ecclesiæ pax est a persecutionibus, invalescere cœpit *Saracenorum* Imperium: quod ab anno Christi DCXXIII. usque ad initium *Leonis Isauri*, incredibiles progressus fecit. Non enim *Arabia*, *Palæstina*, *Syria*, *Persia*, *Ægypto*, *Africa* solum potiti sunt, ubi frequentes florentesque fuerunt Ecclesiæ: sed & ex *Africa* in *Hispaniam* trajecerunt, quam quum decennium tenuissent, in *Galliam* usque ad *Turonum* trecenta & septuaginta millia *Saracenorum* infusa sunt. Alibi vero in minorem *Asiam* irruptione facta, obsederunt regnante *Constantino Barbato Byzantium*, circa annum DCLXXV. unde repulsi redeunt cum majore classe, post annos XL. Sic *Assyrius* invasit terram Ecclesiæ.

XXII. *Sed non ferent inultum: oppositis sibi* VII. *aut* VIII. *principibus.*

XXII. Sed non fore id ipsi inultum, porro prædicit Vates. Sic enim pergit: *Tunc constituemus contra ipsum septem pastores, & octo unctos hominis.* Per *pastores* intellige ποιμένας λαῶν, Reges & Principes. Confer 2. Sam. V: 2. VII: 7. Jer. VI: 3. XII: 10. Idem dicuntur נסיכי אדם *uncti hominis*, quemadmodum Petrus ἀνθρωπίνην κτίσιν dixit. 1. Pet. II: 13. *Targum* habet רברבי אנשא *magnates hominum.* *Coccejus* emphasin statuit in numero singulari, ut designetur *unus ille homo*, Papa, rex emporii spiritualis; qui auctoritatem sibi in reges terræ arrogat, cujusque hortatu multi *Europæ* principes adversus *Assyrium* moverunt. Septenarius numerus multitudinem notat: quæ additione octonarii augetur. Non insolens scriptoribus, tam sacris quam profanis, est, minori numero quo multitudo aliqua notatur majorem superaddere, ad ingentem multitudinem significandam. Sic apud Amosum Cap. I. aliquoties, *super tribus defectionibus & super quatuor.* *Homerus*: Τρὶς μάκαρες Δάναοι καὶ τετράκις. Ad eundem modum hic, septem, immo octo. Prorsus uti Eccl. XI: 2. *Da partes septem, aut etiam octo.* *Tarnovius* existimat alludi ad septem principes quos reges *Assyriorum* & *Persarum* penes se habebant, & conferri jubet Esth. I: 14. Jer. XXXIX: 3. Significatur ergo, fore inter Christianos plures reges potentes, qui se *Assyrii* conatibus opponant.

XXIII. *Regnum in terra Nimrod recturis.*

XXIII. Et quidem eo successu, ut non solum impetum ejus repellant, sed & *terram Nimrodi*, *Assyriam* videlicet, *Babyloniam*, vicinasque regiones, depascant gladio, armis subigant, bellum ad *ostia*

ejus,

ejus, unde egredi *Saraceni* ac *Turcæ*, ad vim terris Ecclesiæ inferendam, solebant, retroagantes. Sed & majora præstabunt. Exorietur enim ultor; qui *eripiet ab Assyrio* dudum sibi possessa, & Christiano nomini in *Saracenorum* terris vindicabit imperium.

XXIV. Dissimulare non possum, quin ingeniosa mihi commentatio ista videatur, in qua & prophetiæ series, & sermonis emphasis tam accurate servatur. Docent enim historiæ, quomodo per fortes magnanimosque Christianorum principes *Saracenorum* ac *Turcarum* furor, tam in *Oriente* quam *Occidente*, feliciter repressus sit: quomodo iidem post incredibiles clades & centena aliquot suorum millia trucidata, suis se limitibus continere coacti sint: quomodo denique *Franci Principes*, a *Papa* auctorati, terram *Assyrii* & terram *Nimrodi* depopulati sint. In quibus præcipui erant *Hugo Magnus*, *Philippi Francorum* Regis frater; *Robertus*, *Flandriæ Comes*; alter *Robertus*, *Comes Normannorum*, *Wilhelmi Anglorum* Regis frater; *Stephanus*, *Carnolensium* & *Blesensium Comes*; *Ademarus*, *Podiensis Episcopus*; *Willelmus*, *Aurasiensis Episcopus*; *Raimundus*, *Comes Tolosanus*; *Gothefridus*, *Lotharingiæ Dux*; & fratres ejus *Balduinus*, atque *Eustachius*; aliique complures, quos laudare supersedeo, quum in iis quos nominavi facile sit septem aut octo Principes invenire. Hi itaque cum crucigeris suis, capto victoriarum suarum initio a *Nicæa* urbe, quam magnæ illius Oecumenicæ Synodi memoria nobilitavit, & represso exercitu *Solymanni*, fugatoque ab urbe cui incubuerat, quadriennii spatio multas *Asiæ* provincias, & *Lycaoniam*, *Ciliciam*, *Syriam*, *Mesopotamiam*, *Comagenam* perdomuerunt: *Turcis* passim fugatis aut cæsis. Tandem ipsa *Hierosolyma* capta est; ejectis *Saracenis*, qui eam, *Turcis* paullo ante pulsis, in ditionem suam redegerant. Factum id Idibus Quintilibus anni 1099. *Hierosolymis* itaque regni Christiani sede constituta, consentientibus suffragiis Regem *Hierosolymorum* crearunt *Gothefridum Bulionæum*, qui solenni initiatus ritu, spinea ad exemplum Christi Servatoris, non aurea corona, ornari voluit. Taceo reliqua, quæ ævi scriptoribus prolixe narrata, uno comprehensa exstant volumine, cui titulum fecere, *Gesta Dei per Francos*. Enimvero nescio an planior & plenior vaticinii hujus explicatio a quoquam data sit; & cui exactius responderit eventus.

XXIV. *Quod factum in regno Christianorum Hierosolymitano.*

XXV. Sed & altero exemplo tentemus, ubi multo faustiora promittuntur *Assyriis*. Nimirum Jes. XIX: 23, 24, 25. Spiritus Jehovæ sic fatur: *Tempore illo erit agger ex Ægypto in Assyriam, qua commeent Assyrii in Ægyptum, & Ægyptii in Assyriam: ut colant Ægyptii cum Assyriis. Tempore illo erit Israëlitarum gens tertia Ægyptiæ & Assyriæ:*

XXV. *Jes. XIX:23-25. designantur tres populi, proprie sic dicti.*

 bene-

benedictio in medio terræ. Cui benedicturus est Jehova exercituum, dicendo, Benedictus populus meus Ægyptius, & opus manuum mearum Assyrius, & possessio mea Israëliticus. Tres hic notissimos famâ populos memorari audimus, neque ullam deprehendo rationem quæ jubeat aut suadeat a simplicitate literæ recedere. Sicut per *Israëlem* intelligo populum Jacobo oriundum, ita per *Ægyptios*, terræ Chami incolas, & per *Assyrios*, qui terram *Assur* incolunt.

XXVI. *Et describitur eorum status tempore N. T.*

XXVI. Notum omnibus est Scripturarum nostrarum & priscæ historiæ gnaris, tres hasce nationes infensissimis fuisse animis, & crudelissimis bellis invicem collisas. Hic autem mutua & jucundissima ac sanctissima populorum istorum consensio & amicitia promittitur; quæ non alia ratione præterquam per Evangelium & Spiritum Christi procurata est. Unde palam, de tempore Novi Testamenti agi. Nam usque ad Evangelium prædicatum *Ægyptus* hostis fuit populi Dei, & lerna idolorum: intercesseruntque, ut dixi, perpetua & asperrima inter istas gentes odia & bella. *Assyriacis* certe, *Babylonicis*, & *Persicis* temporibus nulla fuit hujusmodi amicitia. Constat item ex Daniele, constat ex historia Maccabæorum, & profana, quæ fuerint insidiæ, & digladiationes inter reges *Græcos*, *Ægypti* & *Asiæ*, quibus paruit *Assyria*, & quam duriter utrique afflixerint *Judæos*. Nusquam igitur ista conjunctio invenietur, nisi in regno Christi.

XXVII. *Ea enim quæ Ægyptiis contigit sanatio, non nisi ex Christo est.*

XXVII. Ea etiam quæ *Ægyptiis* a comm. 18. promissa est gratia & cognitio Dei, & sanatio, non aliunde nisi a Christo est. Enimvero servatio hæc est spiritualis, qua educti ex voragine errorum & crassissimæ idololatriæ, verum veri Dei cultum & salutiferam communionem amplexi sunt. Talis autem servatio *Ægyptiis*, nec per externos dominos, *Chaldæos* aut *Persicos*, *Græcos* aut *Romanos*, unquam aut præstita est, aut præstari potuit per alium quenquam præter Christum. Non *Sesostris*, non *Ptolemæus Philadelphus* aut *Evergetes*, sed Christus servator *Ægyptiis* promittitur: haut aliter ipsis patefaciendus, nisi per Evangelium. Nam quod de multorum *Ægyptiorum* ad verum Deum conversione tempore *Psammetichi*, occasione miraculi in castris *Sennacheribi*, commentatur illustris *Grotius*, merum commentum est; quo amplissima oracula enervantur, mentesque Lectorum abducuntur ab Evangelio Christi. Certum ergo sit, quod, si forte a *Grotio* discesseris, omnis agnoscit Christianismus, prophetia hac ea delineari quæ Novi Testamenti tempore implenda erant.

XXVIII. *Assyrii Ægyptiis & Israëlitis*

XXVIII. At quum tempus illud variis constet periodis, inquirendum restat, an ad initium, an ad seriora secula pertineat. Ubi illud primo perspicuum est, initium prædicationis Evangelii factum esse

esse in *Judæa*, ubi multa Israëlitarum millia suscepta fide Jesu frequentem constituerunt Ecclesiam. Sed & hoc notum, per Apostolos eorumve comites aut cooperarios Evangelium magno successu in *Ægypto* esse prædicatum; ubi multæ antiquitus & florentissimæ fuerunt Ecclesiæ. *Assyriorum* etiam ingens multitudo ad Christum est conversa: & Petrus ipse *Babylone* sedit. 1.Pet.v: 13. Dubium tamen mihi est, an quæ hic prædicuntur omnia tunc impleta censeri possint. Nam quamvis ex *Judæis* multi in Christum crediderint, maxima tamen pars, & quasi universitas populi Israëlitici, sub severissimo, at justissimo, occœcationis & obdurationis judicio misera, sibique ipsi inimica, missum ad se sospitatorem procaciter rejecit. Neque ad *Ægyptios* & *Assyrios* cum Evangelio itum est, nisi postquam illud a *Judæis* esset spretum. Et quum Deus initio prædicati Evangelii diceret, *Benedictus populus meus Ægyptius, & opus manuum mearum Assyrius*, tunc *Israël* non *erat benedictio in medio terræ*, sed cum terra sua anathemate devotus: & in eo statu quo vocatur *Lo Ammi* & *Lo Ruchama*. Suspicor itaque ad seriora respici tempora, & quæ adhuc exspectanda sint. Nimirum sicuti *Israël* a multis seculis in terra olim sua non habitat, neque populus Dei est: ita & *Assyria* & *Ægyptus Muhammedicam* nunc magis impietatem, quam castissimam Christi religionem sectantur. Ita ut vix ullus ex tribus hisce populis populus Christianus dici possit: neque aliter nunc juncti sint, nisi in ignorantia veritatis ac pervicacia erroris. Quum itaque prophetiæ huic sua debeat constare veritas, & ea quidem quæ verborum magnificentiæ respondeat; exspectandum est, ut quum Deus reassumet populum suum *Israëliticum*, tunc & *Ægyptum* sibi vindicet & *Assyriam*, populosque *Alcorani* deliriis dementatos, ac *Turcico* jugo pressos, luce Evangelii circumfundat, & asserat in libertatem filiorum Dei. Oportet enim, ut prophetiæ huic fiat satis, non singulos hosce populos seorsim, ac distinctis temporibus, sed omnes junctim, in unitatem veræ religionis, & sanctissimæ charitatis reciprocationem conspirare. Scio celeberrimum *Coccejum* in alia omnia ire: at hæc explicatio multo mihi potior videtur. Non dissimulo tamen, quum *Ægyptus* emblema Antichristianismi sit, pie hac occasione de eo quoque populo cogitari posse, qui Antichristi dogmata sectatur: ut is etiam durissimæ servitutis compedibus solutus, in pleno Evangelicæ libertatis usu Deo ac Christo serviat. Quod si hac fortassis prophetia prædictum non sit, vovere tamen & sperare nobis liceat.

jungendi in unitate fidei & charitatis, sunt Turcæ Muhammedani.

EXER-

EXERCITATIO IX.

DE

RECHABITIS.

BREVIARIUM.

I. Singularis vivendi ratio ex triplici caussa est. II. Capita Dissertationis. III. Rechabitæ ex gente Kenæorum sunt. IV. Qui se Israëlitis associaverunt in deserto. V. Quo nomine laudantur a Bileamo. VI. Deinceps partim tribui Judæ adhæserunt. VII. Partim habitarunt prope Kades. VIII. Ex utra domo Rechabitæ, disquiritur IX. Eorum apud Israëlitas æstimatio. X. Rechabi ætas. XI. Institutum Rechabitarum. XII. Quæ in eo observanda. XIII. Auctor instituti Jonadab, an is qui occurrit Jehu? Negat Scaliger. XIV. At parum firmis rationibus. XV. Ἐπίκρισις. *XVI. Regulæ instituti. XVII. Jonadabum hoc instituto posteris suis de parabili victu prospicere voluisse, Hebræi putant. XVIII. XIX. XX. XXI. Sed majora subfuerunt. XXII. Rectene fecerit Jonadab, posteros suos his regulis obligando? XXIII. Mirum non foret, si humanum ejusmodi institutum haut prorsus vacaret culpa. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. Attamen non difficulter exculpatur. XXVIII. In posteris Jonadabi est rarissimum filialis obedientiæ exemplum. XXIX. Gemina difficultas. XXX. Sublata. XXXI. Cur in conclavi templi Rechabitarum constantiam explorari voluerit Deus? XXXII. Promissio Rechabitis facta. XXXIII. Explicata ab Altingio. XXXIV. Et Scaligero. XXXV. Benjaminis de regno Rechabitarum fabulæ.*

I. Singularis vivendi ratio ex triplici caussa est.



AB omni ævo, & in quavis propemodum gente, reperti fuerunt mortales, qui non contenti communibus virtutis pietatisque officiis, singularem quandam vivendi rationem sectati sunt; quâ non a vulgo solum, sed & cæteris infucatæ honestatis cultoribus, secernerentur. Horum alii singularitatem aliquam affectarunt, ex ambitione, errore, superstitione; quæ neque in ratione recta, neque in aliqua Numinis revelatione fundata est. Ali ex Divino præ-

præscripto se ad extraordinariam vivendi rationem composuerunt. Alii denique prudentibus majorum suorum institutis morem gerentes, gentem suam a reliquis omnibus secretam isthoc modo conservare annisi sunt. Ad illos *Essæi*, *Pharisæi*, *Monachi* sive *Muhammedarum*, sive *Gentilium*, sive *Christianorum*, referri possunt. Ad istos *Naziræi* pertinent. In his nomen sibi vindicant RECHABITÆ. Quorum historiam brevi dissertatione illustrare animus nunc est.

II. Duo autem potissimum de iis enucleanda sunt. I. GENS. II. VIVENDI INSTITUTUM. *II. Capita Dissertationis.*

III. GENTEM quod attinet, non fuerunt *Rechabitæ* ex *populo Dei*, neque pertinuerunt ad aliquam tribuum *Israëlis*; sed KENÆI origine. Id docemur 1. Chr. II: 55. *Hi sunt* KENÆI *advenæ, orti Chamatho, Patre familiæ* RECHABI. *Kenæi* autem nomen habent ab aliquo *Kaïn*, gentis illius Principe. Num. XXIV: 21, 22. Ex ista gente erat *Hobab*, sive *Jethro*, socer *Mosis*: qui idcirco *Kenæus* vocatur. Jud. I:16. Is autem quum fuerit כהן *Sacerdos* aut *Præses Midianitarum* Exod. II: 16. & *Midianita* dicatur Num. X: 29. hinc credibile est, *Kenæos* hosce gentem *Midianiticam* fuisse. *Midian* ipse erat filius *Abrahami* ex *Ketura*. Gen. XXV: 2. Unde palam est, *Kenæos*, ex quibus *Rechabitæ* oriundi, distinguendos esse ab iis quorum Moses meminit Gen. XV: 19. Quique *Kenizzæis* & *Kadmonæis* aliisque populis *Cananæis* annumerantur, quorum terram Abrahamo & posteritati ejus in hæreditariam possessionem pollicetur Deus. *III. Rechabitæ ex gente Kenæorum sunt.*

IV. Porro *Jethro Kenæus* cum familia sua, ad invitationem Mosis, adjunxit se populo Dei, in desertis adhuc *Arabum* palanti. Primo quidem ad Mosen accessit, ut uxorem ejus liberosque adduceret; ubi reverenter pariter comiterque a genero acceptus, & edoctus de prodigiis illis incredibilibus, quibus populum Israëliticum ex Ægyptiaca servitute asseruerat sibi Deus, Jehovam præ omnibus diis magnum esse agnovit, eique holocaustum & victimas obtulit, Aarone omnibusque senioribus Israëlis cibum cum ipso in conspectu Dei capientibus. Et postquam præclari consilii auctor Mosi exstitisset, ab ipso deductus, in regionem suam rediit. Exod. XVIII. Rediit: at reversurus cum familia. Nam uti Num. X: 29. narratur, dixerat Mose socero suo, *profecturi sumus ad locum, quem pollicitus nobis Jehova est; veni nobiscum, & bene faciemus tibi, quia Jehova promisit bona Israëli.* Et sermonibus ultro citroque habitis, eo tandem consensisse Jethro videtur, ut, terra sua & cognatione salutata, reverteretur cum suis. Ita enim distinctæ hæ narrationes, ex libris Exodi & Numerorum, conjungendæ esse videntur, unicam ut absolvant histo- *IV. Qui se Israëlitis associaverunt in deserto.*

riam rei eodem tempore gestæ. Vel certe si ipse Jethro reversus non sit, posteri ipsius, paternis monitis excitati, Israëlitis se adjunxerunt. Ab eo enim tempore *Kenitæ* associati fuerunt populo *Israëlitico*: beneficiis quidem ejus fruentes, sic tamen ut distincta semper ab Israële gens fuerint.

V. *Quo nomine laudantur a Bileamo.*

V. Atque hanc eorum tam prudentiam quam felicitatem laudavit *Bileamus*. Cujus hoc de iis exstat oraculum: Num. XXIV: 21. *Quum vero adspiceret Kenæum, proferens sententiam suam dixit: Forte est habitaculum tuum, & posuisti in petra nidum tuum.* In eo nimirum fortitudo habitaculi ipsorum constabat, quod fœderati, socii atque amici essent populi Dei, & communia iiscum fata habituri. Et quandoquidem Jehovam pro vero Deo agnoscebant, illiusque cultum suscipiendo confugerant ad petram salutis; hinc merito dicuntur nidum suum in petra posuisse. Sed & calamitates iis prædicit, quas in communione Israëlis subituri erant. Sic enim pergit: *Attamen erit quum depascetur Kaïn, tantisper dum Assyrius captivum tenebit te.*

VI. *Deinceps partim tribui Judæ adhæserunt.*

VI. Postquam Israëlitæ promissam terram occupaverant, *Kenæi* tribui *Judæ* maxime adhæserunt, fortasse præeminentia & felicitate tribus illius allecti, & *adscenderunt e civitate palmarum*, quæ est Jericho, *cum filiis Judæ in desertum Judæ, quod est ad australem plagam Haradi, atque habitarunt ibi cum populo* Jud. I: 16. *Harad* autem idem fuisse creditur cum *Thamar* aut *Engedi*, civitas in extremis Judæ limitibus sita, in tractu qui nulli alteri fertilitate cederet. Hic *Kenæi* nostri habitabant, extendentes se ad confinia *Amalechitarum*. Quibus innexi erant tempore Saulis: qui, priscæ societatis memor, edixit ut celeri profectione e medio *Amalechitarum*, internecioni devotorum, se eriperent, ne eorum involverentur exitio. I. Sam. XV: 6

VII. *Partim habitarunt prope Kades.*

VII. Alii *Kenæorum* profecti *Kedeschum*, in tribu Naphtali, in extremo septentrione. Jud. IV: 11. *Cheber autem, Kenæus, separaverat se a Kenæa gente, de filiis Chobabi soceri Mosis: tetenderatque tentorium suum ad quercetum in Tzahanaïmis, quod est prope Kedeschum.* Ex iis erat Jaël, animosa illa, ac Deboræ laudata fœmina. ib. vers. 17.

VIII. *Ex utra domo Rechabitæ, disquiritur*

VIII. Atque ex hac ipsa domo oriundos *Rechabitas* nostros esse, asserit clarissimus *Burmannus ad Jud.* I: 16. Nescio tamen, quo argumento. Illi enim quorum mentio est I. Chr. II: 55. non in *Kades*, sed in *Jabes* habitasse narrantur, neque *Chebero* orti, sed *Chamatho*: atque a *Kedescitis* illis, qui *Cheberitæ*, ea ratione videntur distingui. Unde ipse sese corrigit *Burmannus ad* I. *Chr.* II: 55. ubi *Rechabitarum* genealogiam arcessit ab iis qui tribui *Judæ* associati erant. Quod & probabilius est.

IX. Hi

IX. Hi autem loco mox laudato סופרים five *Scribæ* dicuntur, propter literarum peritiam: erantque doctores five Politici, five Ecclesiastici. Quia enim carebant possessione terræ, ab ingenio quæsiverunt ea quæ ad vitam honeste tolerandam faciunt. Rabbinorum nonnulli eo usque ipsorum ingenium, eruditionem atque existimationem apud Israëlitas celebrant; ut ferant eos assessores fuisse Synedrii Magni. Cujus tamen rei penes ipsos fides sit. Mihi enim non est verisimile, alienigenas, proselytos, cumprimis tales qui discretam ab Israëlitis gentem semper constituerunt, ad maximam illam Reipublicæ Israëliticæ dignitatem fuisse promotos. Ne dicam, quod demonstrandum erit alibi, fortassis ante captivitatem Babylonicam nullum tale Synedrium Magnum in Israëlitarum Republica fuisse.

IX. *Eorum apud Israëlitas æstimatio.*

X. Inter *Kenæos* celebre fuit *Rechabi* nomen: qui quo tempore vixerit, non ita liquidum est. Id constat, *Jonadabum* filium *Rechabi*, virum magnæ existimationis fuisse tempore *Jehu*, trecentis fere annis ante captivitatem Babylonicam. 2. Reg. x: 15, 23. Cæterum an *Jonadab* proximus *Rechabi* filius fuerit, an Hebræorum more ita dicatur, quia pronepos progenitus *Rechabi* erat, disputat adversus *Serarium Scaliger Elench. Tribæref. Cap.* XXIV.

X. *Rechab ætas.*

XI. Hactenus de GENTE *Rechabitica*: nunc de INSTITUTO istius gentis agamus. Id ipsi his verbis exponunt. Jer. xxxv: 6, 7. *Jonadab filius Rechabi, Pater noster, interdixit nobis, dicendo:* NE BIBITOTE VINUM, VOS AUT FILII VESTRI UNQUAM. ET DOMUM NE ÆDIFICATOTE, ET SEMEN NE SERITOTE, VINEAMQUE NE CONSERITOTE, NEQUE ESTO VOBIS: SED IN TENTORIIS HABITETIS OMNIBUS DIEBUS VESTRIS, UT VIVATIS DIEBUS MULTIS IN SUPERFICIE TERRÆ, UBI INQUILINI ESTIS.

XI. *Institutum Rechabitarum.*

XII. Observa hic I. Instituti AUCTOREM. II. REGULAS. III. RATIONES. IV. OBLIGATIONEM.

XII. *Quæ in eo observanda.*

XIII. AUCTOR est JONADAB, filius *Rechabi*, qui a plerisque Interpretibus idem fuisse creditur, qui occurrit Regi Jehu, quando domum & idololatriam Achabi eversum ibat. Contra tamen contendit *Scaliger*, atque his potissimum pugnat argumentis. *Ille enim Jonadab*, inquit, *qui* 2. *Reg.* x: 15. *occurrit Regi, neque in tentoriis habitabat, quum obviam venerit Regi; neque homo quieti instituti fuisse videtur, quum Rex ab eo quærat, an ejus cor sit rectum ac pacificum erga se; ut homo militaris sine dubio fuerit, & ideo propter ejus dignitatem collocaverit eum in curru suo. Sane hæc non conveniunt* ἀσκητικῷ βίῳ. *Sed ita est: ille Jonadab filius Rechab dicitur, tanquam pronepos, & ille cujus mentio est apud Jeremiam, auctor castimoniæ victus, est ab eodem pro-*

XIII. *Auctor instituti Jonadab, an is qui occurrit Jehu? Negat Scaliger.*

Progenitore Rechab. Sed in eadem gente quis dubitat multos ejusdem nominis fuisse apud Hebræos, ut apud Græcos & Romanos? Igitur ille Jonadab Rechabita apud Jeremiam verus pater erat illorum quos vocavit ad se Jeremias. Temporibus ergo Jeremiæ illa severa regula instituta.

XIV. *Sed non sat firmis rationibus.*

XIV. Sic Scaliger; nescio an tam solide, quam dictatorie. Nihil enim obstat, quo minus homo quieti instituti, & in tentoriis plerumque vitam transigens, obviam venire Regi potuerit: neque a genio Jehu alienum est, quod homini Ascetæ, pietatis & zeli nomine inclyto, suum pro Jehova zelum approbare annisus fuerit., &, ut zeli illius testis esset, currum suum conscendere jusserit. Quod profecto eum venerabiliorem faciebat piis veri Dei cultoribus, quorum tunc maxime captabat gratiam, quam si hominem aliquem militarem lateri suo admovisset. In cætera disputatione nihil est quod vel speciem argumenti tueri valeat. Non enim quia in eadem gente multi ejusdem nominis sunt, idcirco *Jonadab* memoratus 2. Reg. x. diversus est ab eo qui laudatur Jer. xxxv. Neque quia *Rechabitæ* apud Jeremiam eum *patrem* suum vocant, ideo verus, id est proximus, ipsorum pater fuit. Quis *Scaligero* eam potestatem fecit, ut quum *Jonadabum Rechabi filium* dici audit, id de *pronepote* interpretetur? & quum eundem *Jonadabum patrem Rechabitarum* vocari legit, id de *proximo parente* intelligendum esse postulet? Quæ demum ratio suadet temporibus Jeremiæ severam illam regulam esse institutam, *sic ut Rechabitæ eodem fere tempore cœperint, & desierint?* Qui tam confidenter loquitur, eum oportet ab argumentis melius instructum esse.

XV. *Evincitur.*

XV. Mea sic est ratio: quandoquidem *Jonadabum* aliquem *Rechabi* filium tempore *Jehu* zelo pro religione insignem exstitisse constat, plures ejusdem nominis exstitisse non constat: proclivis est in eam sententiam animus, ut, quando *Jonadabum Rechabi filium* laudari cernimus, de eo cogitemus quem fuisse certum est; non alium fingamus, quem in rerum natura fuisse probari non potest. Nisi fortassis aliquid narretur, quod cum persona, quam prior ille gessit, conciliari nequeat. Quale hic nihil est. Illis itaque Theologis lubens accedo, qui existimant institutum hoc circa initium regni Jehu cœptum, & ad Jojachimi regnum continuatum Jeremiæ ætate per tria fere secula substitisse.

XVI. *Regula instituti.*

XVI. In REGULIS instituti occurrit. I. *Interdictum.* II. *Mandatum.* III. *Instituti Ratio.* *Interdictum* complectitur. I. *Enumerationem* eorum quæ *vetantur.* A. NON BIBERE VINUM. B. NON ÆDIFICARE DOMUM. C. NON CONSERERE SEMEN ET VINEAM. D.

Imo

IMO NE HABERE QUIDEM. II. *Personas obligatas.* VOS ET FILII VESTRI. III. *Tempus obligationis.* IN SÆCULUM. Quamdiu nimirum gens *Rechabitica* a cæteris distincta erit, & Oeconomia temporum id patietur. *Mandatum* est de CONSTANTI HABITATIONE IN TENTORIIS, Nomadum instar; & uti Israëlitæ per quadraginta annos fecerunt in deserto. *Ratio instituti* additur, UT VIVATIS DIEBUS MULTIS IN SUPERFICIE TERRÆ. Quod referri potest partim ad commodum & facilem victum, qui tam frugaliter viventibus vix deesse poterat, partim ad Divinam promissionem, quam lubuit Numini annectere præcepto de obedientia parentibus præstanda.

XVII. Non indigna hæc sunt, quibus aliquantulum immoremur. Quum *Jonadabus* vir non minus pius quam prudens fuerit, cur posteritatem suam universam asceticis hisce regulis adstrictum ire voluit? Hebræi existimant, *Jonadabum* posteris suis consultum voluisse de commodo & parabili victu: quorum mentem *Petrus Martyr*, in commentariis suis in libros Regum, ex *Kimchio* sic exponit: qui possident vineas aut agros, & domos habent affixas certis locis, oportet ut subeant varias calamitates. Proventus enim annui, quum frugum tum vini, quandoque maligne proveniunt, aut interdum prorsus auferuntur. Unde coloni fraudati sua spe, conficiuntur fame, & acriter egent. Vitiatur item quandoque aër, aut coloni rapinis vicinorum male afficiuntur. Hæc mala Nomades facile possunt evitare, discurrendo rhedis suis, quocunque libuerit. Nam sic fugiunt mala imminentia, & bona prosequuntur, ubi fuerint. Fuit adhæc pastoritia ea ars *Rechabitis* patria, imo & avita. Nam Jethro, socer Mosis, greges habuit, & ad eos pascendos & custodiendos filias mittebat. Noluerunt itaque a suis majoribus degenerare. Nec præterea ignoramus, eos qui urbes incolunt fere deliciosos & molles evadere, qui vero ruri degunt plerumque robustos esse. Voluit igitur *Jonadabus* inter suos vires & robur corporis integra conservari. Vetuit item ne biberent vinum; cujus nimius usus multis modis corpori & animo officit. Hactenus ex Hebræorum mente *Martyr*.

XVII. Jonadabum hoc instituto posteris suis de parabili victu prospicere voluisse, Hebræi putant.

XVIII. At credibile est, subfuisse majora. Quandoquidem *Rechabitæ* inquilini erant apud Israëlitas, prudentia politica suadebat iis moribus vivere quibus nemini essent graves, nihil expetentes eorum quæ alii possidebant, totoque vitæ suæ instituto edentes humilem professionem peregrinitatis. Unde judiciose observatum est a clarissimo viro *Jacobo Altingio*, Israëlitis illicitum fuisse institutum illud vel præscribere, vel imitari. Quia terra illis in possessionem hæreditariam data, eoque colenda fuit, & domus ibidem ædificandæ, quas

XVIII. Sed majora subfuerunt.

ad posteros transmitterent. Sic ergo se *Rechabitæ* ab Israëlitis prudenter distinxerunt, ad vitandam invidiam; ne viderentur invadere possessiones non suas.

XIX. XIX. Faciebant etiam hæc omnia ad fovendam pietatem. Ita enim *Jonadabus* corruptis illis temporibus suos a vitæ hujus commodis & deliciis avocare & avertere voluit. Vino interdixit, quod multorum criminum occasio & incentivum esse solet. Interdixit quoque structura ædium, & cultura prædiorum, earumque rerum possessione: quia animus illis solet esse affixus, & multi cœlum non affectare, saltem non impetrare, quoniam arctius quam par est glebæ suæ adhærent.

XX. XX. Hac ratione fides adstruebatur Prophetarum oraculis, quæ imminentes Judæis calamitates repetitis carminibus canebant. Ideo in tempore suos ad exilii incommoda ferenda assuefaciebat. Nam Bileamus *Kenitis* etiam deportationem denunciaverat. Num. XXIV: 22.

XXI. XXI Denique hoc vitæ suæ instituto ostendebant, terram istam quam Judæi tam efflictim deperibant propter se tanti faciendam non esse. Ideo ne Hierosolymis quidem, quando eo vi bellica pellebantur, aliter quam in tentoriis habitare voluerunt. Et fortasse rectius fecissent, si non venissent Hierosolyma, neque tam prope accessissent ad communionem populi refractarii. Modo alia ipsis via patuerit hostiles incursationes & deprædationes evadendi. Forsan & alia subfuerunt, nobis incognita.

XXII. *Rectene fecerit Jonadab, posteros suos his regulis obligando.* XXII. Nunc de OBLIGATIONE ad hoc institutum videamus. Quæ considerari potest, vel respectu *Jonadabi*, qui obligationem *imposuit*; vel respectu *filiorum*, qui eam *susceperunt*. Ac *Jonadabum* quidem quod attinet, merito quæritur, rectene fecerit, posteritatem suam ad tam difficile institutum in perpetuum obligando? Non enim desunt rationes dubitandi. I. Vinum, agri, vineta, domus, civitates, sunt res bonæ, a Deo ad usum generis humani conditæ, hominibusque a Dei bonitate clementer concessæ: cur interdicit iis quæ concessit Deus? II. Præceptum tale aliquando pro laqueo est, quo se conscientia misere constrictam deprehendit. Potest enim incidere tenuis valetudo, atque ea corporis infirmitas, ut vino sit utendum. III. Videtur his omnibus quædam inesse superstitio, & ἐθελοπερισσοθρησκεία, qua sanctitas & religio collocatur in iis rebus, in quibus eam non collocavit Deus.

XXIII. *Mirum non foret, si humanum* XXIII. Equidem, ut verum fatear, si ex rigore examinentur omnia, forsan in humano ejusmodi instituto deprehendi posset aliquid quod non omnem culpam effugiat. Et sane nusquam legimus illud a

Deo

Deo prorsus approbatum, laudatumve esse. Laudatur quidem obedientia posterorum, utpote respondens voluntati Dei, expressæ præcepto quinto. Sed exinde non sequitur, quia obedientia laudabilis, laudabile idcirco fuisse mandatum. Rex Saul imprudenter interdixit populo cum exsecratione, ne quis gustaret quicquam donec plenam de hostibus victoriam reportasset: cui tamen interdicto pie a populo obtemperatum est. *ejusmodi institutum haut prorsus vacaret culpa.*

XXIV. Attamen committendum non esse videtur, ut probum pii hominis institutum, nusquam etiam a Deo culpatum, atro carbone notetur. Nam, uti ostensum est, haut contemnendas facti sui rationes habuit. Et quæ modo in contrarium sunt allatæ, eæ nequaquam tales sunt, ut non commoda ad ipsas suppetat responsio. **XXIV.** *Attamen non difficulter exculpatur.*

XXV. Nam I. Illicitum non est a rebus concessis licitisque certo quodam consilio abstinere. Imo est, ubi prudentia & pietas exigunt, ut ab iis abstineamus. Apud Hebræos *Naziræi* voto sibi abstinentiam a similibus rebus indicebant, sive ad tempus, sive in perpetuum. In quo aliquid *Rechabitarum* instituto simile, aliquid etiam dissimile est. Similitudo consistit in abstinentia a rebus cæteroquin concessis. Dissimilitudo in eo est, quod *Naziræi* id facerent ex lege voti Divina, eoque ad cultum; *Jonadab* suo consilio, ex prudentia, citra opinionem cultus. Nimirum afflictionis imminentis cogitatio merito quem moveat, ut quæ hujus mundi commoda sunt, sibi tempestive neget, animumque ab iis avertat, inque ea aversione per consuetudinem confirmet. **XXV.**

XXVI. II. Non est existimandum observantiam hanc tanta severitate præceptam esse, nulla ut intercedere potuerit exceptio. Etenim præcepta non tantum hominum, sed & ipsius Dei, lege charitatis condienda sunt, & temperanda, juxta regulam, *Misericordia delector, & non sacrificio.* Interpretanda igitur erant præcepta *Jonadabi*, ut non adstringerent liberos, si qua forte ursisset necessitas, quæ extra legem est. Proinde si per valetudinem quispiam *Rechabitarum* opus habuisset vino, per *Jonadabum* uti licebat. Quemadmodum, quia compellebantur necessitate, Jeremiæ tempore ingressi sunt urbem *Hierosolymorum*, nec tamen accusantur violatæ obedientiæ. Imo vero Deus testimonium iis perhibet exactæ observantiæ. Jer. xxxv: 18. Vide sodes erudite de his disserentem *Petrum Martyrem.* **XXVI.**

XXVII. III. *Jonadabi* institutum non fuit religiosum, neque animus ei fuit, aut certe non debuit esse, religionis vinculo constringere posterorum suorum conscientias, quasi instituti illius observatione magis placituri essent Deo, aut aliquid apud ipsum merituri. **XXVII.**

Nulla

Nulla Dei in mandato mentio, nihil ejus profitentur *Rechabitæ*, nihil tale de eo testatur aut Deus, aut Jeremias. Idcirco non videtur accensendum esse statutis sequentium Pharisæorum, qui Deum se colere postularunt, ex mandatis hominum.

XXVIII. *In posteris Jonadabi est rarissimum filialis obedientia exemplum.*

XXVIII. *Posteris Jonadabi* obligatio ad instituti hujus observantiam incubuit, non ex aliquo religionis vinculo, sed propter reverentiam paterni mandati; quod quum suapte natura malum non esset, imo prudens, ac tempori apprime conveniens, bonum factum est, quod ei constanter paruerint. Eoque nomine ab ipso Deo laudati, Israëlitis in exemplum proponuntur; quo præfractæ genti sua exprobratur rebellio. Jer. xxxv: 13, 14, 15. Habemus sane hic rarissimum filialis obedientiæ exemplum: obedientiæ, inquam, per tria secula continuatæ, a viris & fœminis, filiis & filiabus, succedentibus sibi generationibus: idque in iis rebus quæ carni ingratæ, & a communi hominum consuetudine valde remotæ sunt.

XXIX. *Gemina difficultas.*

XXIX. Difficultas aliqua nascitur ex Jeremiæ historia: & quidem gemina. I. Annon positum iis ex præscripto Numinis per Jeremiam offendiculum sit; quando contra mandatum parentis vinum bibere jubebantur? quod tam acriter insectatur Deus, quando id cum *Naziræis* agebant Israëlitæ, Amos. 11: 9. II. An bene fecerint paterna jussa sermoni Prophetico anteponentes?

XXX. *Sublata.*

XXX. Utramque hac ratione non incommode tolli arbitror: Non poterat male agere Jeremias, ea agendo quæ a Deo jussus erat. Deus non posuit eis offendiculum, sed sanctissima sua providentia occasionem iis objecit explorandæ constantiæ; quam præsciebat non aliter quam in ipsorum laudem evasuram esse. Neque per hanc explorationem insolubilibus vinculis constricta fuit ipsorum conscientia, ut vel Deo, vel parenti obsequium detrectare coacti fuerint. Si enim ita ipsis res fuisset proposita, ut Dei nomine vinum bibere juberentur, palam est, ipsos faciendo non fuisse peccaturos. Quum omnia instituta humana Divinis mandatis cedere oporteat: & parentibus non debeantur obsequia, nisi usque ad aras. Non sane eo animo posteros obligavit *Jonadabus*, ut mandatis ipsius insisterent, etiam contrarium jubente Deo. At non jussit Deus: licet Jeremias jussus, ad vinum bibendum eos invitaret. Qui non dixit, *sic ait Jehova*, sed simpliciter, *bibite vinum*. Et credibile est eos ex vultu Jeremiæ, sermonis sono, aliisve circumstantiis, potuisse cognoscere, non esse hanc præcisam Dei voluntatem, ut recederent ab instituto majorum. Facile saltem judicarunt, non posse se peccare, si, allegando patris sui jussum, Divinæ voluntatis ampliorem clarioremque explicationem poscerent.

XXXI.

XXXI. Certe accepta admodum Deo hæc *Rechabitarum* constantia fuit; quam quum huc evasuram prænosset, voluit explorationem illam eo loci fieri, qui convincendis Israëlitis apprime esset idoneus. Adduxit enim eos Jeremias *ad domum Jehovæ, in cubiculum filiorum Chananis, filii Jigdaliæ viri Dei, quod est prope cubiculum Principum, quod est supra cubiculum Mahasejæ, observantis limen.* Nimirum ad eum modum constructa vasta Templi moles erat, multa ut ei annexa essent ædificia, conclavia, thalami, aut quocunque demum appellentur nomine, ubi Sacerdotes & Levitæ, functionis suæ vices obeuntes, diverterent; nonnulli etiam ex principibus ædis sacræ ministris ordinariam commorationis suæ sedem haberent. Non nisi consulto consilio factum est, ut in ejusmodi aliquod conclave *Rechabitas* convocaverit Vates. Forsan ne coitio illa in suspicionem seditionis aut tumultus veniret; quum custodes conclavium templi, principesque, eorum quæ gerebantur testes essent, & fortassis petenti Jeremiæ, tam locum quam instrumenta quibus uteretur, suppeditarent. Sed maxime ut constantia *Rechabitarum* appareret illustrior, utque convictio hæc in loco sanctissimo, tam solemniter facta, præsentibus primoribus populi, eo esset efficacior. *XXXI. Cur in conclavi templi Rechabitarum constantiam explorare voluerit Deus.*

XXXII. At non potuit Deus luculentiori testimonio comprobare *Rechabitarum* obedientiam, quam insigni illa promissione: *Idcirco sic ait Jehova exercituum, Deus Israëlis,* NON EXSCINDETUR VIR JONADABO FILIO RECHABI QUI STET CORAM ME OMNIBUS TEMPORIBUS. *XXXII. Promissio Rechabitis facta.*

XXXIII. In quæ verba lubet appingere amplissimum *Jacobi Altingii* commentarium. Sic ergo ille: *Non tantum longævitatem obedientibus promittit, ut in præcepto quinto, quam proselyti juxta cum Israëlitis habebant promissam; sed singulatim, non perituram posteritatem Jonadabi, & habituram locum in Ecclesia Dei; atque admissionem ad gratiosam fruitionem Dei, non ut Sacerdotes & Levitæ; sed ut alii Israëlitæ & peregrini. Jes.* LVI: 4. 7. *Adeoque debet adhuc superesse posteritas Jonadabi, & illi spes restitutionis cum Israëlitis manet. Ut Jer.* XXXI: 36, 37. *Sed eodem modo: ut pariter exilii consortes sint; post longam interruptionem restituendi. Equidem non agnoscitur hodie illa familia. Sed ab ignorantia hominum ad negationem rei non valet consequentia. Familiæ confundi nequeunt; quum per patres descendant, matres ad eam non pertineant: & qualis pater, quoad tribum, talis quoque sit filius & nepos, ac sic deinceps. Potest series genealogica perire ex notitia hominum: sed non ex rerum natura, & notitia Dei. Confundantur licet semina tritici, siliginis, hordei, & quæcunque sunt alia, ut homines* *XXXIII. Explicata ab Altingio.*

nequeant discernere; non tamen perit illis distinctio, & Deus eam non novit solum, sed prodit quoque, quando unumquodque semen suo corpore facit surgere. 1. *Cor.* XV: 37, 38. *Sic de familiis statuendum est.* Hæc *Altingius*

XXXIV. *Et Scaligero.* XXXIV. Aliter instituit *Josephus Scaliger, Elencho Trihæresii Cap.* XXIV. Cujus commentatio huc redit: Dicit Deus in ea stirpe semper aliquem fore, qui coram se ministrabit. Nam illud עומד לפני *stans coram me*, interpretatus est Chaldaicus Paraphrastes משמש *ministrans.* Hoc non potest dici nisi περὶ τῶν ἐν τῷ ναῷ λειτουργούντων. *Rabbi Juda* apud *Kimchium* exponit, *sedebunt in Synedrio*: alii, *filiæ ipsorum nubent Sacerdotibus, & erunt ex nepotibus eorum offerentes super altari.* Utraque expositio ridicula. Prior, quia *stare coram Deo*, quod de templo dictum esse manifestissimum est, non est *sedere in Synedrio*, & legem docere. Altera, quod tametsi posteritas ex filiabus *Rechabitarum*, & filiis Sacerdotum, sint Sacerdotes, tamen hoc non pertinet ad *Rechabitas*: quia, ut testatur *Abraham Zachuth*, משפחת אם אינה קרויה משפחה *familia matris non vocatur familia.* Quid ergo? Cessabit verbum Dei? Absit ut putemus. Locus est insignis. Significat ab eo tempore instituta fuisse primordia corporis *Hasidæorum*, qui quotidie offerebant in templo, & ab eo nunquàm recedebant. Per se autem non offerebant, (non enim erant Sacerdotes) sed Sacerdotes eorum nomine, & quotidie victimam immolabant, quæ vocabatur אשם חסידים *victima Hasidæorum pro peccato.* Igitur *filii Jonadab* sunt ii qui *Hasidæi* postea vocati, neque a templo recedebant: ut merito dictum sit: *Non deficiet vir de stirpe Jonadab stans coram me.* Hæc *Scaliger.* Utra vero expositio præferenda sit, & an tertia excogitanda quæ utraque sit melior, per me quidem peritus, ac nullo aliunde præjudicio occupatus Lector judicet.

XXXV. *Benjaminis de Regno Rechabitarum fabula. Itin. p.* 82. XXXV. Ego manum de tabula tollam, ubi adscripsero narrationem *Benjaminis Tudelensis de Regno Rechabitarum*, ad septentrionem *Babyloniæ*, in tractu *Themæ*, unde & ipsi alias *homines Themæ* dicuntur. *Thema autem est initium regni ipsorum, in qua magna civitate* (Benjaminis tempore, si credere fas est) *imperabat Annas Princeps. Districtus vero ditionis illorum inter montes septentrionales sedecim dierum itinere terminatur, & magnas munitasque habet civitates: nulliusque gentis imperio premuntur incolæ, sed insuper ut spolia prædamque auferant remotas regiones adoriuntur. Omnes Judæorum vicini admodum sibi ab iis metuunt: ipsorum vero multi agriculturam & pecuariam exercent, regionemque habent amplissimam.* Porro institutum ipsorum ita descri-

describit: *Hi Judæi*, inquit, (quasi *Rechabitæ* Judæi essent) *omnium bonorum decimas largiuntur sapientiæ studiosis, qui jugiter in Scholis resident, & Israëlitis pauperibus & devotis, qui Zionem lugent & Hierosolyma: qui nec carnem edunt, nec vinum bibunt, quique atrati in speluncis vivunt aut casulis: & per totam vitam mœrent Sabbathis & festis diebus, assidue divinam misericordiam pro Israëlitarum exulibus implorantes, ut eorum propter nomen suum maximum misereatur.* Cæterum hæc Rabbinica suaviludia sunt, & putida miseri nugatoris mendacia; merito castigata a *Constantino l'Empereur*. Atque hæc nobis de *Rechabitis* dicta sunto.

EXERCITATIO X.

HISTORIA HIEROSOLYMÆ *Ab urbe condita* Usque ad *EXCIDIUM BABYLONICUM.*

BREVIARIUM.

I. Hierosolyma olim dicta Jebus. II. Et Salem. III. Denique Jerusalem. Quam vocem absurde nonnulli interpretantur. IV. Alii probabilius. V. Conditor urbis an Melchisedec, id est Sem? VI. Non videtur probabile. VII. Incolæ fuerunt Jebusæi: primo soli, dein Israëlitis mixti, donec David urbis potitus est. VIII. Exponitur 2. Sam. v. *Quinam cæci & claudi fuerint, Davidem remoturi. IX. Et quo tendat natum inde edictum aut proverbium. X. Arauna, rex olim Jebusæorum, vel saltem ex regia stirpe, ad ultima Davidis Hierosolymæ mansit. XI. Ejus area Davidi vendita sacratissimus locus fuit.*

fuit. XII. Situs Hierosolymæ, respectu tribuum. XIII. Respectu urbis partium. XIV. Mons Sion an ad Aquilonem. XV. An ad Meridiem. XVI. David urbem splendidis ædificiis auxit. XVII. Atque incredibiles in ea opes collegit. XVIII. Quarum fontes indicantur. XIX. De quibus, post inæstimabiles impensas, plurimum superfuisse tumulo condendum, auctor Josephus est. XX. Priscæ opes ex nostra paupertate æstimandæ non sunt. XXI. Nil unquam augustius Hierosolymitano Templo fuit. XXII. Cujus locum ipse designavit Deus. XXIII. Partim in portione Judæ, partim in portione Benjaminis situm. XXIV. Magnificentia Templi stupenda. XXV. Regia Salomonis. XXVI. Annona diurna regiæ familiæ. XXVII. Illiusque splendor. XXVIII. Jerusalem civitas Dei. XXIX. Typus Ecclesiæ, tam in gratia, quam in gloria. XXX. Multum decessit Hierosolymæ sub regno Rehabeami; quando solius Judæ metropolis facta est XXXI. Et subacta ac spoliata a Sisaco, Ægypti rege. XXXII. Varia abhinc Hierosolymæ fata, usque ad excidium Babylonicum. XXXIII. Quod quatuor gradibus absolutum est. XXXIV. Annus excidii difficilis putatu est. XXXV. Rerum humanarum inconstantia constanti Dei providentia regitur.

I. *Hierosolyma olim dicta Jebus.*



Istoriam *Hierosolymæ*, & alternantia urbis celebratissimæ fata, a prima sui origine, ad nostra usque tempora, brevi, at perpetua, commentatione expositurus, initium mihi a nominibus faciendum arbitror, quibus olim insignita fuit. Ea vero in reconditissimæ antiquitatis monumentis tria fuisse comperio: nimirum Jebus, Salem, & Jerusalem. *Hieronymus* sub nomine *Paulæ* & *Eustochii* ad *Marcellam*. *In tribus nominibus, trinitatis demonstrat fidem. Jebus, Salem, & Hierusalem appellatur. Primum nomen calcata, secundum pax, tertium visio pacis. Paulatim quippe pervenimus ad finem: & post conculcationem ad pacis visionem erigimur.* Verum hæc, uti jucundum fortassis elegantis ingenii lusum exhibent, ita omni destituuntur soliditate. Nos certiora sectemur. Primum, minus celebre, exstat Jos. xv: 8. *Inde ascendit idem terminus per vallem filiorum Hinnom, ad latus* Jebus, *a meridie: ipsa est Hierosolyma.* Rursus Cap. xviii: 28. *Jebus, ipsa est Hierosolyma.* Item Jud. xix: 10. *Pervenit ex adverso Jebus, id est, Hierosolymæ.* Denique 1. Chr. xi: 4. *Profecto autem Davide cum toto Israële Hierosolymam, ea erat Jebus.* Ita autem dicta fuit a *Jebus*, *Canaanis* filio, *Chami* nepote Gen. x: 16. cujus posteritas, uti mox videbimus, civitatem istam diu tenuit.

II. Alte-

II. Alterum nomen, SALEM, invenitur Gen. XIV: 18. *Melchizedec autem rex Salem protulit panem & vinum:* quod conferendum esse videtur cum Ps. LXXVI: 3. *Cujus tugurium est Salemi, & habitaculum Zione.* Falluntur enim quotquot antiquissimam Melchizedeci historiam alio flectentes, *Salem* propriam urbis alicujus in Cananæa nomen esse negant; eo quod Paulus Hebr. VII: 2. regem *Salem* interpretetur regem *pacis*. Ea enim Apostoli observatione non evertitur sensus historici simplicitas: sed indicatur latens in ea mysterium. Uti nomen regis arcanam habebat significationem, notabatque, eum qui Melchizedec audiebat, insigni præditum fore justitia: ita & in nomine ejus cui imperitabat urbis simile exstabat arcanum; nempe eundem qui justitiæ, simul & pacis regem fore. Optime *Cyrillus Alexandrinus Lib.* II. *in Gentes.* Ἀμαθές ἐςι ταῖς ὀνομάτων ἑρμηνείαις προσεχηκότας ἀναιρεῖν ἀποτολμᾷν τὰ σαφῆ τε καὶ ὁμολογημένα. *Indoctum est nominum interpretationibus adhærentes, audere tollere clara, & de quibus inter omnes convenit.* Cæterum & eos falli arbitror, qui cum *Hieronymo* opinantur *Salem* oppidum fuisse prope Scythopolim, eodem nomine dictum, ubi *Hieronymi* adhuc ætate ostendebantur ruinæ Melchizedeciani palatii, ex quibus de prisca illius amplitudine fieri poterat judicium. Urbis autem hujus mentionem fieri putant Gen. XXXIII: 18. Ubi verba Hebræa habent: ויבא יעקב שלם עיר שכם אשר בארץ כנען. Quæ non uno ab Interpretibus modo redduntur. Nonnulli in hunc sensum exponunt: *& venit Jacob ad Salem, urbem Sichimorum, quæ est in terra Canaan.* Sic LXX, Vulgata, Syrus. At *Tremellius* & *Junius* vocem *Salem* appellative sumserunt; verteruntque, *deinde venit Jacob incolumis ad civitatem Schecemum, quæ est in regione Canaanis.* Ita & *Pagninus* vertit, præeunte Paraphraste Chaldæo, & Arabe. Sic ut nihil admodum certi ex hac pericopa pro eorum sententia haberi queat, qui in eo *Sichimorum* tractu urbem struunt nomine *Salem*. At Joh. III: 23. laudatur *Salim*, a quo non procul distabat *Enon*, ubi baptizabat Johannes, prope *Jordanem* versus lacum *Genezaret* Hic *Hieronymus* Melchizedecum regnasse existimavit. Sed levibus admodum inductus argumentis. Quod enim a vestigiis monstrati sibi ab incolis palatii desumitur, prorsus nulli rei est. Indigenarum, ex tam augusti nominis præscriptione celebritatem sibi captantium, fabulis decipi se passus est vir nimium quandoque credulus. Et qua tandem ratione *Hieronymi* ætate tam antiqui exstitissent rudera ædificii, quum Abimelech olim, ipso *Hieronymo* teste, urbem solo æquaverit, & sale conseverit? Quomodo etiam *Josepho*, diligentissimo antiquitatum suæ gentis indagatori, tales reliquiæ

II. *Et Salem.*

 liquiæ

liquiæ latuissent, & indictæ mansissent? Porro quod contendit *Hieronymus*, *Hierosolymam* Abrahamo revertenti a cæde regum deviam, & valde distantem fuisse; in eo sane toto, quod ajunt, cœlo errat. Nam Abrahamo redeunti ex partibus *Damasci*, & *Hebronem* versus contendenti, obvia fuit *Hierosolyma*; altera vero *Salem*, ad Septentrionem declinans, valde devia. Credibilius itaque est, *Salem* Melchizedeci esse ipsissimam nostram *Hierosolymam*; cujus reges nomen habuerunt Melchizedeco valde affine, *Adonizedec* dicti Jos. x: 1, 3. Denique mysterii ratio huc ducit, ut ejusdem civitatis rex fuerit Melchizedec, in qua deinceps apparuit, regnumque suum habuit Christus. Non dissimulo injectum mihi fuisse scrupulum a judiciosissimo Theologo *Jacobo Altingio*, qui in suis ad Heb. VII. commentariis p. 197. sic de hac re loquitur. SALEM *urbem Abrahami tempore ibi fuisse nusquam liquet. Judicum ætate dicebatur* JEBUS, *post appellata* HIERUSALEM, *& brevius* SALEM. *Si jam tunc fuisset ista urbs in rerum natura, Deus quum imperaret oblationem Isaaci, simpliciter dicendum habuisset, ut iret Salemum: atqui ait, proficiscendum esse in terram Moria, & in uno montium, deinceps monstrando, offerendum. Gen.* XXII: 2. *Unde liquet, fuisse solitudinem hic loci, ubi nulla urbs, nullum tugurium; hominum enim præsentiam vitare debuit, qui servos suos testes esse noluit. Mons Moria tamen vel vicinissimus fuit Hierosolymæ, vel ejus ambitu comprehensus. 2. Chr.* III: 1. Hæc *Altingius*: nec prorsus sine verisimilitudine. At tamen tanti non esse existimo, ut ob eam rem ab asserta hactenus sententia recedendum esse videatur. Neque enim necesse est ut credamus, imo nec probabile est, urbem *Salem* in illis sui primordiis tam amplam, tamque frequentem incolis fuisse, uti labentibus seculis, & præsertim Davidis ætate, evasit. Deinde *terra Moria* non definite illum locum designat, quem urbs occupavit, vel qui in proxima fuit urbis vicinia: sed integrum illum tractum montosum, haud paulo majoris, quam urbs ipsa, extensionis. Denique nihil impedit, quo minus, in longe minore hominum frequentia, qualis isthoc tempore fuit, mons aliquis in isto tractu inventus fuerit, satis solitarius, ut sine interpellantium hominum turba, tempus Abrahamo ad illam filii sui oblationem suppetierit.

III. *Denique Jerusalem, Quam vocem absurde nonnulli interpretantur.*

III. At tertium nomen, JERUSALEM, cæteris longe frequentius ac constantius fuit. Illius autem variæ adsignantur etymologiæ: quarum nonnullæ palam falsæ, atque absurdæ; aliæ aliquanto probabiliores sunt. Calumniosa prorsus est illa *Lysimachi* cujusdam apud *Josephum*. *Lib.* I. *contra Appionem*; quod hæc urbs, a Judæis Ægypto profugis condita, ab ipsis ἱερόσυλα vocata sit, eo quod τὰ ἱερὰ συλῶντες

λῶντες καὶ ἐμπρήσαντες, *a fanis compilatis atque incensis eam insigniter ditaverint*: quamvis deinceps, invidiæ declinandæ caussa, paululum inflexo nomine vocitaverint *Hierosolymam*. Quasi Græce tunc locuti fuissent Israëlitæ, & in nomine urbis, unice sibi dilectæ, sacrilegii sui exstare voluerint monumenta. Bene *Josephus*: *Hic generosus vir, præ nimia detrectandi impotentia, non intellexit, Hierosolyma non idem voce Judaica quod Græca significare*. Eodem argumento *Hegesippus* & *Eusebius* refelluntur: qui *Hierosolymam* existimantes nomen esse ex Græco & Hebraico compositum, ita dictam volunt, ille quasi esset ἱερὸν Σολύμων, iste vero quasi ἱερὸν Σολομῶντος; quod & *Isidorus* sequitur: *Orig. Lib.* XV. *Cap.* I. Enimvero talis peregrinæ linguæ mixtura Hebræis prorsus est insolita: & urbs longe ante Salomonis ætatem, atque exstructum templum, eo nomine ab ipsis nuncupata Cananæis est. Mirum est *Josephum* ipsum in eundem propemodum lapsum esse errorem: qui urbem olim *Solyma* dictam, ob constructum in ea Melchizedeco templum, *Hierosolyma* vocatam tradit. Sic enim loquitur: *De Bello Jud. Lib.* VII. *Cap.* XVIII. Ἱεράσατο τῷ Θεῷ πρῶτος, καὶ τὸ ἱερὸν δειμάμενος, ἱεροσόλυμα τὴν πόλιν προσηγόρευσε, Σόλυμα καλουμένην πρότερον. *Sacerdotium Deo primus exhibuit* Melchizedecus, *& fano primum ædificato, Hierosolymam civitatem vocavit, quum ante Solyma vocaretur*. In quo *Josephi* loco exagitando nimius fortassis est præstantissimus *Bochartus Can. Lib.* II. *Cap.* IV. tot in eo σφάλματα carpens quot verba. Suffecerit hic observasse absurdam alienissimarum a se invicem linguarum commixtionem, ab *Hieronymo* quoque notatam, *Epistola* CXXVI. *ad Evagrium*.

IV. Prudentiores itaque in eo consentiunt, ירושלים esse nomen ex duabus vocibus Hebraicis compositum. At quibus? Plerique ex voce יראו, a ראה, vivendi significatione, & שלם, ut notet *videbunt pacem*: quod nimirum populus Dei hic habiturus esset sedem quietam & stabilem, æternæ quietis ac pacis cœlestis figuram: quodque in eadem urbe Messias, veræ pacis nuncius ac conciliator, appariturus, regnumque suum inchoaturus esset. Sed obstare videtur, quod non a populo Dei, nedum a Propheta, multo minus ab ipso Deo hoc nomen nacta sit: sed a Cananæis, idololatrarum nequissimis, populi Dei hostibus, eorumque quæ Israëli olim eventura erant ignarissimis. Jos. x: 1. Non enim profecto moramur Judæorum traditionem, in *Beresh. Rabba. Sect.* IX. Nomen loci istius esse *Jehova Jireh. Nam*, inquiunt, *Abrahamus vocavit locum Jireh, Semus vocavit Shalem. Dixit Deus; si ego eum vocavero Jireh, displicedit Semo justo: si vocavero Shalem, displicebit Abrahamo justo. Ego* ergo

IV. Alii probabilius.

ergo nomen ei imponam, quod compositum ex utròque est: & vocavit ירושלם יראה שלם. Nugæ. Alii itaque malunt, compositum esse nomen ex ירא, timendi notione, & *Shalem*: quasi dixeris, *timete Salem*; nimirum ob munitionem & validissima propùgnacula, quibus vel animosissimis hostium incutere posset terrorem. At, si verum dicere liceat, incertissima plerumque antiquarum ejusmodi originationum ratio est, parumque ex iis solidi disci potest.

V. *Conditor urbis an Melchizedec, id est Sem?*

V. Satius erit ut in primam urbis originem, illiusque CONDITOREM inquiramus. Hunc *Josephus*, ex gentis suæ sententia, MELCHIZEDECUM fuisse tradit. *De Bello Jud. Lib.* VII. *Cap.* XVIII. *Primus ejus conditor fuit Cananæorum Dynasta, qui patria lingua justus appellatus est rex. Erat quippe talis.* Et quum Melchizedecum multi Semum, Noæ filium, esse crederent; hinc illi urbis antiquissimæ creationem adsignaverunt. Quam constantem Hebræorum traditionem esse *Isidorus* adserit. Eandem sententiam amplexus doctissimus *Lightfootus* est. At quum mirum videri posset, unde Semo, in media Chami posteritate, regia esset, difficultatem istam erudite, ut solet, occupare, & e medio submovere adnisus est. Sic ergo ille *Observat. novis ad Gen.* XIV. *Oper. T.* I. *p.* 156. *Noach in benedictione filii Semi, singulari modo eum terræ Canaanis dominum constituit. Gen.* IX. *itaque Sem huc se confert, & civitatem condit, & ex indole sua pacifica nomen imponit Salemi. Hic regnat potestate regia: sed placide adeo & tranquille, ut simul sacerdos fuerit. Dum pater Sem vitam agit a curis negotiisque mundanis vacuam, Elamo maximo natu filio, & hæredi proximo (quamvis in Oriente, sede valde longinqua, degeret) incumbebat ad terram Canaanis subinde respicere, atque attendere, quo pacto regni status se haberet. Terra enim ex legatione Noachi ad ipsum jure communi devolvebatur. Hic titulus Kedorlaomerum, & hæredem Elami evocat e Persia in terram Canaanis, quando quinque civitates in planitie rebellant. In hoc bellum adsciscit tres socios, minores natu filios e domo Semi, Amraphelem, ex Arphaxado, regem Chaldææ: Ariochum, e Lude, regem Ellasaris, Babyloni confinis: & Tidealem, ex Ashur, regem gentium, & nuper quoque Ninives conditorem. Hi quatuor omnes filii Semi, & justi vindices terræ illius adversus usurpationem Cananæorum, constituunt, societate facta, eo expeditionem suscipere, omnemque illam regionem citra & ultra Jordanem percurrere; quod & brevi exsequuntur. At quum pervenissent usque ad Danem, extremum terræ terminum Septentrionalem, Abraham eos est assecutus, & vincit victores. Et sic duplex jus in terram adeptus est, promissionis nempe, & victoriæ. Id Sem, sive Melchizedec, observat, Abramo cum triumpho redeunte, atque intelligit, eum esse, atque illius*

illius posteros, quibus Dominus terram illam per spiritum Noachi propheticum assignaverat, &c.

VI. Cæterum in erudito hoc discursu multa ingentia postulata, ut concessa sibi, sumit vir doctus, ab ingeniis paullo difficilioribus vix impetrabilia. Eorum primum est, *Melchizedecum* eundem fuisse cum *Semo*: cui sententiæ ut subscribam, multis caussis impedior; quas breviter atque eleganter exsecutus *Calvinus* est. Neque enim Dominus virum, æterna memoria dignum, novo tantum & obscuro nomine indicasset, ut maneret ignotus. Deinde probabile non est ex *Oriente* migrasse in *Judæam*: & ex Mose nihil tale colligitur. Tertio, si habitasset *Sem* in terra *Canaan*, non ita flexuosis ambagibus vagatus esset Abraam, ut antehac retulit Moses, donec suum atavum salutasset. Plurimum vero ponderis habet, quod admonet Apostolus, hunc Melchizedec, quisquis fuerit, nobis sine ulla origine, quasi e nubibus delapsus esset, in medium proferri, & sine mentione ulla mortis sepeliri ejus nomen. In homine autem ignoto clarius refulget mirifica Dei gratia, quod inter mundi corruptelas solus in terra illa integer ac sincerus fuerit pietatis cultor & custos. Quibus omnibus adde, quod Sem fuerit ex Abrami majoribus, ideoque inter Levitarum progenitores. Unde non posset concludi, majoris ordinis in eo sacerdotium fuisse, ex eo quod Abram ei decimas dederit: quia decimas dedisset illi, qui ideo major, quod progenitor: & ex quo Levitæ habent originem, & successionem. Nam sacerdotium Patriarcharum in Levitas derivatum est, quia Patriarchis successerunt: Melchizedec itaque non est Sem. Tum & hoc frustra sumere videtur vir eruditissimus, quod Semus a Noacho singulari ratione dominus terræ Canaan in sua persona constitutus sit. Divina providentia diribitrice aliam prorsus terrarum distributionem inter Noachi filios factam esse, docet Moses Gen. x. Semi enim soboles trans Euphratem sedes suas habuit, in Elymaide, Assyria, Arrapachitide, Lydia, Syria, & vicinis remotioribusque regionibus. Quia Sem Syriam potissimum inhabitavit, ea Arabibus dicitur שאם. Vide *de Dieu* ad Gen. x: 22. Ex Canaane autem ortis gentibus, ea pars orbis contigit in qua tunc divertebat Abramus. Ipsaque *Salem* in portione Jebusæorum erat, a Jebusæis etiam habitata. Quid ibi negotii Semo fuisset, ut, relicta sua hæreditate, posthabitisque filiis ac nepotibus, in mediis Cananæis degeret; oppidi, si vis, unius rex: quando multo majore cum auctoritate ac splendore apud suos vivere potuisset? Mandatum etiam Abramo factum migrandi ex cognatione sua in terram peregrinam, satis ostendit nullam ipsum cognationem habuisse,

VI. *Non videtur probabile.*

nedum tantam, tamque desiderabilem, & quæ cæteris omnibus anteponi merebatur, in terra Canaan. Noachi autem oraculo satisfactum est, quando Israëlitæ, Semo oriundi, pulsis Cananæis, terra ipsorum, Deo jubente, potiti sunt. Quantum etiam a probabilitate abhorret, *Kedorlaomerum* cum fœderatis regibus arma in Cananæos regulos movisse, ut Semi, id est Melchizedeci, jus tuerentur, ipso interim Melchizedeco adeo securo ac deside, ut nullas iis auxiliares copias miserit, eamve rem ad se pertinere ullo indicio declaraverit! Fasne etiam Abramo fuit, fœdere cum Cananæorum regulis inito, eos cognatorum suorum oppugnatum ire, qui atavi sui caussam contra iniquos usurpatores tam strenue agerent? Ex quibus colligitur, incertum admodum, imo ne probabile quidem esse, quod Semus sit Melchizedec, aut in Cananæa habitaverit, nedum ut urbis *Hierosolymæ* conditor fuerit. Imo nec de Melchizedeco id constat; quisquis ille tandem sit. Non enim qui urbis alicujus rex, idcirco illius conditor est. Est ergo hæc res ex earum rerum genere in quibus laudabilis est ignorantiæ professio.

VII. Incolæ fuerunt Jebusæi; primo soli, dein Israëlitis mixti, donec David urbis potitus est.

VII. Certiora de INCOLIS dici possunt: quos in duplici fuisse scimus differentia; veteres nimirum & recentiores. Veteres *Jebusæi* fuerunt; unde & urbi nomen: qui & eandem habitarunt, sive soli, sive Israëlitis mixti, usque ad Davidis ætatem. Josua, clarissimus Israëlitarum imperator, urbem occupavit, profligato ejus rege Adonizedec; quod factum mirabili illo die, cui parem ab orbe condito nulla viderunt secula: quando nimirum sol constitit in Gibeon, & luna in valle Ajalon, neque festinaverunt ad occasum quasi diem integrum, donec vindicata esset gens Israëlitica ab hostibus suis. Jos. x. Necato rege, trucidati sunt & incolæ, civitati autem ipsi immissus ignis. Jud. 1: 8. Ita tamen, ut nec tota civitas combusta, neque omnes incolæ deleti sint. Paullo enim post Adonibezecum Bezeci regem a se captum *Hierosolymam* tanquam in suæ ditionis urbem adduxerunt Israëlitæ, ut ibi, justissima talionis lege, meritas scelerum pœnas lueret. Jud. 1: 7. Et Jebusæi eodem tempore urbis partem incolebant. Sic enim narratur Jos. xv: 63. *Jebusæos autem inhabitantes Hierosolymam non potuerunt filii Judæ expellere, sed habitabat Jebusæus cum filiis Judæ Hierosolymæ usque in diem hunc.* Quod dicitur filios Judæ non potuisse expellere Jebusæos, id quum fortissimæ & regiæ tribus gloriam plurimum obscurare videretur, Doctores Hebræi, quorum sententiam multis hic verbis explicavit *Kimchi*, non tam ad vires tribus Judæ, quam ad jus & fas referunt. Neque enim licuisse Israëlitis vexare armis Jebusæos, propter fœdus quod Abimelech

lech cum Abrahamo fecerat. Gen. XXI. Jebusæos enim fuisse Abimelechi nepotes; neque eo nomine a Canaanis filio, sed ab urbe quam incolebant, vocatos esse. Porro Davidem eo fœdere non fuisse obstrictum, quando jam tum sanguinis illa propinquitas, cui pacem securitatemque depectus ab Abrahamo fuerat Abimelechus, longiori nascendi serie esset præterita atque exstincta. At quis det Doctoribus Hebræis, quod ipsi sumunt, hos Jebusæos fuisse Abimelechi, non alios Canaanis, posteros? Omissis igitur commentis anilibus, dicamus quod res est, Judæos, sicut & plerasque alias tribus, post Josuæ excessum, sua sibi socordia obstitisse, atque etiam suis sceleribus promeritos, ne omnes ipsorum hostes pellerentur. Fortunam prosperam pollicitus fuerat Deus, si pietatem adversus se colerent; minatus etiam erat adversa omnia, si sua jussa violarent. Hæc vera hujus rei caussa est: quæ & diserte assignatur Jud. II: 20. Manserunt ergo Jebusæi, invitis Judæis, & Benjaminitis, quibus mixti longo tempore fuerunt. Jud. I: 21. & XIX: 11, 12. Donec tandem a Davide pellerentur. Totum autem hoc tempus, ex quo Josua, Hebræorum adversus Cananæos imperator, devictæ regionis agros suis divisit, post quem Israëlitæ nunquam barbaros *Hierosolymis* ejicere potuerunt, usque ad Davidis expugnationem, anni fuere quingenti & quindecim; secundum calculum *Josephi Antiq. Lib.* VII. *Cap.* III.

VIII. Poscit illa victoria Davidis, quæ memoratur 2. Sam. V. aliquam ἐπιμονήν. Urbis *Hierosolymæ* duæ erant partes: altera in montis descensu, ubi cum Benjaminitis habitabant Judæi; in summitate altera, ubi arx munitissima, Sion, quam summo cum Israëlitarum dedecore hactenus obtinebant Jebusitæ. Indignum id Davidi visum, qui totius Israëlis regno solemniter initiatus, cum omnibus copiis suis, *Hierosolymam* movet. Obsidionem moliens ridetur a Jebusæis, munitionum suarum fiducia securis, & temere dicentibus, לא תבוא הנה אם הסירך העורים והפסחים, quod vulgo vertunt, *non intrabis huc nisi removeris cæcos & claudos.* Mirum quas ex interpretatione ista fabulas congesserint Hebræorum Magistri. Somniant hos cæcos & claudos fuisse duas imagines; quarum una cæca retulerit Isaacum, cujus oculi in senectute caligabant; altera clauda Jacobum, qui uno femore claudicabat. Has imagines ore gestasse fœdus quod cum Abimelecho ejusque posteris iniverit Abrahamus, de noxa non inferenda. Prohibitum igitur vi juramenti fuisse Davidem arcem Sionis, quæ ad posteros, ut ajunt, Abimelechi pertinebat, invadere, donec captis imaginibus, iisque remotis, fœdus primum aboleretur.

VIII. Exponitur 2. Sam. V. quinam cæci & claudi fuerint, Davidem remoturi.

 Sed

Sed anilia hæc, ut modo diximus, commenta, quamvis nostrorum etiam aliquibus non displicuerint, seria refutatione indigna sunt. *Aben Ezra* itaque, contemtis istis fabulis, sensum esse vult, quem & *Belgæ* expresserunt, si moveris te ad bellum, ipsi etiam claudi & cæci impedient quo minus huc intres. Obstare quidem videtur numerus: nam הסירך singulare est, cui non respondet numerus עורים, & פסחים. Verum difficultatem hanc removit *de Dieu*, observans, usitatum esse Hebræis verbum singulare construere cum nomine plurali, quod distributive exponendum: ut mens sit, *removebit te quisque cæcorum, & claudorum.* At quinam tandem illi cæci ac claudi sunt? *Josephus* sic commentatur: *Jebusæi, clausis ad Davidis adventum portis, & in mœnibus, quotquot erat cæci vel claudi, aut alioqui mutili, in contemtum regis collocatis, dictitabant, hos ad arcendum hostem sufficere.* Alii aliter. Confer *Dougtæi Analect. Sac. Excur.* 87. p. 151. Qua contumelia irritatus David obsidionem acrius ursit: proposito præmio præfecturæ totius exercitus ei qui primo eniteretur in arcem & pervenerit בצנור, id est *ad canalem;* illum fortassis, quo aqua servabatur ad potum. Conjiciunt enim arcem superatam esse, occupatis primum, aut corruptis etiam aquis; quod & in aliis obsidionibus usu venit. *Bochartus Canaan. Lib.* IV. *Cap.* XXXVI. in hunc sensum vertit: quisquis percusserit Jebusæos, is dejiciat in alveum muro proximum, tam cæcos quam claudos Davidi maxime exosos. Porro quum omnes certatim niterentur, cupiditate summæ præfecturæ accensi, Joab, Serujæ filius, alios prævenit, & conscensa arce, a rege promissum copiarum imperium impetravit. 1. Chr. XI: 6. Hic iterum solita delirant Rabbini. Fingunt Joabum adduxisse abietem viridem, quam fixerit ad murum Sionis. Davidem vero incurvatum cacumen ejus tenerum apprehendisse: mox Joabum exsiliisse super caput Davidis, suspendisse se in arbore, indeque saltu se conjecisse in murum. Atque hoc esse quod dicit David Ps. CXLI: 5. *Percutiat me justus, benignitas erit, oleum capitis: non franget caput meum.* Deum porro demisse aliquid de celsitudine muri; atque ita Davidem adscendisse post Joabum. Huc tendere illam sacri carminis particulam: *in Deo meo transsilio murum.* Ps. XVIII: 30. Apinæ, tricæque, aut si quid vilius istis. Quis non miretur stultorum hominum περιεργίαν? Hanc tamen sua commemoratione dignam censuit *Kimchius;* non ineptus cætera Interpres. Atque hoc sermonum genere famelici populi aures pascunt miserrimi magistrorum.

IX. *Et quo tendat natum inde*

IX. Nos ad sacram historiam revertamur, ubi invenimus occasione claudorum & cæcorum istorum dictum esse; *cæcus ac claudus non est*

est introiturus in hanc domum. Quod valde torsit Interpretes. Sunt qui hinc excudunt constitutionem aliquam, qua cautum sit, ne quis cæcus aut claudus in arcem Sionis unquam intromitteretur. Apud multas gentes boni ominis caussa obtinuit, ne qui pullati, aut deformes, in conspectum regum prodirent. Idem in Davidis regia observatum esse credunt; non superstitiosi ominis caussa, sed in perpetuam rei tam memorabilis recordationem. Exceptus tamen ab hac lege est Mephiboset, quamquam valde claudus, virtute legis universalis atque æternæ, quæ pietatem, fidem ac gratitudinem jubet; & cui nulla speciali lege derogari quidquam potest. Alii putant, contineri iis verbis edictum de Jebusitis nunquam admittendis in Sionem, ubi arca Domini & templum fuit. Sed & hujus edicti exceptio in Arauna Jebusæo est; de quo mox plura. Alii conjectant, esse proverbium, vel in eum qui se jactaret in re vana; quasi dixeris, ne jacta te temere, ne idem tibi eveniat quod Jebusæis, qui in cæcis claudisque jactarunt, at frustra: vel quod usurpatum fuerit, quando accidisset quippiam quod fieri non posse credebatur: cæci & claudi jactabant Davidem non ingressurum Sionem; & tamen ingressus est. Enimvero non multum elegantiæ dicterio inesse videtur, si utrolibet exponas modo. At quis nobis veterum omnium proverbiorum, præsertim Orientalium, acumen præstet; quippe quæ non sapientibus semper, sed & vulgo suam quandoque debent originem? Fortasse tamen omnia hæc justo subtiliora sunt. Et fieri potest, ut neque edictum aliquod, neque proverbium in ea sacri sermonis pericopa sit; sed nuda ante dictorum repetitio, ut reddatur ratio qua motus David tantum victori præmium proposuerit. Quia nimirum militarem illam sarcasmi licentiam æquo animo concoquere non poterat.

edictum aut proverbium.

X. Notatu dignum est, & quod post superatam a Davide Sionis arcem *Hierosolymis* remanserit Jebusæus quidam, *Arauna*, vel *Arania*, vel *Orana* dictus, cui & *regis* nomen datur, qui ad extrema usque Davidis aream habuit in monte Moria. 2. Sam. XXIV: 23. De quo *Josephus*: *Nec prætermittendus per silentium est Orphonas, vir inter Jebusæos opulentus, cui in expugnatione Hierosolymorum parcitum est a rege, tum propter perpetuam ejus erga Hebræos benevolentiam; tum quia privato quodam officio demeritus est eum.* Sed dubito an sola viri opulentia absolvere queat magnificum *regis* elogium, quo sacer eum scriptor exornat. Credibile est, vel regem fuisse Jebusæorum, quum David urbe potiretur, at Davidi faventiorem quam procerum vel civium alii; aut devicta deditaque arce supplicem regi factum gratiam ejus meruisse; vel certe ex regia Jebusæorum familia aliquem, cui

X. Arauna, rex olim Jebusæorum, vel saltem ex regia stirpe, ad ultima Davidis Hierosolymæ mansit.

parsum sit ob caussas nobis incognitas. Qui nunc Davidi subditus ac tributarius, Israëliticæque religionis proselytus, privatam cum familia vitam degebat, non sine quibusdam pristinæ dignitatis opumque reliquiis.

XI. Ejus area Davidi vendita sacratissimus locus fuit.

XI. Porro officium illud, quo Davidem insigniter demeritum esse modo intelleximus, ita se habet: Peste ob temere numeratum a Davide populum vehementer in Israëlitide grassante, accuratis precibus obtinuit rex, ut tantæ labis diritas sedaretur. Deus igitur, admissa supplicatione, per Gadum prophetam mandavit regi, ut confestim adscenderet in aream Araunæ Jebusæi, & exstructo altari inibi sacrificaret. Paret rex; & mox se cum omni familia ad destinatum locum contulit. Arauna vero circa trituram frugum occupatus, ut regem cum famulitio accedentem vidit, occurrens adoravit eum. Et percontanti cur herus ad servum accederet, ait David, se velle aream ejus emere, ut in ea Domino altare construeret, ac sacra faceret. At ille aream, & aratra, & boves in holocautoma gratis largiri se dixit, precarique ut Deus libens ac propitius sacrificium hoc admittat. Rex vero gratam sibi ejus munificentiam professus, voluit ut pretium acciperet: iniquum enim esse de gratuitis offerre sacrificium. Non abs re fore arbitror, si paucis verbis e medio removero difficultatem, quæ morari cæteroquin sacrarum posset Lectorem literarum. In posteriori libro Samuelis Cap. XXIV: 24. proditur, Davidem *aream Araunæ, cum bobus* ad sacrificium requisitis, emisse ARGENTI SICLIS QUINQUAGINTA. At 1. Chron. XXI: 25. legitur: Davidem Ornani (qui est idem Arauna) *pro loco illo appendisse* SICLOS AUREOS PONDERE SEXCENTOS. Commodissima conciliandi ratio hæc esse videtur; ut priori loco sermo sit de sola area cum bobus, uti ipsa sacri textus verba habent; posteriori loco, de toto prædio & ambitu illius loci, quod templo & circumjacentibus atriis ac ædificiis deinceps dedicatum est; quod, quum amplum valde fuerit, sexcentis aureis siclis merito æstimatum est. Postquam igitur de pretio convenissent, aream Araunæ sibi vindicavit David, oblatisque hostiis placatus est Deus. De area hac recepta Hebræis traditio est: locum, ubi David condidit altare, fuisse eundem ubi suum condidit Abrahamus, in quo ligavit Isaacum; ubi suum condidit Noachus, egressus ex arca; ibidem fuisse altare super quod obtulerunt Cain & Abel; ibidem denique obtulisse Adamum, qui & circa illum locum creatus sit. Unde dixerunt sapientes, idem est locus expiationis, qui & creationis. *Maimonides in Beth Habbechira Cap.* 11. & *Midras Tillim fol.* 41. 2. Quorum omnium certam veritatem equidem præstare non ausim.

Id

Id constat, eundem locum deinceps consecratum fuisse ad ædificationem templi 2. Chron. III: 1. Sic ut sacerrimus totius orbis terrarum tractus hactenus fuerit in potestate hominis Jebusæi.

XII. De SITU *Hierosolymæ* generatim tenendum, non fuisse urbem inter tribus divisam, sed communem omnium Israëlitarum habitationem censitam. Hinc negant Talmudici mercede elocatas esse domos ad festa accedentibus, sed concessas gratis. Quod illustrat historiam Evangelicam Mat. XXVI: 17. Tantummodo moris fuit, ut advenæ hospiti suo relinquerent cantharum testaceum, & coria sacrificiorum, *Talm. Babyl. in Joma fol.* 12. 2. Attamen sita fuit urbs partim in hæreditate Judæ, partim in illa Benjaminis: processitque linea disterminans per ipsum atrium templi. Unde factum est ut urbs jam videatur attribui filiis Judæ: Jos. XV: 63. Jud. I: 8. rursus eadem iisdem fere verbis attribuatur filiis Benjamin; Jos. XVIII: 28. Jud. I: 21. utrisque vero simul. Neh. XI: 4. Modus autem unius urbis in duas distribuendæ tribus non eadem ratione ab eruditis exponitur. Cui lubitum est variantes eorum sententias cognoscere, adeat *Pinedam, de rebus Salomonis Lib.* V. *Cap.* V. Judæi tradunt in portione Judæ fuisse montem templi, pastophoria, & atria. In portione Benjaminis, pronaon, & templum, & Sanctum Sanctorum: prodiisseque lineam e portione Judæ in portionem Benjaminis, atque in ea conditum esse altare. *XII. Situs Hierosolymæ, respectu tribuum.*

XIII. Specialius sciendum, talem fuisse situm *Hierosolymæ*, ut distincta fuerit in civitatem superiorem, ædificatam in monte Sion, & inferiorem in monte Acra. At operæ erit hæc quoque ex *Josepho* accuratius cognoscere. *De Bello Jud. Lib.* V. *Cap.* XIII. vel *Lib.* VI. *Cap.* VI. *Civitas*, inquit, *trino muro circumdata erat, nisi qua vallibus inviis cingebatur: ex ea namque parte unius muri habebat ambitum. Et ipsa quidem supra duos colles erat condita, contrariis frontibus semet inspicientes, interveniente valle discretos, in quam domus creberrimæ desinebant. Collium vero alter, quo superior civitas sedet, multo est excelsior, & in prolixitate directior; adeo ut, quoniam tutus erat, castellum a David quondam rege vocaretur; a posteris autem forum superius. Alter autem, qui appellatur Acra, inferiorem sustinet civitatem, & undique declivis est.* *XIII. Respectu urbis partium.*

XIV. Denique specialissime inquirendum, an Sion, an altera urbis pars ad Aquilonem situm suum habuerit. Quod uti antiquitus, ita & hodie disputatur. Doctissimus *Lightfootus*, cum plerisque Hebræornm, & multis Christianis, Sionem ad Aquilonem locat. His potissimum inductus argumentis. I. Ps. XLVIII: 3. הר ציון ירכתי צפון *Gaudium totius terræ est mons Sion a latere boreali.* Ubi *Aben Ezra*, *XIV. Mons Sion an ad Aquilonem.*

Ezra, צין בצפון ירושלם *Mons Sion est a latere Hierosolymæ septentrionali.* Et *Lyranus*: *Mons Sion est in aquilonari parte Jerusalem.* LXX. ὄρη Σιὼν τὰ πλευρὰ τοῦ Βοῤῥᾶ. *Apollinar.*

ὄυρεα τοι Σιῶνος ἀπὸ πλευρῆς βορέαο.

II. Quum propheta Ezechiel novam *Hierosolymam* in visione prospicit, dicit se *stetisse in monte alto valde, juxta quem erat quasi structura civitatis ab Austro.* Ezech. XL: 2. In quem locum *Kimchius*: *Locavit me super montem excelsum valde. Iste erat mons templi. Nam templum condendum erat in monte, sicut ante. Et civitas Hierusalem propinqua ei est ab Austro.* *Lyranus*, post recitatam nonnullorum istius commatis explicationem, & rejectam, *ideo*, inquit, *Hebræi dicunt, & melius, ut videtur, quod Propheta duo viderit, civitatem & templum: & quod templum erat in parte aquilonari: civitas autem in parte australi.* III. Ex *Josepho* etiam se neque pauca, neque obscura habere putat, eodem ducentia. Is enim regiam, domum Asmonæorum, & xystum in urbe superiori collocat, & alibi monet, ea fuisse ad Aquilonem. Vide sodes *Lightfootum Centur. Geograph. Matthæo præmissa Cap.* XXII. XXIII. Et *Descript. Templ. Hierosf. Cap.* IV. Eandem sententiam tuetur *P. de Veil.* Vide *Fascicul. Tom.* VI. *p.* 48.

XV. *An ad Meridiem.* XV. At contra disputat *Coccejus* in Ps. XLVIII. argumentis partim ex Psalmo ipso, partim ex *Josepho* petitis. Verba Psalmi ita interpretatur, ut tres urbis partes distincte laudari existimet: quæ sunt I. Mons Sion. II. Latera Aquilonis. III. Civitas Regis magni. Mons Sion, est urbs superior, urbs Davidis. Latera Aquilonis, urbs inferior, ex valle Turopœῶν, sive Casearıorum, in duas altitudines collium Acræ & Bezethæ adsurgens, olim minori capacitate, posterioribus temporibus amplificata. Eam κλίμα βόῤῥον, & τὰ προσαρκτικὰ τῆς πόλεως *Josephus* sæpe appellitat. Civitas Regis magni, est mons domus Domini, Moria. *Josephum* porro prolixe allegat: & ad mentem suam erudite παραφράζει. Post *Coccejum* eandem sententiam quasi ex fundo eruit, & ampliter exposuit ac tutatus est vir clarissimus, *Campegius Vitringa*, in *Libris de Templo Ezechielis Tom.* I. *Cap.* IV. Neque diffiteor eorum argumenta potiora videri. At ferre non potui temerariam juvenum quorundam confidentiam, qui, quamvis nihil de hac materia explorati haberent, nisi quod dictantem forte audiverant magistrum, ita tamen hanc caussam agebant, etiam pro suggestu Ecclesiastico, quasi secus sentientes, inque iis *Belga* Interpretes cum sua versione & notis, pudendæ in Chorograpia Judaica inscitiæ damnati, vix ullum puerili propemodum errori prætextum invenirent: quamvis eandem ante ipsos sententiam amplexi sint *Abulensis*,

lensis, *Forsterus*, *Avenarius*, *Mercerus*, *Marinus*, *Calvinus*, *Piscator*, aliique, citra controversiam eruditissimi, sine numero. Nimirum sic solent, qui uno contenti magistro ab illius ore pendent; ad ejus unius admirationem, & aliorum ἐξυθενισμόν male edocti. Qui vero aliorum quoque doctorum virorum considerationes audire, rerum momenta librare, & rationes cum rationibus conferre assuefacti sunt, ii lentiore procedunt gradu: omnium eruditioni suum statuunt pretium; ac si quid determinandum est, cum verecundia id faciunt, procul omni dissentientium contemtu. At hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Qui plura ac distinctiora de veteris *Hierosolymæ* situ desiderat, consulat, si vult, *Ariam Montanum*: nobis enim minutiora nunc prosequi non licet.

XVI. *David urbem splendidis ædificiis auxit.*

XVI. Urbem a se occupatam splendidissimis ædificiis auxit David, & ex oppidulo civitatem toto orbe celeberrimam effecit. Ex quo enim *Hierosolymæ* sedem sibi regiam optavit, indies magis ac magis res ei ex voto successere; Deo providente, ut ea urbs, quam sacrorum sibi destinaverat domicilium, egregiis accessionibus incluta redderetur. Per idem tempus Hiramus, Tyri rex, legatione in hoc missa, in amicitiam ac societatem Davidis est receptus: misitque ei dono materiam cedrinam, & fabros atque architectos, qui regiam ei *Hierosolymis* exædificarent. David autem superiorem urbis partem, & arcem in ea conditam, in unum corpus redegit, cingendumque eisdem munitionibus Joabo demandavit, civitatique novæ a se ipso nomen dedit. Amplitudo regiæ, & substructionum eo pertinentium, colligi quodammodo potest ex numero prætorianorum, quos excubias ibi egisse credibile est. Illi vero fuere VICIES ET QUATER MILLENI, cum præfecto & tribunis suis. 1. Chron. XXVII: 1. & XXVIII: 1. De his *Josephus Antiq* VII: XI. *Totas copias suas in duodecim partes digessit, eisque tribunos, centuriones ac præfectos assignavit. Continebat quæque pars millia viginti quatuor: voluitque ut singulis mensibus stationem agerent circa regiam, una cum tribunis suis & centurionibus: & cuique suum ducem præfecit, virum justum ac spectatæ pietatis.* Unde claret, regnante Davide *Hierosolymam* urbem amplissimam, munitissimam atque opulentissimam fuisse. *Hierosolyma est optime constructa civitas, quæ plane coagmentata est inter se pariter.* Ps. CXXII: 3. *Circuite Sionem, & cingite eam: numerate turres ejus. Apponite animum vestrum ad præmunitionem: attollite oculos ad palatia ejus; ut enarretis generationi posteræ.* Ps. XLVIII: 13, 14.

XVII. *Atque incredibiles in ea opes collegi*

XVII. Non injuria dixi, urbem opulentissimam quoque fuisse: de qua commentantem juvat audire *Budæum*. *De Asse Lib.* IV. *p.* *mihi* 366. *Vidimus*, inquit, *supra*, *summas Persarum opes centum & octoginta*

millia talentum fuisse post Darium victum, quibus oportet septem millia addere, quæ Darius Ecbatanis fugiens secum in tumultu rapuit, ut auctor est Arrianus, & iis rursus conjectura addere sumptum ejus belli. Historia autem Regum dicit, David habuisse argenti mille millia talentum, id est decies centena millia, & auri centum millia, quæ minima computatione mille millia talentum auri valent. Ita fit UT DECIES MAJORES FUERINT DAVIDIS OPES QUAM DARII. *Existimo autem & Persicum talentum & Hebraicum idem cum Babylonio fuisse talento: qua ratione, summa sexta parte augeretur. Quare fidem res illa habitura non videtur hominum sensu, etiamsi auctoritati sacrosanctæ id creditur.* Hactenus *Budæus.* Nos singula propius lustremus. Opulentiam urbis haut aliunde melius æstimaveris, quam ex immensa illa opum vi quam David & proceres coacervarunt ad structuram templi. David se in afflictione sua collegisse narrat AURI TALENTA CENTIES MILLE, & ARGENTI DECIES CENTIES MILLE TALENTA: præter LAPIDES PRETIOSOS, æs & ferrum quibus non erat pondus. 1. Chron. XXII: 17. & XXIX: 2. Quibus addi debent alia TER MILLE TALENTA AURI ex auro Ophiris: & SEPTIES MILLE TALENTA ARGENTI purgatissimi. ib. comm. 4. His accessere ex spontaneis procerum oblationibus AURI TALENTA QUINQUIES MILLE, & DRACHMARUM MYRIAS; & ARGENTI TALENTA DECIES MILLE: ut de lapidibus pretiosis, ære & ferro nunc nihil dicam. comm. 7. & 8. Quæ si nostris numerentur calculis, mirum auditu erit, quantam conficiant summam. Eam autem non uno modo putant viri harum rerum periti. Nonnulli talenta Hebræorum in triplici fuisse differentia tradunt, vel *Vulgaria*, vel *Sanctuarii* in duplo pondere, vel *Regia* proportionis inter talentum *Sanctuarii* & *Vulgare* mediæ. Quo talentorum discrimine observato, ex *Josepho*, quid summa superior efficiat, sic colligunt. Talentum aureum pendebat C minas. *Joseph. Antiq. Lib.* III. *Cap.* VII. Mina constabat duabus libris cum dimidia. *Lib.* XIV. *Cap.* XII. Libra communis est XII unciarum. Singulæ ergo minæ æquiparantur triginta unciis: quarum unaquæque VIII aureis nummis æstimatur. Ideoque talentum Sanctuarii aureum valebit XXIV mille aureis. Quos si ducas in VIII millia talenta auri & X mille aureos, quod Davidem cum proceribus sponte obtulisse intelleximus ex 2. Chron. 1: 4, 7. prodibunt 192010000 aurei, sive 192 MILLIONES CUM X MILLE AUREIS. Adde XVII mille talenta argenti; quorum singula quum æquiparantur CCC siclis; siclus vero tetradrachmo seu dimidio aurei Rhenani, ut *Budæus* de re nummaria annotat; illa XVII mille talenta argenti pendebunt 2550000 aureis, seu XXV MILLIONIBUS. Verum

hæc ſumma, quamvis maxima, parva tamen eſt præ immenſis theſauris quos antea coacervaviſſe legitur David 1. Chron. XXII: 17. Centena videlicet millia talentorum auri, & millena millia talentorum argenti, quæ efficiunt 3900000000 aureos, ſeu TER MILLE ET NONGENTOS MILLIONES. Hos adde ad ſuperiores 192 & 25 milliones, & prodibunt 4117 MILLIONES; ſeu XLI MILLE ET CLXX TONNÆ AURI. Computatio hæc iſtis nititur hypotheſibus, quod talentum ſanctuarii duplo majus ſit talento vulgari, & quod, quum de rebus ad ſanctuarium pertinentibus agatur, talentum ſanctuarii, ſi uſpiam, hic intelligi debeat. Cæterum quum hypotheſis illa de talento ſanctuarii duplo admodum incerta, & probabiliter falſa ſit, uti alibi oſtendimus: age, dimidiam ſumito ſummæ ſuperioris partem, & habebis XX MILLE ET DLXXXV TONNAS AURI. Alios ſupputandi modos vide apud *Caſparum Waſerum de antiquis numis Hebræorum Lib.* II. *Cap.* XVIII. *Edovardum Brerewoodum de numis Hebr. Cap.* IV. *Baillium Oper. Hiſt. & Chronol. Lib.* 1. *p.* 57. *& Goeree Antiquitatum Judaicarum T.* II. *p.* 1570.

XVIII. Mirum autem merito videri poſſet, unde tam repente Davidi, qui ex opilione rex factus fuerat, tam incredibilis opum affluentia. Eam ipſi multiplex conciliavit felicitas & rarus Numinis favor. Veras ac naturales divitias eſſe quæ ex PASTORITIA & AGRICULTURA petuntur, *Ariſtoteles* docuit *Polit. Lib.* 1. *Cap.* V. Fuit autem tractus ille orientalis, in quo ſita Cananæa eſt, ob ſolis ſolique virtutem, agris & pecoribus feraciſſimus. Hinc ampliſſimæ atque uberrimæ orientalibus Principibus agrorum pecorumque poſſeſſiones. Nam uti magna regalis Ægyptiaci patrimonii pars agricultura conſtabat; ita & patrimonium Hebræorum regum jam inde a Saule in eadem re conſtituitur. 1. Sam. VIII: 12, 14. Agriculturam vero ampliter admodum exercuit David: ita ut præfectos habuerit exercentibus opus ruſticum; ac vinitoribus & proventui vinearum, theſaurisque vini; item cultoribus olearum & ſycomororum, ac theſauris olei; item armentis paſcentibus in Saron & per convalles; item camelis & pecudibus: omnibus denique theſauris inde provenientibus, qui erant in agro, in reliquis civitatibus, & in pagis ac turribus. 1. Chr. XXVII: 25—31. Multum præterea collegit ex TRIBUTIS exterarum gentium, quas armis ſubjugaverat: & earum quidem ditiſſimarum. Quales erant Moabitæ, Syri Sobæ, Damaſceni, Idumæi, Amalecitæ, 2. Sam. VIII. & Ammonitæ, atque univerſi reges Syrorum trans Jordanem, & Philiſtæi. 2. Sam. X: 19. Illi omnes fuere ſervi Davidis, *adferentes munus.* 1. Chr. XVIII: 6. Quod a tot regibus regniſque collatum,

XVIII. *Quarum fontes indicantur.*

latum, amplissimum esse oportuit. Porro magnum Davidicarum opum caput in pulcherrimis pretiosissimisque HOSTIUM EXUVIIS fuit. Propitio enim Marte pugnavit semper, idque non conductitio milite, sed suis & voluntariis copiis, quæ ne teruncio quidem constabant. Pugnavit autem vicies, totidem clarissimis partis victoriis a regibus regnisque conterminis; & jugulatis multis barbarorum opulentissimorum millibus. Considera hic spolia opima aurea, (nam argentea vix in pretio) inaures, periscelides, enses, scuta, arcus, pharetras, reliquamque auream armaturam, qua ex more seculi ornati fuere: præsertim seni illi reges, de quibus triumphavit. Adde prædas captarum urbium, auri, argenti, æris refertissimarum. In quibus præter magnam auri & argenti copiam æris genus repertum fuisse quod auro pretiosius haberetur, auctor *Josephus* est *Antiq. Lib.* VII. *Cap.* VII. Conf. I. Chr. XVIII: 7, 8, 10. & XX: 2. Quibus accesserunt manubiæ aliarum urbium Asiaticarum, in provinciis venarum auri & argenti, atque fluminum etiam auriferorum feracissimis. Hæc & alia fortassis his similia, at nobis minus explorata, insigni Numinis favore, in unum coeuntia, incredibilem opum copiam conciliare Davidi potuerunt.

XIX. *De quibus, post inæstimabiles impensas, plurimum superfuisse tumulo condendum, auctor Josephus est.*

XIX. Quibus de suo *Josephus* addit, cui tamen prudens Lector pro arbitrio habeat vel demat fidem, præter ea quæ ornandæ urbi, tuendæque auctoritati regiæ, atque aliis regni usibus impensa sunt, ingentem auri molem a Salomone tumulo Davidis esse conditam. Sic enim narrat *Antiq. Lib.* VII. *Cap.* XII. *ad finem. Tantas præterea divitias hæredi reliquit, quantas nullus alius rex vel Hebræorum vel aliarum gentium. Sepelivit autem eum filius Solomon Hierosolymis magnifice, præter solennia illa in regum funeribus, illatis etiam in monumentum ejus maximis divitiis, quarum magnitudinem facile sit conjectare ex hoc quod dicemus. Nam post annos* MCCC. *Hyrcanus pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu obsidionem solveret, nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Davidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit, sicut & alibi indicavimus. Ac rursum post multos annos elapsos Herodes rex alia cella aperta magnam pecuniam sustulit; ad loculos tamen, qui regum cineres continent, neuter eorum pervenit: singulari enim arte ita erant sub terram conditi, ut ab ingredientibus monumentum inveniri nequirent. Sed de his hactenus dixisse sufficit.* Conf. *Lib.* XVI. *Cap.* XI.

XX. *Priscæ opes ex nostra pau-*

XX. Hæc quidem neque probare nunc neque refellere habeo. Non tamen, quia maxima sunt, idcirco incredibilia nobis videri debent.

bent. Pusilli animi est ex nostra paupertate priscas opes æstimare. *pertate æstimandæ non sunt.* Quod qui faciunt, (imperite sane!) illi in omni historia Assyriaca, Persica, Romana, continuo invenient a quo veluti monstro refugiant. Pulcre illud in *Admirandis* ostendit *Lipsius*: ex quo unum nunc excerpere libet, quod moderando stupori nostro sit. *Lib.* II. *Cap* VII. *Basilius* Imp. (vixit sub annum Christianum DCCC, imperio jam tenui, diviso, valdeque minuto) a *Zonara* scribitur *implesse totum ærarium, & ipsos aditus viasque, pecuniis confertim stipatis. Habuit*, inquit, *in thesauris* DUCENTA MILLIA *talentum auri. Nam alterius pecuniæ* NEC NUMERUS *iniri poterat: adeo ut* TERRÆ EAM INFODERET, *arariis aut repositoriis ubique repletis. Quin & ARCULAS habuit lapillis gemmisque pretiosis plenas, quum aliis, tum illis quæ candent. & quas margaritas proprie appellamus.* Ad quæ *Lipsius*: *In quibus verbis* DUCENTA ILLA MILLIA TALENTUM AURI, *quid reddunt? ipsos* MILLE ET DUCENTOS MILLIONES. *Ubi nunc argentum illud infinitum & innumerum? Ego non arbitror infra, imo supra, aurum fuisse. Ubi gemmæ & lapilli in arculis; itidem æquasse.* At valeat cum suis opibus *Byzantium*: nos *Hierosolymam* revertamur.

XXI. Cui nullum unquam majus ornamentum accidere potuit quam illo immensæ opulentiæ TEMPLO, quod a Davide meditatum, a Salomone magno animo cœptum & consummatum est: quodque iis quæ septem mundi miracula dicuntur non adnumerari solum, sed & cunctis præferri meretur. Quippe in quo cum incredibili materiæ copia ac pretio Divina quædam constructionis ars certavit: ut pro absolutissimo Architectonices exemplo a viris harum rerum peritis laudatum sit. Meliori jure quam quo *Sebastianus Serlius* Pantheon *Agrippæ*, cujus adhuc corpus (etsi ornamentis omnibus spoliatum) Romæ exstat, pro unico exemplari consummatæ Architecturæ habendum censuit. Nec mirum: auctorem enim ipsum habet Deum, qui totius ædificii formam, cum omnibus partibus, cunctoque apparatu, sua manu accuratissime delineatam, scriptoque comprehensam, Davidi tradidit. Quam sapientissimus quotquot unquam exstiterunt mortalium, Salomo, summa cura atque diligentia ita exsecutus est, ut nulla in re ab eo quod sibi Divinitus præmonstratum erat discesserit. *XXI. [illegible] unquam augustius Hierosolymitano Templo fuit.*

XXII. Quandoquidem autem in re sacratissima nihil humani præter solam operam intervenire par erat, locum etiam designavit Deus ubi tantæ molis ædificium struendum foret. Eum Davidi, multa nequicquam animo volventi, ostendit. Nimirum *elegit Jehova Sionem, & expetivit pro habitatione sua, dicens: Hæc est requies mea* *XXII. Cujus locum ipse designavit Deus.*

usque in sempiternum: hic habitaturus sum, quia hoc expetiveram. Ps. CXXXII: 13, 14. SIONEM autem quum dicit Deus, quod dixit frequentissime, non eum nominatim montem intelligit qui strictiori vocis usu ita nuncupatus est, in quo Jebusæorum arx fuerat, & ubi suam David regiam struxerat: sed vel totam urbem *Hierosolymam*, vel universum illum tractum montanum variis collibus constantem. Is enim collis, quem sanctissimo usui destinaverat Deus, MORIA dicebatur, in quo aream Araunæ Jebusæi fuisse, ubi altare Deo ædificaverat David, ad propitiandum Numen, & sistendum grassantis pestilentiæ furorem, supra vidimus. 2. Chr. III: 1. *Deinde incepit Salomo ædificare domum Jehovæ Hierosolymis in monte Moriæ, ubi apparuerat Davidi patri ipsius; in loco quem paraverat David in area Ornanis Jebusæi.*

XXIII. *Partim in portione Judæ, partim in portione Benjaminis situm.*

XXIII. Is vero montis hujus situs erat, ut pars ad tribum Judæ, pars ad tribum Benjaminis pertineret. Unde templum utrique tribui ex æquo adscribitur. De tribu Judæ canitur Ps. LXXVIII: 68, 69. *Eligens vero tribum Judæ, montem Sionis, quem diligat, ædificavit simile excelsis palatiis sanctuarium suum.* De tribu Benjaminis prædixit Moses Deut. XXXIII: 12. *Dilectus Jehovæ habitet secure cum eo, protegat eum quotidie, & inter humeros ejus habitet.* Nimirum maxima pars atriorum erat in tribu Judæ; sed altare, porticus, & sanctissima templi pars, ubi arca reposita fuit cum Cherubinis, in portione Benjaminis.

XXIV. *Magnificentia Templi stupenda.*

XXIV. Non est mihi animus de incomparabili hoc ædificio particulatim differere; quod a viris eruditissimis summa cum diligentia & accuratione factum est. Volumen integrum ea res exigeret; cui hic non nisi exigua mediocris exercitationis pars concedi potest. Hoc solum dicere liceat: vix quidquam tam grande, tamque augustum, animo concipi posse, quod Divinæ hujus regiæ magnificentiam atque opulentiam æquet. Quæ quodammodo colligi possunt, ex OPIBUS quas David contulit, & quibus suas addidit Salomon; ex MULTITUDINE OPERARIORUM: & ex TEMPORE quod ædificationi impensum est. OPES illæ quam immensæ fuerint; ac propemodum incredibiles, modo supputavimus. Nunc addo *Edovardi Brerewodi* observationem ex *Libro de ponderibus & pretiis veterum numorum Cap.* VI. *Si ex solido argento, inquit, fuissent integri templi parietes & pavimenta; si ex auro solido tectum integrum, & præter interiorem parietum cælaturam, omne quodcunque interius ejus supellectile fuisset conflatum; illi tamen acervi pro opere & operariis non suffecissent tantum, verum longe superassent. Consideravi enim quam potui diligentissime dimensiones, &*

cum

cum ea auri atque argenti mole in solidam massam conflata comparavi, & calculis subductis, hanc supra illam multum excrevisse reperi. Unde in eam cogitationem prolapsus est vir doctissimus, talentum longe alia notione in libris Chronicorum quam in libris Mosis usurpari: quod quum ab omni ratione abhorreat, (habemus enim 1. Chron. XXIX: 7. talenti fractionem in decem millia drachmarum: qua observatione omnis ansa tali supterfugio præscinditur.) nihil restat quam ut tam incredibilem opulentiam stupeamus. OPERARIORUM quibus Salomo usus est numerum putat *Vilalpandus* excessisse QUADRINGENTIES MILLENOS. At fortassis more suo immensum auget. 2. Chr. II: 17. numerantur peregrini CENTIES QUINQUAGIES TER MILLE SEXCENTI. Accesserunt Tyrii, quorum ingentem quoque numerum fuisse colligitur ex commeatu quem pollicitus iis est Salomon. ibid. vers. 10. His omnibus PRÆFECTI fuerunt TRICIES MILLE ISRAELITÆ 1. Reg. V: 13. Atque hæc tam ingens operariorum multitudo ordine exactissimo, diligentia summa, sub oculis & ductu regis sapientissimi, operi jam diu a Davide præparato integrum impendit SEPTENNIUM. Non potuit igitur non omni ratione augustissimum fuisse id in quo amplificando concurrerunt quæcunque maxima sunt in orbe terrarum.

XXV. Absoluto ac dedicato templo, egregiis urbem ædificiis Salomon exornavit, tam privatis, quam publicis. Sibi quidem privatim struxit domum, quæ patris regiam nimium quantum superaret. 1. Reg. VII: 1. An tres distinctæ domus fuerint, quarum prima *domus regis,* altera *domus saltus Libani,* tertia *domus reginæ* diceretur; an una continua domus, a diversis sui partibus & usibus diversimode appellata, disputant Interpretes. Item unde *domus saltus Libani* ita dicta, & ubi sita fuerit. Scriptura legenti vix suggerit claram ac distinctam horum ædificiorum ideam; minus hic accurata quam in delineatione templi. Neque mihi lubet singula minute exsequi: quod factum est a *Pineda: de rebus Salom. Lib.* V. *Cap.* VI. At non erit, opinor, injucundum Lectori speciem aliquam oculis suis objici, qualem exhibuit *Josephus Antiq. Lib.* VIII. *Cap.* II. Ea sic habet: regia vero tametsi multum magnificentiæ templi cederet, quod neque materia ejus tanto ante præparata fuisset, & regi, non Deo strueretur domicilium, eo tardius ad finem est perducta. Et hæc tamen pro dignitate fortunarum regis ac gentis est exædificata. Operæ pretium autem fuerit totum ejus ordinem ac dispositionem indicasse, ut ex ejus descriptione totam amplitudinem Lector colligere ac considerare possit. Basilica erat magna & pulchra, multis columnis suffulta, quam ad caussas forenses agitandas & lites decernendas condidit, capacem multitudinis, quæ

XXV. *Regia Salomonis.*

eo

eo jus peteret, longam cubitos centum, latam quinquaginta, altam triginta: hanc sexdecim columnæ quadrangulæ sustinebant, tectam opere *Corinthiaco*, additis parilibus postibus cum valvis cælatis ad ornamentum loci simul & munimentum. In ejus medio fuit ædes alia, quadrata, lata triginta cubitos, columnis validis suffulta: & in ea tribunal magnificum, ubi rex jura solebat reddere. Huic ædificio conjuncta erat domus in usum reginæ facta, & aliæ aulæ, quo se negotiis peractis animi causa conferebant: omnes cedrinis tabulis constratæ, partim saxo quadrato decemcubitali constructæ, partim ita, ut solent regiæ vel templa, incrustatæ pretioso marmore, quod e locis eo nomine celebribus apportatum fuit. Et tribus quidem ordinibus aulæis *Babylonicis* prætexebantur: quartus vero sculptorum admirabile artificium ostentabat, in quo effictæ erant variæ arborum ac plantarum species, frondibus & foliis tanta subtilitate expressis, ut agitari quodammodo viderentur. Reliquum vero quod superat usque ad lacunar, opere albario tectum, & discoloribus picturis erat variegatum. Præter hæc erant & alia cubicula ad voluptatem facta; & porticus ad ornatum regiæ longissimæ, in quibus splendidissima triclinia referta auro, ut quæ aurea supellectili ad omne regii convivii ministerium erant instructissima. Difficile est enumerare amplitudinem ac varietatem aularum, tam majorum quam mediocrium, tum quæ sub terra latebant, quæve in aerem elegantissime attollebantur. In summa totum ædificium e marmore candido & cedro, & auro atque argento constabat, dispositis per parietes & laquearia variis lapillis auro inclusis, quemadmodum & in ornatu templi factum fuerat.

XXVI. *Annona diurna regiæ familiæ.*

XXVI. Amplitudini domus amplitudo regiæ familiæ respondit; quæ colligi quodammodo potest ex quotidiana annona, ab ipso Dei Spiritu memorata. Quantam enim eam hominum multitudinem esse oportuit, cui in dies singulos præparabantur *triginta cori simila, & sexaginta cori farinæ, deni boves pingues, & viceni boves pascuales, & centenæ pecudes, præter cervos, & capras, & damas, & lectissima quæque altilia.* 1. Reg. IV: 22. Mirum autem est quantum in subducendo hominum quibus hæc suffecerint numero varient Interpretes. *Sethus Calvisius* putat QUINQUAGINTA QUATUOR MILLIA, quæ *Salianus* per errorem ad septuaginta millia auxit, ut probabiliorem sibi ridendi materiam objiceret: existimat enim, panem, qui quotidie dabatur ad annonam Salomonis, duobus millibus & septingentis admodum cibandis suffecisse: carnem etiam pani proportione respondisse. *Vilalpandus* inter duo hæc extrema medium tenet: pugnatque ea sustentari potuisse QUADRAGINTA OCTO MILLIA cum SEXCENTIS.

Verum

Verum hanc ego litem meam non facio; id genus supputationum parum peritus.

XXVII. Certum est maximum fuisse Salomonis in omni apparatu splendorem. Fecit enim sibi ducenta scuta fusilia singula sexcentos siclos pendentia, & trecentos clypeos, quorum singuli trecentas minas penderent: atque hæc omnia in aula *Saltus Libani* vocata reposuit. Sed & pocula ex auro solido paravit, & e lapide pretioso, in usum convivii singulari arte fabrefacta, reliquamque omnem supellectilem regiam ex auro fieri curavit. Nullum enim tum argento in commerciis erat pretium. Multa enim navigia rex in mari, quod vocatur *Tharsicum*, habuit, quæ ad remotas gentes merces varias deferre jussit, pro quibus exportatis & argentum regi referebant, multumque eboris, & mancipia Æthiopica, & simias. Ea navigatio in itu ac reditu triennium integrum absumebat. Fama etiam celeberrima per omnes circumquaque regiones de Salomonis virtutibus ac sapientia divagabatur: qua exciti plerique reges, quo certiores de jam dictis fierent, visendi ejus cupidine flagrabant, & exquisita munificentia studiosos ejus se declarabant. Mittebantur vasa tam aurea quam argentea, & vestes purpureæ, & omne genus aromata: equi prætereà currusque, & muli subvehendis sarcinis, qui vel robore vel pulchritudine regi placituri videbantur: ut ad eum equorum & curruum numerum, quem jam ante habuerat, ex donatitiis quadringenti currus accederent. Habuit enim prius currus mille, equorum viginti millia; hi cum pulcherrimi fuere, tum ad cursum excitatissimi, ut, collati ad cæteros, omnes post se relinquerent. His decus addebant equites, flos juventutis, procera statura, promissoque capillitio conspicui, & tunicas e Sarrana purpura induti. Ad hæc ramentis auri capillum quotidie aspergebant, ut ad solarium radiorum contactum fulgor e capitibus eorum reflecteretur. Hi armati & pharetris succincti regium currum stipabant, quo sublimis invectus, amictus veste candida, mane solebat urbem egredi. Aberat ab *Hierosolymis* duorum schœnorum spacio prædium nomine *Hettan*, hortis & inductis fontibus amœnum simul ac opulentum. In eum locum vectari delectabatur. XXVII. *Illiusque splendor.*

XXVIII. Cæterum in tanta urbis amplitudine ac opulentia nihil ei augustius accidit, quam quod CIVITAS MAGNI REGIS, id est summi Numinis, fuerit; qui *ignem suum Sione & furnum Hierosolymæ habuit.* Jes. XXXI: 9. Atque hæc ea res est in qua serio exsultaverunt sancti. *Solium gloriæ, excelsum inde a principio, est locus Sanctuarii nostri.* Jer. XVII: 12. *Deus est in palatiis ejus, agnoscitur* XXVIII. *Jerusalem civitas Dei.*

pro loco edito. Quemadmodum audiveramus, ita vidimus in civitate Dei nostri, Deus stabilit eam in seculum usque maxime. Ps. XLVIII: 4, 9. *Diligit Jehova portas Sionis, supra quam ulla tabernacula Jacobi. Honorificentissima sunt quaecunque de te praedicantur, civitas Dei summe honorifica.* Ps. LXXXVII: 2, 3.

XXIX. *Typus Ecclesiae, tam in gratia, quam in gloria.*

XXIX. Enimvero omnis illa pulcritudo atque opulentia tam urbis quam templi, & umbratica illa Dei in utroque habitatio, majorum rerum typi fuere. Significabatur enim status Ecclesiae Testamenti Novi, cujus Divina quaedam pulcritudo & opulentia in iis sita thesauris est, quorum cunctae Davidis ac Salomonis plus quam regiae gazae non nisi opacae fuerunt umbrae; quaeque gaudet inhabitatione Dei, non typica, sed vera ac reali, per Christum & Spiritum S. cum communicatione inaestimabilis gratiae & gloriae. Haec est illa spiritualis ac coelestis *Hierosolyma*, de qua dixit Deus: *Ecce ego collocaturus sum cum ornamento lapides tuos, & fundaturus te saphiris. Et disponam pyropo specularia tua, & portas tuas lapidibus carbunculi; denique totum terminum tuum lapidibus speciosissimis.* Jes. LIV: 11. Iterumque: *Gloria Libani ad te perveniet; abies, taeda, arboresque opacae pariter; ad ornandum locum Sanctuarii mei, ut locum pedum meorum cohonestem. Pro aere adducam aurum, & pro lignis aes, & pro lapidibus ferrum: & praeponam tibi praefectos pacis, exactoresque justitiae tibi.* Jes. LX: 13, 17. Haec est illa civitas sancta, *Hierusalem* nova, quam vidit *Johannes* descendentem a Deo e coelo, paratam ut sponsam ornatam viro suo. Habentem gloriam Dei: & cujus lumen simile lapidi pretiosissimo, tanquam lapidi jaspidi, instar crystalli splendenti. Habentem murum magnum & sublimem ex jaspide, & fundamenta muri ornata omni lapide pretioso, & portas duodecim ex totidem margaritis, & plateas ex auro puro tanquam vitro pellucido; ubi ipse Dominus Deus omnipotens & Agnus pro templo est. Neque civitas ista eget sole vel luna, ut luceant in ea: nam gloria Dei illustrat eam, & lucerna est Agnus. Apoc. XXI. Quae omnia, in mystica sua significatione, partim exhibuit, & partim ita exhibiturus est Deus, in Ecclesia sua melioribus temporibus reservata, ut tamen plenum sui complementum summumque tantae felicitatis apicem sortiantur in coelis: qui & ipsi *mons Sion, civitas Dei vivi, & Hierusalem caelestis,* nuncupantur. Hebr. XII: 22.

XXX. *Multum decessit Hierosolymae sub regno Re-*

XXX. Ita natura comparatum est, nullius ut magnae civitatis diu eodem loco stet fortuna. Pervenerat sub Salomonis regno ad summum felicitatis *Hierosolyma.* Neque jam ultra fuit quo exsurgeret ejus magnitudo. Quare incrementis consumtis, restabat uti fati

lege

habeami; quando solius Judæ metropolis facta est.

lege decresceret, iretque in pejus. Id quod profecto longe est in conditione rerum humanarùm miserrimum. Florentissima itaque urbium, cui David Salomoque, summa virtute atque prudentia reges, pacem altâm & securam confecerant, haut diu quiescere potuit. Etenim, defuncto Salomone, etsi hostem foris non habebat, tamen domi reperit. Jeroboamus vir sagax, inquietus, & dominandi avidus, ingentisque spei plenus, res novas moliri cœpit. Fultus igitur optimatum favore, ac studio vulgi, qui, sua sponte contumax adversus imperantes, levi momento ad rebellionem impellitur, specioso prætextu, onera pridem populo imposita minui petiit. Rehabeamus, Salomonis filius atque successor, spreto seniorum consilio, quos longa ætas, & negotiorum usus idoneos dandis consiliis fecerat, (qui uno suadebant ore, ut unius diei obsequio firmum ac diuturnum mercaretur imperium) ab æqualibus, rerumque imperitis instigatus, fendociter respondit; minimum suum digitum crassiorem fore lumbis patris: intensurum se gravitatem jugi: patrem flagellis, se scorpionibus in eos animadversurum; atque [illegible] domiturum istam querendi petendique contumaciam. Non potuit Jeroboamo optatior subnasci occasio. Denæ enim ex duodenis tribubus, tam trucibus exasperatæ responsis, secessione a domo Davidis facta, lubentes se Jeroboamo, egregio nimirum libertatis vindici, submisere. Is regni potitus, Sicimam condidit in montanis Ephraim, quam regiam esse voluit. Atque ita *Hierosolyma*, quæ nuper totius Israëlitici regni metropolis fuerat, non nisi duarum tribuum metropolis mansit. Quod grande fuit dignitatis decrementum.

XXXI. H subacta ac spoliata a Sisaco, Ægypti rege.

XXXI. At nec intra hos terminos nobilissimæ urbis calamitas stetit. Rehabeamo enim legem Dei relinquente, quinto regni anno, Sisac Ægypti rex cum ingentibus copiis adversus *Hierosolymam* movit, munitissimis Judæ civitatibus, ipsam imperii arcem obsessum venit. In tanta rerum trepidatione rex proceresque *Hierosolymæ* consultum duxerunt, potius quam extrema experirentur, Ægyptio se submittere, urbisque deprædationem magna auri vi redimere. Cui quum ea quæ in promtu erant ex ærario publico non sufficerent, thesauri domus regiæ, imo, quod miserrimum, thesauri domus Dei, præsenti necessitati impendi debuerunt. Et quæ Salomonis majestatem tam splendide decoraverant scuta aurea, ea Sisaco cessere: pro quibus ærea substituere coactus est Rehabeam. Adeo fluxa & incerta res opum possessio est. Quam civitatem Salomon omnibus fortasse, quæ tunc erant totius orbis urbibus, argento, auro, gemmis effecerat ditiorem; eam vix uno elapso lustro ex auro æream effe-

 cit

cit improba Ægyptiorum rapacitas. Quibus omnibus ne contumelia deesset, columnas passim Sisacus disposuit, in queis, fœdum dictu, incisa mulierum verenda erant: si modo huc referre liceat, quæ de Sesostre narrat *Herodotus*.

XXXII. *Varia abhinc Hierosolymæ fata, usque ad excidium Babylonicum.*

XXXII. Nunquam abhinc ad pristinæ opulentiæ culmen adscendere *Hierosolyma* potuit: sed variis agitata fatis, nunc maximis pressa angustiis, alias tolerabiliori neque spernenda conditione fuit. Abia Rehabeami filius, eductis in aciem CCCC millibus, Jeroboamum duplo majoribus copiis instructum, ingenti prælio fudit; ut uno die (quod mireris, nec facile in profana invenias historia) QUINGENTIES MILLIA selectorum virorum cæderentur. 2. Chron. XIII: 17. Asa, disciplina militari instaurata, & oppidis passim munitis, MILLENA MILLIA ÆTHIOPUM uno prælio delevit, ingentique reportata præda *Hierosolymam* locupletavit. 2. Chron. XIV. Josaphati etiam res satis amplæ fuerunt, victis hostibus, quos eo solum fine ex opulentissimis regnis, cum divitiis suis, in Judæam excivisse Divina videtur providentia, ut dilecto sibi regi populoque cederent: qui onusti hostilibus spoliis læti cantantesque *Hierosolymam* rediere. 2. Chron. XX: 25. At longe alia rerum facies sub Amasia fuit, qui ex bono pessimus factus, a Joaso Israëlitarum rege, quem imprudenter ac temere provocarat, victus, fusus, captus, omnique thesauro, tam suo, quam quod dicatum Jehovæ erat, exspoliatus, templum ornamentis suis destitutum, urbem *Hierosolymæ* expugnatam, direptam, & magna mœniorum suorum parte nudatam vidit. 2. Chron. XXV: 22-25. Melioribus fatis regni sui initio usus Usia est, qui multarum urbium expugnator, multarumque gentium victor, damna *Hierosolymæ* resarcivit. 2. Chron. XXVI: 5.-- Uti & filius ipsius Jotham. 2. Chron. XXVII. Sub Achazo magna fuit angustia: adeo quidem ut, contra quam jussus erat, Jes. VII: 4. Tiglatpilassarem Assyriorum regem in auxilium sollicitaverit. Sed ab ipsis illius copiis pressus, obsidione cinctus, & ad omnes sacros regiosque thesauros prodendos coactus est. 2. Chron. XXVIII: 20, 21. At Ezechiæ pietatem magna domi forisque felicitas excepit. Nam & victos Palæstinos ad Gazam usque fugavit: deinde vim, minas & blasphemias Sennacheribi, regis Assyriorum, solis precibus fregit. Unde tanta ei conciliata est auctoritas, ut multi adferrent munus Jehovæ *Hierosolymam*, & res quasque pretiosissimas ipsi donarent regi; donec Divinorum oblitus beneficiorum, ob fastuosam thesaurorum ostentationem, pœnas suis olim nepotibus immittendas denunciari audivit. 2. Chr. XXXII. Manasses, fœdata omnibus sceleribus & innocen-

innocentium sanguine repleta *Hierosolyma*, a rege Assyriorum captus, & Babylonem deportatus est. Sed seriam in vinculis agens pœnitentiam, dimissus, templo & cultu Dei repurgato, collapsa quoque urbis mœnia reparavit, excitatis turribus altissimis. 2. Chron. XXXIII: 14. Josias, nulli regum pietate secundus, quidquid antecessorum impietas corruperat, in cultu Dei ipsoque templo, accuratissime restauravit, inventos forte legis libros in publicum protulit, novoque inter Deum & populum fœdere sancito, sibi quidem diuturnam incolumitatem, at non populo, aut urbi salutem impetravit: Hulda prophetide monente, sententiam, quam pridem Deus adversus contumaces pronunciaverat, nullis supplicationibus posse rescindi. Filius Josiæ Joasus, nescio ob quam caussam fratribus reliquis prælatus, vix tribus mensibus rerum summæ præfuit: quem Ægyptiorum rex Pharao Necho a bello revertens amovit, vinctumque in Ægyptum abduxit, imposita regioni mulcta centum talentorum argenti, & unius talenti auri. Surrogatus ei a Pharaone Eliacim, alter Josiæ filius, qui mutato nomine Jojakim dictus est, malitioso fuit ingenio, erga Deum impius, & immitis erga homines: maxime in prophetas sæviens instantia urbi mala prænunciantes.

XXXIII. Adversus hunc expeditionem suscepit Nebucadnetzar, Nabopolassari filius, & paterni imperii consors. Qui profligatis Ægyptiis, commoditate inductus loci, *Hierosolymam* invadit, ante quadriennium ab Ægyptiis subjugatam. Hoc tempore Daniel, cum sociis, & parte vasorum templi, deportatus est. Jojakim tamen se fidei Babyloniorum committens in regno mansit. At post tres servitutis annos deficere a Nebucadnetzare ausus, in vinculis abductus fuit Babylonem. 2. Chr. XXXVI: 6. quo tamen non videtur pervenisse; sed in itinere mortuus, vel projectus est in via, vel leviter terra obtectus, nec deplanctus, atque ita sepultura asini sepultus. Jer. XXII: 18, 19. Tunc cum Jojakimo deportavit Nebucadnetzar Judæos ter mille viginti tres. Jer. LII: 28. Jojakimo patri suffectus Jechonias, trium duntaxat mensium & totidem dierum rex, obsessa *Hierosolyma* sponte exivit, seque & matrem & principes & aulicos in potestatem regis Babyloniæ tradidit. Qui eo tempore præstantissimos quosque Judæorum deportavit, sola populi fæce relicta. 2. Chr. XXXVI: 10. Novissima clades, ipsumque adeo urbis excidium, in Zedekiæ regnum incidit. Zedekiæ, inquam, qui Jechoniæ patruus erat, eique a Nebucadnetzare in successorem datus. Nam vilissimi illi Judæorum, qui in terra sua remanserant, illius possessione superbi, se solos ut verum Abrahami semen jactabant, exsules autem ut profanos atque impu-

XXXIII. *Quod quatuor gradibus absolutum est.*

impuros adspernabantur. Ezech. XXXIII: 24. Et usque adeo quidem hac sibi cogitatione placebant, ut rebellaverit Zedekias contra Nebucadnetzarem, missis in Ægyptum legatis, rogatum ut equos sibi & milites darent. Ezech. XVII: 15. utque cum regibus vicinis, Edomi, Moabi, Ammonis, Tyri & Sidonis, per legatos ipsorum venientibus *Hierosolymam*, contra Nebucadnetzarem fœdera iniret. Jer. XXVII:I. Nebucadnetzar itaque, ubi novis motibus ardere Palæstinam videt, nihil cunctandum ratus, priusquam gentium inter se robora coirent, venit cum exercitu valido in Judæam, arcem belli *Hierosolymam* obsidet, impugnat, diruit, templum incendit, populum partim occidit, partim abducit. Regis filii ante oculos ipsius trucidantur, ipsi oculi eruuntur; vinctusque duabus numellis chalybeis in Babyloniam deportatur. 2. Reg. XXV. Jer. LII.

XXXIV. *Annus excidii difficilis putatus est.*

XXXIV. Hunc exitum habuit *Hierosolyma*, & respublica Judæorum. Cujus casus in quem annum inciderit, variant Chronologorum calculi. *Josephus* sic tradit *Antiq. Lib.* IX. *Cap.* XI. Incensum est templum annis postquam exstructum fuerat elapsis CCCCLXX, mensibus sex & diebus decem additis. Exactis a transmigratione ex Ægypto MLXXII, mensibus sex, diebus decem. A diluvio usque ad templi devastationem intercesserunt anni MDCCCCL, menses sex, dies decem. Ab Adamo condito usque ad hunc templi casum tria millia annorum elapsa sunt, & insuper DXIII, menses sex, dies decem. At hos *Josephi* numeros mire turbatos esse, pridem viri doctissimi observarunt: qui tamen non uno omnes modo correxere. *Sethus Calvisius* casum *Hierosolymæ* refert ad annum mundi MMMCCCLX, incensionem templi ad annum a conditu CCCCXXVII. Cui consentit *Christianus Schotanus*. *Petavius* vult urbem expugnatam esse anno Periodi Julianæ 4125. anno mundi 3395. ante Christum 589. *Jacobus Cappellus* numerat annum mundi 3410. ante Christm 590. *Usserius*, annum mundi 3417. ante Christum 587. Templum destructum vult, postquam a Salomone conditum est, An. 424. mens. 3. die 8. *Robertus Bailius* destructionem templi refert ad annum mundi 9360. at inter constructum & destructum templum numerat annos 492. pag. 58. col. 2. sed pag. 75. cum *Scaligero* & *Calvisio* annos 427. Alii aliter. Mihi non lubet ad calculos sedere, & in re perplexa nihil profutura molestia animum fatigare: quum tanta diligentissimorum virorum discrepantia exactum annorum numerum inveniendi difficultatem propemodum insuperabilem arguat.

XXXV. *Rerum humanarum*

XXXV. Suffecerit hæc cognovisse in latitudine quadam: & exinde animadvertere, quam brevis fuerit dilecti Deo populi felicitas,

quam

um exigua electæ urbis exoptatæque ædis duratio, denique quam abilia sint mundana omnia, quorum æterna cæteroquin fundanta populi iniquitate quatiuntur. Ut hominibus singulis adolestia sua, robur, senecta, mors; sic & oppidis, rebuspublicis, res. Incipiunt, crescunt, stant, florent: & omnia ideo, ut cadant. mira, & nunquam satis comprehensa mortalibus, Divini Numiconstitutio; Abeunt omnia in hunc nascendi pereundique fatalem um: & longævum aliquid in hac machina est, nihil æternum. : hic rerum in se remeantium orbis, quam diu erit ipse orbis. Nes vero putet, temerario fortunæ lusu, aut Stoica nescio cujus necessitate, hæc contigisse *Hierosolymæ*, provida Dei sapientia mie cavit: dum quidquid eventurum fuit, non unius vatis ore lto ante prædixit. Habuitque sine dubio sanctissimi istius consilii justas rationes. Indignum suis se criminibus præstiterat populus laicus, qui pulcherrimam ac feracissimam terrarum, qui amœnissim urbium & Dei ipsius inhabitatione sacram, sibique in cœlestis riæ pignus clementissime concessam, diutius incoleret. Ut indoam lascivientis animi ferociam moderari disceret, alio transferri ratam gentem oportuit; ubi, quantum inter benignum Optimi minis regimen sævorumque dominorum tyrannidem intersit, exiundo cognosceret. Sic interim ut procul patria per remotos dirsa populos non justitiæ solum, sed & cæterarum virtutum Diviam lucidissimum exstaret speculum: eaque occasione Deus Israëlis omni portentosorum operum suorum gloriosa majestate potentisis Monarchis & mundi dominis innotesceret ac celebraretur. At ue inultum iis transmitti debuit, qui ignari quidem Divinæ in retarium populum vindictæ flagella fuerunt; at suis tamen obsecunant affectibus, insanæ ambitionis mancipia, non quid Israëlitæ de meruissent, sed quid suæ inserviret gloriæ, unice pensi habentes. illa Babylon, quæ conculcata *Hierosolyma* nunc triumphat, exat, superbit, mox præda hostibus fiet: & quæretur denique in suo, non invenienda. Verum de his sequenti Exercitatione comdior erit dicendi locus.

inconstantia constanti Dei providentia regitur.

EXER-

EXERCITATIO XI.

HISTORIA

HIEROSOLYMÆ,

Ab urbe restituta

Usque ad

EXCIDIUM PER ROMANOS.

BREVIARIUM.

I. Pauci Judæi qui stragem Hierosolymitanam effugerunt, in tres distributi sunt classes. II. Aliqui refugium apud vicinas gentes quæsiverunt. III. Alii in Judæa relicti, abierunt in Ægyptum, ibi perituri. IV. Præcipui deportati sunt Babylonem: at numero valde exiguo. V. Ubi multa exsilii levamina Divina iis providentia concessit. VI. Non sic tamen, quin Sionis recordatio infandum renovaret dolorem. VII. In exsilio Babylonico, sub trium regum dominatione, annos exegerunt LXX. *VIII. Qui varie a variis putantur. IX. Lightfooti sententia admodum probabilis. X. Jacobi Altingii computatio. XI. Ejus examen. XII. Redeundi in patriam, & templum reædificandi facultatem Israëlitis fecit Cyrus. XIII. Suppeditatis in eam rem rebus necessariis, redditisque templi instrumentis. XIV. Numerus cum Zerubbabele redeuntium: sublata computationis difficultate. XV. Plurimi varias ob caussas Babylone restiterunt. XVI. Reduces templi ædificationem orsi anno Cyri secundo. XVII. At sæpius impediti, consummarunt tandem anno sexto Darii. XVIII. Ezras mores reformatum venit. XIX. Nehemias urbem ædificat; eique de incolis prospicit. XX. Politia reducum quatuor periodis variata. XXI. Initio tributarii fuerunt regibus Persarum. XXII. Suis tamen institutis vivere licuit, sub Præsidibus ex sua gente. XXIII. Quibus suberant minorum ordinum varii Magistratus. XXIV. Magna semper auctoritas Pontificis fuit.*

XXV.

XXV. Ejus rei memorabile in Jaddo exemplum est; cui plurima indulsit Alexander. XXVI. Hierosolyma sub Ptolomæis, XXVII. Sub Antiocho Magno, & Seleuco Philopatore. XXVIII. Sub Antiocho Epiphane. XXIX. Cujus tyrannidi fortiter ac feliciter se opposuit Judas Maccabæus. XXX. Celebrata ejus auspiciis encænia: quæ cur festivitas luminum dicta fuerint. XXXI. Antiochi Epiphanis mors, tyranno digna. XXXII. Bella Judæ Maccabæi cum Antiocho Eupatore: ejusdemque Judæ gloriosa mors. XXXIII. Cui in ducatu successit frater Jonathas. XXXIV. Huic alter fratrum, Simeon: qui populum Macedonum jugo prorsus liberavit: impie in convivio cæsus. XXXV. At Johannes Hyrcanus patris necem ulciscitur. XXXVI. Multaque prospere agit, Divino etiam dignatus colloquio. XXXVII. Aristobulus primus ex gente Asmonæa rex; sed unius duntaxat anni: impius & infelix. XXXVIII. Alexander Jannæus regnum relinquit florentissimum. XXXIX. Sed quod filiorum ejus Hyrcani & Aristobuli contentionibus stipendiarium Romanis sit, Pompejo urbem in potestatem suam redigente. XL. Quæ variis acta fatis Herodem tandem regem a Romanis accipere coacta est. XLI. Cui, quum propinqua interitui videretur, salutem suam debuit. XLII. Exitus familiæ Asmonæorum. XLIII. Herodes, quamvis Judæorum rex, mancipium tamen Romanæ magnitudinis fuit. XLIV. Regiam Hierosolymis exstruxit opulentissimam. XLV. Arcem templo adsitam renovavit, & Antoniam vocavit. XLVI. Muros etiam urbis, quum aliis modis, tum tribus insignibus turribus munivit. XLVII. Porro theatrum Hierosolymis exstruxit. XLVIII. Denique immensæ opulentiæ templum. XLIX. Cui structuram 46. annis continuatam adscribunt Judæi Joh. 11:20. L. Non est Herodis templum pro tertio & prorsus novo habendum. LI. Eximiis ornatum fuit donariis. LII. In quibus excelluit vitis aurea. LIII. Templo adjacebat curia Synedrii magni. LIV. Mirabilis piscina Bethesda, cur sic dicta. LV. Ubi sita, & an fuerit piscina Siloam. LVI. Ejus vis curandi miraculosa fuit. LVII. Non naturalis. LVIII. A quo tempore vis illa aquæ huic adfuerit, incertum. LIX. Gomarus laudatus. LX. Iniquum foret ob Josephi aliorumque silentium fidem Johannis in dubium vocare. LXI. Regimen Hierosolymæ sub Archelao: quo remoto Judæa in provinciam redacta, & Syriæ adtributa est. LXII. In qua mutatione viri docti observant characterem Chronicum nati Messiæ. LXIII. At minus solide. LXIV. Pulso Archelao Judæa sub Procuratoribus Romanis fuit, numero septem. LXV. Donec Cajus Herodem Agrippam regno avito donaret. LXVI. Quod confirmavit auxitque Claudius, vulgato etiam notabili edicto in favorem Ju-

daicæ nationis. LXVII. Agrippæ acta, indoles, & mors memorabilis. LXVIII. Præterito Agrippa Juniore, defuncti filio, Cuspium Fadum Judææ Procuratorem VIII *facit Claudius. LXIX. Fado successit Tiberius Alexander, Philonis Judæi frater. LXX. Huic Cumanus Ventidius: sub quo 20000 Judæi uno tumultu Hierosolymis perierunt. LXXI. Eum secutus Claudius Felix: cujus tempore invaluit Junioris Agrippæ in Judæa auctoritas. LXXII.* XII *Procurator Portius Festus fuit: quo Præside Agrippa rex domum, unde prospectus in templum esset, struxit Hierosolymæ. LXXIII. Albinus* XIII *Procurator Ananum Pontificem, Jacobi Apostoli interfectorem, vehementer increpat. LXXIV. Gessius Florus, ultimus Procurator, incendiarius belli Judaici. LXXV. Ejus belli summa, & exitus. LXXVI. Finis Hierosolymæ, sexies captæ, bis dirutæ. LXXVII. De qua subacta Titus cum patre Vespasiano triumphavit. LXXVIII. Numismata Vespasiani, Titi, & Agrippæ. LXXIX. Cujus sorori Berenice Titus nuptiarum spem Romæ fecisse fertur. LXXX. Hierosolymæ excidium iræ Dei adversus Judæorum scelera Titus & Josephus imputant. LXXXI. Maximum autem scelerum fuit crucifixio Jesu. LXXXII. Hinc sapienter Deus ita pœnas ordinavit, ut in iis evidentissima hujus criminis exprobratio esset. LXXXIII. Oratio ad Jesum pro reconciliatione gentis Judaicæ.*

I. Pauci Judæi, qui stragem Hierosolymitanam effugerunt, in tres distributi sunt classes.



QUi cladem *Hierosolymæ*, totiusque adeo Reipublicæ, effugere Judæi, pauci oppido fuerunt; reliquis fame, peste, feris, gladio, miserabilem in modum absumtis. Eleganti emblemate eam rem Ezechieli præsignificaverat Deus, jubens ut demessos novacula tonsoria capitis & barbæ pilos, & justi ponderis trutinæ impositos, in tres æquales partes divideret: tertiamque partem igne combureret in civitate, alteram tertiam partem percuteret gladio, reliquam vero tertiam partem dispergeret in ventum, ibi quoque exserto gladio Divinæ vindictæ persequendam. Sic tamen ut inde paucos numero exciperet, in alis suis ligandos; ex istis vero paucis aliquos in ignem comburendos projiceret, unde ignis exiturus esset in totam domum Israëlis. Ezech. V: 1. & seq. Et sane, *nisi Jehova exercituum reliquos quosdam superstites fecisset*, utcunque paucos, tota Judæorum natio *Sodomæ ac Gomorræ facta fuisset quam simillima.* Jes. I: 9. Pauci vero illi in tres quasi classes distributi sunt. Alii gentis suæ calamitatem præsentiscentes, matura sibi ad vicinas nationes fuga consuluerunt. Aliqui in terra sua relicti fuerunt, ut tugurium in vinea &

tegillum

tegillum in cucumerario. Alii denique captivi abducti in Babyloniam.

II. Aliqui refugium apud vicinas gentes quæsiverunt.

II. Quibus Nebucadnetzaris, Judæam occupantis, arma evadere datum est, ii refugium sibi apud *Edomitas*, *Moabitas*, *Ammonitas*, & fortasse apud *Tyrios* ac *Sidonios*, & circumjacentes populos, quæsivere. Sed exsilii istius sui incommodas plerumque sedes nacti sunt. Invisi quippe hospites sannis potius ac ludibriis, quam commiseratione & humanitatis officiis, excepti fuerunt. Miserorum malis barbaræ gentes præpostere insultabant; ea, quantum in ipsis, adaugentes. Quam feri pectoris immanitatem, toties a Prophetis severo sermone exprobratam, sua tandem servitute luendam habuerunt: ab eodem Nebucadnetzare exspoliandæ, vincendæ, destruendæ, ac terra sua evellendæ; ut quos super Judæorum excidio improbe petulanterque fuderant cachinnos, eos nunc pari involutæ calamitati tempestivis planctibus threnisque mutarent.

III. Alii in Judæa relicti abierunt in Ægyptum, ibi perituri.

III. Sed & tenuissimos aliquot de populo, vilem plebeculam, cui nihil erat, quibus tamen mistæ fuerunt regis filiæ, reliquit *Nebusaradan*, præfectus satellitum Nebucadnetzaris, in vastata funditusque excisa Judæa, ad colendum qui supererant agros & vineas: præfecto iis *Gedalia* filio *Ahicami*, qui Babylonici Monarchæ nomine res administraret. Quod quum audivissent, duces quidam Judæi, qui in agris erant, cum suis militibus, (profugerant enim ex oppidis, quæ servare se posse desperabant) *Ismaël* nimirum, *Johanan*, & *Jonathan*, cum aliis nonnullis ad *Gedaliam* se recipiunt; ac fide jure jurando data admittuntur. *Jeremias* etiam, regis Babyloniæ jussu benignissime habitus, *Gedaliæ* se applicat. Quidquid præterea Judæorum ad *Moabitas*, *Ammonitas*, vicinasque gentes confugerat, ad eundem se contulerunt. In iis fuit *Ismaël Nethaniæ* filius, regiæ prosapiæ princeps, a *Baaliso Ammonitarum* rege missus ad obtruncandum *Gedaliam*; sive ex invidia, sive quod miserrimi populi reliquias majoribus cuperet implicitas ærumnis. Trucidatur itaque *Gedalias*, nihil mali suspicans, & cum ipso, præter Judæos aliquot, Chaldæi. *Ismaël* post alia scelera, cum reliquiis populi, & filiabus regiis, properat in *Ammonitidem*. Sed interceptus a *Johanane*, vix cum octo viris evasit. *Johanan* cæterique duces, metu Chaldæorum, fugam moliuntur in *Ægyptum*: nequidquam dissuadente Jeremia; Deique nomine prænunciante, futurum esse ut reliquiæ in *Ægypto* exsulantes gladio, fame, peste perimantur; pauculis exceptis, qui in optatam Judæam evasuri sint. Quod & eventu comprobatum est. Nebucadnetzar enim rebus in Palæstina compositis *Ægyptum* occupavit; totam-

que cædibus, rapinis, deportationibus exhausit & vastavit; & Judæos ibi inventos, una cum Ægyptiis, abduxit *Babylonem*. Atque ita terra Judæ, cultissima nuper terrarum, incolis omnibus destituta, sentibus vepribusque horrens, receptaculum facta ferarum est: nisi quod ex vicinis gentibus quidam particulas sibi quasdam conterminas vindicaverint. Jerem. XII: 14. Ezech. XXXVI: 4, 5.

IV. Præcipui deportati sunt Babylonem: at numero valde exiguo.

IV. At *Babylonem* deportata, mox post urbis cladem, præcipua Judaici populi pars fuerat. Numero tamen tam exiguo, ut propemodum incredibile dictu sit. Summam confecit Jeremias. *Cap.* LII: 28, 29, 30. Deportavit Nebucadnetzar anno septimo Judæos *ter mille viginti tres*: anno decimo octavo, *octingentos triginta duos*: anno vicesimo tertio, *septingentos quadraginta quinque*: omnes in universum, *quater mille sexcentos*. Prima harum deportationum facta videtur quando *Jechonias* se suaque omnia, post trimestre regnum, ex consilio Jeremiæ, tradidit Babylonio. 2. Reg. XXIV: 12, 14. Ibi quidem sacra historia tradit, deportatos tunc fuisse *decies mille captivos*: qui numerus ita frangitur, ut fuerint viri robusti & strenui *septies mille*, fabri lignarii & ferrarii *mille*; reliqui *bis mille* videntur fuisse magnates & aulici regis, de quibus vers. 14. Ratio autem hæc cum Jeremiæ calculo conciliandi ista est: ut septem millia ex his statuantur fuisse ex tribu *Benjaminis* & aliis urbibus Judæ; at tria millia *Hierosolymitanorum*: quorum indicem solum scribere creditur Jeremias. Secunda deportatio facta est quum regnante *Zedekia* caperetur urbs. Tertia quinquennio post, in illud tempus incidere videtur, quum Nebucadnetzar *Tyrum* occupasset, & vicinos *Ammonitas*, *Moabitas*, *Idumæos*, *Syros* subegisset: inter quos Judæi fugitivi deprehensi, & Babylonem abducti sunt. Antecesserat & alia deportatio, quarto anno *Jojakimi*, qui primus Nebucadnetzaris. Dan. I: I. Sed quum tunc selecti tantum juvenes, regii generis, in Chaldæam abducti sint, ut regi a ministeriis aulicis essent, secundum comminationem, Jes. XXXIX: 7. ea deportatio in censum hic non venit. Sic tandem quidquid de populo Judaico residuum erat in Chaldæam variis itineribus migrare coactum est. Et mirari hic subit Divinæ justitiæ severitatem; qua florentissima olim natio, quæ sub Asæ imperio in aciem eduxerat QUINGENTIES ET OCTUAGIES MILLE VALENTES ROBORE, 2. Chron. XIV: 8. ad tantam nunc redacta paucitatem est, ut vix DUODECIES MILLE superstites numerare queat.

V. Ubi multa exsilii levamina Divina

V. Attamen deploratum hunc Judæorum statum, ne prorsus interiret, clementi oculo Divina adspexit rexitque providentia: reliquias quasdam, quæ ad semen sufficerent, adservando: sicut per Eze-

Ezechielem & Jeremiam repetitis aliquoties vaticiniis promiserat. Ezech. v: 4. XII: 16. XIV: 22, 23. Jer. XXIV: 5, 6. XXX: 11. XLVI: 28. Neque permisit, quod eorum desperabundi quidam animo præceperant, ut vetitis profanarum nationum connubiis, ejusdemque cum ipsis abominandi cultus participatione, Israëlis nomen in peregrinis gentibus absorberetur. Effecit autem missis ad exsules Prophetis, ut, quanquam in medio nationum dominantium, extra terram Canaan, habitarent, manerent tamen populus peculiaris, & instituta legis, quantum in exsilii loco licebat, observarent. Ezech. XX: 32, 33. Principes quoque suæ nationis viros iis concessit; qui magna præditi auctoritate, intimæque apud Nebucadnetzarem admissionis, res ipsorum summa fide ac pietate curarunt. Quod ingens sane levamen calamitatum erat. Sed & clemens plerique habuerunt exsilium: ut quæstioni sobolis, ædificandis domibus, plantandis hortis ac vineis, Deo jubente, incumbere licuerit ac libuerit. Jer. XXIX: 5, 6. Et quamvis multi, tam severe castigati, a pristina morum pravitate non recesserint; alii tamen implemento prophetiarum illuminati, deque veritate earum convicti, sincera criminum pœnitentia ducti, ad Deum se converterunt, cum precibus & lacrumis. Exspectantes atque anhelantes ad audiendum verbum Dei de annis & exitu captivitatis: eoque fine Scripturas scrutantes, si quam inde consolationem, speive fulturam, reportarent.

iis providentia concessit.

VI. Fieri interim non potuit, quin recordatio Sionis, nunquam piorum mentibus elapsa, infandum sæpenumero renovaret dolorem; lætis templi canticis in lugubres lessos miserabiliter conversis; citharisque suspensis ad salices apud flumina Babyloniæ. Hinc illa Divinæ vindictæ imprecatio in *Idumæos*, qui voverant, & *Babylonios*, qui patraverant, tam diram dilectissimæ patriæ cladem. Ps. CXXXVII.

VI. Non secus tamen, quin Sionis recordatio infandum renovaret dolorem.

VII. In isthoc rerum statu, sub *trium regum* dominatione, *septuaginta* annos exegerunt. Jer. XXVII: 7. Tres illi reges in Scriptura memorantur, *Nebucadnetzar*, ejus filius *Evilmerodach*, & nepos *Beltzazar*. Profanæ historiæ fragmenta plures numerant, & in iis aliquem etiam *Nabonidochum*, nulla, ut *Abydenus* ex *Megasthene* apud *Eusebium* habet *Præpar. Lib.* IX. *Cap.* XLI. consanguinitate aut affinitate cum Nebucadnetzare junctum. *Josephus Antiq. Lib.* X. *Cap.* XII. reges Babyloniæ sic disponit: *Nebucadnetzar*, *Evilmerodach*, cui post octavum decimum regni annum successerit *Niglisar* filius, regnaturus annos quadraginta: continuata deinde successione ad *Lobosordachum* filium regnum pervenerit: apud quem quum novem tantum mensibus hæsisset, post mortem transierit ad *Baltasarem*, qui Babylo-

VII. In exsilio Babylonico, sub trium regum dominatione, annos exegerunt LXX.

niis *Naboandel* dictus sit. Atque hunc esse cui bellum intulerit *Cyrus* Persarum rex, & *Darius* Medorum. Sic non tribus, sed quinque Babyloniæ regibus, servierint Judæi. Verum difficile est, si non ἐκ τῶν ἁπλῶς ἀδυνάτων, exoticam regum & rerum Babylonicarum historiam cum sacra conciliare: & quidquid aliis videatur, ego facile in eam inducor sententiam, improbo id labore molientibus vix ullum constiturum operæ suæ pretium. Mihi quidem hac in parte animo lubet esse securo: quippe qui plenissime persuasus sum, sacra nostra volumina, seposita etiam Divinæ αὐθεντίας fide, quum omnium antiquissima sint, optima ac certissima rerum isthoc tempore gestarum esse monumenta; ideoque cæteris omnibus *Berosi*, *Megasthenis*, aliorumque fragmentis immensum quantum anteponenda. Quibus quantum quisque volet pretium statuat, modo id sine depretiatione sacrarum fiat literarum.

VIII. Qui varie a variis putantur.

VIII. At nec LXX anni captivitatis & vastitatis *Hierosolymæ*, quoad sui initium & finem, eodem modo a Chronologis putantur. Versatur nunc in eruditorum manibus doctissimi viri *Johannis Vorstii* Exercitatio Academica, qua prolixe in hanc rem inquiritur; & sex præcipuæ sententiæ de initiis ac finibus hujus periodi examinantur. Ipse vir doctus eam eligit, quæ statuit LXX annos cœpisse *tertio* vel *quarto* anno *Jojakimi*. Jer. XXV: 17, 18. collat. cum vers. 1. desiisse autem *vigesimo* aut *vigesimo primo Cyri*, qui illius *primus*, respectu Monarchiæ Babylonicæ, in Scriptura dicitur. Inter quos terminos quomodo LXX anni inveniantur, magna accuratione ostendit §. XX. & seq. *Spanhemius* noster Canonem Babylonicum cum Canone Scripturæ S. convenire sic ostendit. Ab anno I. *Nebucadnetzaris*, seu a IV. *Jojakimi*, ad excidium Urbis sub *Zedekia* colliguntur anni 19

Hinc ad *mortem Nebucadnetzaris*, secundum Canonem 24

Tunc anni *Evilmerodachi*, filii Nebucadnetzaris 2

Hinc *Neriglisari*, affinis prioris, incluso aliquot mensium regno *Labor-Assarchadi*, anni 5

Dein *Nabonadii*, qui & *Labynethus*, nepotis Nebucadnetzaris, *Nitocri* matre, qui plerisque ille *Belthasar*, anni 17

Tum, sive ad *captam* a *Cyro Babylonem*, post occisum *Belthasarem*, seu verius a capta Babylone *ad mortem Darii Medi*, qui videtur fuisse socer & avunculus *Cyri*, nempe *Cyaxares Medus*, anni 2

Exsurgunt ad primum *Cyri* exclusive anni 69

IX. Lightfooti sententia admodum probabilis.

IX. At omnes hæ supputationes hoc habent, quod reges aliquot Babyloniæ numerent ex historia exotica, quos historia sacra non agnoscit, imo quos Jeremiæ vaticinia videntur excludere. Quippe quibus

quibus *Hierosolymæ* cæterisque vicinis gentibus septuaginta annorum servitus denunciata est, non nisi sub trium regum dominatione exigenda, Nebucadnetzaris, & filii ipsius, & nepotis ex filio. Quos quum in Scriptura suis expressos nominibus inveniamus, quumque eorum imperia tam fuerint, vel saltem esse potuerint, diuturna, ut eum conficiant numerum annorum, cur, nimia exoticorum, ne sibi quidem ipsis consentientium, veneratione ducti, operam abutimur? Meo quidem animo magis allubescit *Lightfooti* calculus, *Chron. Temp. T. V.* qui Nebucadnetzari tribuit annos *quadraginta quinque currentes*, Evilmerodacho *viginti tres*, & Belthasari *tres*.

X. Eodem modo numerat *Jacobus Altingius in Jer.* LII : 30. Verum is existimat, distinguendam esse *geminam periodum* LXX annorum: quarum altera sit *dominationis Nebucadnetzaris*, quæ ipsi, filio, & nepoti a Deo fuit data, eripienda per alia regna, Medorum nempe & Persarum; quæque ita se, uti modo dixi, habeat: altera vero *vastationis Hierosolymæ*; quæ cœperit occupata ultimum *Hierosolyma*, extendaturque usque ad initium *regum Persiæ*. 2. Chron. XXXVI : 22. Regum autem Persiæ putat non immediate excepisse *mortem Belthasaris*, sed *regnum Medicum*. Dan. VI: 1, 19. IX: 1. Nam quod unum annum *Dario Medo* adsignant, id refelli putat iis quæ Dan. VI. narrantur: quippe quæ tam brevi spatio fieri non potuerint. Talem itaque facit computationem. Ab anno Nebucadnetzaris 18. completo usque ad ejus mortem, anni 26

X. Jacobi Altingii computatio.

Evilmerodachi anni	23
Belthasaris anni	3
Darii Medi, post dominatum Nebucadnetzaris eversum, anni	18
Qui omnes conficiunt vastationis annos	70.

Hos excipit regnum Cyri, ejusque edictum de libero Judæorum in patriam reditu.

XI. Cæterum geminæ hujus periodi distinctio non videtur esse necessaria, neque in sacris literis fundata. Nam quo tempore cœpit *servitus Judææ*, cæterarumque gentium, eodem cœpit *vastitas Hierosolymæ*. Cœpit autem illa anno IV regis Jojakimi. Sic enim exstat Jer. XXV: 11. *Eritque tota illa terra vastationi & desolationi: ac servient gentes istæ regi Babyloniæ septuaginta annis.* Viden' vastitatem terræ, & servitutem gentium eadem temporis periodo includi? Ne dubites faciunt disertissima verba commatum 17. & 18. *Itaque sumsi illud poculum e manu Jehovæ, ut bibendum darem omnibus istis gentibus ad quas mittebat me Jehova. Hierosolymæ, & civitatibus Judææ, regibus ejus, &*

XI. Ejus examen.

& principibus ejus, tradendo eos vastitati, desolationi, sibilo & maledictioni, כיום הזה SICUT EST DIES HIC. Quo autem tempore hæc a Jeremia dicta sunt? Id docet comma 1. *Verbum quod fuit ad Jeremiam contra totum populum Judæ anno quarto Jojakimi.* Apparet igitur eo anno jam exstitisse חרבה ושמה *vastitatem & desolationem.* Nimirum quoad sui initium. Nam *Jojakimo* in vincula conjecto, vasa aurea ex templo *Hierosolymitano* deportata, & in Beli fanum translata fuere. 2. Chron. XXXVI: 6, 7. Deportati etiam tunc temporis sunt nobilissimi juvenes, regibus & proceribus nati. Dan. I: 3. Solet autem Scriptura calamitatis initia & progressum in eodem temporis intervallo collocare. Præterea non video, qua auctoritate, quave probabili ratione, post eversam Monarchiam Babylonicam, tot annos *Dario Medo* vir doctissimus tribuat. *Cyrus Persa* junctus fuit *Dario Medo* in expeditione adversus Babylonem: pariterque in regimine Monarchiæ, postquam eam obtinuerunt. Unde Jesaias describens hostes Babylonis repræsentat *currum cum pari equitum.* Jes. XXI: 7, 9. exclamatque, *Ascende Elam, obside Madai.* comm. 2. Et Daniel prodigiosam illam in pariete scripturam ita interpretatur, ut partitum Babyloniæ imperium *Medis* simul & *Persis* tradendum fuerit. *Medus* autem primum memoratur, quia *Cyrus Dario*, ut avunculo ac socero suo, eum tribuerat honorem, ut ipsius nomine initio res regerentur, dum ipse aliis negotiis intentus victorias suas persequebatur. Ea certe quæ Dan. VI. narrantur intra biennii spatium confieri facile potuerunt. Nescio igitur cur tot annorum intervallum inter *Darii Medi* & *Cyri* regnum vir doctissimus statuat. Hoc scio, ea quæ nobis, ob veteris historiæ ignorantiam, & profanorum scriptorum dissensum, tam obscura sunt, Danieli & coætaneis fuisse liquidissima: eosque exactam prophetiarum cum eventu consonantiam grato animo agnovisse ac celebrasse.

XII. Redeundi in patriam, & templum reædificandi facultatem Israëlitis fecit Cyrus.

XII. Finitis itaque annis LXX, CYRUS rerum potitus facultatem Judæis fecit redeundi in patriam, & reædificandi templum. Hic est ille *Cyrus*, quem, ducentis admodum antequam nasceretur annis, suo nomine designaverat Jesaias, ut a Deo ad tanti operis exsecutionem destinatum. Jes. XLIV. comm. ult. & XLV: 1, 4. Credibile est Danielem vaticinium istud *Cyro* ostendisse, eoque pertinere edicti verba prout narrantur 2. Chron. XXXVI: 23. & Ezr. I: 2. *Sic ait Cyrus, rex Persidis: omnia regna terræ tradidit mihi Jehova Deus cœli, & ipse commisit mihi ut ædificem sibi domum Hierosolymis, quæ sunt in Juda. Quis inter vos de toto populo ejus est? Jehova Deus ejus sit cum eo, & adscendito. Josephus* Antiq. XI. I. edictum illud ita παραφράζει. Ἐπεί με ὁ Θεὸς ὁ μέγιστος

μέγιςΘ τῆς οἰκυμένης ἀπέδειξε βασιλέα, πείθομαι τῦτον εἶναι ὃν τὸ πᾶν Ἰσραηλιτῶν ἔθνΘ προσκυνεῖ. καὶ γὰρ τοὐμὸν προεῖπε ὄνομα διὰ τῶν προφητῶν, καὶ ὅτι τὸν ναὸν αὐτῦ οἰκοδομήσω ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν Ἰυδαίᾳ χώρᾳ. Quoniam me Deus maximus orbis regem constituit, hunc illum esse credo, quem Israëlitarum adorat populus. Is enim meum nomen per suos prophetas prædixit: & quod templum ejus ædificaturus sim Hierosolymis, in terra Judææ.

XIII. Suppeditatis in eam rem rebus necessariis, redditisque templi instrumentis.

XIII. Præterea jussit *Cyrus* revertentibus Judæis aurum, argentum, jumenta suppeditari, &, cum aliis ad molestum & longinquum iter necessariis, oblationes spontaneas in domum Dei. Deprompsit etiam *Schesbazari*, principi Judæorum, de quo mox plura, vasa omnia templi quæ Nebucadnetzar abstulerat. In quorum numero ineundo Ezr. I: 9, 10, 11. aliqua invenitur obscuritas. Nam quæ istic speciatim nominatur tantum conficiunt *bis mille quadringenta & nonaginta novem.* Textus vero colligit *quinquies mille & quadringenta.* Conciliationis hæc potest esse ratio: ut ea solum nominentur quæ majora erant, molis ac pretii amplioris: collectio vero magna & parva comprehendat. Quæ distinctio suggeritur 2. Chr. XXXVI: 18. Nisi malis Hebræa כלים אחרים אלף apud Ezram, cum *Junio* vertere, *instrumenta alia per millia.* Ut sensus sit, non secundum formam, sed promiscue per numerum millenarium tradita esse minora utensilia.

XIV. Numerus cum Zerubbabele redeuntium sublata computationis difficultate.

XIV. Virtute hujus edicti, duce *Zerubbabele*, in Judæam revertuntur, quorum animum eo flexerat Deus, homines Judæi, pauci quidem numero, si cum immani populi, uti olim fuerat, multitudine conferantur: attamen plus quam duplo plures quam abducti a Nebucadnetzare fuerant. Nimirum *quadragies bis mille, trecenti & sexaginta: præter servas & ancillas septies mille trecentas triginta septem.* Ezr. II: 64, 65. Ubi similis iterum in computatione difficultas est. Nam si singulatim numeros familiarum computes, sunt tantum 29818. Addendi ergo sunt ad integram summam conficiendam 12542. Qui vel ex decem tribubus supplendi sunt, una cum Judæis adscendentibus, vel ex Levitis aliisque Israëlitis, qui sua natalia demonstrare non potuerunt.

XV. Plurimi varias ob caussas Babylone restiterunt.

XV. Plurimi alii restiterunt Babylone; partim necessitate, quia initio necdum domos, agros, urbes, victum omnes habere potuissent; partim metu, quod securius Babylone, quam in terra Canaan, se habitare posse existimarent; idque propter vicinarum gentium terrorem. Iidem incredibili deinceps auctu creverunt, numero, opibus, & celebritate Synagogarum, Scholarum ac Doctorum. At de his nunc non est dicendi tempus.

XVI. Reduces templi ædificationem orsi anno Cyri secundo.

XVI. Revertimur ad reduces in patriam: qui ex facultate sibi facta templi ædificationem orsi sunt: constructo primum altari, oblatis sacrificiis, celebratoque festo Tabernaculorum. Fundamenta templi jacta sunt, *anno Cyri* imperantis, ac *solutæ captivitatis*, *secundo*, secundo mense anni: operi præfectis *Zerubbabele* Principe, & *Josua* Pontifice: Sacerdotibus interim ac Levitis, cum tubis ac cymbalis, summi Numinis benignitatem celebrantibus. Jucundissima enim plerisque ea res accidebat, præsertim junioribus. At seniores, qui priscæ ædis amplitudinem conspexerant, non temperabant sibi ab ejulatu: sic ut vix internosceretur sonus vociferationis ex lætitia a voce fletus populi: utrimque enim vociferabantur vociferatione magna, ut vox audiretur inde a longinquo.

XVII. At sæpius impediti, consummarunt tandem anno sexto Darii.

XVII. Verum opus, alacriter cœptum, lentos habuit progressus, & plus uno temporum intervallo omissum est. Cujus rei multæ fuerunt caussæ. Et primo quidem ædificantium paucitas: dein inopia; nam Satrapæ Præsidesque corrupti subtrahebant manum, neque suppeditabant necessaria. Accessit negligentia ac socordia populi; quam frequentibus oraculis objurgarunt Haggæus & Zacharias. Plerique enim ab opere absterriti, & contenti jejunia instituisse, quisque ad res privatas curandas, & agriculturam exercendam dilabebantur: tempus nondum adesse rati ædificandæ domus. At præcipuæ obstitit vicinarum gentium invidia, maxime *Samaritarum*, (*Cuthæos* appellant) qui Syriæ præfectos odiosa interpellatione & largitionibus corrumpebant, (uti in aulis deesse non solent qui venalem habent operam) & criminationibus suis ipsorum regum animos a reducibus Judæis, tanquam res novas molientibus, avertebant. Quæ improba molimina, *Cyro* imperante cœpta, & apud *Assuerum* atque *Artaxerxem* tantum valentia, ut edicto regio ædificationi intercessum sit, duraverunt usque ad regnum *Darii*, regis Persiæ. Ezr. IV: 5. At cujus *Darii*? An *Hystaspis*, an *Nothi*? Multum hic altercantur Chronologi: neque nostrum est tantas componere lites. Utriusque partis argumenta excussimus in *Miscellaneis nostris Lib.* I. *Cap.* XX. quæ qui vult ibi videat. Interea temporis istum populi languorem atque desidiam multum sibi displicere, sterilitate proventuum terræ, & subtractione favoris sui in rebus privatis, identidem Deus demonstravit. *Anno* autem *secundo Darii* (quicunque demum ille fuerit) per Haggæum & Zachariam excitati populus proceresque, rege permittente, & quæ requirebantur ex suis facultatibus suppeditante, lætis auspiciis opus instaurant, & post quadriennii diligentiam feliciter absolvunt. Mox dedicationem ædis sacratissimæ festo gaudio celebrant, oblatis

oblatis præter alia sacrificia hircis lactentibus duodecim, pro numero tribuum Israëlis. Ut constaret æquam omnibus partem in Sanctuario Domini esse.

XVIII. Templo ita consummato, quamvis urbis etiam reficiendæ facultatem concessisset *Cyrus*, Jes. XLIV. vers. ult. quia tamen opus illud magnæ molis erat, diffisi viribus Judæi, sine mœnibus ac portis, circa templum habitabant. Per idem tempus *Ezras*, Scriba legis, *septimo anno Darii*, sive *Longimani*, ut quidam, sive *Mnemonis*, ut alii volunt, Babylonia profectus, multisque eum secutis, *Hierosolymam* pervenit. Vasa etiam diversi operis, & dona, quæ rex templo Dei miserat. Is quum deprehendisset Judæos Gentilium connubiis permixtos, multis increpitos, renunciare ejusmodi matrimoniis, ac filios ex his susceptos extrudi jubet, omnesque dicto paruere. Cæterum *Ezram* nihil super reficienda urbe egisse comperio: potiorem curam ratus plebem corruptis moribus reformare.

XVIII. Ezras mores reformatum venit.

XIX. Erat ea tempestate apud Susas *Nehemias*, pincerna regis, gente Judæus, *Artaxerxi* merito obsequiorum charissimus. Is ex cognato suo *Hanani* aliisque Judæis percontatus, quis paternæ urbis status esset; ubi comperit muros disruptos, portasque igne succensas, in iisdem jacere ruinis, totus sensibus conturbatus, cum gemitu multisque lacrumis Deum oravit, delicta gentis suæ reputans, misericordiamque Divinam efflagitans. Igitur quum rex, inter epulas, mœstum extra solitum animadvertisset, poposcit ab eo caussam dolorum ut exponeret. Tum ille adversa gentis & ruinam civitatis deflere, quæ multos jam annos solo strata spectaculum inimicis præberet: daret sibi eundi & restituendæ ejus potestatem. Paruit rex piis precibus: statimque eum cum præsidio equitum, quo tutius iter ageret, dimisit: datis ad prætores epistolis, ut necessaria præberent. Is quum *Hierosolymam* pervenisset, viritim populo opus urbis distribuit, & certatim jussa omnes curabant. Jamque ad medium machinæ processerant, quum flagrante invidia, gentium vicinæ urbes conspirant, opera interrumpere, Judæos ab ædificando deterrere. Sed *Nehemias* dispositis adversus incursantes præsidiis, nihil territus, cœpta explicuit: consummatoque muro, & valvis portarum perfectis, construendis interius domibus operam dedit. Spatiosa enim civitas, rari incolæ, domus dirutæ. Prospiciendum ita urbi de incolis erat. Principes populi jam degebant *Hierosolymis*. Reliquus populus sortes jecit ut decimus quisque in urbe habitaret, novem partes in oppidis. Quidam & ultro se obtulere: quibus populus lætis acclamationibus benedixit.

XIX. Nehemias urbem ædificat; eique de incolis prospicit.

XX. Politia reducum quatuor periodis variata.

XX. Dispiciendum nunc est, qua Politia usi, quove regiminis modo gubernati reduces sint. Politiam istam quatuor variatam periodis comperio. I. Sub PERSIS. II. Sub ALEXANDRO, illiusque successoribus. III. Sub ASMONÆIS. IV. Denique sub ROMANIS.

XXI. Initio tributarii fuerunt regibus Persarum.

XXI. Atque illud quidem constat, initio mansisse omnes subjectos ac tributarios regibus *Persarum*, quorum arbitrio cuncta *Hierosolymis* gerebantur. Pendebant enim מִנְדָּה בְלוֹ וַהֲלָךְ *Censum, tributum, & vectigal.* Ezr. IV: 13. Quæ verba sic exponi possunt, ut מִנְדָּה, quasi מִדָּה, *dimensum*, notet tributum quod quisque e facultatibus suis æstimatis, ac veluti dimensum, Regi pendebat. בְּלוֹ sit *census* qui dabatur pro singulis *capitibus*, aut *tributum Provinciale*, sic dictum quod sit *afflictio* & onus populi. Nam בלו Arabibus est *probare, affligere.* הֲלָךְ sit *vectigal*, quod in *viis* exigitur, & penditur ab itinerantibus, quando merces invehunt, vel evehunt. A triplici hoc tributo exemti fuère sacrorum ministri, ex constitutione *Artaxerxis.* Ezr. VII: 24. Attamen impotenti ira sua *Johannes* Pontifex Maximus effecit, ut *Bagoses Artaxerxis* copiarum Imperator graviora ac nova Judæis tributa imposuerit: ut priusquam quotidianas hostias offerrent, in singulos annos ex publico quinquaginta drachmas penderent. Idque ita ob hanc causam accidit. Erat *Johanni* frater *Jesus*, huic quod amicus esset *Bagoses*, Pontificatum se daturum est pollicitus: hac fiducia *Jesus*, quum liberius cum fratre in templo altercaretur, re usque ad rixam progressa, tantam bilem movit fratri, ut ab eo per iram interficeretur: quæ quidem impietas fuit longe maxima, præsertim in homine sacerdote: & quod gravius est, nullum tale impietatis exemplum exstat vel apud Græcos vel apud Barbaros. Deus certe hanc injuriam non dissimulavit, sed & populus hac de caussa libertatem amisit, & templum pollutum est a Persis. Nam *Bagoses* dux cognito quod Pontifex proprium fratrem in templo interemisset, superveniens Judæis iratus clamitabat, *Ausi estis scelesti in vestro templo cædem perpetrare?* & cum conatus templum ingredi arceretur: *Quid,* inquit, *an me putatis impuriorem quam cadaver quod jacet in templo?* & his dictis ingressus est: atque hac occasione per septennium ejus cædis pœnas a Judæis exegit. Vide *Joseph. Antiq.* XI: VII.

XXII. Suis tamen institutis vivere licuit, sub Præsidibus ex sua gente.

XXII. Licuit tamen suis legibus ritibusque vivere: præsertim in religionis negotio; nulla vi conscientiis illata. Dati porro ipsis Præfecti sive Duces sunt, quasi Præsides Provinciales; quorum primus fuit SCHESBAZAR, PRINCEPS JUDÆORUM dictus Ezr. I: 8. Hunc nonnulli non Judæum, sed Chaldæum fuisse volunt, Legatum Regium, Judæos in possessionem terræ intromissurum: alii *Zerubbabelem.* Idque

Idque probabilius. Nam præterquam, quod & aliis Judæorum proceribus in aula Babylonica Chaldæa nomina imposita sint, eadem templi fundatio nunc *Zerubbabeli*, nunc *Schesbazaro* attribuitur, uti qui primas in pio isthoc opere partes haberet. Arguit id comm. 8. cap. III. Ezr. coll. cum Ezr. V: 16. Neque probabile est hominem Chaldæum fundamenta domus Dei posuisse. Postea EZRAS, magna cum potestate, sed extra ordinem, ab Artaxerxe missus est, ut judices & caussarum cognitores constitueret. Ezr. VII: 25. Et ad eum, ut cui rerum summa commissa erat, accesserunt ipsi principes, rogantes, ut desideratam morum reformationem institueret. Ezr. IX: 1. X: 4. Quanta porro horum Præsidum auctoritas fuerit, ex NEHEMIÆ exemplo disci potest, qui non solum eos ex populo qui alienigenarum se connubiis polluerant, excommunicandos, verberibus cædendos, & depilandos in summam ignominiam præceperit: sed & aliquem ex posteris *Jojadæ*, filii *Eljaschibi* Sacerdotis summi, exsilio mulctavit, quod duxisset filiam *Sannaballati Horonitæ*. Neh. XIII: 25, 28.

XXIII. Sub Præsidibus hisce alii minorum ordinum Magistratus fuere; qui aliquando שרים *Principes*, Ezr. IX: 1, 2. alias חורים, *nobiles*, magnates, patricii, Neh. IV: 14. nonnunquam & שרי אבות *Principes patrum*, seu familiarum, dicuntur. Ezr. VIII: 29. A quibus distincti fuisse videntur, quos זקנים *Seniores*, aliquando & סגנים *secundarios* sive subalternos judices, sacra historia nuncupat. Quibus quandoque jungitur civium omnium cœtus קהלה הגדולה *congregatio magna*. Quorum ordinum diserta mentio Neh. V: 7. *contendi cum* חורים NOBILIBUS, *& cum* סגנים SECUNDARIIS JUDICIBUS, Junius vertit *antistitibus*, *& indixi illorum caussa* קהלה גדולה CONGREGATIONEM MAGNAM. Ezræ Cap. X. vers. 8. memoratur עצת השרים הזקנים *Senatus Principum & Seniorum*, deinde קהל הגולה *congregatio deportatæ multitudinis*. Sub auspiciis Ducis seu Præsidis Provincialis erat *Hierosolymis* secundarius quidam *Præfectus*, seu Legatus ipsius Præsidis, ex tribu Benjaminis: ut colligi potest ex Neh. XI: 9. Ibi enim dum enumerantur Benjamitæ *Hierosolymis* habitantes, laudatur *Juda filius Senuæ* משנה על העיר *Secundarius supra civitatem*.

XXIII. Quibus suberant minorum ordinum varii Magistratus.

XXIV. Magna etiam semper fuit *Sacerdotis summi* in Republica Judaica auctoritas. Unde aliquoties in Haggæo & Zacharia *Josuam Pontificem Zerubbabeli Principi* jungi videmus. Atque huc a quibusdam refertur emblema impositæ ipsi cidaris; quæ insigne fuerit potestatis, non solum sacris ministrandi, sed & judicandi. Zach. III: 7.

XXIV. Magna semper auctoritas Pontificia fuit.

Jus dices domui meæ. Addunt, eundem Pontificem *Præsidem* fuisse *Synedrii Magni*: verum Synedrium tale, quale Talmudici doctores repræsentant, Zerubbabelis, Ezræ & Nehemiæ tempore exstitisse, probari non potest. Nulla certe ejus in sacra historia mentio est: ne tum quidem ubi non videtur potuisse prætermitti, si quidem revera exstitisset. Sed ea de re alibi a nobis est disputatum.

XXV. Ejus rei memorabile in Jaddo exemplum est; cui plurima indulsit Alexander.

XXV. Mortuo Nehemia non comperio alium eadem auctoritate Præsidem esse constitutum: sed videntur Persæ acquievisse in spectata fide ac probitate JADDI Pontificis, cujus virtutibus, prudentiæ, insigni erga Deum pietati suam incolumitatem *Hierosolyma* debuit. Enimvero memorabilior ejus viri historia est, quam ut silentio transmitti oporteat: præsertim quum eadem doceamur, quomodo ex Persarum ditione sub Alexandri Magni ac successorum ejus potestatem *Hierosolyma* devenerit. Rem hoc fere modo narrat *Josephus Antiq.* XI: VIII. Alexander dum Tyrum oppugnabat, scriptis ad Jaddum Judæorum Pontificem literis petebat auxilium, & commeatum, & quidquid prius Dario conferre solitus fuerat. Pontifex, vir integerrimus, & intemeratæ fidei, renunciat, sacramento se Dario obstrictum esse, idque ratum fore quamdiu vixerit. Coxit iram Alexander, donec expugnata Tyro, propere *Hierosolymam* cum victricibus copiis movit. Ibi Jaddus, irato Regi impar, & consilii inops, in varias animum partes in cassum rapit. At Deus, in somniis apparens, bono animo esse jubet, & coronata urbe portas aperire: utque populus albis vestibus prodiret obviam, ipse vero cum reliquis sacerdotibus solemni ordinis sui cultu sequeretur, securi de Dei providentia. Læti mandatis parent. Ecce vero rem prorsus admirabilem. Dum Phœnices & Chaldæi omnia sibi in Judæos pollicentur quæcunque ab irato rege sperare poterant, plane contrarium evenit. Alexander enim, ut vidit e longinquo candidatum populum, & sacerdotes in amictu byssino, Pontificemque in stola hyacinthina auro distincta, tiaram in capite gestantem cum præfixa lamina aurea insculpta nomine Jehovæ, solus ad eum accedens, nomen illud adoravit, ac salutavit Pontificem. Judæis uno ore Alexandrum consalutantibus, & in orbem cingentibus, Syriæ reges & reliqui obstupuerunt, vix credentes regem mentis esse compotem. Solus Parmenio propius accedens rogavit familiariter: *Quid ita, quum ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Judæorum Pontificem.* At ille, *non hunc se adorasse*, respondit, *sed Deo, cujus Pontifex esset, eum honorem exhibuisse: Hunc enim*, inquit, *eadem specie habituque vidi quum in Dio Macedoniæ essem, qui me, de Asia subjuganda deliberantem, forti animo esse jussit, & sine mora exercitum*

citum trajicere : suo quippe ductu Persarum imperio potiturum. Hæc Parmenioni locutus, & comiter complexus Pontificem, deducentibus sacerdotibus in urbem ascendit, sacra Deo facturus. Ostensoque sibi Danielis libro, qui Græcum quendam Persas debellaturum vaticinatus fuerat, id de se interpretatus, Judæos non pœna solum absolvit, sed & omnibus eorum postulatis abunde satisfecit. Pontifice enim petente ut patriis legibus vivere sibi liceret, utque septimo quoque anno concederetur iis tributorum immunitas, concessit omnia. Rogantibus deinde ut eos quoque Judæos, qui Babyloniam ac Mediam colerent, sineret uti institutis propriis, his etiam postulatis eorum se satisfacturum esse pollicitus est. Atque ita se *Hierosolymitana* res sub ALEXANDRI imperio habuerunt.

XXVI. Eo apud Babylonem fatis functo, longa inter SELEUCIDAS *Syriæ*, & LAGIDAS *Ægypti* reges de Judæa concertatio fuit. Et primus quidem PTOLOMÆUS LAGI *Hierosolymam* occupavit, dolo tamen circumventam. Ingressus enim urbem Sabbato, velut sacrorum gratia, Judæis nec arcentibus, quod nihil hostile suspicarentur, & alioquin eum diem in otio & quiete agentibus, sine difficultate potitus dominio, acerbe eam & inclementer tractavit: multosque captivos, ex montano Judææ tractu, & *Hierosolymorum* vicinia, in Ægyptum traductos, sedes ibi figere jussit. Clementius eos habuit PTOLOMÆUS PHILADELPHUS, qui fertur & legem Hebræorum in Græcam linguam transferri curavisse, & *Hierosolymitas* in Ægypto servientes liberos dimisisse, numero centum viginti millia, & multa denique donaria Deo in Templo dedicasse : quæ ambitiosa oratione laudat *Josephus Antiq.* XII : II. Deinceps *Hierosolyma* PTOLOMÆO EVERGETI paruit : ad extremum PTOLOMÆO EUPATORI, filio ejus. *XXVI. Hierosolyma sub Ptolomæis.*

XXVII. *Antiocho Magno* in Asia regnante in continua vexatione tam Judæa fuit quam Cœlesyria : quod eo bellum gerente cum *Philopatore Ptolomæo*, hujusque filio qui *Epiphanes* cognominatus est, sive vinceret, sive vinceretur, male mulctarentur, non aliter quam navis fluctibus utrimque oppugnata, inter prosperam & adversam *Antiochi* fortunam jactatæ. Tandem victor Antiochus Judæam suæ ditioni adjecit. Defuncto vero *Philopatore* filius ejus magnum exercitum duce *Scopa* misit in Cœlesyriam : qui & multas ejus urbes & Judæorum gentem vi in potestatem ejus retraxit. Aliquanto autem post *Antiochus* ad fontes Jordanis cum *Scopa* prælio congressus fit superior : cumque recepisset occupatas a *Scopa* urbes, Cœlesyriæ simul & Samariæ, Judæi quoque ultro deditionem fecerunt : receptumque intra mœnia ejus exercitum & elephantes liberaliter aluerunt : & oppugnantibus præsidium, *XXVII. Sub Antiocho Magno, & Seleuco Philopatore.*

in

in arce a *Scopa* relictum, impigræ auxilium tulerunt. Quamobrem *Antiochus*, æquum ducens aliquam Judæis pro studio partium suarum referre gratiam, multis atque insignibus urbem immunitatibus ac privilegiis donavit: edictumque in honorem Templi per totum regnum suum promulgavit, ne cui alienigenæ liceret intra septa templi ingredi, contra voluntatem Judæorum; sed solis hoc facere fas sit, qui juxta præscriptum legis patriæ purificati prius fuerinr. Posthæc amicitia & fœdere *Ptolomæo Epiphani* conjunctus est *Antiochus*, data in matrimonium *Cleopatra* filia, & concessa dotis nomine præter alias regiones etiam Judæa. Paullo vero post videtur ea iterum in potestatem Syrorum venisse. Nam quum *Antiocho Magno* defuncto filius ejus *Seleucus Philopator* successisset, misit is *Heliodorum* ut exspoliaret thesauros templi. Quod quum ille ingressus esset, ab equite auratis armis conspicuo prostratus, & a duobus geniis ad necem usque flagellatus, sed intercessionibus *Onia* Pontificis conservatus est. Nisi vera non sint, quæ narrantur 2. Macc. III.

XXVIII. Sub Antiocho Epiphane.

XXVIII. Quemadmodum interjecto tempore ANTIOCHUS EPIPHANES Judæam vastaverit, *Hierosolymam* occupaverit, templum ingressus spoliaverit, multos occiderir, plurimos venum dederit, Judæos patriis legibus uti vetuerit, jussis non parentes exquisitissimis cruciatibus enecaverit, ex libris *Maccabæorum* cuivis constat. Constat indidem quam præclara invicti animi exempla, omnis sexus, omnisque ætatis edita sint; quum non viri solum, sed & fœminæ, & pueri, dirissima quæque subire maluerint, quam ut a Divinæ legis præscripto patriisque institutis desciscerent.

XXIX. Cujus tyrannidi fortiter ac feliciter se opposuit Judas Maccabæus.

XXIX. Constat denique quomodo se MATTHIAS, sive *Matthatias*, HASMONÆUS, Sacerdos, ex vice Joaribi, *Hierosolymita* genere, glíscenti impietati opposuerit, cum quinque filiis suis: in quibus præcipue eminuit JUDAS, MACCABÆUS dictus; sive quod in vexillis illius scriptum conspiceretur מַכַּבִּי, quæ sunt literæ initiales harum vocum מי כמוך באלים יהוה *quis est sicut tu inter Deos o Jehova*: sive quod dixerit, מַכֶּה בִּי *per me est plaga*, hostium nimirum & apostatarum: sive ob aliam quamcunque caussam hodie incognitam: neque enim omnia scire fas est. Hujus Judæ ductu adversus regios frequentibus præliis prospere pugnatum est. Donec pulsis hostibus, *Hierosolymam* regressus, purgare templum, & restituere animum induxit: quod eversum ab *Antiocho*, profanatumque a gentibus, fœdam sui speciem integrum jam triennium præbebat.

XXX. Celebrata ejus auspiciis

XXX. Celebravit autem Judas recepti templi festivitatem per dies octo sacrificans, in quibus nullum honestæ voluptatis genus omissum

ſum eſt; ſed populo quidem ſumtuoſum ac ſplendidum epulum eſt exhibitum, in Dei vero laudem hymnis & canticis perſonabant omnia. Tanta autem lætitia ob reductos ritus patrios & priſcam religionem occupavit gentis animos, maxime quod ea felicitas ex inſperato obtigerat, ut lex lata ſit ad poſteros, quæ juberet quotannis hoc feſtum reparati cum cerimoniis templi per octo dies celebrari. Vocataque fuit ea *feſtivitas* LUMINUM; *opinor*, ait Joſephus, *ideo quod ex inſperato tanta illuxerit feſtivitas.* Cæterum & alia denominationis iſtius cauſſa eſt; quam ex Talmudicis ſcriptis viri doctiſſimi eruerunt. Nimirum tradunt Rabbini in Tractatu *Sabbath*, Græcos, templum profanantes, quidquid de oleo ſacro invenerunt, id polluiſſe: *Judam* vero *Maccabæum*, templo diligenter perveſtigato, unam duntaxat urnulam inveniſſe, ſummi Sacerdotis ſigillo obſignatam, necdum ab hoſtibus contaminatam; in qua tantum erat olei, quantum ad unius noctis lucem ſufficiebat. Sed quum propterea & ille & totus populus triſtes admodum eſſent, ut qui viderent, ſibi ſacri olei intra octiduum copiam eſſe non poſſe; ſi quidem urbs *Thecoa*, e qua petendum erat, quatuor dierum itinere *Hieroſolymis* diſtabat; miraculum a Deo factum eſſe ajunt, & urnulæ iſtius oleum ita conſervatum & multiplicatum, ut per integrum octiduum arſerit. Idcirco ejus ætatis ſapientes inſtituerunt, ut octo dies a XXV menſis *Chisleu*, quo luſtratum eſt templum, ſint dies lætitiæ, utque iis, non in urbe ſolum, ſed & in Judæa univerſa, accendant ſingulis veſperis lucernas, in tanti beneficii, tantique prodigii memoriam. Et quia præceptum hoc de lucernis encæniorum adeo eſt amabile, hinc univerſalem ipſius ſtrictamque volunt fuiſſe obligationem: adeo quidem ut ſi non ſuppetat alicui quod comedat niſi ex eleemoſyna, ei vel emendicandum aliquid ſit, vel vendendæ veſtes, unde oleum & lucernas comparet. Hæc ſunt illa *Encænia*, quæ Chriſtum ipſum ſua præſentia condecoraſſe legimus. Joh. x: 22. quæque Judæi hodienum celebrant: ſed helluando, pergræcando, ludendo, & quidvis magis faciendo quam ut ferias Deo grateis habeant agantque ob beneficia in majores collata.

encænia: quæ cur feſtivitas luminum dicta fuerint.

XXXI. Sed ad *Judam Maccabæum* redeamus: qui, circumdatis urbi mœnibus, exſtructiſque firmis turribus, cuſtodias ad arcendum hoſtem impoſuit: & cum *Idumæis*, *Ammonitis* viciniſque gentibus proſpera bella geſſit. Interim *Antiochus* in Perſide pœnas Tyranno dignas dat. Rebus enim ubique male ſuccedentibus, accedenteque alia ſuper aliam cura, ex impatienti animi dolore corporis quoque morbum contraxit, ipſa viſcera vermibus corrodentem. Quo magis ac magis invaleſcente intelligens adeſſe fatale tempus, amicos convo-

XXXI. Antiochi Epiphanis mors, Tyranno digna.

cat, eisque vim & caussam morbi indicat: nimirum quod pœnas ob afflictam Judæorum gentem lueret, atque ob spoliatum sacrilegio templum, & contemtum cœlestis numinis. Atque his dictis exhalavit animam.

XXXII. *Bella Judæ Maccabæi cum Antiocho Eupatore: ejusdemque Judæ gloriosa mors.*

XXXII. Successit ei filius ANTIOCHUS EUPATOR: cujus copiis Judas *Hierosolymam*, & in templum, uti locum munitissimum, compulsus, ob victus penuriam ad incitas prope redactus est. Interim quum & *Antiochum* commeatus deficerent, & multa eum regni negotia alio avocarent; rex misso caduceatore pacem Judæ ac cæteris obsessis denunciat, libertatemque suis vivendi legibus. Illi vero libenter hæc audientes, accepta in hoc fide & jurejurando interposito, templo exiverunt. At *Antiochus* quum ingressus vidisset locum egregie munitum, violato sacramento, murum, quo templum septum fuerat, solo æquari jussit: atque *Menelao* Pontifice secum abducto, *Alcimum*, seu *Jacimum*, alienum a Pontificia familia, substituit. Tandem Judas post res præclare gestas adversus *Nicanorum* & *Bacchidem*, regii exercitus Imperatores, liberata e Macedonum servitute patria, gloriosa morte occubuit.

XXXIII. *Cui in ducatu successit frater Jonathas.*

XXXIII. Juda defuncto, maximis rursus calamitatibus impliciti, Syrorumque petulantiæ expositi fuere. Tum JONATHAS Judæ frater paratum se vel ad mortem obtulit pro tutela populi, & dignus visus qui Judæ fratri suo succederet, communibus Judæorum suffragiis administrandæ militiæ præfectus est, futurus abhinc DUX & PONTIFEX. Is paucis copiis vim a *Bacchide* intentatam caute declinans, fessum bello *Bacchidem* compellit inito cum Judæis fœdere exercitum abducere. Et post multa in populares merita, suis charus, hostibus etiam in honore habitus, ex insidiis a *Tryphone Apameno*, Tyranno Syriæ regnum adfectante, captus, & scelerate cum duobus filiis peremtus, SIMONEM fratrem in Ducatu & Pontificatu successorem habuit.

XXXIV. *Huic alter fratrum, Simeon: qui populum Macedonum jugo prorsus liberavit; impie in convivio cæsus.*

XXXIV. Qui primo principatus anno immunitatem tributorum suis peperit, quæ hactenus Macedonibus pendere soliti erant: & res Judæorum magnis accessionibus auxit, multasque de finitimis gentibus reportavit victorias. Expugnatam etiam Sionis arcem, quam hactenus Syri tenuerant, solo æquavit, ne posthac esse posset hostibus receptaculum, neve inde urbi aliquod inferretur incommodum. Quo facto visum ei est operæ pretium, si mons quoque, in quo sita erat, complanaretur, ut solum templum emineret. Tantumque suasionibus suis apud populum effecit, ut non intermisso per triennium, neque die neque noctu, opere, tandem ad planiciem eum locum, indefesso labore, per vices sibi succedentes, redegerint; atque

que ita nihil reliquerint, quod obstaret quo minus templum omnibus in urbe locis celsius esset. Simeonis hujus ducatui multum splendoris accessit, solemni Judæorum plebiscito, quod tabulis æneis incisum, & in ambitu sanctuarii, loco celebri, *Hierosolymis* expositum, his fuit conceptum verbis: *Placuit Judæis Sacerdotibusque, ut Simeon sit ipsorum Dux & Sacerdos summus in seculum; donec exsurgat Propheta certus. Sitque super eos Dux, tum ut cura sit ipsi pro loco sancto, constituendi per ipsum præfectos operibus ipsorum, & regioni, armisque & munitionibus. Tum ut cura sit ipsi Sanctuarii: utque pareatur ipsi ab omnibus: & ut scribantur de nomine ipsius omnes Syngraphæ in regione, & ut induatur purpura, aurumque gestet. Nulli ex populo aut Sacerdotibus licebit irritum facere quidquam istorum, & rebus quæ ab ipso dicentur contradicere, aut conventum in regione cogere sine ipso, aut indui purpura, & ornari fibula aurea. Qui contra fecerit, aut irritum fecerit quidquam horum, reus esto. Nam placuit toti populo statuere, ut faciat Simeon secundum res istas.* I. Maccab. XIV: 41. Postquam octo annos Judæis præfuisset, felicissimo usus Principatu, tutusque amicitia præcipue Romanorum, qui jam tum populis jura dabant; postremo uxore ac duobus filiis comprehensis, ac in vincula conjectis, in convivio cæsus est, insidiis generi sui *Ptolomæi*, ad Pontificalem infulam improbe adspirantis.

XXXV. At frustratis impiis *Ptolomæi* conatibus, JOHANNES, cognomento HYRCANUS, tertius Simeonis filius, principatu potitus est. Hujus prima cura fuit patris necem ulcisci. Itaque arcem super Hierichunta sitam, quo se receperat *Ptolomæus*, obsidione cingit, & oppugnando locum cætera quidem erat superior, vincebatur autem sola pietate erga matrem, & erga germanos misericordia; hos enim *Ptolomæus* productos in mœnia flagris cædebat in loco omnibus conspicuo: at ille putans quantum de oppugnatione remitteret, tantum se gratificari suis carissimis, statim in primo conatu elanguescebat. Mater tamen ad eum manus tendens supplicabat, ne molliretur affectibus, sed potius indignitate rei motus daret operam, ut redactum in potestatem inimicum afficeret pœna, & ulcisceretur homines sibi natura conjunctissimos: gratum enim sibi fore inter tormenta mori, modo nefarius homo scelerum suorum supplicium lueret. Hyrcanus vero talibus verbis accendebatur ad assultum majore impetu faciendum: sed quam primum verberari & lacerari matrem videbat, refrigescebat statim oppugnationis fervor, & vincebatur filius maternis affectibus. Quumque hoc pacto traheretur diutius obsidio, supervenit annus ille quo solenne est Judæis cessare ab operibus, recurren-

XXXV. *At Johannes Hyrcanus patris necem ulciscitur.*

currente anno septimo. Atque ita liberatus a bello Ptolomæus, occisis Hyrcani matre ac fratribus, fugit ad Zenonem cognomine *Cotylam*, qui tum apud *Philadelphenses* invaserat tyrannidem.

XXXVI. *Multaque prospere agit, Divino etiam dignatus colloquio.*

XXXVI. Sub Hyrcani hujus principatu *Antiochus*, cognomento *Pius*, invadit Judæam, & *Hierosolymam* septenis castris cingit: at rogatus a Judæis, quum festum scenopegias advenisset, ut festi gratia inducias ipsis septem dierum concederet, religione motus impetrari eas passus est; præterea & ipse victimas misit magnifice, tauros auratis cornibus, & pocula tam aurea quam argentea, referta omne genus aromatibus. Qua regis pietate oblectatus Hyrcanus, legatos misit pacem oraturos; quam, datis obsidibus, & talentis quingentis, impetravit. Hic est ille Hyrcanus, qui aperto Davidis monumento, tria millia talentorum inde protulisse fertur; quibus pecuniis fretus, primus omnium externum militem alere cœpit, melioribus quam initio usus successibus. Nam defuncto Antiocho, Syriam adflixit, *Idumæos ad circumcisionem suscipiendam adegit, templum Samaritanorum* in monte *Garizim* evertit, missisque ad Senatum legatis, amicitiam cum populo Romano, optandis conditionibus fecit. Eundem Divino dignatum esse colloquio *Josephus* memorat *Antiq.* XIII. XVIII. Fertur enim quod illa ipsa die qua filii ejus manum cum *Antiocho Cyziceno* conseruerunt, Pontifex ipse solus in templo adoramenta adolens, vocem audiverit, nunciantem filiorum recentem de Antiocho victoriam: idque mox progressus renunciaverit multitudini: & paullo post ipso eventu comprobatum ejus oraculum sit. Præterea tantam nactus fuisse dicitur futurorum præscientiam, ut prædixerit duos majores natu e suis liberis non diu fore paterni principatus compotes.

XXXVII. *Aristobulus primus ex gente Asmonæa Rex, sed unius duntaxat anni impius & infelix.*

XXXVII. Eorum maximus natu Aristobulus fuit, qui, Anno post *Hierosolymæ* excidium CCCCLXXXVI. ante Christi natalem Dionysianum CIV. principatum in regni formam vertens, diadema sibi primus imposuit. Fratrem secundum *Antigonum*, quem amabat, in societatem dominationis assumsit, mox falsis suspicionibus dementatus interfecit, cæteros vero in vinculis habuit, matrem principatus æmulam, in carcerem conjectam, fame necavit. At continuo eum fraternæ imprimis necis pœnitentia cepit. Quæ res morbum ei conciliavit gravissimum: dum factum suum indesinenter detestaretur: ita ut postremo sanguinem vomeret. Eum quidam e ministris efferens, (o providentia justissimi numinis, & occulti miranda potentia fati!) prolapsus in eo ipso loco effudit, qui *Antigoni* cædis cruenta habebat vestigia. Hinc ingens eorum qui viderant clamor exortus Aristobuli aures percussit: qui caussam clamoris sciscitatus, re cognita, con-

conſcientia graviter ictus plurimas effudit lacrumas, & gemitum ex imo pectore ducens: *Ergo non latet Deum*, inquit, *meum impium ac ſceleratum facinus, quando tam cito repoſcor ad pœnas cognati ſanguinis. O corpus impudens quouſque retinebis animam, quam materni ſimul ac fraterni manes flagitant? Cur non ſemel eam reddis, ne ſic per partes opus ſit libare meum ſanguinem, atque ita parentare oppreſſis per nefas & parricidium?* Vix ea fatus erat, quum exhalavit animam, uno tantum anno in regno exacto, cognominatus *Philellen*, id eſt, Græcorum amator: poſt auctam multis beneficiis patriam, illato bello Ituraæ, magnaque ejus parte attributa ad Judææ limites, cujus habitatores comminatione exilii coegit circumciſionem cæteroſque Judaicos ritus admittere.

XXXVIII. Poſt *Ariſtobuli* obitum, *Salome* ejus uxor, quam *Alexandram* Græci dixerunt, ALEXANDRUM JANNÆUM, fratrem Ariſtobuli natu maximum, regem conſtituit. Qui variis exercitus fatis, quartana febri, ex temulentia contracta, triennio integro adflictus, florentiſſimum regnum, quod annis quaſi XXIV tenuerat, uxori ALEXANDRÆ reliquit.

XXXVIII. ***Alexander Jannæus regnum relinquit florentiſſimum.***

XXXIX. Fœminæ ſupra ſexum egregiæ; quæ *Phariſæos* regiæ adminiſtrationis conſortes fecit, & HYRCANUM filium, juſto remiſſiorem ad Pontificatum evexit; ſed quem, defuncta matre, frater ARISTOBULUS, agiliori ingenio præditus, dejecit, ſibi diademate & infula impoſitis. Mox ictum inter fratres fœdus eſt, in ipſo templo, & data acceptaque fide ac junctis dextris ſancitum; quo obtinuit *Ariſtobulus* ut regnaret, & fratrem *Hyrcanum* in ocio frui quæ illi obvenerant facultatibus permitteret. Sed *Antipater Idumæus*, vir pecunioſus ac factioſus, Ariſtobulo infenſus, Hyrcanum multis perſuaſionibus impulit ut ad *Aretam*, Arabiæ regem, fugeret, & ab eo ſui in regnum reductionem flagitaret. Aſſenſit Aretas, & Ariſtobulum, prælio victum, in urbe *Hieroſolyma*, ad quam confugerat, obſedit. Interea *Scaurus*, *Pompeji* in Armenia contra Tigranem bellum gerentis legatus, continuato itinere in Judæam properavit. Hujus ſocietatem & auxilium uterque petiit. Et quum Ariſtobulus polliceretur CCCC talenta, nec pauciora Hyrcanus, Scaurus Ariſtobulum prætulit, Aretam obſidionem ſolvere juſſit; denunciato, ni pareat pro hoſte populi Romani habendum. Paullo poſt tota controverſia ad *Pompejum* devolvitur, fratribus per legatos Damaſci cauſſam apud eum dicentibus. Pompejus Ariſtobulum in vincula conjicit, Romam cum filiis abducendum, ſervandumque triumpho: *Hieroſolymæ* ab iis qui Hyrcano favebant receptus, Templum, quod a parte Ariſtobuli occupatum

XXXIX. ***Sed quod filiorum ejus Hyrcani & Ariſtobuli contentionibus ſtipendiarium Romanis fit, Pompejo urbem in poteſtatem ſuam redigente.***

erat, post trium mensium obsidionem, vi capit, Judæorum XII millia occidit: Templique religionem, humanis antehac nec vestigiis nec oculis penetrati, non mediocriter lædit. Ingressus enim illud, & cum eo non pauci alii, inspexerunt ea quæ videre nefas est, nisi solis sacerdotibus. Nihil tamen ex sacris thesauris, qui plurimi erant, libavit. Sequenti vero die jussis purgare templum æditiuis, & instauratis legitimis sacrificiis, precarium sacerdotium *Hyrcano* restituit. Judæis civitates eas adimit, quas supra finitimos occupaverant, *Hierosolymam* denique populo Romano *stipendiariam* facit. Atque ita libertatem Reipublicæ, tam fortiter ac feliciter a majoribus recuperatam, adsertam, vindicatam, ultimi *Asmonæorum* contentiosa ambitione sua turpiter *Romanis* prodiderunt. Quorum imperii duritiem, magno suo malo, mox experti sunt. Jussi regionem de Syris bello captam iis restituere: & insuper plus quam decem millia talentorum brevi tempore Romanis pendere subacti.

XL. *Quæ variis acta fatis Herodem tandem regem a Romanis accipere coacta est.*

XL. Hyrcanus autem, quum ab Aristobulo Romanorum vinculis elapso, & filio ejus *Alexandro*, vix se tueretur, *Gabinius*, Syriæ præses, cujus ope adversus fratrem indigebat, res Judæorum pœne pro arbitrio constituit: & *Synedrium Magnum* in quinque conventus juridicos tota provincia divisit. *Crassus* deinde, expeditionem contra Parthos parans, in Judæam pervenit, & pecuniam sacram quam Pompejus non attigerat, ad duo millia talentorum abstulit, totoque reliquo auro, cujus summa accedebat ad octo talentorum millia, templum spoliavit. Tulit etiam trabem ex auro solidam, trecentas minas pendentem. Mina autem apud Judæos constat duabus libris cum dimidia. Hyrcanus interim *Cæsaris* partes contra *Pompejum* defendendas sumsit; & utilem ei operam per *Antipatrum* in Ægypto navavit. Ideoque *Cæsar* ei potestatem confirmavit, urbisque mœnia, a Pompejo diruta, ut restitueret permisit: *Antipatrum* autem civitate Romana & immunitate donavit, & Procuratorem (ἐπίτροπον καὶ προστάτην dicit *Josephus*) Judææ constituit. Antipater vero quum Hyrcanum stupidum ac segnem animadverteret, *Phasaëli* filio natu maximo urbem *Hierosolymitanam*, cum circumvicina regione, commisit; *Herodi*, secundo filio, Galilæam curandam dedit, quamvis admodum adolescenti, nec excedenti annum quintumdecimum. Rebusque ita in familiæ suæ commodum ac decus, ex animi sententia, ordinatis, paullo post veneno, a *Malcho* Arabe, qui Hyrcano a poculis fuerat, sublatus est. Eam captans occasionem *Antigonus*, Aristobuli filius, Galilæam manu tumultuaria invasit; facile ab *Herode* repressus. Herodes ipse rerum gestarum gloria inclarescens,

Hyrcani

Hyrcani ex filia Alexandra neptem, *Mariamnem*, uxorem sibi despondet. *Antonio* deinde in Syriam profecto, ipse & frater ejus *Phasaëlus*, *Tetrarchæ* constituti sunt. Interea Parthi omnem pæne Syriam occuparunt; & ut *Antigonum*, mille talenta & quingentas mulieres ipsis pollicitum, reducerent, *Hierosolymitanam* urbem, specie amicitiæ, ingressi, *Hyrcanum* cum *Phasaëlo* in vincula conjecerunt. Et hic quidem, ubi se neci destinatum cognovisset, alliso ad saxum capite vitam abrupit: illi vero, infortunato seni, ut ad sacerdotium redderetur inhabilis, crudeli Antigoni consilio, amputatæ auriculæ sunt. HERODES fuga elapsus, præter omnem spem, Romæ a Senatu, Judææ Rex declaratur: mediusque inter *Antonium* ac *Cæsarem*, consulibus cæterisque magistratibus deducentibus, in Capitolium ascendit, & novus Rex, primo regni sui die, convivio exceptus est ab *Antonio*. Quod factum est, *Cn. Domitio Calvino* II. & *C. Asinio Pollione Coss.* quadriennio post cædem *C. Cæsaris* ante natalem Christi Dionysianum anno quasi XL.

XLI. Interim *Antigonus* Aristobuli filius, a Parthis rex constitutus, Judæa potiebatur. Quem Herodes, a Romanis, duce Sosio, adjutus, magnis copiis oppugnatum venit. Prope tunc ab interitu suo *Hierosolyma* abfuit. Dum enim pertinaciter ab Antigono stat, non cum hostibus solum, sed & cum fame & inopia luctandum ei fuit: nam in Sabbaticum annum inciderat oppugnatio. Tandem vi expugnata, obstinationis pœnas dedit. Mox omnia repleta sunt cædibus: Romanis longa resistentia exacerbatis, Herodianis Judæis conantibus adversam factionem exstirpare funditus, ne templi quidem religio supplices tuebatur. Non ulli parcebatur ætati, non sexui; ne imbelli quidem. Et quamvis obstante rege Herode, ac precibus intercedente, nemo tamen a manibus temperabat. Præcipuum autem ei negotium fuit in compescendis alienigenarum auxiliis. Ruebat enim multitudo conductitiorum, ad visendum non fanum solum, sed & intimum adytum. Rex vero alios precibus, alios minis, nonnullos & armis reprimebat, molestiorem clade victoriam existimans, si quid eorum quæ videri fas non est, in profanæ multitudinis conspectum veniret. Prohibebat etiam rapinas per urbem fieri, identidem Sosium rogitans, an solitudinis se regem Romani facturi essent, exhausta urbe rapinis ac cædibus: exiguum sibi dicens tantæ civium cædis pretium videri, etiamsi totius orbis dominium contingeret. Illo vero referente pro expugnatione urbis direptionem merito permitti militibus, promisit se de suo mercedem numeraturum singulis. Atque ita redemta civitate promissa persolvit. Liberaliter enim militibus,

XLI. *Cui, quum propinqua interitui videretur, salutem suam debuit.*

tibus, & proportione ducibus, Sosio vero etiam regia dedit munera. Ea clades *Hierosolymorum* incidit in consulatum *M. Agrippæ & Canidii Galli*, CLXXXV Olympiade, mense tertio, feriis quibus solemne fit jejunium: tanquam recurrente in idem temporis momentum illata Judæis a Pompejo calamitate. Vide *Joseph. Antiq.* XIV. XXVIII.

XLII. *Exitus familiæ Asmonæorum.* XLII. Nunc quem exitum *Asmonæorum* familia habuerit brevi commemoratione persequamur. ARISTOBULUS, quem Romanorum vinculis elapsum nuper diximus, a copiis *Gabinii* victus, iterum Romam missus, & ibi benigne habitus est, donec honorifice a Cæsare in Syriam dimitteretur. Cæterum a Pompejanis veneno sublatus, a Cæsarianis funeratus est. Corpus ejus diu melle curatum jacuit; donec *Antonius*, in Judæam remissum, regum conditoriis reponi mandavit. ALEXANDER, Aristobuli filius, quod contra Romanos rebellaverat, Scipionis jussu apud Antiochiam securi percussus est. Alter filiorum ANTIGONUS, quem a Parthis Judæorum throno impositum modo vidimus, quum tueri se *Hierosolymæ* non potuisset, descendit e turri, *Sosioque* victori ad genua supplex procidit. At ille, nihil miseratus mutatam hominis fortunam, insultavit misero, *Antigonam*, per ludibrium, appellans, vinctumque ad Antonium deduxit. Qui primum quidem triumpho adservandum destinaverat; sed ubi audivit Judæorum gentem ad res novas spectare, & odio *Herodis* favere *Antigono*, magis placuit, accedente etiam Herodis sollicitatione, apud Antiochiam, flagellatum prius, & palo alligatum, securi subjici. Novo & ignoto hactenus Romanis in Regem exemplo. Quod & *Dioni* observatum est. Restat adhuc HYRCANUS Rex & Pontifex: quem ad se perductum *Phraates* Parthorum rex, propter generis claritatem, comiter habuit: & vinculis solutum permisit Babylone degere; ubi magna erat Judæorum frequentia. Hi non aliter quam Pontifici ac Regi, quamvis auribus truncato, Hyrcano honorem habebant: ita ut non admodum præsentis fortunæ pœniteret hominem. Sed suorum amore, & fallacibus Herodis blanditiis pellectus, permissu Phraatis, *Hierosolymam* rediit. Ubi ambitione *Alexandræ*, filiæ suæ, tota familia in præsentissimum discrimen venit. Hæc enim indignata Pontificatum, quem filio suo ARISTOBULO, *Mariamnes*, regiæ conjugis, fratri, juveni decimum sextum annum agenti, deberi existimabat, ab Herode in *Ananelum* quendam, Babylone accitum, collatum esse; ad *Cleopatram*, Ægypti reginam scripsit, ut Pontificatum filio suo ab *Antonio* peteret. Facile intellexit Herodes, quo hæc tenderent: sed prudenter dissimulavit: abrogatumque *Ananelo* Pontificatum *Aristobulo* reddit. Quem ubi generis dignitate, & formæ

morum-

morumque gratia, multitudinis studia in se convertisse deprehendit, cum juvenibus nobilissimis, æstuoso die, animi gratia, natantem, per amicos, quibus id datum erat negotii, quasi juveniliter cum adolescente ludentes, mergi & aquis præfocari curavit. Ficto interim luctu, & lacrumis, & mœstitia, veræ simillima: ne tam infandi sceleris auctor haberetur. Interjecto tempore *Hyrcanum*, sive insidiatum regno, quod credi volebat Herodes, sive insontem, quod mitissimi senis indoles suadet, octuagenario majorem, occidi imperavit. Mox MARIAMNEM, perdite amatam, at morosam superbamque fœminam, & diu suspectam, neci dedit. Denique ALEXANDRAM, ne tunc quidem quietis patientem, e medio sustulit. Hæc finis fuit illustris domus Asmonæorum, cujus principatus desiit post annum CXXVI.

XLIII. Atque ita in HERODEM, hominem ἀλλόφυλον, Idumæum, non Jacobo, sed Esavo oriundum, cujus tamen majores a *Johanne Hyrcano* coacti circumcisionem susceperunt, & ab eo tempore Judæis accensiti sunt, tota regni Judaici dignitas atque auctoritas devoluta est. Verum ea precaria, angusta admodum, atque restricta. Nam quamvis Judæorum Rex, Romanæ tamen magnitudinis mancipium fuit. A Romanis Senatusconsulto datum ei regnum: ab Augusto dein confirmatum: neque aliter collatum nisi ἐπὶ φόροις τεταγμένοις, quod notat *Appianus* Ῥωμαικῶν ἐμφυλίων *Lib.* V. æque ac *Ponti* imperium *Dario*, *Pisidarum Amyntæ*, *Ciliciæ Polemoni*, quos in eundem cum *Herode* censum refert ibidem *Appianus*. Hinc non ad cultum modo Romani Principis se dimisit; sed & ad obsequia subditi; Cæsarem prensando, adulando, demerendo omni studio, iis etiam obsequiis quæ infra dignitatem Principis sunt. Augustus etiam Herodi pro imperio scripsit, *se illo usum hactenus ut amico, usurum post ut subdito.* Mirum itaque non est, sub tali rege, qui in clientela Cæsaris erat, ἀπογραφὴν œcumenicam actam quoque fuisse in Judæa. Vide *Spanhem. Dub. Evang. Part.* II. *Dub.* VII.

XLIII. Herodes, quamvis Judæorum rex, mancipium tamen Romanæ magnitudinis fuit.

XLIV. At notior est Herodis historia, quam ut prolixa a nobis commentatione enarrari debeat. Illud imprimis ad institutum nostrum facit, quod dives opum, & magni animi Princeps, urbem *Hierosolymam* multis præclaris ædificiis auxerit atque ornaverit. Nam & sibi regiam in superiore parte civitatis exstruxit, inque ea duas ædes maximas atque pulcherrimas, quibus ne templum quidem usquam conferri possit; easque amicorum vocabulis unam CÆSAREAM, AGRIPPIUM alteram nominavit. Regiam hanc, omni narratione præstantiorem, sic delineat *Joseph. de Bello Jud. Lib.* VI. *Cap.* VI. *Non*

XLIV. Regiam Hierosolymis exstruxit opulentissimam.

poterat, inquit, *magnificentia vel structura operis aliqua ex parte superari. Sed tota quidem muro per 30. cubitos edito cincta erat. Æqualis autem distantiæ turribus ornatissimis ambiebatur, ornata virorum receptaculis, & cœnaculis rectorum centum capacibus. Inenarrabilis autem fuit marmorum varietas in ea, collectis ibi plurimis, quæ ubique rara videbantur, & fastigia simul proceritate trabium & ornamentorum claritudine mirabilia. Membrorum etiam multitudo, & innumeræ species ædificii, plenaque omnia suppellectilis, cum pleraque in singulis ex auro essent atque argento. Adhuc multæ porticus, alia per aliam in circulum flexa, columnæque in singulis, & quæ inter eas sub dio patebant spacia, cum essent utique viridariis sylvisque variata, tum prolixas ambulationes habebant, altis euripis cinctas, cisternas ubique signorum æneorum plenas, quibus aqua effundebatur, multasque turres mansuetarum circum latices columbarum.*

XLV. Arcem templo adsitam renovavit, & Antoniam vocavit.

XLV. Castellum etiam, templo a septentrione junctum, olim ab Hyrcano Macchabæo, in rupe quinquaginta cubitis alta, & undique abrupta, exstructum, & *Baris* dictum, Pontificum Asmonæorum sedem, ubi in cella, ei usui destinata, Pontificis stola adservabatur, largis opibus Herodes renovavit, & ANTONIAM vocavit, in honorem Antonii. Cujus arcis præstantiam usumque his verbis describit Josephus, eodem capite ad finem. *Cæterum Antonia in angulo quidem duarum porticuum sita erat prioris templi, quæ ad occidentem septentrionemque spectarent, in saxo autem fuerat exstructa, quinquaginta cubitis alto, & undique prærupto: quod opus Herodis regis fuit, ubi maxime ingenii sui magnificentiam demonstravit. Primum enim a radicibus saxum ipsum levibus crustis obtegebatur, quo & decus adderet operi; & facile dilaberentur, qui vel ascendere vel descendere tentavissent. Deinde ante turris ædificium murus erat cubitorum trium. Intra hunc omne spacium Antoniæ in quadraginta cubitos erigebatur. Intus autem regiæ latitudinem ac descriptionem habebat, divisam in omnem usum habitationum & speciem, id est, atria, & balnea, & aulas castris aptissimas: ut quantum ad usum necessarium pertinet, civitas videretur, magnificentia vero palatium: instar vero turris toto habitu formata, quatuor aliis per angulos turribus cingebatur: quarum cæteræ quinquaginta cubitis erant alta: quæ vero ad meridianum orientalemque angulum sita erat, septuaginta cubitis eminebat, ut ex ea totum templum videri posset. Qua vero porticibus jungebatur, utrinque descensus habebat, unde custodes commeabant, semper namque in ea Romani milites residebant: & cum armis appositi custodes, ne quid populus festis diebus novi committeret, observabant. castrum enim erat impositum oppido quidem templum, templo vero Antonia.*

XLVI.

XLVI. Præterea muros etiam civitatis insigniter munivit, quum aliis rebus multis, tum & tribus turribus, quas magnitudine, pulcritudine ac firmitate, universis, quæ toto orbe essent, præstitisse, idem *Josephus* auctor est. Quarum unam amici vocabulo HIPPICON dixit: secundam vero altiorem & pulcriorem fratris nomine PHASAELON appellavit. Cujus celsitudo fere ad nonaginta cubitos tollebatur, & specie quidem videbatur assimilis *Phari* turri, quæ Alexandriam navigantibus ignem procul ostendit, ambitu vero ampliori dilatabatur. Tertia autem MARIAMNE dicta, a regia conjuge, magnificentiora, cæterisque ornatiora diversoria sustinebat: quum id proprium seque dignum Rex putavisset, ut uxoris nomine appellata turris plus haberet pulchritudinis, quam quæ virorum nominibus vocitatæ sunt: sicut illæ munitiores erant hac, cui fœmina nomen dederat. Mirabilis vero in turribus hisce lapidum magnitudo fuit. Nec enim ex vulgaribus saxis & quæ homines ferre possent, verum secto marmore candido, & singulis per viginti cubitos longis, latisque decem, & per quinque altis, erant ædificatæ: quæ ita inter se copulata erant, ut singulæ turres singula saxa viderentur: sic autem manibus artificum in faciem angulosque formata, ut nusquam junctura compaginis appareret.

XLVI. *Muros etiam urbis, quum aliis modis, tum tribus insignibus turribus munivit.*

XLVII. Porro quum Romanis omnia deberet Herodes, eorum etiam instituta patriis moribus antiquiora sæpe habuit. Hinc athletica certamina quinto quoque anno in honorem Cæsaris instituit, theatro *Hierosolymis* exstructo: deinde in campo amphitheatrum, utrumque sumptuoso opere conspicuum, sed alienum a Judaicis moribus, apud quos nullus est horum usus, nulla spectaculorum ostentatio. Ille tamen celebritatem hanc nobilissimam esse voluit, denunciatam circumvicinis atque etiam longinquis gentibus: propositisque præmiis magnus undique athletarum cæterorumque certatorum concursus factus est, confluxeruntque exercitatissimi quique in hoc genere. Evocabantur enim magnis præmiis non hi tantum qui gymnicis certaminibus dant operam, sed musici etiam præstantes, & qui vocantur thymelici: nec non quadrigarii ac trigarii, & qui singulis equis celetizontes cursum peragunt: magna contentione regis, ne quid desideraretur, quod usquam in hoc genere sit spectabile. Theatrum ipsum per circuitum titulis erat ornatum Cæsaris, & trophæis devictarum ab illo gentium, auro atque argento collucentibus. Quod vero ad instrumentum & apparatum attinet, non vestes pretiosissimæ, non gemmæ raritate insignes deerant in his spectaculis: conquisitis etiam feris plurimis, leonibus cæterisque vel robore spectandis, vel aliquo

XLVII. *Porro Theatrum Hierosolymis exstruxit.*

naturæ miraculo, hæ modo inter se, modo cum damnatis hominibus committebantur: quæ peregrinis quidem spectatoribus plurimum admirationis simul atque delectationis adferebant, indigenis vero prorsus ad dissolutionem patriæ disciplinæ tendere videbantur: nihil enim magis impium existimabant, quam ex spectandis hominibus cum bestiis comparatis voluptatem crudelem captare homines: absurdum æque, peregrinis artibus mutare instituta domestica. Parum sane absuit quin tanta innovatio exitium Herodi arcessiverit. Vide sis *Joseph. Antiq.* XV: XI.

XLVIII. *Denique immensæ opulentiæ Templum.*

XLVIII. Taceo cætera opera, quæ per universam Judæam, magnifica sane, prorsusque admiranda, exstruxit; at tacere non possum augustum illud TEMPLUM quo ornavit *Hierosolymam*, octavo decimo regni sui anno: ratus, id quod res erat, fore illud ad sempiternam posteritatis memoriam celeberrimum. Convocata igitur populi concione monuit, Templo, quod majores e captivitate Babylonica postliminio reversi instauraverant, deesse ad priscam altitudinem LX cubitos: tanto enim celsius vetus illud Salomonis ædificium: neque culpa majorum hoc accidisse, per quos non steterit quin par pristinæ illi structura surrexerit: sed mensuram hanc a Cyro & Dario præscriptam fuisse. Nunc quoniam Deo volente rerum ipse potiatur, cui otium, pecunia promta, magni reditus suppetant, &, quod maximum est, Romanorum, orbis dominorum, amicitia; operam se daturum, ut, quod majores, sub alieno nutu viventes, non satis accuraverunt, ipse suppleat, & quidquid superest, ad honorem Dei, memor acceptorum beneficiorum, grate ac pie persolvat. Hac tam inopina oratione attoniti sunt omnium animi, quod supra spem polliceri videbatur: verebanturque ne forte demolitus vetus ædificium novum non posset absolvere. Quod ubi animadvertit Rex, bono eos animo esse jussit: mansurum enim vetus templum integrum, tantisper dum omnis materia comparetur, quæ ad futuram fabricam necessaria sit. Neque fefellit fidem: omnibus enim rebus incredibili diligentia præparatis, admirandum exstruxit opus, quod ad priscam illam Salomonis amplitudinem & magnificentiam proxime accederet. Ἔργον, inquit Josephus, *De Bel. Jud. Lib.* VII. *Cap.* X. πάντων ὧν ὄψει καὶ ἀκοῇ παρειλήφαμεν θαυμασιώτατον, κατασκευῆς τε ἕνεκα καὶ μεγέθους, ἔτι τῆς καθ' ἕκαστον πολυτελείας. *Opus omnium quæ audivimus aut vidimus maxime admirabile tam exstructionis genere quam magnitudinis, itemque munificentia in singulis rebus.* Eadem fere *Josephus Hebræus* habet: לא נראה בנין כמוהו בכל העלם כי כל נפלאות מאד ותשלם כל המלאכה ויבאו מכל ארץ רחוקה וקרובה לראות את הבית ואת המלך כי לא האמינו עד

עד אשר ראו ותנח לא תגר להם החזי: *Nunquam par huic ædificium toto inventum terrarum orbe est. Omnia enim prorsus admiranda fuere; opusque omnibus numeris absolutum. Factus etiam confluxus advenarum ex propioribus & remotioribus regionibus est, ad videndum Ædem, ac Regem ædis structorem. Fidem enim narratio superabat. Qui autem viderant, obstupuerunt, & ne dimidiam quidem veritatis partem narratam sibi fassi sunt.* Singula qui cognoscere avet, adeat *Josephum Antiq.* XV. XIV. & *de Bello Jud.* VI. VI. Adde *Philonem Monarch.* II. & *de Legatione ad Cajum. Tacitus* Histor. V. *Immensæ opulentiæ Templum* dixit. Fertur autem toto illo tempore quo Templum struebatur nunquam interdiu pluisse, noctu tantum imbribus cadentibus, ne interrumperetur ædificatio.

XLIX. De hoc ego templo, quidquid alii de opere Zorobabelis se torqueant, intelligendum esse arbitror, quod Judæi Christo objecisse feruntur: Joh. II: 20. *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc.* Facile enim illum annorum numerum inveniri, ab eruditissimis interpretibus ostensum est. Cœpit Herodes Templi structuram anno regni XVIII. ac proinde annis ante mortem XVI. Nam a depulso Antigono regnavit annis XXXIV. Christus natus est sub finem regni Herodis. Quum autem Christo ista dicerent Judæi, natus erat annos XXX. Contigit enim paullo post Christi baptismum, Paschate nimirum proxime illum insecuto. Itaque a primis ab Herode jactis Templi fundamentis, usque ad tempus quo istud Christo objecerunt Judæi, fluxerunt anni XLVI. Scribit equidem Josephus, Herodem octo annis templi structuram absolvisse: planum tamen est, semper illi aliquid novi ornatus fuisse superadditum. Nam *Agrippæ* demum *Junioris* tempore, LX circiter post Christum natum annis, *absolutum fuisse Templi ædificium, & tunc in otio fuisse octodecim fere opificum millia, solitorum hactenus in templo ex operarum mercede victum quærere,* idem testatur *Josephus Antiq.* XX. VIII. Hoc ergo dicunt Judæi: Jam ab annis quadraginta sex cœpta est Templi structura, necdum prorsus absoluta. Vide interpretes, & nominatim *Ludovicum Capellum* atque *Lightfootum*.

XLIX. *Cui structuram 46 annis continuatam adscribunt Judæi Joh.* II: 20.

L. Sed & illud observandum, non esse hoc templum Herodis habendum pro templo prorsus novo, sive *tertio*, quod a templo *Zorobabelis* distinctum sit. Quamvis enim pro vero admittamus, quod Josephus adserit, Herodem, ut templum augeret, a fundamentis illud novavisse; tamen quum & materia usus sit veteri, & non totum simul diruerit, sed per partes quantum quoque tempore innovandum erat; recte templum hoc idem fuisse censetur quod structum

L. *Non est Herodis templum pro tertio & prorsus novo habendum.*

est a Zorobabele. Atque ita *Josephus* dicit, bis templum esse dirutum, semel a Chaldæis, iterum a Tito. Judæorum autem Magistri Titi excidium, templi secundi excidium vocant: & tempora quæ id excidium antecedunt, tempora secundi templi. Quod a nobis Christianis negligi non debet: quippe qui prædictum meminimus, quod ad Templum a Zorobabele exstructum venire debuerit Messias: atque isthac sua παρȣσίᾳ καὶ ἐπιφανείᾳ efficere ut ædis istius gloria omnem gloriam ædis Salomonicæ multum exsuperet.

LI. *Eximiis ornatum fuit donariis.*

LI. Interim non lapides solum & structuram Templi, sed & illius ἀναθήματα, sive donaria, mirabantur & prædicabant Christi discipuli. Luc. XXI: 5. Erat enim quasi commune ταμιεῖον depositis recipiendis. Rabbini structuram aliquam templi laudant, quam vocant גנזי האולם *Gazophylacium propylæi*, quo aurum, argentum, cæteraque vasa pretiosa templi adservabantur. Præter hoc Gazophylacium triginta octo circa templum cubicula fuisse memorant, iisdem usibus destinata. De quibus *Constantinus l'Empereur ad Codic. Middoth. p.* 47. Confer notas *Carpzovii* ad *Schickardum de Jur. Reg. Cap.* III. *Theorem.* XI. *p.* 212. Præterea circa templum adfixa erant spolia Barbarica, quæ Herodes denuo dedicavit, additis etiam recentibus Arabicis. Inter donaria eminebat *mensa aurea* a Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege donata, quam cum apparatu suo prolixe describit *Josephus Antiq.* XII: II.

LII. *In quibus excelluit vitis aurea.*

LII. At cætera omnia longe antecelluit VITIS illa AUREA, quæ super templi portam fuit. De qua idem *Josephus Antiq.* XV. XIV. *Janua vero, pene ipsi templo par, & superliminare aulæis variegatis ornabatur, floribus purpureis distinctis, & habentibus columnas intertextas, sub quarum capitibus vitis expandebatur aurea, dependentibus botryonibus,* θαῦμα καὶ τȣ̃ μεγέθȣς καὶ τῆς τέχνης τοῖς ἰδȣ̃σι, *mirandum sane opus, tam magnitudinis quam artis pretio.* Alibi, *de Bello Jud. Lib.* VI. *Cap.* VI. vel XIV. *Interior porta tota inaurata erat, & circum eam auratus paries; desuper autem habebat* χρυσᾶς ἀμπέλȣς ἀφ' ὧν βότρυες ἀνδρομήκεις κατεκρέμαντο, *aureas vites unde racemi homini longitudine non dispares pendebant.* Atque uti vitis naturalis continua accretione grandescit, ita & hic factum. Nam מי שהוא מתנדב עלה או גרגיר או אשכול מביא ותולה בו, *Quicunque vovebat sive folium, sive uvam, sive botrum, adducebat ea, suspendebatque ex hac vite. Middoth. Cap.* III. *§.* VIII. Vide quæ erudite congessit *Seldenus, de Jur. Nat. & Gent. &c. Lib.* II. *Cap.* VII.

LIII. *Templo adjacebat cu-*

LIII. Templo adjacebat, in atrio Israëlis, ad partem templi australem, CURIA SYNEDRII MAGNI, quæ לשכת הגזית *conclave casi*

lapidis

lapidis dicebatur, eo quod lapidibus pretiosis, magnaque arte edolatis, stratum esset. Forma sua speciem Basilicæ Magnæ referebat, de qua R. *Salomon Ben Virga* in *Schebet Jehuda* sic loquitur: ושם בית נקרא לשכת הגזית ומי שלא ראה בניניה אמרו שלא ראה מעולם בנין מבואר: Quæ *Gentius*, in historia Judaica p. 362. luxuriante stilo sic reddidit: *Hic famosissima, & toto terrarum orbe celebratissima fuit illa senatorum curia, quam Hebræi sua lingua* LISCAT HAGGAZITH *appellare consueverunt: cujus ædificii tantus splendor, tantaque magnificentia fuit, ut totus terrarum orbis nihil ei simile aut secundum habere videatur.* Nimis hyperbolice. Conditor hujus conclavis dicitur fuisse *Simeon Ben Setach*, qui fuit Vice-Præses Synedrii, quum *Juda Ben Thabbai* Præses esset, sexta generatione post Ezram, regnante *Jannæo Hasmonæo*. Pars hujus curiæ in fundo sacro, altera in profano fuit. Hinc & duo ostia. Alterum a sacro latere, per quod intrabat Princeps cum Assessoribus suis; alterum a latere profano, per quod introducebatur reus. In parte profana erat consessus Judicum: quia nemini licebat sedere in Atrio nisi Regibus ex familia Davidis. Pars sacra, pavimenti altitudine distinguebatur a profana. Verum hac de re alibi quoque diximus.

ria Synedrii Magni.

LIV. Mirabilis piscina Bethesda, cur sic dicta.

LIV. Quoniam de ædificiis & locis quibusdam insignibus quæ *Hierosolymæ* erant nunc agimus, omitti non debet mirabilis illa piscina, quam Johannes Evangelii sui Capite v: 2. his verbis laudat. Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα, ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ, πέντε στοὰς ἔχουσα. *Est autem Hierosolymis ad pecuariam piscina, quæ nominatur Hebraice Bethesda, quinque porticus habens*, & quæ sequuntur. Ad cujus pericopæ elucidationem operæ pretium erit breviter expendere I. *Nomen* hujus loci. II. *Situm*. III. *Usum*. Nomen hic occurrit geminum, alterum Græcum, quod communius est, κολυμβήθρα, alterum Hebraicum, quod speciale, & huic loco proprium est, *Bethesda*. Vox Græca, respondens Hebraicæ בְּרֵכָה, non præcise *piscinam* notat, piscibus alendis gignendisque, sed quemvis lacum sive stagnum, quodvis aquarum receptaculum; *conceptelam* interpretatur *Frontinus*. Lacuna erat, locus in quo aqua colligebatur. *Bethesda* (sic enim legendum, non *Betsaida*, ut in quibusdam codicibus exstat) quomodo Hebraicis characteribus scribendum sit, & quid significet, variant interpretes. *Angelus Caninius*, cum aliis viris eruditis, nec abludente *Calvino* nostro, existimat scribendum בית אשדא, *domus effusionis*: atque ita dictum esse hunc locum, vel a sanguine victimarum ibi fuso; vel, quod probabilius, quia in piscinam eam effundebantur, & confluebant aquæ, sive pluviales, sive ductiles; vel deni-

denique ob aquæductum illum cujus mentio est 2. Reg. XX: 20. & Neh. III: 15. Verius tamen arbitror: Syrum interpretem genuinam vocis lectionem expressisse בית חסדא, *domum gratiæ*, sive misericordiæ. *Domus* dicta fuit piscina, non solum quia Hebræi locum quemcumque eo nomine designare solent, quod *Gomarus* observavit; sed & quia ad piscinam hanc revera structum fuit ædificium aliquod, quinque porticubus constans, excipiendis ægris. Domus autem *gratiæ* & misericordiæ; non ob humanam solum beneficentiam, qua benigne fiebat miseris; sed præcipue ob Divinam illam gratiam, qua miraculose curabantur.

LV. *Ubi sita, & an fuerit piscina Siloam.*

LV. Situs piscinæ hujus erat ἐπὶ τῇ προβατικῇ, *ad pecuariam*, supple vel χώραν *regionem*, vel ἀγορὰν *forum*, vel, quod plerique malunt, πύλην *portam*. De hac enim diserte legimus Neh. III: 1. & XII: 39. Crediturque sic dicta, quod per eam pecudes victimis dicatæ in urbem ducerentur. Portam hanc sitam fuisse versus meridiem rationibus aliquot contendit *Lightfootus Harm. Evan. p.* 532. & in *disquisitione Chorographica præmissa Johanni. Cap.* V. Putatque piscinam hanc eandem fuisse quam *Joseph. de Bel. Jud. Lib.* V. *Cap.* XIII. vocat *Piscinam Salomonis*, cujus aquas deductas credit per canalem aliquem ad fontem *Siloam*, qui alias *Gihon* dicitur, & geminis rursus canalibus influebat in geminas piscinas; quarum altera dicebatur *superior*, altera *inferior* Jes. VII: 3. 2. Reg. XVIII: 17. Inferiorem piscinam *Siloam* dici existimat Joh. IX: 7. Neh. III: 15. quæ, ad occidentalem urbis plagam sita, huc deducta fuerit ab Ezechia. 2. Chron. XXXII: 30. Superiorem, esse piscinam *veterem* Jes. XXII: 11. ab antiquo conditore, *Salomonis* nuncupatam. Huic autem aquæ indulsisse Deum mirificam sanandi virtutem, quod typus esset regni Davidis & Christi. Jes. VIII: 6. Unde David voluerit Salomonem ad Siloam inungi, aut ad Gihon, in signum continuandi ipsius regni; uti scaturigo hujus fontis perennis erat. Ob eandem caussam ex hac aquarum conceptela aquas hauriebant & effundebant Judæi in festo Tabernaculorum, cantantes, *haurietis aquam cum gaudio ex fontibus salutis*. Jes. XII: 3. Quin etiam dicere audebant: משם שואבים רוח הקודש *educere se inde Spiritum Sanctum*. Hinc concludit vir doctissimus, sapienti consilio placuisse Deo aquas has, quæ hactenus regnum Christi repræsentaverant, medica virtute donare: ut existimaret populus gloriam regni Davidici, per apparitionem Messiæ, in propinquo esse, quum tam insolita miraque virtus Messiæ ad omne genus morbos curandos, in aquis eam significantibus, conspiceretur. Quibus conjecturis quisque quantum vult tribuat; ego me solidiorem demonstrationem desiderare fateor.

LVI.

LVI. *Ejus vis curandi miraculosa fuit.*

LVI. De usu piscinæ hujus aliquid jam delibavimus, nimirum valuisse aquas illius ad curandos morbos. At pressius inquirendum. I. Fueritne vis illa naturalis, an miraculosa. II. Quando cœperit. III. Quî factum ut res tam memorabilis neque Josepho, neque alteri cuicunque, quantum constat, historico, si a Johanne Apostolo discesseris, memorata sit. Primum quod attinet, multa sane concurrunt ne naturalis per aquam medicatio credatur. Primum, quod stato tempore fiebat: dein quod omnia morborum genera sanabantur: idque commota prius aqua, quum alioqui ad remedia quæri soleat ea quæ tranquilla est: & quidem commota per descendentem Angelum: denique quod in nemine vim istam aqua exsereret, nisi in eo qui primus post turbationem descenderat, reliquis frustra exspectantibus.

LVII. *Non naturalis.*

LVII. Quæ quamvis evidentissima miraculosæ curationis argumenta sint, non defuere in antiquis, neque desunt in recentioribus, qui universam hujus medelæ rationem naturalibus caussis imputant. De antiquis *Theophylactus*: Εἶχον δὲ οἱ πολλοὶ ὑπόληψιν, ὅτι καὶ ἀπὸ μόνου τοῦ πλύνεσθαι τὰ ἐντόσθια τῶν ἱερέων, δύναμιν τινὰ λαμβάνει θειοτέραν τὸ ὕδωρ. *Multi opinabantur, quod sola ablutione intestinorum sacrificalium, virtutem quandam Diviniorem acciperet aqua.* Ex recentioribus prolixe atque ex professo disputat *Thomas Bartholinus*, adversus illos, *qui Piscinæ Probaticæ naturalem curandi morbos virtutem invident, & miraculum urgent*: in Tractatu cui titulum fecit, *Paralytici N. T.* &c. quem vide *Fascic.* v. *p.* 390. A *Bartholino* non abludit *Hammondus*, suis in hunc Johannis locum commentariis. Qui observat mirum non esse, si aquæ vim sanandi ex caussa a Theophylacto allata habuerint, *quum aliquando ægri curentur immissi bestiæ recens eviscerata, vel involuti cute ovis adhuc calente; vel applicatione membri vivi cujuspiam animalis.* Præsertim autem tantam piscina hæc curandi vim eo tempore habere potuit, quando multa victimarum millia uno die interficiebantur, aquamque suo sanguine ac visceribus tingebant, ut in festis, præcipue Pachate. Quo referri potest illud κατὰ καιρὸν *stato tempore.* Turbationem aquæ eo pertinuisse credit, *ut crassiores sanguinis concreti partes, quæ subsederant, e fundo educerentur, & aquæ melius miscerentur.* Unde contigit, *ut nullam sanandi vim habuerit aqua, postquam desinente turbatione, sanguinis particulæ vel in vapores abierant, vel in fundo subsederant.* Porro quod de Angelo turbante narratur, *parum verisimiliter de Angelo Dei* exponi arbitratur. *Haut ægre credit fuisse officialem, vel servum, qui mittebatur a Sacerdotibus tempore opportuno, ad turbandam aquam: qui quum esset nuncius præmissus, veluti ad ægros*

monendos, ut se sequerentur, dici potuit ἄγγελος, non angelus, sed nuncius. Quod vero primus duntaxat in aquam ingrediens æger sanaretur, fingit potuisse procedere ex nescio quo situ & dispositione loci, qui forsan propter angustiam unum duntaxat hominem caperet. Verum paradoxa illa, &, si quod res est dicere liceat, profana ratiocinatio, neque cum *historia* Antiquitatum Judaicarum convenit, neque cum *rationibus Physicis* ac *Medicis*, neque cum *Evangelio.* Si aliis olim ignorare licuit, Hammondo certe in tanta literarum luce non licuit, plane ab Hebræorum institutis abhorrere ut exta victimarum extra templum lavarentur. Quod *Lightfooti* nunc quam meis verbis ostendere malo: qui, *facile,* inquit, *ex Scriptura probare quis poterit, intestina fuisse in Templo lota, neque unquam inde educta. Et ipsi Talmudistæ locum ad hunc ipsum usum deputatum ostendunt, dictum* לשכת המדיחין *Cubiculum lavatorium, ubi prima detersio: mensæque erant marmoreæ in area, ubi secunda detersio instituebatur.* Quod & *Antonius Nebrissensis* ex 2. Chron. IV: 6. jam olim observaverat *quinquagenorum Cap.* V. Atque hac sola ratione totus iste prodigiosus Hammondi discursus destruitur. Sed *Physici* & *Medici* præterea viderint, an ex mactatarum pecudum extis tam medicata vis aquæ conciliari queat. Nam quæ ut similia ab Hammondo laudantur prorsus dissimilia sunt; neque omnibus morbis curandis idonea, quantumvis in suo genere, ad certam quandam ægritudinis speciem pellendam, valida censeantur. Tum si aquæ ea vis ex victimis inest, quid obstat cur non perpetua fuerit? Tantumne etiam turbatio aquæ medicatæ valet, ut turbata efficiat facile, quod tranquilla nullo pacto potest? Tum si turbari ad eum modum potuit a nescio quo officiali; quæ dementia, quæ impietas exagitavit templi præfectos, ut non, quotiescunque lauta fuerunt victimarum intestina, mox officialem istum suum miserint, ad salubrem istam aquæ turbationem, in miserorum solatium, procurandam? Denique quæ naturalis caussa fingi potest, cur is solum qui primus post turbationem ingressus fuerat curaretur? Si enim mox subsideret aqua, quid impedivit bonum istum officialem ne iterum eam moveret: Si tanta fuerit loci illius angustia, ut non nisi unum simul caperet hominem, qui fieri potuit, ut tot millenarum pecudum viscera, eodem tempore, eodemque loco lavarentur? Apage ergo istas insanientis sapientiæ ineptias, viro prudente atque homine Christiano prorsus indignas: & quæ non nisi ad Evangeliorum ludibrium confictæ esse videntur.

LVIII. *A quo tempore vis illa*

LVIII. A quo tempore tam portentifica vis aquæ huic adfuerit, sacris paginis silentibus, audacia mera esset determinare. An ab ex-

struĉtione

ſtructione Portæ Probaticæ per *Eliaſchibum* ; an ab exſtinctione familiæ Aſmonææ; an a reædificatione Templi per Herodem ; an a nativitate Chriſti : quis dixerit ? *Lightfootus* aliquid conjectat de terræ motu, quo concidit fortaſſis turris in Siloamo Luc. XIII: 4. *Et quid,* inquit, *ſi tum primus deſcenſus Angeli in hanc piſcinam Siloami ? ut* Mat. XXVIII: 2. *Erat terra motus magnus : nam Angelus Domini deſcendit.* Incerta omnia. Credibile tamen eſt, ob veterum omnium ſilentium, non diu ante Chriſti ἐπιφάνειαν virtute iſta piſcinam hanc donatam fuiſſe. *aqua huic adfuerit, incertum.*

LIX. De qua re non inutile erit probabiliter & pie diſſerentem audire *Gomarum. Occaſio*, inquit, *miraculi fuit miſerrimus populi Judaici ſtatus, quo, poſt variam ſub exteris regibus ſervitutem, tandem Romanorum dominio ſubjecti ſunt : unde periculum erat, ne animi eorum, calamitatum nebulis obſcurati, de promiſſo Meſſiæ adventu diffiderent, & a Deo ſe omnino deſertos exiſtimarent. Quare quum opus haberent in his malis Dei conſolatione, ut ea confirmati redemtionem ſpiritualem per Meſſiam patienter exſpectarent ; in eum finem Deus duplex extraordinarium remedium & beneficium Judæis contulit. Quorum primum fuit, Prophetiæ jam longo tempore deſideratæ reſtitutio : alterum miraculum ſanationis ægrorum quorumvis in aqua piſcinæ Betheſda : quo Deus reipſa peculiarem ſuam erga Judæorum populum miſericordiam demonſtravit ; ut eorum in Chriſtum fidem & ſpem confirmaret, & adverſus præſentis miſeriæ calamitates conſolaretur.* Diſquirit deinceps, an miraculoſa hæc ſanatio ex Dei voluntate atque ordinatione typus quidam propheticus fuerit ſpiritualem a peccatis ſanationem adumbrans. Quod quidem probabile eſſe fatetur, tum quia Chriſtus in re non abſimili id videtur innuere. Joh. IX: 7. tum quia ſanatio morborum corporis proponitur ut argumentum & typus medelæ ſpiritualis : Mat. VIII: 17. tum denique, quia Zach. XIII: 1. promittitur ſimili emblemate fons apertus domui Davidis & habitatoribus *Hieroſolymæ* pro peccato, &c. Verumtamen quia iſte finis de hac ſanatione in Betheſda ſpeciatim ex ſcriptura probari non poteſt; tutius putat in ſola hiſtoria acquieſcere ; & a typis Divinis temere fingendis abſtinere. In quo & ego acquieſco. *LIX. Gomarus laudatus.*

LX. Mirum enimvero eſt, neque a Talmudicis ſcriptoribus, qui in prodigiis ſuæ gentis prædicandis pene nimii ſunt, nullam hujus miraculoſæ curationis factam eſſe mentionem. Sed non eſt hæc una res ex earum genere quas Evangeliſtis narratas auctores cæteri ſilentio præterierunt. Similia exempla a doctis obſervata ſunt in ἀπογραφῇ illa Auguſti ſub qua natus eſt Dominus ; in ſtella quæ Magis apparuit, nativitatis iſtius indice, in infanticidio Bethlemitico, aliiſque : quorum aut nulla plane, aut obſcura admodum veſtigia, in aliis quibuſcun- *LX. Iniquum foret ob Joſephi aliorumque ſilentium fidem Johannis in dubium vocare.*

buscunque scriptoribus exstant. Non tamen exinde præjudicium aliquod sacræ creari debet historiæ: quam nos Christiani novimus esse θεόπνευστον, & eo ipso αὐτόπιστον; adeoque talem, quam nec exotica testimonia juvent, si adsint, nec lædant, si absint. Sufficit ad fidem, sacris scriptoribus aliquid dictum, etsi indictum cæteris omnibus. Innumera alia scriptoribus aliis præterita sunt, de quorum tamen fide non dubitatur, modo ab uno ex illis relata fuerint. Nec solent committi scriptores vel Græci vel Romani in iis quæ quisque peculiaria habet; quin potius illa aliis vel incognita, vel per incuriam prætermissa, censentur. Cur non eadem æquitate utemur erga scriptorem sacrum; cujus fides & αὐθεντία tot indiciis comperta? An credibile est adeo stupidum fuisse Johannem, vel adeo famæ suæ prodigum, ut in re sui temporis, omnibusque popularibus suis nota atque comperta, citra rationem ullam probabilem, tam impudenter mentiri animum induxerit? Atque hæc quidem nobis de ædificiis ac locis, quæ maxime notabilia *Hierosolymis* fuere, dicta sunto.

LXI. Regimen Hierosolymæ sub Archelao: quo remoto Judæa in provinciam redacta, & Syriæ adtributa est.

LXI. Persequamur nunc historiam: attendentes quis mortuo Herode rerum status, & quale regimen *Hierosolymæ* fuerit. Herodes moriturus regnum inter filios & *Salomem* sororem testamento dividit. *Antipam*, quem prioribus tabulis regni successorem destinaverat, *Galilææ* ac *Peraæ* Tetrarcham constituit: Regnum vero *Archelao* largitur. *Trachoniticam*, *Gauloniticam*, *Bataneam*, & *Paneada* regiones, Tetrarchiæ nomine adsignavit *Philippo*. *Jamniam*, *Azotum* & *Phasaëlida Salomæ* sorori suæ adtribuit. Ipse autem caverat, non aliter ratum fore testamentum suum quam accedente consensu Cæsaris. ARCHELAUS interim mortuo patre, quamvis initio a regio titulo abstineret, diadema ab exercitu oblatum detrectans, & votorum modestiam professus: mox tamen supremam potestatem invadit; Judæos tumultuantes immisso milite compescit, & Romam navigat cum amicis, occupandæ Cæsaris gratiæ, & firmandæ potestati. *Antipas*, prioribus tabulis regni hæres scriptus, idem molitur cum suis. Lite contestata coram Augusto, Archelaus genua Cæsaris advolvi, & dignitatem gestu potius quam verbis petere. Cæsar Archelao erecto eum regno dignissimum esse pronunciat, addit, tabulas paternas & commoda Archelai sibi curæ fore, sed sententiam differt. Judæi interim oratores suos Romam mittunt, Herodis tyrannidem, Archelai sævitiam ingerunt, Regem deprecantur. Cæsar tandem re secum deliberata Archelaum non Regem constituit, sed Ἐθνάρχην, tributa ei dimidia parte ditionis quæ Herodis olim fuerat, nimirum *Idumæa*, *Judæa*, & regione *Samaritica*, regiam pollicitus dignitatem ὑπὲρ τὴν

εἰς

εἰς αὐτὴν ἀρετὴν προσφέροιτο. Verum quum ob tyrannidem suam, & quod, *Mariamne* uxore repudiata, cum *Alexandri* fratris uxore *Glaphyra*, neglecta lege, connubium contraxerat, omnibus se exosum reddidisset, accusatus a Proceribus Judæorum, decimo principatus sui anno, omni dignitate omnique pecunia mulctatus, & a Cæsare *Viennam* in Galliis relegatus est. Atque ab eo tempore Judæa in provinciam redacta, & Syriæ attributa fuit, facta προσθήκη τῆς Συρίας, προσνεμηθεῖσα τῇ Σύρων χώρᾳ. concessa tamen genti αὐτονομίᾳ in religione & jurisdictione inferiore: quæ erat penes Synedrium.

LXII. In hac rerum mutatione existimarunt Viri eruditissimi se certissimum characterem deprehendere temporis quo natum oportuit esse Messiam. Primus, quod sciam, id observavit *Cloppenburgius*, sæpe a nobis, nec sine laude dictus: qui in *Disput. de Prom. ventur. Mess.* §. XIII. in hæc verba loquitur: *Prophetavit Esaias Cap.* VII: 8. *non fore Syriæ nec Samariæ contributam Judæam, ne quidem Achazi nepotum tempore; nec ante domui Davidis hoc eventurum ut regio ipsorum esset* προσθήκη τῆς Συρίας, *donec Immanuelem conciperet & pareret Virgo. Quem characterem Chronologicum signatum fuisse illo oraculo, fidem facit concertatio historiæ Josephi Antiq. Lib.* XVII. *Cap.* XII. *&* XV. *& Lib.* XVIII. *Cap.* I. *cum notatione illa Lucæ Evangelistæ ad historiam nativitatis Christi.* Luc. II: 2. Eadem & alibi inculcat vir doctissimus. Ex Cloppenburgio id sumsit *Coccejus*, & frequenter in scriptis suis repetit. Ad Jes. VII: 8. hæc habet: *Exclusive loquitur. Damascus erit tantum caput & metropolis Syriæ, & non etiam Judææ.* HÆC VERITAS SE PORRIGIT USQUE AD ILLUD TEMPUS, QUO JUDÆA SYRIÆ CONTRIBUTA EST, *redacta in formulam provinciæ a Cæsare Augusto, annuente desideriis Judæorum fastidientium regnum Herodiadarum. Nam ante hoc tempus Damascus non fuit caput Judææ. Nam vel sui reges tenuerunt Judæam, vel Babylonii, vel Persæ, vel Seleucidæ, qui Antiochiæ habitabant, vel denique liberi fuerunt Judæi.* TUM AUTEM ESSE COEPERUNT SUB PRÆSIDIBUS ROMANORUM, QUI DAMASCI HABITABANT. *Non igitur simpliciter hæc prophetia accipienda est, sed in præsens ac futurum tempus, usque dum impleretur signum, quod ponitur vers.* 14. *hoc est, dum nasceretur Christus.* Adde *Mommam*, qui clarissimis verbis sententiam hanc exponit. *Oecon. T.* II. *Cap.* IV. §. 118. *Nec sine caussa notavit Lucas factam descriptionem hanc antequam Cyrenius Syriæ Præses esset*: (sic verba Lucæ interpretantur) *ita enim approbatur veritas vaticinii Es. Cap.* VII. *de Immanuele nascituro; usque quo Damascus debebat caput Syriæ esse tantum, non Judææ. Cyrenio autem præside facto, Judæa Syriæ* προσθήκη *facta est. Et Damascus ab illo*

LXII. In qua mutatione Viri docti observant characterem Chronicum nati Messiæ.

 exstitit

exstitit tempore CAPUT ET METROPOLIS, ET SYRIÆ TOTIUS, QUOD SEMPER FUERAT; ET JUDÆÆ TOTIUS; QUOD NON FUERAT; *nec esse debuerat, antequam natus apparuisset Immanuel: certissimo argumento, jam datum esse promissum illud signum, Virgo concipiet &c.* Postquam hæc interpretatio semel Celeberrimo Coccejo allubuit; mox ingentem nacta est sequacium turbam, ἀβασανίστως, ut fieri solet, magistri sententiam arripientium. Neque diffiteor me quoque eandem, bona fide acceptam, aliis olim tradidisse. Donec ex familiari colloquio solidissimi Theologi, & amicissimi mihi capitis, JOHANNIS A MARCK, occasio data est totam hanc rem accuratius examinandi. Ab eo tempore edita est Doctissimi istius viri Exercitatio, qua prolixe de ea materia disseritur.

LXIII. *At minus solide.*

LXIII. Et profecto rem exacte perpendenti facile patebit, neque Jesaiam dicere quod sibi sumunt viri docti; neque quæ ipsi dicunt veritati historiæ esse consona. Non dicit propheta, Damascum caput Syriæ fore usque ad natum Immanuelem, non magis quam, Retzin ad illud usque tempus fore caput Damasci: hæ enim duæ enunciationes ita junguntur, ut una ab altera divelli non debeat; multo minus dicit propheta, post natum Immanuelem Damascum fore caput Judææ. Sed solummodo dicit, non esse futurum, ut Damascus cum suo rege Retzin, potiatur Judæa, uti metuebat Achazus: sed futurum, ut Damascus Syriæ metropolis aliquamdiu maneat, Judææ autem metropolis non fiat; & Retzin Damasci regnet, non *Hierosolymæ.* Ad cujus promissionis confirmationem deinceps adjicitur signum de partu Virginis. Porro non convenit cum historia, neque cum prophetiis, quod Damascus caput Syriæ fuerit, usque ad datum Immanuelem. Nam *Tiglatpileser* eam urbem occupavit, occisoque Retzin incolas abduxit in Kir. 2. Reg. XVI: 9. secundum vaticinia Jes. VIII: 4. XVII: 1, 3. Am. I: 3, 4, 5. Deinceps quidem restituta fuit, sed iterum occupata ab *Alexandro Magno.* Sub *Seleuco Nicanore* & insecutis regibus Syriæ, omnis Damasci gloria transiit fere in *Antiochiam.* Si quid adhuc dominii superfuerit Damasco in Syriam, id, *Tigrane* devicto, atque urbe armis victricibus *Pompeji* per *Lollium* & *Metellum* capta, *Romanis* cessit. Quorum præsides *Antiochiæ*, non *Damasci*, sedem suam plerumque habuerunt. Porro nec hoc verum est, Judæam non fuisse sub dominio Syriæ ante natum Messiam. Si enim Damascus totius Syriæ caput fuisset, oportet eandem caput fuisse Judææ, quo tempore Seleucidæ Syrorum reges Judæorum domini erant, eosque durissime premebant. Denique nec illud certum est, *Damascum* caput *Judææ* factum esse post natum Christum, quando Judæa Syriæ fuit adtributa. Nam eo tempore *Roma* potius

potius quam *Damascus* imperium in Judæam habuit. Præsides Syriæ, a Romanis missi, non *Damasci*, sed *Antiochiæ* degebant, quam SYRIÆ CAPUT *Tacitus* vocat. *Histor.* II. LXXIX. Damascus autem sub Rege *Arabiæ Areta* fuit, 2. Cor. XI: 32. Accedit quod Judæa post relegatum Archelaum, suos habuerit præsides, non a Præsidibus Syriæ, sed & ab ipsis Imperatoribus plerumque missos; quorum mox texemus catalogum. Quæ omnia efficiunt, ut istam interpretationem Jesaiæ, observationemque Characteris Chronici, magno hodie consensu receptam, pro minus solida habeamus. Monitosque juniores velim, ne rei non satis exploratæ, tanquam eximiæ & singulariter eruditæ, traditione plebis Christianæ aures obtundere pergant.

LXIV. *Pulso Archelao Judæa sub Procuratoribus Romanis fuit, numero septem.*

LXIV. Relegato itaque Archelao Judæa sub Procuratoribus vel Præsidibus Romanis fuit: qui hoc ordine numerantur. I. COPONIUS, a *Quirino* Syriæ Prætore, Procurator Judææ, Archelao relegato, constitutus. Sub quo Samaritani templum noctu clanculum ingressi sparsis ossibus illud profanarunt. II. MARCUS AMBIVIUS. III. ANNIUS RUFUS, quo præside Augustus fato functus est. IV. VALERIUS GRATUS, a Tiberio missus, qui præfuit annis XI. V. PONTIUS PILATUS, *δέκα ἔτεσι διατρίψας ἐπὶ Ἰουδαίας*, *qui decennium in Judæa egit*, & cujus notissima est historia. VI. MARCELLUS a VITELLIO Syriæ præfecto missus; qui quum esset in itinere Tiberius vita excessit. VII. MARULLUS missus anno Caligulæ primo, quum Petronius, Vitellio in Syria successurus, Prætor Roma abiret.

LXV. *Donec Cajus Herodem Agrippam regno avito donaret*

LXV. Sub *Cajo Caligula* Imperatore ingens rerum mutatio in Judæa facta est. Is enim HERODI AGRIPPÆ eximie favens, protinus eum regno avito donavit. Erat iste Agrippa *Herodis Magni* ex Aristobulo nepos; distinguendus ab *Herode Antipa*, patruo suo, qui Johannem decollavit & Christo illusit. Patre orbatus, juvenis oppido, ab Herode avo Romam missus fuit. Ubi convictum nactus est Drusi, qui filius erat Tiberii Imperatoris, & amicitiam Antoniæ, Drusi majoris conjugis, apud quam *Bernice*, Herodis Agrippæ mater in pretio erat. Antoniæ multis beneficiis devinctus Herodes, nepotem ejus *Cajum Caligulam* colere cœpit. In cujus intimam receptus amicitiam, dum una cum ipso curru vehebatur, Deum precatus est, ut *Tiberio* brevi e vivis sublato, orbis principatus ad Cajum, eo digniorem, devolveretur. Hæc verba quum Eutychius auriga, libertus Herodis, Tiberio renunciasset, Agrippa in carcerem conjectus, sex mensium custodia, ad Tiberii mortem, detentus fuit. Cajus autem, Tiberii successor non modo carcere eum liberavit, sed & catena aurea donavit, quæ pondere par erat ferreæ isti qua ligari ipsum Tiberius

jusserat:

jusserat: immo & imposito capiti ejus diademate, Tetrarchiæ, quæ Philippi fuerat, Regem constituit, adjecta Lysaniæ quoque Tetrarchia. *Joseph. Antiq. Lib.* XVIII. VIII. Sudes hæc in oculis fuerunt sorori ipsius *Herodiadi*, quæ, invidiæ oestro percita, *Herodem Tetrarcham*, maritum suum, ad similem dignitatem ambiendam quotidianis hortatibus animabat: & cum ipso, spe Regii nominis potiundi, Romam profecta est. Id ubi rescivit Agrippa, scriptis ad Cajum literis accusat Herodem quod Artabano Partho faveret, tantumque sibi collegisset armorum quantum instruendis virorum septuaginta millibus sufficeret. Qua accusatione commotus Cajus, Herodem quidem perpetuo in Gallias apud Lugdunum exilio multavit, ademtamque ei Tetrarchiam Agrippæ regno adjecit. Cæterum non diu fuit quin Cajus, fortunam insolenter ferens, Divinis se honoribus coli postulaverit, statuamque suam in templo *Hierosolymitano* jusserit collocari. Attamen Agrippæ Regis precibus flexus, & officiosa ejus θεραπείᾳ delinitus, tantum veteri amico dedit, ne statuæ fieret dedicatio. *Joseph. Antiq.* XVIII. XI.

LXVI. *Quod confirmavit auxitque Claudius: vulgato etiam notabili in favorem Judaicæ nationis edicto.*

LXVI. Interim Cajo trucidato a Cassio Chærea, cohortis prætoriæ tribuno, in Imperio succedit *Claudius*, qui Agrippam in regno confirmat, addita ipsi Judæa & Samaria; quod olim ad Herodis, avi ipsius, regnum pertinuissent. Agrippa filiam suam *Bernicem Herodi* fratri collocavit, impetrato ipsi regno *Chalcidis* a Claudio. Idem Claudius Judæorum genti, sub Cajo Caligula vehementer oppressæ, suis rursus moribus vivere permisit; edicto per orbem Romanum vulgato, quod his conceptum verbis exhibet *Joseph. Antiq.* XIX. IV. *Tiberius Claudius Cæsar Augustus, Germanicus, Pont. Max. trib. pot. Coss. designatus* II. *edicit. Petentibus a me Agrippa & Herode Regibus mihi amicissimis, ut permitterem Judæis in imperio nostro degentibus uti suo jure quemadmodum antea, sicut & Alexandriam habitantibus concessimus: libenter precibus eorum annuimus, non deprecatorum tantum causa, sed quia ipsos dignos judicamus hoc nostro beneficio, propter servatam populo Romano fidem & amicitiam. Æquissimum igitur censeo, nullam ne Græcam quidem urbem negare illis jus suum, quandoquidem & sub D. Augusti principatu conservatum eis fuit integrum: licebitque in posterum Judæis per totum nostrum imperium sparsim habitantibus uti majorum suorum moribus, quos jam nunc moneo, ut hac nostra gratia contenti modestius se gerant, neque conspuant religiones externarum gentium: suis autem suo arbitratu vivant legibus. Atque hoc meum edictum civitatibus, coloniis, & municipiis Italicis ac provincialibus per magistratus publicari volo, ad Reges quoque atque Dynastas transmitti, non minus triginta continuis diebus ita proponendum, ut ab omnibus humi stantibus possit perlegi.*

LXVII.

LXVII. Herodes igitur Agrippa, tanta dignitate auctus, ut primum *Hierosolymam* venit, votiva sacrificia persolvit, & catenam aureum, a Cajo donatam, pondere parem illi ferreæ, quâ, jubente Tiberio, vinctus olim fuerat, monumentum adversæ fortunæ mutatæ in prosperam, supra gazophylacium in sacrario suspendit. Porro conversus ad *Hierosolyma* curam inter prima regni negotia habuit, muros novæ quæ vocatur civitatis permunire, & latiores altioresque reddere. Et fecisset adversus omnem vim humanam inexpugnabilem, ni Marsus, Syriæ Præses, Claudio Cæsari significasset eam rem per literas: qui suspicatus Judæos molituros aliquid novi, Agrippam a munienda urbe desistere jussit. Laudat hunc Agrippam *Josephus* uti mitissimo præditum ingenio, in exteros omnes ex æquo beneficum, in suæ gentis homines benignum, institutorum ac rituum patriæ observatorem religiosissimum, cui nulla dies absque sacrificio præteriret. Et hac superstitione & Judæis placendi studio factum est ut Jacobum fratrem Johannis gladio interemerit, idem in Petrum ausurus. At non diuturna ipsi regni *Hierosolymitani* usura contigit: tertio enim quo totius Judææ regnum tenuerat, septimo a quo cœperat regnare, anno memorabilem in modum exanimatus est: uti omnes novimus ex Act. XII. *Josephus* sic narrat *Antiq.* XIX. VII. Jamque tertium Judææ totius regni annum exegerat, cum pervenit in urbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta est: ubi solennes ludos celebravit pro salute Cæsaris: ad quam festivitatem magna multitudo nobilium ac procerum convenerat ex tota provincia. Ejus celebritatis die secunda processit mane in theatrum, amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta, quæ radiis exorientis solis percussa, & divinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum horrore excutiebat spectantibus. Moxque adulatores perniciosi alius aliunde acclamantes Deum consalutabant, rogantes ut faveret propitius. Hactenus enim ut hominem reveritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impius adulationem ille nec castigavit, nec repulit: paulloque post suspiciens, vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem: moxque ut sensit hunc esse calamitatis nuncium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina, statim a principio vehementia. Conversis igitur in amicos oculis: *En*, inquit, *ego ille vestra appellatione Deus vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium: & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Sed ferenda est voluntas cœlestis numinis. Neque enim male viximus, imo tanta felicitate, ut omnes me beatum prædicent.* Hæc locutus crescente

LXVII. Agrippa acta, indoles, & mors memorabilis.

dolore discruciabatur; propere igitur relato in regiam rumor sparsus est brevi esse moriturum; quamobrem confestim totus populus una cum uxoribus atque liberis saccum indutus more patrio, supplicabat Deo pro salute regis, omnia miscens lamentis & ejulatibus. Rex autem in celsiore decumbens cubiculo, & in faciem stratos humi prospiciens, non temperabat sibi a lacrymis. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente confectus vitam finiit, annum natus quartum supra quinquagesimum. Postquam autem cognitum est excessisse Agrippam, Cæsarienses & Sebasteni beneficiorum ejus obliti, pessimam ei retulerunt gratiam, convicia non dicenda jactantes in defunctum. Militum quoque vulgus qui tum forte aderant, protractas e palatio filiarum statuas unanimiter detulerunt in lupanaria, eisque ut poterant illudebant, modis quos turpe sit eloqui: instructisque per loca publica epulis convivia celebrabant coronis redimiti & delibuti unguentis, libantes interim Charonti, & sibi invicem propinantes præ gaudio, quod ex obitu Regis conceperant.

LXVIII. *Præterito Agrippa Juniore, defuncti filio, Cuspium Fadum Judææ Procuratorem VIII facit Claudius.*

LXVIII. Filius porro defuncti, qui & ipse Agrippa dicebatur, Romæ erat eo tempore, educabaturque apud Claudium Cæsarem. Qui audito Agrippæ obitu, & contumeliis quibus eum Cæsarienses ac Sebasteni post mortem affecerant, illius quidem causa indoluit, ingratis autem populis vehementer iratus est. Confestim igitur voluit successorem paterni regni Agrippam juniorem mittere, simul ut jurijurando satisfaceret. Sed liberti & amici qui multum apud eum poterant dissuaserunt, negantes tutum, admodum adolescenti, & vix dum egresso pueritiam, tantum regnum committere; cui administrando sit impar, quodque etiam viriles gravare possit humeros. Cumque visi essent æquum dicere, Cæsar præsidem Judææ totiusque regni misit *Cuspium Fadum*: defuncto hoc honoris tribuens, ne Marsum inimicum in regnum ejus induceret. Hic VIII Procurator, Judæam a latrociniis purgavit, *Theudam* præstigiatorem, qui se verbo Jordanem scissurum pollicitus fuerat, immissis in multitudinem, cui imposuerat, turmis, compescuit. *Joseph. Antiq.* XX. II. Ejus tempore *Helena Adiabenorum* regina, & *Izates* ejus filius religionem Judæorum amplexi sunt, quorum pulcherrimam historiam apud *Josephum* vide. *Herodes* etiam *Chalcidis* rex, Agrippæ majoris frater, eodem tempore impetravit a Claudio potestatem in templum & sacrum ærarium, jusque eligendorum summorum Pontificum.

LXIX. *Fado successit Tiberius Alexander,*

LXIX. Fado successit IX Procurator, TIBERIUS ALEXANDER, ejus Alexandri filius, qui Alabarchæ magistratum gessit Alexandriæ, frater celeberrimi illius Philonis; natione Judæus, sed religionis pa-

triæ desertor. Hujus tempore magna illa fames Judæam tenuit, quam Agabus prædixerat. Act. XI: 28.

Philonis Judæi frater.

LXX. Tiberio Alexandro suffectus est Procurator X, CUMANUS VENTIDIUS. Sub quo unius militis impudentia magnam intulit Judæis cladem: nam quarta die Paschatis nudata populo genitalia ostendens, ingenti seditioni materiem præbuit: quam sedaturus *Cumanus* jubet totum exercitum cum armis convenire in Antoniam, arcem templo imminentem. Unde territa multitudo cœpit magno impetu fugere: & quum angusti essent viarum exitus, ita se invicem inter fugiendum conculcabant, ut viginti Judæorum millia eo tumultu desiderata sint. Tandem quum Samaritani Galilæos, per dies festos *Hierosolymam* contendentes, latrociniis vexassent, & Judæi ad arma pro Galilæis concurrissent, caussaque Romæ cognosceretur, Cumanus, qui Samaritanorum partes defenderat, a Claudio damnatus, & exilio mulctatus est.

LXX. *Huic Cumanus Ventidius, sub quo 20000 Judæi uno tumultu Hierosolymis perierunt.*

LXXI. Substitutus vero ei CLAUDIUS FELIX, quem *Antonium Felicem* vocat Tacitus, Pallantis liberti, qui apud Claudium omnia poterat, frater, XI Judææ Procurator. Huic nupsit *Drusilla*, neptis Antonii & Cleopatræ, filia, uti credibile est, Jubæ Regis & Cleopatræ junioris: mox & altera Drusilla, filia Agrippæ majoris, Agrippæ minoris soror, fœmina pulcherrima, sed libidinosissima, quæ reliquerat maritum *Azizum* regem *Emesenorum*, conculcata religione patria. Drusillas enim duas habuisse Felicem necesse est: nam quæ neptis Antonii & Cleopatræ fuit, soror Agrippæ minoris esse non potuit. *Suetonius in Claud. cap.* XXVIII. *trium reginarum maritum* vocat. Hic est ille Felix, hæc illa Drusilla, qui Pauli caussam audierunt. Act. XXIV: 24. Ejus tempore Claudius *Agrippam Juniorem* donavit Tetrarchia *Philippi*, cum *Batanæa*, *Trachonitide* & *Abylene*, quæ fuerat *Lysaniæ*. *Chalcidem* vero, cujus ab Herodis, patrui sui, obitu, jam quadriennium Dynasta fuerat, ei abstulit. *Nero* præterea adjecit partem *Galilææ* cum *Tiberiade*, *Tarichæa* & *Juliade* trans Jordanem, relicta ei eadem potestate in templum summosque pontifices, quam Herodes patruus olim habuerat. Felix autem quum a Judæis in judicium vocaretur coram Nerone, Pallantis fratris precibus servatus, successorem nactus est PORTIUM FESTUM, XII. Procuratorem.

LXXI. *Eum secutus Claudius Felix: cujus tempore invaluit Junioris Agrippæ in Judæa auctoritas.*

LXXII. Sub ejus præsidio Agrippa rex exstruxit insigni amplitudine domum prope porticum, in regia *Hierosolymitana* quæ Asmonæorum fuerat, sitam in edito loco, unde amœnissimus prospectus patebat contemplari urbem volentibus: cujus voluptatis rex cupidus e cubiculo spectabat quicquid circa templum fieret. Id ubi viderunt

LXXII. *XII Procurator Portius Festus fuit: quo præside Agrippa Rex*

domum, unde prospectus in Templum esset, struxit Hierosolymæ.

Hierosolymitani proceres, tulerunt indignissime. Neque enim leges Judæorum concedunt spectari quid agatur in templo, præsertim sacrificia. Quamobrem altum parietem excitaverunt supra exedram, quæ erat in interiore templo versa ad solem occiduum. Hæc non solum regii triclinii prospectum arcebat: verum etiam occidentalis extra templum sitæ porticus, ubi festis diebus Romani stationes habebant ad templi custodiam; quo facto tam rex offensus est, quam Festus, præses provinciæ. Qui etiam jussit parietem dirui. Cives autem rogaverunt, ut liceret sibi legatos ea de re ad Neronem mittere, negantes se posse vivere, si quid demoliretur de templi ædificiis. Quo impetrato miserunt ad Imperatorem decem cives eximios, & Ismaëlem summum pontificem, & Chelciam custodem sacri ærarii. Nero audita legatione non solum ignovit, sed permisit etiam sic manere parietem, gratificatus in hoc uxori suæ Poppææ, quam *pia fœminæ* elogio commendat Josephus, Tacitus *Principale scortum* dixit, *cui cuncta alia fuere, præter honestum animum.* Hæc pro Judæis deprecatrix fuerat & decem illos viros redire permisit, Chelciam vero & Ismaëlem apud se detinuit tanquam obsides. Id postquam Agrippa rescivit, pontificatum detulit Josepho cognomine Cabi, Simonis, quondam summi Pont. filio. Hic est ille Agrippa, qui cum sorore *Berenice* Paulum caussam suam perorantem audivit, ita animo commotus, ut temperare sibi non potuerit, quin Paulo diceret, *propemodum persuades ut fiam Christianus.* Actor. XXVI: 28.

LXXIII. *Albinus XIII Procurator Ananum pontificem, Jacobi Apostoli interfectorem vehementer increpat.*

LXXIII. Festo mortuo Nero ALBINUM in Judæam misit, XIII Procuratorem. Qui antequam in Provinciam devenisset, *Ananus* Pontifex, filius Annæ illius de quo in Evangelio legimus; Joh. XVIII: 13. audax & ferox ingenio, secta Sadducæus, truculentiam suam in Apostolum Jacobum, fratrem Domini, cujus Catholicam epistolam habemus, exseruit. Quod facinus his a *Josepho* verbis narratur: *Antiq.* XX. VIII. *Talis igitur quum esset Ananus, tempus opportunum se nactum ratus mortuo Festo, Albino adhuc agente in itinere, concilium judicum advocat: statutumque coram eo fratrem Jesu Christi Jacobum nomine, & una quosdam alios, reos impietatis peractos lapidandos tradidit: quod factum omnibus in ea civitate bonis & legum studiosis vehementer displicuit: missisque ad regem clam nunciis rogaverunt mandaret Anano, ne quid tale posthac ageret. Nam ne nunc quidem recte egisse. Quidam etiam Albino occurrentes venienti ab Alexandia, docuerunt eum, non licuisse Anano sine ipsius consensu advocare concilium. Horum verbis ille persuasus iracunde scripsit pontifici, daturum sibi pœnas minitans. Et Agrippa rex eam ob causam post tertium mensem ablatum ab eo pontificatum*

catum Jesu Dammei filio concessit. Sub Albino initium habuit bellum Judaicum, quo tota *Hierosolyma*, Templumque ipsum tandem eversa sunt. Eodemque Præside *Jesus*, *Anani* filius, homo plebejus & rusticus, multiplex illud *Væ* in *Hierosolymam* detonuit, & usque ad obsidionis *Hierosolymitanæ* tempora per annos VII. & V. menses continuavit. *Joseph. De Bell. Jud.* VII. XII.

LXXIV. GESSIUS FLORUS Albino successor a Nerone missus, XIV & ultimus Procuratorum fuit. Quem vivis coloribus ita depinxit Josephus: *Antiq.* XX. IX. *Florus quasi ad ostentandam missus malitiam, publice traducebat nostræ gentis injurias, nihil sibi ad summam in rapinis & suppliciis iniquitatem reliquum faciens. Erat enim inflexibilis ad misericordiam: nullis unquam lucris satiabilis; undecunque parva æque captans ac magna, ut etiam latronum esset particeps. Multi enim illum quæstum exercebant securi de incolumitate; quam ab eo redimebant decisis prædarum partibus: adeoque nullus erat injuriarum vel modus, vel finis: ut miseri Judæi, non ferentes rapacem latronum insolentiam, cogerentur, laribus relictis & patriis ceremoniis, ad exteros fugere, judicantes ubivis, etiam apud barbaros, se vivere posse commodius. Et quid multis verbis opus est? Bellum contra Romanos suscipere solus Florus nos compulit, malens semel universos quam paullatim perdere.* LXXIV. *Gessius Florus, ultimus procurator, incendiarius belli Judaici.*

LXXV. Vergebant jam res Judæorum ad interitum, dum bello cum Romanis implicabantur, non finiendo nisi cum reipublicæ suæ excidio. Eam rem diligenter atque accurate VII libris exsecutus *Josephus* est. Summa historiæ huc redit: *Florus* Procurator, quum Judæos Cæsarienses & *Hierosolymitanos*, miris divexatos modis, ad bellum provocasset, illi non solum *Agrippam* Regem, pacis suasorem, saxis petitum, urbe pepulerunt; sed & omnes alios qui pacem malebant, in superiori urbe oppugnarunt, arci regiæ & archivo ignem intulerunt, Pontificem *Ananiam* sustulerunt, milites Romanos, armis traditis, de abitu pactos, contra datam fidem peremerunt. Interim omnis Syria adversus Judæos armatur. Præses Syriæ *Cestius Hierosolymam* militari manu cingit: sed turpiter in fugam conjectus est, sex millibus suorum desideratis. Post illius discessum, multi nobilium Judæorum, tanquam ex navi pessum itura enataverunt. In eorum numero & Christiani fuere, Pellam, Peræa civitatem, commigrantes, securam ibi habituri sedem. *Vespasianus* igitur a Nerone missus Galilæam igne & cædibus vastavit. Sic qui primi omnium atque frequentissime J. C. miracula viderant, justissimo Dei judicio incredulitatis suæ ac pervicaciæ primi dederunt pœnas. Interim latronum globi & cunei per universam Judæam excitantur, prædas ex iis LXXV. *Ejus belli summa, & exitus.*

iis qui pro pace ſtabant agentes; quibus onuſti *Hieroſolymis* recipiuntur, atque iſthic omnia diſcordiis, rapinis ac cædibus implent. Hiſce diſcordiis quibus ſe invicem conficiebant Judæi, & transfugarum vocibus, excitatus Veſpaſianus, accingit ſe ad *Hieroſolymorum* obſidionem. Interea temporis accepta Cæſareæ *Galbæ* & *Othonis* nece, ab exercitu Imperator ſalutatur, & in Italiam navigans, *Titum* filium in Judæam cum copiis mittit, ad conficiendas belli Judaici reliquias. Qui, Judæis fruſtra erumpentibus, caſtra ad urbem locavit, fame intolerabili piam matrem ad filii carnes manducandas adegit, & partim fame, partim vi, urbem tandem expugnavit, templum incendit, ſacerdotes necari juſſit, & ex ipſis fundamentis ingratam civitatem diruit, inducto de more aratro. Relictis tantum turribus, quæ præter cæteras eminebant, *Phaſaëlo*, *Hippico*, & *Marianne*, eaque parte muri quæ civitatem ab occidente cingebat; tum ut caſtrum illic Romanis militibus eſſet, cuſtodiæ cauſſa relinquendis, tum ut monumentum eſſent poſteris, unde pateret, qualem & quam munitam civitatem Romanorum virtus obtinuiſſet. Numerum Judæorum qui in obſidione civitatis mortui ſunt ad UNDECIES CENTENA MILLIA, captivorum autem ad NONAGINTA ET SEPTEM MILLIA refert *Joſephus*. Eorum autem miſerrima fuit conditio. Nam ex juventute ii qui proceritate corporis & forma cæteris præſtarent ad ornamentum triumphi reſervati fuerunt: ex reliqua autem multitudine, qui XVII ætatis annum exceſſerant vincti ad metalla exercenda in Ægyptum perducti ſunt: plurimi etiam per provincias diſtributi, qui in publicis ſpectaculis, aut ferro aut beſtiis conſumerentur: quicunque vero minores erant annis XVII, illi in ſervitutem abducti ſub corona venierunt.

LXXVI. *Finis Hieroſolymæ, ſexies captæ, bis dirutæ.*

LXXVI. Atque hic finis eſt *Hieroſolymæ*, quæ *ſexies* in univerſum *capta* fuit, *bis everſa*. Et capta quidem fuit, non everſa. I. A *Siſaco* Ægypti Rege 2. Chron. XII. II. Ab *Antiocho Epiphane*. III. A *Pompejo*. IV. Ab *Herode* & *Soſio*. Everſa autem I. A *Nebucadnetzare*. II. A *Tito Veſpaſiano*, Anno Chriſti Dionyſiano LXX. templo expugnato crematoque eodem menſe ac die quo primum a Babyloniis templum erat incenſum. Memorabilis eſt locus in *Seder olam*: היה
ר׳ יוסי אומר מגלגלין זכות ליום זכות וחובה ליום חובה שנמצאת
אומר כשחרב הבית בראשונה אותו היום מוצאי שבת היה ומוצאי
שביעי היתה ומשמרתו של יהויריב היתה ותשעה באב היה וכן שניה
בזה ובזה הלוים עומדים על דוכנן ואומרים שירה וישב את
אונם *Rabbi Joſe dixit. Quemadmodum meriti remuneratio, etiam poſt longum tempus, recidit ac revolvitur in eundem diem, ita & peccati.*

Atque

Atque experimento compertum est: nam quum antea vastaretur Templum erat extremum Sabbati: & rursus extremum septimi anni erat. Praterea erat septimana stationis Jojarib, & nonus dies mensis abierat. Et ita fuere hæc omnia quoque in secundo excidio. In utroque autem Levita stabant in Cathedra recitabantque oden hanc: RETRIBUET ILLIS INIQUITATEM SUAM. Vide *Cunæ. de Rep. Heb. Lib.* II. *Cap.* XV.

LXXVII. Titus rebus in Oriente compositis, Romam navigavit: ubi omnium votis exceptus una cum patre de subacta Judæa triumphavit. In eo triumpho portata fuit Lex Judæorum, novissima spoliorum: quæ una cum penetralium velis purpureis in Palatio est reposita. *Joseph. de Bell. Jud.* VII. XXIV. Exstat adhuc Romæ ad radices montis Palatini arcus triumphalis marmoreus in honorem Titi erectus: ex quo instrumentorum Templi, in eo triumpho traductorum ectypon habetur a *Vilalpando* expressum. *Tom.* II. *Explanat. in Ezech. Lib.* V. *Cap.* VII. Fornix istius arcus Triumphalis in frontispicio hac inscriptione consignatus est: SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS. DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F. VESPASIANO. AUGUSTO. Et in lapide seorsim posito hæc leguntur: IMP. TITO. CÆSARI. DIVI. VESPASIANI. F. VESPASIANO. AUGUSTO. PONTIFICI. MAXIMO. TRIBUN. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. PP. PRINCIPI. SUO. S. P. Q. R. QUI. PRÆCEPTIS. PATRIS. CONSILIIS. QUE. ET AUSPICIIS. GENTEM. JUDÆORUM. DOMUIT. ET. URBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBUS. ANTE. SE. DUCIBUS. REGIBUS. GENTIBUS. QUE. AUT. FRUSTRA. PETITAM. AUT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT. Quas inscriptiones suppeditavit nobis *Baronius ad Annum Christi* LXXIII. *Annal. T.* I. *p.* 695.

LXXVII. De qua subacta Titus cum patre Vespasiano triumphavit.

LXXVIII. Exstant etiam Titi numismata, trophæo & quadriga triumphali insignita: ut & Vespasiani, cum effigie mulieris moestæ sedentis sub Palma, & inscriptione, JUDÆA CAPTA. Exstat & nummus anno XXI Agrippæ Regis cusus; cum Græca hac inscriptione. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΙΟΥΔΑΙΑΣ. ΕΑΛΩΚΥΑΣ. ΕΤΕΙ. ΚΑ. ΑΓΡΙΠΠ. Alium nummum exhibet Patinus quo signatur annus Agrippæ XXIII. Ab una parte repræsentatur Victoria cum Palma & Corona. Altera pars hanc inscriptionem habet: ΕΤΕΙ. ΚΓ. ΑΓΡΙΠΠ.

LXXVIII. Numismata Vespasiani, Titi, & Agrippæ.

LXXIX. Agrippa iste, Regum Herodiadarum ultimus, Romam concessit, ubi Prætoriis honoribus auctum scribit *Dio.* Certe cum *Berenice* sorore habitavit in Palatio. Cujus, ob insignem fœminæ pulcritudinem, amore ita flagravit Titus, ut nuptiarum ei spem fecerit; eaque jam omnia, ac si uxor esset, gesserit. Sed quum intelli-

LXXIX. Cujus sorori Berenice Titus nuptiarum spem Romæ fecisse fertur.

intelligeret Titus populum Romanum id moleste ferre, eam dimisit: incestæ cum fratre consuetudinis suspectam. Quo nomine etiam a *Juvenale* notata est, *Sat.* VI. Vide *Suetoni. in Tito Cap.* VII. cum notis viri eruditissimi, *Samuelis Pitisci*.

LXXX. *Hierosolymæ excidium iræ Dei adversus Judæorum scelera Titus & Josephus imputant.*

LXXX. Memorabile admodum est quod *Philostratus* narrat in vita *Apollonii Thyanæi. Lib.* v. *Cap.* XIV. Quum vicinæ gentes Tito, ob victoriam Judaicam, coronas, ex more oblatum veniebant, quibus eum redimere vellent: οὐκ ἠξίου ἑαυτὸν τούτου· μὴ γὰρ αὐτὸν ταῦτα εἰργάσθαι, Θεῷ δὲ ὀργὴν φήναντι ἐπιδεδωκέναι τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας. *eo se honore indignum dictabat: neque enim se hæc patravisse, sed Deo iram demonstranti suas commodasse manus.* Enimvero luculentissimum iræ Divinæ exemplum in *Hierosolymorum* excidione est: quam suis sceleribus perditissima Judæorum natio in se concitaverat. Quod gravi oratione profitetur *Josephus de Bell. Jud.* VI. XVI. *Non equidem recusabo dicere, quæ dolor jubet. Puto, si Romani contra nostros venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulmina ac Sodomæ incendia passuram: multo enim magis impiam progeniem tulit quam quæ illa pertulerat.*

LXXXI. *Maximum autem scelerum fuit crucifixio Jesu.*

LXXXI. Tremendo quidem, at justissimo Dei judicio, gens superstitioni obnoxia, veræ religioni adversa, in mentem reprobam tradita fuit, postquam missum ad se Dei Filium, mundi Sospitatorem, Jesum Christum, promissum exspectatumque patribus Messiam, non modo proterve sprevisset, sed & sceleratis manibus cruci adfixum interemisset; prædicatumque per Apostolos Evangelium pervicaciter rejecisset, nec ipsa oblatam sibi salutem accipiens, neque permittens ut offerretur gentilibus. Ideoque visum numini est ita pœnæ rationem omnem ordinare, ut in ea manifestissima criminum exprobratio esset: qua & ipsi & alii dignoscere possent, modo adverterent animum, quam ob culpam tam dira paterentur.

LXXXII. *Hinc sapienter Deus ita pœnas ordinavit, ut in iis evidentissima hujus criminis exprobratio esset.*

LXXXII. Pro exemplis pauculæ hæ observationes sunto. I. Jesus olim quum *ad descensum montis olivarum* appropinquaret, visa urbe piis lacrumis futurum ejus casum miserabatur, saniorem mentem ac meliora fata ardentibus votis adprecatus. Luc. XIX: 37, 41. Eodem autem loco Romani in prima obsidione castra ponere cœperunt. Sic enim *Josephus de Bell. Jud.* VI. III. *His autem præceptum erat sexto ab Hierosolymis stadio castra ponere, qua in parte mons qui appellatur* Ἐλαιῶν, *contra civitatem ab oriente situs est, altaque interjacente valle discernitur, cui nomen est Cedron.* II. Inter crimina Jesu calumniose objecta & hoc erat, quod non satis honorifice de *templo* locutus esset; Mat. XXVI: 61. eundemque prætextum arripuerunt sæviendi in Stepha-

phanum Protomartyrem; Actor. VI: 14. Paulum etiam locum sanctum gentilium hominum introductione profanasse mentiebantur. Act. XXI: 28. quamvis ipsi jam tum domum orationis, in *speluncam latronum* vertere cœpissent. Cæterum omni modo *spelunca latronum* facta est, quando Zelotarum principes, mutuis cædibus furentes, totam replebant cadaveribus ædem: sic ut & sacerdotes sacra celebrantes caderent, & multi qui ab ultimis finibus terræ ad sanctissimum locum venissent, ante ipsas hostias sternerentur; aramque, Græcis & Barbaris adorandam, suo sanguine imbuerent; perque altaria Divina stagnum fecerit cæsorum sanguis. Cujus furoris meditatio has Josepho lamentationes expressit. *De Bell. Jud Lib.* VI. *Cap.* I. *Quid tantum passa es, O miserrima civitas, a Romanis, qui tua intestina scelera flammis purgaturi introiere? Jam enim Dei locus non eras, neque manere poteras, domesticorum funerum facta sepulcrum, & quæ fanum civili bello tumulum constitueras.* III. Primores populi, principesque sacerdotum ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον, *moto tumultu concitarant plebem*, ut Pilato, quantumvis invito, traditionem Jesu ad necem extorquerent. Marc. XV: 11. Sed ab eo tempore perpetuis discordiis ac tumultibus agitata natio in sua viscera sæviit: ut civilibus contentionibus, variis in urbibus, *Hierosolymis*, *Cæsareæ*, *Scythopoli*, *Damasci*, supra *centena Judæorum millia* perierint. IV. Verum salutis auctorem, tot se prodigiosis operibus, Divinæque missionis certissimis argumentis comprobantem, adspernati sunt. At aliis seductoribus, qui se populi liberatores servatoresque fore temere pollicebantur, credulas aureis præbentes, stultitiæ suæ justissimas dederunt pœnas. De quibus iterum conquerentem audiamus *Josephum. de Bell. Jud.* II. XII. *Seductores namque homines & circumventores, sub specie religionis novis rebus studentes, vulgus insanire fecerunt. Nam in solitudines egrediebantur, promittentes Deum signa eis ostensurum libertatis. Contra quos Felix (videbantur quippe semina defectionis esse) mittens equites atque pedites armatos, magnam multitudinem interfecit. Majore autem plaga Judæos afflixit Ægyptius quidam pseudopropheta. Adveniens quippe in provinciam, Magus cum esset, Prophetæ opinionem sibi arrogans, triginta ferme millia hominum congregavit, quos vana seductione deceperat. Et circumducens eos de solitudine in montem qui vocatur Olivarum, inde ad Hierosolymam nitebatur ascendere: depulsoque Romanorum præsidio, in populares exercere dominationem. Utebatur autem stipatoribus, qui ad id facinus convenerant. Prævidit sane ejus impetum Felix, & occurrens cum ipsis Romanis armatis, quos etiam Judæorum reliqua multitudo juvabat, iniit conflictum. Et Ægyptius quidem cum paucis fugit. Plurimi autem*

qui cum ipso fuerant, comprehensi atque vinculis traditi sunt. Reliqua vero multitudo in regiones proprias dispersa est. Ita completa est Domini prædictio: Joh. v: 43. *Ego veni in nomine Patris mei, nec recipitis me: si venerit alius nomine suo, illum recipietis.* V. Ipso *Paschatis* festo, celeberrima totius populi panegyri, Jesum damnarunt, crucique suffixum publicæ omnium ignominiæ exposuerunt. Eadem post aliquot annos festivitate tota populi multitudo *Hierosolymis* fatali bello circumventa est. Rursus *Josephus, de Bell. Jud.* VII. XVII. *Ab omnibus regionibus ad Azymorum diem festum congregati, bello subito circumfusi sunt.* Paullo post: *Tunc velut in carcerem tota gens fato conclusa est, & farta hominibus civitas bello obsidebatur.* VI. Furens populus a primoribus incitatus, horrenda imprecatione sibi suæque posteritati imputari petiit sanguinem Jesu, maluitque, si vindicandus esset, in se ac nepotibus suis vindicari, quam ut non funderetur. Adeo desiderabile ipsis spectaculum videbatur, Jesus suffixus cruci. At quam severe fusum Filii sui sanguinem a maledicta gente poposcit Deus? ut ardente templo cum porticibus suis, omnibusque quæ circa erant ædificiis, *interfectorum sanguis igne largior esse videretur.* Et notabile admodum est, quod Titus profugos ad castra sua, ante mortem verberatos, & modis omnibus excruciatos, contra murum cruci suffigi jusserit, aliquando quingentos in dies singulos; sic ut *propter multitudinem jam spatium crucibus deesset, & corporibus cruces. Joseph. de Bello Jud.* VI. XII. Nonne tantundem est ac si cœlitus inclamasset Deus: nunc tandem animadvertite, miseri, quid feceritis, sospitatorem vestrum ad crucem postulando, petendoque ut sanguis ipsius super vobis sit & filiis vestris.

LXXXIII. *Oratio ad Jesum pro reconciliatione gentis Judaicæ.*

LXXXIII. Domine Jesu, quem nos verum & unicum servatorem nostrum agnoscimus, veniat sanguis tuus super electa olim, nunc repudiata, sed ob patres adhuc dilecta, ac stato tempore in gratiam recipienda gente Judaica: sed veniat ad gratiam, non ad vindictam: sitque iis sanguis adspersionis potiora loquens quam loquatur Abel.

EXER-

EXERCITATIO XII.

HISTORIA HIEROSOLYMÆ, Ab Excidio Titi *AD* *NOSTRA USQUE TEMPORA.*

BREVIARIUM.

I. Victa Hierosolyma, Massada omnium arcium Judææ munitissima, mutua cæde necatis civibus, vacua Romanis cedit. II. Terra Judææ vendita, Cæsarea Palæstinæ metropolis manet. III. Judæi se paullatim in terra sua recolligunt, & celebres Academias, ac Scholas restaurant. IV. Suum etiam habent Patriarcham, cui aurum coronarium penditur: & hic suos Apostolos. V. Christiani quoque Pella rediisse videntur, si verum sit quod de Christi consanguineis ad Domitianum delatis narrat Hegesippus. VI. Catalogus Episcoporum Ecclesiæ Hierosolymitanæ. VII. Quos in parte urbis a Tito non vastata sedisse, veterum plerique tradidere. VIII. At perperam: quum tota urbs solo æquata sit. IX. Verum ubicunque dispersi Hierosolymitani cum suo Episcopo, ibi Hierosolymitana fuit Ecclesia. X. Judæorum sub Trajano rebellantium furor. XI. Hadrianus in solo Hierosolymæ Æliam Capitolinam condidit, & suem portæ insculpsit. XII. Quod Judæis pertinacissimæ occasio fuit rebellionis. XIII. Quæ suppressa quadantenus, validius per Barcozba in urbe Bitter redintegrata est. XIV. At magno Judæorum malo. XV. Ælia non nisi abusive Hierosolyma vocatur. XVI. In quam pedem inferre Judæi severa lege prohibiti sunt; nisi una duntaxat quotannis die, ad miseros planctus. XVII. Exosi semper Romanis, & contemti. XVIII. De profanata ab Hadriano, ex odio Christianæ religionis, Hierosolyma, Paulini & Hieronymi querelæ. XIX. Interim Palæstinæ Ecclesiæ, mediocri pace fruentes, concilia celebrant. XX. Mira Narcissi, Episcopi Hierosolymitani, historia. XXI. Constantinus Hierosolymæ ad sepulcrum Domini splendidissimum struxit Templum.

XXII. Solemni ritu dedicandum. XXIII. Cujus fulgore perstrictus Eusebius, novam se in eo Prophetarum Hierosolymam cernere, falso autumavit. XXIV. Helena etiam duas ædes sacras condidit: alteram Betlemi: alteram in monte Oliveti. XXV. Veterum de impressis huic loco vestigiis Christi, aliisque miraculis, incertæ narrationes. XXVI. Historia crucis per Helenam repertæ. XXVII. Quam fabulæ propiorem esse multis argumentis evincitur. XXVIII. Frequentes olim, & superstitiosæ, ad Hierosolymam peregrinationes. XXIX. Quibus gradibus Episcopus Hierosolymitanus Patriarchæ nomen ac dignitatem nactus sit. XXX. Judæos iterum rebellantes pœnis ac legibus Constantinus compescuit. XXXI. Postmodum Constantius nova molientes profligavit. XXXII. Julianus Templum & sacra instaurare jussit; at cælitus impedito molimine. XXXIII. Quod & Judæis & Gentilibus Scriptoribus observatum est. XXXIV. Feliciori successu Justinianus Hierosolymæ superbam ædem Mariæ Deiparæ struxit. XXXV. Aliasque ibi Ecclesias antiqui Judæorum Templi spoliis locupletavit. XXXVI. Chosroës Persa Hierosolymam capit. XXXVII. Quam Siroës filius Heraclio restituit. XXXVIII. Qui crucem Domini solemniter, nec sine prodigio, suis humeris in Calvariam tulisse fertur. XXXIX. Dein Saraceni Hierosolyma potiuntur: & Homar Mahumeticæ religioni Templum ædificat, eo loci ubi Salomonis steterat. XL. Dum Mahumetanis mancipata fuit Hierosolyma, frequenter mutavit dominos, variis acta fatis: donec recuperata Christianis est. XLI. Quos Petrus quidam Eremita ita ad sacram expeditionem excitat, ut auctore Urbano Pontifice, cum magni nominis principibus, incredibilis hominum multitudo, suscepto crucis signo, in Orientem contendat. XLII. Attamen consilium hoc Deo non placuit, nam Pontifices suæ solum avaritiæ & ambitioni litabant. XLIII. Principes & milites fascinabat superstitio. XLIV. Plebs cruciatorum omnibus flagitiis cooperti, dedecus ubique Christianismi erant: & plerique in via fœde perierunt. XLV. Qui tamen ex tam immensa multitudine reliqui in Palæstinam venerunt, Hierosolyma tandem potiti sunt. XLVI. Et Gothefridum Bulionæum, egregium principem, Regem Hierosolymæ creaverunt. XLVII. Regni Hierosolymitani Christianorum brevis historia. XLVIII. Everso hoc regno, Mahumetanis servit Hierosolyma in hunc usque diem. XLIX. Urbis, uti nunc est, accurata delineatio.

Victa,



Victa, incensa, diruta a Tito *Hierosolyma*, quæ in Judæa superent, Romanæ fortitudini cedentia, in eorum brevi redacta sunt ditionem. Lucilius Bassus legatus in Judæam missus *Herodion* deditione cepit: mox & *Machæruntem*, natura & arte munitissimam. Restabat *Massada*, quam Herodes Magnus sibi in refugium paravisse fertur; duplex periculum suspicans: alterum a populo Judaico, ne, se deposito, ex antiquorum regum stemmate aliquem throno imponeret: alterum a Cleopatra Ægypti regina, quæ sæpius Antonium obsecravit, ut interfecto Herode sibi regnum Judæorum donaret. Hæc extremum belli opus Romanis fuit. Præerat tunc ei *Eleazarus*, vir præpotens, & excelsi animi: qui desperans se tutaturum arcem adversus Flavii Silvæ copias, truci oratione obsessis persuasit, ut mutuis se potius vulneribus conficere, quam vivos Romanis tradere mallent. Simul enim vale extremum cum amplexu uxoribus dicebant, & liberos gremiis captos lacrumantes osculabantur: & simul volentes eos letalibus ictibus configebant: malorum, quæ victi & vivi passuri fuerant, cogitationem pro solatio necessitatis ad cædem habentes. Charissimis ita pignoribus suis, ex mera, ut rebantur, pietate trucidatis, universis bonis ignem injiciunt: & sorte lectis decem superstitum omnium percussoribus, universi propter liberos & conjuges prostratos compositi, eosque tenerrime complexi, parato se animo mactandos præbent. Cunctis ita occisis, decem illi, eandem sortis legem in sua quoque morte statuerunt, ut cui obtigisset, novem peremtis semet super eos occideret. Ita omnes se neci supposuerunt: excepta una anu, cum quinque pueris, quæ ex latebris, quibus se abdiderat, postera die prodiens, vacuam Romanis, ad tantam desperationem stupentibus, arcem ostendit. Simile, quamvis non par, Capuanorum civium exemplum vide apud *Livium Lib.* XXVI. *Cap.* XIII. XIV. XV.

I. *Victa Hierosolyma, Massada omnium arcium Judææ munitissima, mutua cæde necatis civibus, vacua Romanis cedit.*

II. Eodem tempore Vespasianus ad Liberium Maximum, tunc Procuratorem, scripsit, ut omnem terram Judæorum venderet: neque enim ullam in ea condi civitatem voluit, proprium sibi servans eorum agrum. Solis octingentis militibus illic relictis, locum dedit quem incolerent, qui vocabatur *Emmaus*, & distabat *Hierosolyma* XXX stadiis: mutato autem antiquo nomine, & novo ex parta victoria indito, *Nicopolis* appellatus fuit. Interim *Cæsarea* maritima, olim *Turris Stratonis* dicta, ubi necatis antea Judæis, gentiles qui eam incolebant rerum potiebantur, totius Palæstinæ metropolis remansit: & ob egregiam a civibus navatam contra Judæos operam,

II. *Terra Judææ vendita, Cæsarea Palæstinæ metropolis manet.*

ram, a Vespasiano Imperatore facta est Colonia Romanorum, immunis a censu capitis & possessionum. Judæis autem, ubicunque terrarum degerent, imperatum tributum est; ut quas in Templum olim solebant inferre binas drachmas, illas ipsas ab hinc penderent Jovi Capitolino.

III. Judæi se paullatim terra sua recolligunt, & celebres Academias, ac Scholas restaurant.

III. Porro ita per orbem totum dispersi fuere Judæi, ut velut ex amputato trunco mira fertilitate pullulantes, paullatim se in terra sua magno numero recolligerent, & indultu Domitiani, Nervæ, Trajani, civitates non plane destructas incolerent. Si Talmudicis fides, non obstante novissimo reipublicæ excidio, & vastitate Palæstinæ, remanserunt docti quidam magnæque auctoritatis viri; qui in urbibus commodioribus Scholas & Ecclesias instaurarunt. Inter eas quæ sapientum nominibus celebriores redditæ sunt, laudantur in Hebræorum scriptis *Jafne*, *Zephoria*, *Cæsarea*, *Tiberias*. Et *Jafne* quidem per quinque annos Academiæ Rector, Synedrii Præses, & Caput exulum fuisse dicitur, *Jochanan* filius *Zacchæi*, qui ex ruinis *Hierosolymorum* evaserat: cui successerit *Rabban Gamaliël* secundus, Rabban Gamaliëlis senis, Pauli Apostoli præceptoris, non filius, quod *Buxtorfius* putat, *Tiberiad. Cap.* v: sed ex Simeone filio nepos, quod ostendit *Lightfootus Descript. Temp. Cap*, XXII. *circa finem*. Deinceps dictus רבן גמליאל דיבנה *Rabban Gamaliël Jafnensis*. *Cæsareæ* habitasse fertur Rabbi אפהו *Afhu*. *Tiberiadem* dein translatum fuit Synedrium, mansitque ibi aliquamdiu Academia celeberrima.

IV. Suum etiam habent Patriarcham, cui aurum coronarium penditur: & hic, suos Apostolos.

IV. Post excidium *Hierosolymorum* habuerunt Judæi suos PATRIARCHAS, cujus dignitatis ac nominis nulla ante istam ætatem apud Judæos est mentio: nisi fortassis Patriarcha Epiphanio, & juris Romani scriptoribus, idem ille dicatur, qui Hebræis נשיא, vel ראש חישיב, *Princeps*, aut *Caput Academiæ*. Præerant autem Patriarchæ suis singuli ἀποδασμοῖς. At duo erant præcipui: quorum alter *Babylone* sedem suam habebat, in gratiam Judæorum trans Euphratem, sub Parthorum imperio, degentium; alter *Tiberiade* Galilææ, pro Judæis per imperium Romanum dispersis. Magna erat horum Patriarcharum auctoritas dignitasque. Et quum ipsi per se omnia gubernare non possent, ditioni suæ subjectis Judæis alios pro arbitrio præponebant; qui *Primates*, *Archisynagogi*, *Hiereï*, *Presbyteri*, dicebantur: quos etiam, ubi deliquissent, magistratu abdicandi potestatem habebant. Principem vero post Patriarchas dignitatis locum obtinebant illi quos APOSTOLOS vocabant, nisi nos fallit *Epiphanius*. *Lib.* I. *Tom.* II. *Hæres.* XXX. §. IV. Προσεδρέυουσι γὰρ τῷ πατριάρχῃ, καὶ σὺν αὐτῷ πολλάκις, καὶ ἐν νυκτὶ καὶ ἐν ἡμέρᾳ, συνεχῶς διάγουσι, διὰ τὸ συμ-

βουλεύειν

συλλεῖν καὶ ἀναφέρειν αὐτῷ κατὰ νόμον. *Assident enim hi Patriarchæ, & cum eo sæpius diu noctuque continuo versantur: quod eidem a consiliis sint, ac de iis referant quæ ad legem pertinere videbantur.* Horum opera uti solebant Patriarchæ, quum in aliis rebus, tum in colligendo *auro coronario.* Quod quid fuerit, operæ pretium est brevibus exponere. Stante republica Judæorum singuli Israëlitarum annos nati viginti ex lege tenebantur solvere τὸ δίδραχμον, quod cedebat usibus templi. Id, victa urbe, in Capitolium deferri Romanorum Imperatores voluerunt: uti modo dixi. At Patriarchæ aliquid sibi, huic tributo homogeneum, conferri quotannis voluerunt. Id initio ipsis, non ex debito legitimo, sed voluntaria Judæorum liberalitate, concessum est: ideoque ab Imperatoribus *aurum coronarium*, Romano more, vocatum. Est enim aurum coronarium, *quæ diversarum ordines curiarum, vel amore proprio, vel indulgentiarum lætitia, vel rebus prospere gestis, admoniti, in coronis aureis signisque diversis obtulerint. Lege* IV. *Cod. Theod. de Aur. Coron.* Vid. *Lipsium. Admir. Lib.* II. *Cap.* IX. At quod initio liberum, tractu temporis factum est necessarium. Et Patriarchæ, suo quodam veluti jure, ex decimis & primitiis adæratis aurum atque argentum quotannis petierunt. Id in singulis Synagogis cogebant *Archisynagogi* & *Presbyteri*: at qui *Apostoli* dicebantur, a Patriarcha quaquaversum missi, exactam a Synagogis summam, atque susceptam, ad eundem reportabant. Quod duravit usque ad tempus *Theodosii* & *Valentiniani*, qui suis largitionibus inferri jusserunt, quidquid Patriarchæ antea auri coronarii nomine postulaverant. Atque ita Patriarcharum Judaicorum dignitas, quæ ipsis Imperatoribus, venerabilis fuerat, unde *Illustres, Spectabiles, Clarissimi,* Ἀιδεσιμώτατοι, passim in jure dicuntur, prorsus sublata est, circa annum Christi CCCCXX. *Theodoretus*, qui scripsit circa annum CCCCL, *Dialogo* I. hæc de iis habet: ἄλλως τε καὶ αὐτοὶ παντελῶς ἠφανίσθησαν, καὶ χρόνος διελήλυθεν ἐξ οὗ καὶ ἡ τούτων ἡγεμονία τὸ πέρας ἐδέξατο. *Quanquam & hi quoque prorsus aboliti sunt: & dudum est ex quo horum etiam principatus finem accepit.* Vide sodes quæ operose de Judæorum Patriarchis congessit *Petitus, Vari. Lect. Cap.* XXIV. Confer *Vitring. de Synag. Vet. L.* II. *Cap.* V. *p.* 522.

V. Nos de Christianis videamus, quorum, ante excidium, frequens *Hierosolymis* Ecclesia fuerat. Hi quoque *Pellâ*, quo Divino instinctu confugerant, in patrium solum rediisse, & suos quisque agros possedisse videntur: si modo vera sint, quæ ex *Hegesippo* memorat *Eusebius. Hist. Eccl. Lib.* III. *Cap.* XX. de propinquis Servatoris nostri, ex illius fratre Juda. Quos delatos quod ex regia stirpe essent, Domi-

V. *Christiani quoque Pella rediisse videntur: si verum sit quod de Christi con-*

Sanguineis ad Domitianum delatis narrat Hegesippus. Domitianus interrogavit, quantas possessiones, quantumve pecuniæ haberent. Illi vero novem tantummodo denariorum millia sibi ambobus suppetere dixerunt: easque facultates nequaquam se in argento habere, sed in æstimatione agrorum, novem scilicet & triginta soli jugerum: ex quorum fructibus & tributa persolverent, & sibi ipsis non sine proprio labore victum compararent; quod impresso alte manibus callo verum esse arguebatur. Eosdem nobis ut eximios *Hierosolymitanæ* Ecclesiæ, quæ profunda pace gavisa sit, præstites, & ad Trajanum usque superstites, idem repræsentat Hegesippus *Cap.* XXXII. Cæterum eam Hegesippi narrationem non admodum exploratæ fidei esse, censet *Josephus Scaliger:* quum numerosa admodum fuerit etiam isthoc tempore Davidis posteritas, ex qua alii *Aechmalotarchæ*, alii *Principes* fuerint. Aechmalotarchæ, qui a masculino sexu; Principes, qui a fœminino posterorum David prognati erant. Veri etiam posteri David, non a Juda fratre Domini, qui nullus fuit, & quem somniavit Hegesippus; sed a Salathiel genus deduxerint: unde concludit, Hegesippum istum in istis posteris David nihilo veraciorem fuisse, quam in passione Jacobi, fratris Domini. Vid. *Scalig. Animadvers. ad Chron. Euseb. p.* 201. Hegesippum tamen & Eusebium tuetur in Annotationibus suis *Henricus Valesius*, putatque Scaligerum nimio reprehendendi studio abreptum merito in reprehensionem incurrisse: quum neque Hegesippus posteritatem David ad duos tantum homines tunc esse redactam dicat; & Judæ fratris Domini non *Epiphanius* solum meminerit, *Hæres.* LXXVIII. sed & Matthæus Cap. XIII: 55. & Marcus Cap. VI: 3.

VI. Catalogus Episcoporum Ecclesiæ Hierosolymitanæ. VI. Verum ulterius progreditur Eusebius, catalogum exhibens *Hierosolymitanorum Episcoporum*, qui jam inde ab Apostolorum ætate ad illam usque obsidionem permanserint, qua Judæi iterum a Romanis deficientes, maximis præliis domiti atque expugnati sunt; id est usque ad tempora *Hadriani.* Eos hoc ordine recenset. Primus fuit *Jacobus* qui Domini frater vocabatur: secundus *Simeon, Cleopæ* filius, qui annos centum & viginti natus, martyrium subierit, sub principatu Trajani, Tum *Justus*, *Zacchæus*, *Tobias*, *Benjamin*, *Johannes*, *Matthias*, *Philippus*, *Seneca*, *Justus*, *Levi*, *Ephres*, *Joseph*, omnium postremus, *Judas*, ordine quintus decimus. *Lib.* IV. *Cap.* V. His animadversis, merito quæri possit, quum Episcoporum Ecclesiæ *Hierosolymitanæ* nomina certa, & continua successio hactenus memoriæ prodita sint, ubi fuerit Ecclesia ista *Hierosolymitana.*

VII. Quos in parte urbis a Tito VII. Veterum plerique, ut difficultati isti occurrerent, non totam dirutam aut solo æquatam esse urbem, sed dimidiam partem super-

superfuisse dicunt. Prius dimidium a Vespasiano expugnatum, alterum ab Hadriano: idque ex XIV. 2. Zachariæ colligi: cujus hæc verba sunt: καὶ ἁλώσεται ἡ πόλις, καὶ ἁρπαγήσονται αἱ οἰκίαι, καὶ αἱ γυναῖκες μολυνθήσονται, καὶ ἐξελεύσεται τὸ ἥμισυ τῆς πόλεως ἐν αἰχμαλωσίᾳ. Hæc *Eusebius*, *Demonstr. Evang. Lib.* VI. *Cap.* XVIII. exponit de excidio urbis sub Vespasiano: τότε μὲν οὖν εἰκὸς τὸ ἥμισυ τῆς πόλεως ἀπολωλέναι τῇ πολιορκίᾳ, ὥς φησιν ἡ προφητεία· μετ᾽ οὐ πολὺν ἢ χρόνον κατὰ Ἀδριανὸν αὐτοκράτορα κινήσεως αὖθις Ἰουδαικῆς γενομένης τὸ λοιπὸν τῆς πόλεως μέρος ἥμισυ πολιορκηθὲν αὖθις ἐξελαύνεται, ὡς ἐξ ἐκείνου καὶ εἰς δεῦρο πάμπαν ἄβατον γενέσθαι τὸν τόπον. *Tunc sane credibile est dimiaium civitatis periisse in obsidione, ut ait prophetia, haut vero ita multo post, quum Hadrianus imperaret, Judaico rursus exorto tumultu, quæ reliqua fuerat pars dimidia civitatis, rursus obsessa expellitur, ut, ab illo tempore usque in hodiernum diem, penitus inaccessus* (Judæis scilicet) *factus sit locus. Hieronymus* paullo aliter, loquens de expugnatione sub Tito: *Quomodo autem media pars capta sit civitatis, & reliquus populus in urbe permanserit, & illo tempore & aliis approbatur, Septentrionalem urbis & inferiorem partem esse captam: montem autem templi, & Sion, in quo arx erat, integra remansisse.* Quum igitur ex illo loco Zachariæ colligant, non totam *Hierosolymam* deletam fuisse, Ecclesiam ibi fuisse semper volunt, donec Hadrianus illa parte urbis, quam intactam Titus reliquerat, penitus eversa, aliam urbem novam superstruxit. Aliquanto modestius *Epiphanius*, *de Mensur. & Ponder. Cap.* XIV. Hadrianum narrat urbem invenisse solo æquatam, templum destructum & proculcatum, παρεκτὸς ὀλίγων οἰκημάτων, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας μικρᾶς οὔσης. ἔνθα ὑποστρέψαντες οἱ μαθηταὶ ὅτε ὁ Σωτὴρ ἀνελήφθη ὑπὸ Ἐλαιῶνος, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον. ἐκεῖ γὰρ ᾠκοδόμητο, τουτέστιν ἐν τῷ μέρει Σιὼν, ἥτις ἀπὸ τῆς ἐρημώσεως παρελήφθη, καὶ μέρη οἰκήσεων περὶ αὐτὴν τὴν Σιὼν, καὶ ἑπτὰ Συναγωγαὶ, αἱ ἐν τῇ Σιὼν μόναι ἑστήκεσαν, ὡς καλύβαι, ἐξ ὧν μία περιελήφθη ἕως χρόνου Μαξιμωνᾶ τοῦ Ἐπισκόπου, καὶ Κωνσταντίνου τοῦ Βασιλέως, ὡς σκηνὴ ἐν ἀμπελῶνι, κατὰ τὸ γεγραμμένον. *Paucis ædibus exceptis, ac parva quadam Christianorum Ecclesia, quæ in ev loco constituta fucrat, in quem discipuli, posteaquam Salvator in cælum ex Oliveti monte subvectus est, sese recipientes, cænaculum conscenderunt. Erat illa quadam in Sionis parte constructa, quæ civitati superfuerat, cum Sioni propinquis aliquot ædificiis, ac septem Synagogis, quæ in eodem monte solæ, vel ut tuguria, superstiterant. Ex quibus una duntaxat ad Maximonæ Præsulis, & Constantini Imperatoris tempora, velut umbraculum in vinea, ut scripturæ verbis utar, relicta videbatur.*

non vastata sedisse, veterum plerique tradidere.

VIII. *Scaliger in Animadversionibus ad Euseb. Chron. p.* 211. *&* 212. falsitatis hæc omnia arguit; ob Jesu Christi, prædicentis nullum lapidem

VIII. *At perperam: quum tota*

urbs solo æquata sit. pidem super alium relictum iri, vaticinium: ob Josephi, qui rebus præsens interfuit, iterata de totali *Hierosolymæ* destructione testimonia: ob Titi de devicta urbe triumphum: denique quia & postea aratrum illi impressum est a Musonio Tyrrheno præfecto munitionum, ut non solum urbs esse desierit, sed & imposterum nemini licuerit illi solo aliquid immoliri, ædificare, superstruere. Nam Jurisconsultus *Lege* XXI. *D. Quib. mod. usufr.* ait *civitatem esse desiivisse eam, cui aratrum inductum* sit: & capitale est in illo solo vel casam, vel humile superficium struere. *Servius: Nam ideo ad exaugurandas vel diruendas civitates aratrum adhibitum, ut eodem ritu, quo condita, subvertantur.* Hinc Valens Constantinopolitanis minatus est: ἐρημόντε καταςήσειν τὴν πόλιν, καὶ ἄροτρον βαλεῖν κατ' αὐτῆν. *Urbem eversurum se, & aratrum solo ejus impacturum. Socr. Hist. Lib.* IV. *Cap.* XXXVIII. Quæ Scaligeri rationes clarissime probant, perperam a Veteribus esse traditum, quod media urbis pars post cladem a Tito illatam superstes manserit. Et multa sane credulitate præditum esse oportet, qui Epiphanio adsentiatur de Ecclesia Christiana in monte Sion. Ad Zachariæ oraculum respondet Scaliger, quum non dirutæ urbis, sed captæ duntaxat & expilatæ mentionem faciat, ut pars populi deportata sit, pars remanserit: illud ad *Ptolomæi Lagi* tempora referendum esse: de quo dubitare non possit, qui verba *Agatharchidæ* apud Josephum legerit: alii ad *Antiochi Epiphanis* vastationem referunt; alii aliter. At non satis certum, prophetam de urbe *Hierosolyma* literaliter loqui: quum fieri possit, quod doctis allubescit interpretibus, ut symbolice intelligatur Ecclesia Christiana. Verum prolixior oraculi istius discussio hujus loci non est.

IX. *Verum ubicunque dispersi Hierosolymitani cum suo Episcopo, ibi Hierosolymitana fuit Ecclesia.*

IX. Sed, inquias, si nulla tunc fuerit *Hierosolyma*, nulla etiam fuit Ecclesia *Hierosolymitana*; quinam ergo tandem, & ubi terrarum isti *Hierosolymitanæ* Ecclesiæ Episcopi fuerunt? Nihil restare videtur, si de historiæ veritate dubitare nefas est, nisi ut cum Scaligero dicamus, ubicunque Episcopi illi fuerint, ibi fuisse Ecclesiam *Hierosolymitanam*, tametsi *Hierosolma* non esset. Quemadmodum, ab aliquot seculis, *Antiochena* sedes Patriarchalis non est in ea urbe unde nomen habet: sed in *Meredin* ad ripam Chobar, in finibus Mesopotamiæ, quam urbem ab Antiochia

Longa procul longis via dividit invia terris.

Et tamen non desinit esse Antiochena Ecclesia, & Antiochena Cathedra. *Alexandrinus* thronus diu est quum in maximam urbem *Cairum* est translatus: & tamen non *Cairensis* Patriarcha, sed *Alexandrinus* dicitur, sicut a primis Patriarchiæ istius incunabulis vocari cœpit. Sic

Sic Episcopi *Hierosolymitani* dici potuerunt, qui Ecclesiæ fidelium ex Judæa Pellam profugorum, ibique ad tempus commorantium, præerant. Ibi vero tamdiu commoratam fuisse Ecclesiam *Hierosolymitanam*, donec ei Æliam se conferre, ibique per hostes Christianismi tuto manere licuerit, Scaliger non dubitat. Ego eorum aliquot in Palæstinam remeasse, haut prorsus negaverim; quamvis *Hierosolyma* inculta ac desolata manserit.

X. A Christianis ad Judæos redeamus. Quorum ingens mox renata multitudo est, tam in Palæstina quam extra eam, & myriades per totum terrarum orbem dispersæ. Adeo vero gravissimis illis adflictionibus ad mansuetudinem domiti non sunt; ut nescio quo furore perciti, quove malo genio agitati, in perniciem eorum apud quos hospitia nacti erant, in *Palæstina*, *Ægypto*, *Lybia*, *Cyrenaica*, *Cypro* & vicinis oris, conspiraverint: ubique & in omnibus proterve ac ferociter se gerentes. Unde hæ *Rutilii Numatiani* in *Itinerario* querelæ: X. *Judæorum sub Trajano rebellantium furor.*

> *Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset*
> *Pompeji bellis, imperioque Titi!*
> *Latius excisæ pestis contagia serpunt:*
> *Victoresque suos natio victa premit.*

Anno Domini CXVI. *Coss. Ninnio Hasta, & Manilio Vopisco*, TRAJANO in Imperio annum XVII agente, Judæos ab Imperio Romano rebellasse *Eusebius* in *Chronico* tradit. Qua vero audacia ac feritate, ex *Dione* discere licet; nisi fortassis rei indignitatem truculenta oratione auxerit. *Per idem sane tempus*, inquit, *Judæi qui circa Cyrenem incolebant, Andrea duce constituto, Romanos & Græcos sine discimine obtruncant. Nec cæde contenti, humanis carnibus vesci cœperunt: horum intestinis, stillante adhuc sanguine, cincti, tum pellibus obvoluti, multos per medium, usque ad verticem, secuere, plures bestiis dilaniandos objecere, alios inter se digladiari coëgere: ut* DUCENTA ET AMPLIUS HOMINUM MILLIA *eo furore & armis Judæorum interierint. Nec minore clade Cyprii adfecti fuere: si quidem in ea insula, duce Artemione, conspirantes Judæi circiter* DUCENTA ET QUADRAGINTA CAPITUM MILLIA *trudicarunt. Qua facti atrocitate Judæus de cætero legibus & pœnis Cyprum attingere prohibetur. Si vel vi tempestatis, vel per errorem illuc delatus fuerit, ceu capite damnatus, statim morte mulctatur. Sed inulta clades non mansit: nam Trajanus misso cum exercitu Lusio Quieto, cum antecedentibus aliis ducibus, Judæos, qui per universum terrarum orbem tantum cædis ediderant, profligavit.* Hæc Dio.

XI. Hadrianus in solo Hierosolymæ Æliam Capitolinam condidit, & suem portæ insculpsit.

XI. Major motus ac periculosior sub HADRIANO fuit, qui anno imperii sui secundo, ut Chronicon Alexandrinum habet, in illo solo ubi olim fuerat *Hierosolyma*, urbem condidit, sacram Jovi Capitolino, quam ÆLIAM CAPITOLINAM nuncupavit, coloniam populi Romani. Quum vero priscæ *Hierosolymæ* memoriam novæ urbis exstructione abolitam cuperet, aliam quoque formam suæ urbi esse voluit. Nam & universum montem Sionis, qui pars urbis & pulcherrima & munitissima fuerat, & totam urbis superioris regionem, magnamque inferioris partem mœnibus exclusit. Montem Moriæ in planiciem redegit, & quod restabat de urbis antiquæ solo cum monte Calvariæ complexus est: qui non nisi colliculus erat Gihonis, & olim extra urbem situs ad Occidentem. Sic ut Ælia non solum altero tanto minor antiqua *Hierosolyma* fuerit; sed & figuræ ab ea diversissimæ. Ad hoc in fronte portæ qua Bethlemum iter erat, suem marmori insculptam posuit: sive ut male ureret Judæos, quibus infandum & visu etiam exsecrandum id animalium genus erat; sive quod eadem via structum ab Hadriano fuerit Adonidi templum, quem aper occidit; sive quod porcus ob infractum in bello robur Romanorum insigne esset: nam & Festus tradit, quintum signum militare fuisse Porci imagine effigiatum; sive denique ad Æneam respexerit Hadrianus, cui ejusmodi animal primum condendæ civitatis Lavinii signum fuisse auctor Virgilius est: quo refertur numisma Hadriani, repræsentans porcum cum porcellis sugentibus ubera, quale signum Æneæ demonstratum fuit. Utcunque sit, falluntur sane, qui *Hierosolymam* ab Hadriano restauratam volunt. Nam Judæi tunc hostes erant populi Romani. Æliam condidit, coloniam, ut dixi, Romanam; a cujus introitu, ut mox pluribus dicemus, arceri postmodum Judæos voluit.

XII. Quod Judæis pertinacissimæ occasio fuit rebellionis.

XII. Atque hæc Ælia, caussa fuit motuum. De quibus iterum audire lubet *Dionem* in Hadriano. *Interea Hierosolyma eversa rursus habitari jussit, atque urbem* ÆLIAM CAPITOLINAM *appellavit. Jovi item ex adverso templi ædem excitavit. Bellum hinc & grave & diuturnum natum est. Magno enim dolore adficiebantur Judæi atque indignabantur, peregrinos secum in civitate habitare: & illud quoque etiam gravius ferebant, externa sacra fieri, & externorum Deorum imagines in ipsa constitui. Quievere tamen ab armis & cædibus, Hadrianum veriti, qui eo tempore vicinis in locis constiterat. Nihilo tamen secius inter se ea studiose fabricare non cessabant, quibus, quoties belli necessitas posceret, uti possent. Postquam vero longius Hadrianus abfuit, palam in arma vertuntur: quanquam aperta acie cum Romanis congredi non ausi sint. Auxilia*

autem

autem sumebant muro & cavernis subterraneis, specus fodientes, atque cuniculis omnia munientes, ut, quoties violarentur, liberos haberent ad fugam exitus: invicem quoque subter terram clanculum commearent. Has autem specus & subterraneas vias, superne quibusdam in locis hiantes fecerunt, ad ventos & lucem excipiendum. Impetus eorum Romani primum contemserunt: verum postquam universa provincia tumultuata est, & qui ubique gentium erant cum iis conspiraverunt, tunc cognovere & intellexerunt, quam grave & periculosum bellum exortum foret: multa enim mala in Romanos, partim clam, partim aperte, edebant. Adscivere multos etiam externorum prædæ & lucri cupiditate: & fere, ut ita dixerim, UNIVERSUS TERRARUM ORBIS EX MOTU JUDÆORUM CONCUSSUS EST. Cæterum motum hunc suppressum duce Marcio Turbone scribit Spartianus.

XIII. At vero hæc non nisi initia dolorum fuerunt. Nam anno Hadriani XVI. Christi CXXXII. vel CXXXIII. Legato Cæsaris in Palæstina Tinio Rufo, redintegrata seditio est. Caput factionis fuit quidam BAR COCHAB, *filius stellæ* dictus. Hic ἀποστάσεως Ἰουδαικῆς ἀρχηγέτης, ut a *Justino* vocatur, memor vaticinii Num. XXIV: 14. de stella ex Jacobo oritura, sibi illud applicuit, indeque filius stellæ nominari voluit. Qua re commoti non illi solum, quos ex plebe misera captivitatis & jugi Romanorum pœnitere cœpit; sed & maximi nominis Rabbini, castra ejus secuti sunt. Celeberrimus fama eo tempore erat Rabbi *Aquiba*, viginti quatuor millium discipulorum Magister, quem *Setumtaab*, *Authenticum*, sive *Canonicum* κατ' ἐξοχὴν appellarunt. Is artibus hujus seductoris ita fuit fascinatus, ut non tantum exclamaverit: הוינו מלכא משיחא *En ipsum Regem Messiam*, Judæosque, plurimum sibi tribuentes, maximo numero ipsi adjunxerit; sed & ipse armiger ejus exstiterit. Sedes hujus belli Palæstina erat, & præcipue BITTER, urbs *Hierosolymæ* vicina, sita in tribu Benjamin, quam Judæi *Hierosolyma* expulsi, studiorum & reipublicæ metropolim esse voluerant. In qua quadringenta fabulantur fuisse collegia: in singulis quadringentos præceptores, quorum unusquisque rursus quadringentos habuerit discipulos de domo Rabban. Hanc Barcochab Judæorum Rex electus, unctus, & coronatus Regiam sibi fecerat.

XIII. Qua suppressa quadantenus, valîdius per Barcochab in urbe Bitter redintegrata est.

XIV. Tunc Hadrianus, minime cunctandum ratus, optimos quosque duces adversus eos misit, urbem Bitter per annos tres & dimidium obsidione cinxit, occupatamque non modo inclementer tractavit, sed & Judæos per Judæam & Babyloniam promiscue ad internecionem rapuit. Rex ipse captus mortis supplicio adfectus est.

XIV. At magno Judæorum malo.

R. Aquiba pectinibus ferreis dilaniatus. *Pauci admodum evaserunt*, ait Dio, *atque a cæde superfuerunt. Arces eorum quinquaginta celeberrimæ dirutæ sunt : vici ad nongentos & octoginta quinque, qui sane frequentes & nominatissimi erant, direpti & mox igne consumti sunt : viri in excursionibus & præliis ipsis ad quinquaginta millia cæsi fuere : fame & morbis & igne ingens multitudo absumta ; & sic fere tota Judæa desolata est.* Hæc Dio. At dici non potest, quam tragice Judæi hanc suam cladem exaggerent : qua *duplo plures* periisse conqueruntur *quam Ægypto exierunt*. QUADRINGENTAS INTERFECTORUM MYRIADAS quidam numerant : alii OCTOGINTA MILLE MYRIADAS. Sanguinem tradunt rapuisse secum petras magnitudine quadraginta modiorum, donec ad quadraginta miliaria in Oceanum usque flueret. Addunt, sed *immensa cavi spirant mendacia folles*, Hadrianum vineam habuisse amplissimam, octodecim miliarium, tam in longitudine, quam in latitudine : quam sepe Judaicorum cadaverum, ad altitudinem justæ staturæ virilis, integram cinxerit, non passus se vivo sepem illam amoveri, interfectosque humari. Vid. *Buxtorf. Lex. Talm. ad vocem* בתר.

XV. Ælia non nisi abusive Hierosolyma vocatur.

XV. Sunt qui existiment, post hanc demum cladem, inque illius memoriam, structam Æliam Capitolinam esse : sed eos erroris coarguit Dio : cui ob gravissimas rationes Scaliger, Petavius, Valesius, Spanhemius, adsentiuntur. Mansitque urbs isthoc nomine usque ad Constantinum Magnum. Ab eo tempore *Hierosolyma* nomen quasi postliminio repetiit, tum ob splendorem illius nominis, tum ob primitivæ sedis prærogativam. Revera tamen Ælia erat : non Jerusalem. Adeoque in Canone VII Concilii Nicæni *Episcopus Æliæ* vocatur. *Chrysostomus* etiam *Orat.* III. *adversus Judæos* ita dictam sua ætate testatur. Ἐπειδὴ γὰρ Αἴλιος Ἀδριανὸς ἐχρημάτισεν, οὕτω καὶ τὴν πόλιν καλεῖσθαι ἐνομοθέτησεν. ἐκεῖθεν γὰρ Αἰλία μεχρὶ τοῦ νῦν ὀνομάζεται, ἀπὸ τῆς ἐπωνυμίας τοῦ κρατήσαντος καὶ καθελόντος αὐτήν. Christiani tamen frequenter *Hierosolymam* appellarunt ; uti & nos imposterum faciemus : sed καταχρηστικῶς. Quod semel monuisse sufficiat.

XVI. In quam pedem inferre Judæi severa lege prohibiti sunt ; nisi una duntaxat quotannis die, ad miseros planctus.

XVI. Bellum Judaicum quod in Palæstina gerebatur finem accepit anno XVIII Hadriani. Τὸ πᾶν ἔθνος ἐξ ἐκείνου καὶ τῆς περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα γῆς πάμπαν ἐπιβαίνειν εἴργεται, νόμου δόγματι καὶ διατάξεσιν Ἀδριανοῦ, ὡς ἂν μηδ᾽ ἐξ ἀπόπτου θεωροῖεν τὸ πατρῷον ἔδαφος ἐγκελευσαμένου. *Ex eo deinceps tempore universa Judæorum gens in regionem circa Hierosolymam sita pedem inferre prohibita est, lege & constitutione Imperatoris Hadriani : adeo ut ne prospicere quidem e longinquo patrium solum ipsis licuerit. Euseb. Hist. Lib.* IV. *Cap.* VI. Ejusdem interdicti meminit *Tertullianus cont.*

Jud.

Jud. Cap. XV. *Et exinde quod interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judæorum.* Et paullo post: *Quod vobis pro meritis vestris post expugnationem Hierusalem, probibitis ingredi in terram vestram, de longinquo tandem eam oculis vestris videre permissum est.* Permissio autem aliqua propius accedendi una duntaxat die quotannis data est, x nimirum Augusti, idque eo solum fine, ut vastatæ urbis ædisque rudera deflerent. *Gregor. Nazianz. in Orat.* XII. *p.* 202. Μία στήλη τούτοις τῆς συμφορᾶς ἡ οἰκουμένη πᾶσα καθ᾽ ἧς ἐσπάρησαν, καὶ ἡ λατρεία πεπαυμένη, καὶ αὐτῆς τῆς Ἱερουσαλὴμ τὸ ἔδαφος μόγις γινωσκόμενον· ἧς τοσοῦτος ἐπίβατος αὐτοῖς ἐστὶ μόνον, καὶ τοσοῦτον ἀπολαύουσι τῆς πότε αὐτῶν δόξης, ὅσον ἐν ἡμέρᾳ φανέντες θρηνῆσαι τὴν ἐρημίαν. Quem locum, Billium corrigens, ita reddit Valesius: *Unum illis monumentum calamitatis est, totus terrarum orbis per quem dispersi sunt: & sublatus Dei cultus: & ipsius Hierosolymæ solum, vix facile cognitu: quam hactenus ipsis introire licet, & vetere sua gloria hactenus fruuntur, ut uno die conspecti vastitatem & excidium ejus lugeant.* Atque illud ipsum pretio illis constitit. De qua re eleganter Hieronymus in Sophoniæ Cap. I. *Usque in præsentem diem perfidi coloni, post interfectionem servorum, & ad extremum filii Dei, excepto planctu, probibentur ingredi Jerusalem: & ut ruinam sua iis flere liceat civitatis, pretio redimunt: ut qui quondam emerant sanguinem Christi emant lacrumas suas. Videas in die quo capta est a Romanis & diruta Jerusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & in habitu suo iram Domini demonstrantes, congregatur turba miserorum, & patibulo Domini coruscante, ac radiante* ἀναστάσει *ejus, de Oliveti monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas suas populum miserum, & tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, & livida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, ut illis flere liceat.*

XVII. *Exosi semper Romanis, & contemti.*

XVII. Enimvero contemti, exosique Romanis Judæi fuerunt: a militia, magistratibus, aliisque publicis officiis, & iis quæ aliis compluribus nationibus, licet barbaris, concessa fuerunt privilegiis, remoti. *Marcus Antoninus* Imperator, uti auctor est *Ammianus Marcellinus Lib.* II. quum Palæstinam transiret, Ægyptum petens, *fætentium Judæorum, & tumultuantium sæpe, tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse: O Marcomanni! O Quadi! O Sarmatæ! tandem alios vobis deteriores inveni.* Sub *Severo* quoque pessima fuit Judæorum in Palæstina conditio: quippe qui imprimis a *Pescennio Nigro*, Orientale Imperium invadente, gravissimis pressi sunt tributis: quorum quum levationem peterent, respondit Pescennius: *Vos terras vestras levari censitione vultis; ego vero etiam aërem vestrum censere vellem. Spartian. in Pescen.*

XVIII.

XVIII. De profanata ab Hadriano ex odio Christianæ religionis, Hierosolyma, Paulini & Hieronymi querela.

XVIII. Cæterum non in Judæorum solum, sed & Christianorum odium, multa ab Hadriano facta videntur, tam in solo *Hierosolymitano*, quam Bethlemitico: quorum monumenta usque ad Constantini ætatem manserunt. Tragicæ descriptiones hujus indignitatis exstant; tam in Paulini, quam Hieronymi Epistolis. *Paulinus* Epistola XI. quæ est ad Severum, sic queritur: *Hadrianus, existimans se fidem Christianam loci injuria peremturum, in loco passionis simulacrum Jovis consecravit; & Bethlehem Adonis fano profanata est: ut quasi radix & fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in iis locis idola colerentur, in quibus Christus natus est, ut pateretur; passus, ut resurgeret; surrexit, ut regnaret; judicatus est, ut judicaret. Me miserum! etiam ista pro me Dominus omnipotens perpeti non recusavit, ut ubi pro salute generis humani crucifixus pependerat, ibi hominum sacrilegio sperneretur. Super crucem, ad quam orbe concusso, & sole refugo, & dissilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutaverat, stabat simulacrum dæmonis; & in ara simulacri pecudum busta fumabant; & Dei nomen deferebatur statuis mortuorum; quum ipse vivorum Deus, qui & resurrectio mortuorum est, non solum mortui, sed & crucifixi hominis blasphemaretur opprobrio. In Bethlehem quoque, ubi agnoverat bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, ibi principes hominum, inficiati salvatorem Deum, infames hominum amores mortesque coluerunt. Prodita novo sidere Regis æterni ubi cunabula supplices cum suis opibus adoraverunt Chaldæi; ibi barbaras libidines sacraverunt Romani. Ubi natum Salvatorem cum exercitu angelorum concinentes cœlesti gaudio salutaverunt illustrata nocte pastores; ibi Veneris Amasium mixtæ semiviris planxere meretrices. Proh dolor! quæ pietas hominum hanc impietatem compensare poterit? Ubi sacra nati Salvatoris infantia vagiebat, illic Veneris lamenta fingentium lascivis lusibus infamis ritus ululabat: & ubi Virgo peperit, adulteri colebantur. Mansit hoc seculi prioris nefas, in tempora, nostris proxima, Constantini.* Hæc Paulinus. *Hieronymus* brevius, sed non minus eleganter, Epist. XIII. *Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco resurrectionis, simulacrum Jovis; in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur; existimantibus persecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethlehem nunc nostram, & augustissimum orbis locum, de quo Psalmista canit, Veritas de terra orta est; lucus inumbrabat Thamuz, id est Adonidis: & in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Amasius Veneris plangebatur.*

XIX. Interim Ecclesiæ in Palæstina mediocri pace & tranquillitate utebantur, hactenus ut concilia indicere & habere potuerint. Cui rei occasionem dedit celebris controversia de Paschate: an quartadecima luna celebrandum foret; quod Ecclesiæ Asiaticæ ex vetusta traditione urgebant: an resurrectionis Dominicæ die; quod totius fere orbis consensu observabatur. Controversiæ isti dirimendæ, conventus Episcoporum, uti alibi, ita & in Palæstina, indicti sunt. Palæstinorum Synodo præerant Theophilus Cæsareæ Palæstinæ, & Narcissus *Hierosolymorum* Episcopus: quorum Epistolam Synodalem suo adhuc tempore exstitisse narrat Eusebius. In eo autem cum cæteris senserunt, ne ullo alio quam Dominico die mysterium resurrectionis Dominicæ celebretur: utque eo duntaxat die Paschalium jejuniorum observetur terminus. *Euseb. Hist.* v. XXIII. *XIX. Interim Palæstinæ Ecclesiæ, mediocri pace fruentes, concilia celebrant.*

XX. Fuerunt autem isti in Palæstina μάλιστα δόκιμοι καὶ διαπρέποντες ἐπίσκοποι, *probatissimi & maxime insignes Antistites. Hist.* VI. VIII. De *Narcisso Hierosolymitano* multa quidem alia stupenda commemorant civitatis illius incolæ, a fidelibus continua successione, velut per manus sibi tradita. Inter quæ hoc etiam miraculum ab illo editum esse narrant. Forte in magna Paschæ vigilia oleum ministris deerat. Qua de caussa cum universus populus gravissimo mœrore perculsus esset, Narcissum ferunt mandasse iis, quibus curæ erat lucernas accendere, ut aquam ex quodam propinquo haustam puteo ad se deferrent. Quod ubi dicto citius impletum est, oratione super aquam facta, jussisse dicitur sincera in Christum fide, ut eam lucernis infunderent. Quo itidem peracto, ajunt, aquam contra morem naturæ suæ, mirabili quadam ac divina virtute, in olei pinguedinem esse conversam: ex eoque oleo apud plurimos fratres exiguum quoddam specimen ad memoriam tanti miraculi diutissime ad nostra usque tempora servatum fuisse. Plurima quoque alia de vita & conversatione ejus viri perhibent, memoria imprimis digna: inter quæ & illud est. Mali quidam homunciones, qui vigorem & constantiam vitæ illius ferre non poterant, veriti, ne tandem deprehensi pœnas darent, utpote sexcentorum sibi scelerum conscii, prævenire eum decreverunt: structisque insidiis gravissimam ei calumniam asperserunt: Atque ut audientibus persuaderent, sacramenti religione accusationem firmabant. Unus inter jurandum imprecabatur sibi, ut incendio periret, si sciens falleret. Alter, ut scævo ac pestilenti morbo corpus absumeretur. Tertius, ut luminibus orbaretur. Sed quantumvis jurantibus nemo ex fidelium numero fidem adhibebat: quippe cum Narcissi continentia & sanctitas vitæ, omnibus virtutum numeris absolutæ, *XX. Mira Narcissi Episcopi Hierosolymitani historia.*

cunctis semper spectata compertaque esset. At ille quum dictorum infamiam sustinere non posset, & alioqui Philosophicæ vitæ jamdudum amore teneretur: relicta Ecclesiæ plebe, in solitudine ac deviis agris plurimos annos delituit. Verùm magnus ille Justitiæ oculus, his peractis, minime quiescendum putavit. Sed confestim impios illos iis ipsis ultus est diris, quibus in semet ipsos pejerantes sese devoverant. Primus igitur, cum modica quædam scintilla in domo, in qua manebat, citra ullam caussam subito exsiliisset, noctu incensis ædibus cum universa familia conflagravit. Alteri corpus ab imis pedibus ad summum usque capitis verticem, eo morbi genere, quo se ipse mulctaverat, correptum est. Tertius priorum casus contuitus, omniumque inspectoris Dei veritus inevitabilem vindictam, concinnatæ ab ipsis ex compacto calumniæ ordinem est confessus. Tantis porro lamentis ob pœnitentiam facti sese confecit, & in tantum lacrymas effundere perseveravit, ut ex eo oculorum lumen amitteret. Et hi quidem calumniæ suæ ejusmodi pœnas dederunt. Cæterum post Narcissi fugam, ignaris omnibus, ubinam gentium ageret, visum est finitimarum Ecclesiarum Episcopis, alium ejus loco Episcopum ordinare, Dium nomine. Qui cum modico tempore præfuisset, successor ei datus est Germanio: quem deinde Gordius excepit. Hujus temporibus Narcissus, cum subito quasi redivivus emersisset, a fratribus, ut Ecclesiæ administrationem denuo susciperet, rogatus est. Quippe universi multo magis tunc eum mirabantur: tum ob secessum, tum ob philosophicam vivendi rationem: maxime vero ob præsentem vindictam, qua Deus calumniatores illius afficere dignatus fuerat. *Euseb. Hist. Lib.* VI. *Cap.* X: XI. Horum quidem ego omnium fidem præstare non ausim: at silentio transmittenda non videbantur *Hierosolymæ* historiam texenti. Baronius refert ad Annum Severi V, Christi CXCIX.

XXI. Constantinus Hierosolymæ ad sepulcrum Domini splendidissimum struxit Templum.

XXI. At dudum gestit animus *Hierosolymam* videre, uti instaurata, & Christiano prorsus cultui dicata, a CONSTANTINO M. est. Atque hic omnem suam eloquentiam Eusebius exhausit, ut Constantini in hac urbe exornanda pietatem, liberalitatem, tantoque Imperatore dignam magnificentiam quæsitis elogiis prædicaret. Ego summa tantum sequar fastigia rerum. Asserta in Concilio Nicæno Orthodoxa de Christo fide, Dominicæ resurrectionis locum, qui *Hierosolymis* est, illustrem ac venerabilem cunctis mortalibus efficere, officii esse sui pius Imperator duxit. Ante omnia itaque removeri curavit, quæ gentilium impietas profanando Domini sepulcro struxerat altaria ac simulacra: ratus eam maxime soli partem, quam adversarii contaminas-

taminassent, sua opera ac ministerio, Divina frui magnificentia oportere. Idcirco circa salutarem speluncam Deo dignum templum regali liberalitate exstrui jubet. Ac rectoribus provinciarum per Orientem præcepit, ut impensis copiose subministratis, ingens amplumque ac magnificum opus illud efficerent. Præterea Macario Episcopo *Hierosolymorum* scripsit, operam daret, ut Basilica strueretur pulcherrima, quæ omnes, quantumvis eximias, cæterarum urbium fabricas facile superaret. His ita constitutis primum sacram speluncam, utpote totius operis caput, Imperatoris magnificentia eximiis columnis, maximo cultu & cujusque modi ornamentis decoravit, atque illustravit. Transgressus inde est ad vastissimum locum libero patentem cœlo, cujus solum splendido lapide constravit, longissimis undique porticibus ad tria latera additis. Quippe lateri illi, quod e regione speluncæ positum, solis ortum spectabat, conjuncta erat Basilica: opus plane admirabile, in immensam altitudinem elatum, & longitudine ac latitudine maxima expansum. Cujus interiora quidem versicoloribus marmoris crustis obtecta sunt: exterior vero parietum superficies, politis lapidibus probe inter se vinctis decorata, eximiam quandam pulchritudinem nihilo inferiorem marmoris specie, præferebat. Ad culmen vero & cameras quod attinet, exteriora quidem tecta plumbo tanquam firmissimo quodam munimento ad hybernos imbres arcendos obvallavit. Interius autem tectum sculptis lacunaribus consertum, & instar vasti cujusdam maris compactis inter se tabulis per totam basilicam dilatatum, totumque auro purissimo coopertum, universam basilicam velut quibusdam radiis splendere faciebat. Porro ad utrumque latus, geminæ porticus tam subterraneæ, quam supra terram eminentes, totius basilicæ longitudinem æquabant; quarum concamerationes auro perinde variatæ sunt. Ex his, quæ in fronte basilicæ erant, ingentibus columnis fulciebantur: quæ vero interiores, pessis magno cultu extrinsecus ornatis sustinebantur. Portæ tres ad Orientem Solem apte dispositæ, introëuntium turbam exceperunt. E regione harum portarum erat hemisphærium, quod totius operis caput est, usque ad culmen ipsius basilicæ protentum. Cingebatur id duodecim columnis, pro numero sanctorum Servatoris nostri Apostolorum; quarum capita maximis crateribus argenteis erant ornata, quos Imperator tanquam pulcherrimum donarium Deo suo dicaverat. Hinc ad eos aditus, qui ante templum sunt progredientibus, aream interposuit. Erant autem in eo loco primum atrium, deinde porticus ad utrumque latus, ac postremo portæ atrii. Post has totius operis vestibula in ipsa media platea, in qua forum est re-

rum venalium, ambitioso cultu exornata, iter forinsecus agentibus aspectum earum rerum, quæ intus cernebantur, non sine quodam stupore exhibebant. Hoc igitur templum tanquam salutiferæ resurrectionis testimonium Imperator exstruxit & magnifico planeque regio apparatu decoravit. Nec dici potest, quot quantisque ornamentis ac donariis, partim ex auro & argento, partim ex gemmis, illud diversimode venustaverit. Quorum apparatum summo artificio elaboratum, & magnitudine & numero & varietate insignem, hic singillatim exponere haut vacat.

XXII. *Solemni ritu dedicandum.*

XXII. Absolutum ex voto Templum solemniter dedicari Imperator voluit: convocatos igitur ex universa Ægypto, & Lybia, Asia item & Europa, Episcopos, primo Tyrum, ubi supra fidem impia, & indigna Christi nomen profitentibus Episcopis, adversus Athanasium moliti sunt; dein *Hierosolymam* (quam Socrates *Æliam* aliquoties vocat *Hist. Lib.* I. *Cap.* XXXI.) venire jussit, ut præsentia sua festivitatem illam condecorarent. Qua vero ratione dedicatio ista facta sit; nemo nobis melius quam Eusebius dixerit; qui his eam verbis refert. De *Vita Constantini Lib.* IV. *Cap.* XLV. *At sacerdotes Dei partim precationibus, partim sermonibus festivitatem ornabant. Alii siquidem comitatem religiosi Imperatoris erga omnium Servatorem laudibus celebrabant, & Martyrii magnificentiam oratione persequebantur. Alii sacris Theologiæ dogmatibus ad præsentem celebritatem accommodatis, spiritualе quoddam epulum audientibus præbebant. Quidam sacrorum voluminum lectiones interpretabantur, arcanos & mysticos sensus in lucem proferentes. Qui vero ad hæc aspirare non poterant, incruentis sacrificiis & mysticis immolationibus Deum placabant; pro pace communi; pro Ecclesia Dei; pro Imperatore tot bonorum auctore, ejusque piissimis liberis, preces Deo suppliciter offerentes. Ibi nos quoque, quibus majora, quam pro meritis nostris, bona contigerant, variis sermonibus publice habitis solemnitatem decoravimus nunc regalis fabricæ decorem ac magnificentiam scriptis enarrantes; nunc propheticorum oraculorum sensus apte & accommodate ad præsentes figuras atque imagines interpretantes. Hoc modo dedicationis solemnitas ipsis Imperatoris tricennalibus summa cum hilaritate celebrata est.*

XXIII. *Cujus fulgore perstrictus Eusebius, novam se in eo Prophetarum Hierosolymam cer-*

XXIII. Adeo præter modum Templi hujus magnificentia veluti extra sese raptus fuit Eusebius, ut exclamaverit, *de Vit. Const. Lib.* III. *Cap* XXXIII. Τάχα πȣ ταύτην ἦσαν τὴν διὰ προφητικῶν θεσπισμάτων κεκηρυγμένην καινὴν καὶ νέαν Ἱερουσαλήμ. ἧς πέρι μακροὶ λόγοι, μυρία δι' ἐνθέου πνεύματος θεσπίζοντες ἀνυμνοῦσι. *Atque hæc forsitan fuerit recens illa ac nova Hierusalem, Prophetarum vaticiniis prædicata, de qua in sacris voluminibus tot præconia ab ipso Divino Spiritu pronunciata leguntur.* Sed falli-

fallitur vir bonus: dum nimio externi operis fulgore perstrictus, ad spiritualia ac cœlestia mysteria, novæ Hierusalem emblemate significata, caligat.

nere, falso autumavit.

XXIV. HELENA, mater Constantini, suæ etiam pietatis in eadem hac regione eximia exstare voluit monumenta. Quamvis enim jam affecta ætate esset, juvenili tamen animo in Orientem properavit, terram, quam singulari veneratione dignam rebatur, lustratura. Postquam igitur Servatoris vestigia religiose venerata esset, Deo quem adoraverat duo statim templa dedicavit: alterum Bethlemi, ad speluncam in qua natus credebatur Dominus: alterum in eo monte ex quo in cœlum adscenderat. Hæc quidem simplici narratione ita exponuntur ab Eusebio, qui rebus omnibus præsens interfuit. At veterum nonnulli prodigiosa multa addiderunt: quæ, alibi a me memorata & examinata, hic quoque subjicere lubuit; ne vel alio amandaretur lector, vel historiæ aliquid deesset.

XXIV. Helena etiam duas ædes sacras condidit: alteram Bethlemi: alteram in monte Oliveti.

XXV. Narrant igitur, locum illum in quo postremum institerant Divina vestigia, quum in cœlum Dominus nube sublatus est, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuisse, quando Basilicam ibi struebat Imperatrix Helena. Si quidem quæcunque applicabantur, insolens humana suscipere terra respueret, excussis in ora apponentium sæpe marmoribus. Quin etiam calcati Deo pulveris adeo perenne documentum esse perhibetur, ut vestigia impressa cernantur. Et quum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat, & eandem adhuc sui speciem, impressis signata vestigiis, terra custodiat. Ita *Sulpitius Severus.* Addit *Hieronymus, de locis Hebraicis: Denique, quum Ecclesia, in cujus medio sunt, rotundo schemate & pulcherrimo opere conderetur; summum tantum cacumen, ut perhibent, propter Dominici corporis meatum, nullo modo contegi & concamerari potuit: sed transitus ille a terra ad cœlum usque patet apertus.* Meminerunt ejus rei & *Optatus Milevitanus, Paulinus, & Beda*, quorum verba *Baronius* exhibet, *ad Ann.* XXXIV. §. CCXXXVII. & *seq.* Nec his contenti Geographi, & peregrini terræ sanctæ, asserunt, vestigia illa etiamnum inter medios Turcas visa, & quidem conversa ad occidentem, ne scilicet Catholica Romana Ecclesia nihil hinc pro se haberet: quippe ad quam, ut dilectam præ cæteris sponsam, ultimum se in terris Christus converterit. *A Lapide ad Act.* I. 12. *Casaubonus* miraculum illud de impressis Christi vestigiis, ob tot scriptorum consensum, & in his magni *Hieronymi*, fide dignissimum esse existimat. Mihi, ut verum fatear, secus videtur. Neque dubito, quin hæc una sit ex fabulis illis quas poste-

XXV. Veterum de impressis huic loco vestigiis Christi, aliisque miraculis incerta narrationes.

posterior ætas, contra superiorum seculorum fidem, vel confinxit, vel arripuit. Et enim, uti judiciose notavit *Hornius*, *Eusebius* quum exactissime structuram templi in monte Oliveti describat, nullo verbo hujus miraculi meminit, hautquaquam prætermissurus rem, si fuisset vera, memorabilem, & confutandis Ethnicis magnum usum præbituram. Prætermittunt etiam silentio *Socrates*, *Theodoretus*, *Sozomenus*, & fabularum Pater *Nicephorus*: qui tamen de crucis inventione tam splendide nugantur. De qua quid credendum sit mox inquiremus. Quæ vero etiamnum monstrantur peregrinantibus vestigia, ea meras maleferiatorum hominum offucias esse, res ipsa loquitur. Nec recens fabella antiquæ consonat. Hæc, vestigia arenæ impressa dictat. Illa, saxo. Nec vestigia nunc cernuntur, sed vestigium unius modo pedis, in parte aliqua rupis. Altero, una cum saxo cui institisse dicitur, a Turcis in fanum aliquod suum translato. *Della Valle Itin. Lib.* I. *Cap.* XXXVII. Adeone nunc vestigiorum suorum securum factum esse Dominum, ut quum olim Augustissimæ Basilicæ, a pia Imperatrice in honorem ejus structæ, concameratione tegi ea noluerit, nunc earum partem alteram in fanum Pseudo-Prophetæ dicatum transferri patiatur? Originem erroris invenisse se credit *Hornius*, in iis *Eusebii* verbis quæ exstant *Lib.* III. *de Vit. Const. Cap.* XLII. ubi de Helenæ in Judæam adventu agens, dicit, ὡς δὲ βήμασι τοῖς σωτηρίοις τὴν πρέπουσαν ἀπεδίδου προσκύνησιν. *Post quam autem Servatoris nostri vestigia debito cultu venerata est.* Quæ in genere de Judæa dicta, ubi Christus versatus est, inscite fortassis Oliveti monti applicata sunt, unde Christus adscendit. Et certe paululum aliquid ad natales fabulæ sufficit, quæ, ut ut improbabilis, insanum quantum temporis tractu crescit. Mihi tamen magis allubet opinari, ex Zachariæ vaticinio figmenti quæsitam occasionem. Apud illum enim invenimus Cap. XIV: 4. *stabunt pedes ejus illo die in monte Olivarum.* Quod profecto nimis literaliter ad rem traxit *Baronius.* vel ex Ps. CXXXII. com. 7. *adoravimus ubi steterunt pedes ejus.* Ita enim citat, & huc refert *Paulinus.* Superfluum esset ostendere, quam hæc aliena sint.

XXVI. *Historia crucis per Helenam reperta.*

XXVI. Ejusdem ponderis est quod de crucis Dominicæ inventione prodiderunt. Dum *Hierosolymæ* Helena morabatur *infudit ei Spiritus, ut lignum Crucis requireret. Accessit ad Golgotham: Et ait, Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro signum salutis, & non invenio. Ego*, inquit, *in Regnis, & Crux Domini in pulvere? Quomodo me redemtam arbitror, si redemtio ipsa non cernitur?* Ita eam loquentem in scenam producit *Ambrosius*, *Orati. in Fun. Theodosii.* Peritissimos ergo, tam Christianorum, quam Judæorum, *Paulino* teste *Epist.* XI. *Hierosolymam*

solymam accitos congregavit. Tum omnium una de loco testificatione confirmata, jussit ilico, urgente sine dubio conceptæ revelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi. Neque diu fuit, *quin abditæ crucis arcana paterent; sed quum tres pariter cruces, ut quondam fixæ Domino & latronibus steterant, repertæ fuissent, gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi piorum metu, ne forsitan pro cruce Christi patibulum latronis eligerent.* Unde colligas, formam omnibus eandem fuisse. Cæterum quæ tandem nota discriminis? Si *Ambrosio* credimus, Deum ἀπὸ μηχανῆς intervenire necesse non fuit. Invenit enim Helena *in medio patibulo prælatum titulum*, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. *Hinc collecta est series veritatis, titulo Crux patuit.* Et fortasse sic ea tempestate credebatur. At aliter *Ruffino* visum, qui rem tantam non absque miraculo confici potuisse credidit. Adducta est *semiviva mulier*, quæ primæ secundæque crucis attactu nihil adjuta, *simul ac tertiam admoveri sensit, repente adapertis oculis resurrexit, & stabilitate virium recepta, alacrior multo, quam quum sana fuerat, tota domo discurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit. Ruffi. Hist. Lib.* I. *Cap.* XVII. Non multum abludit *Theodoretus Hist. Lib.* I. *Cap.* XVIII. Id si ad faciendam fidem non sufficiat, aliud, & majus, ex *Paulino* audi, cui *Sulpitius* adstipulatur *Severus*. *Cadaver illatum est; deponitur; jacenti una de crucibus admovetur, dein altera; sed earum ligna mors sprevit. Postremo Dominicam crucem prodit resurrectio: & ad salutaris ligni tactum, morte profuga, funus excussum, & corpus erectum est. Nicephorus* utrumque conjungit. *Lib.* VIII. *Cap.* XXIX. Regina ergo voti compos effecta, tantisque confirmata miraculis, templum mirificum, eo in loco in quo crucem repererat, regia ambitione construxit. Crucis autem inventæ partem alteram *Hierosolymis* esse relictam, alteram ad Constantinum allatam, & *Sozomenus* & *Theodoretus* affirmant. Quam ubi Constantinus (ita *Socrates* ἱστορεῖ) accepisset, in suam inclusit statuam quæ Constantinopoli in foro collocata est: ratus civitatem, in qua illa servaretur, omnino salvam & incolumem fore. Hæc est rei gestæ historia: quæ tot, tantæque fidei & auctoritatis, firmata testibus, tam constanter in Oriente pariter atque Occidente credita, extra omnem dubitationis aleam posita esse videtur. Idque eo magis, quia *S. Cyrillus, Hierosolymitanus* Antistes, qui his temporibus vixit, & interfuisse potuit ejusdem crucis inventioni, ad Constantium, Constantini filium, de salutari crucis ligno reperto scripsit. Vide *Baron. Tom.* III. *ad An.* CCCXXVI. *Num.* XLII. *& seq.*

XXVII.

XXVII. *Quam fabulæ propiorem esse multis argumentis evincitur.*

XXVIII. Non desunt tamen Viris Doctis quæ contra dissertent. Ac primo quidem vetant oculos nobis præstringi narrationis alicujus late didita, multisque, etiam non omnino imprudentibus, credita fama. Homo natura ad fingendum pronus est: & facile ab aliis ea commenta recipiuntur, quæ rei alicui cui impense student commendandæ idonea sunt. Quod exemplis confirmare in mundo est. Quid per multa secula celebrius fuit Constantini lepra, & Baptismo apud Romam a Sylvestro, Urbis Episcopo, suscepto? Quid Catharinæ, Regiæ apud Alexandriam Virginis, diris passionibus vulgatius? aut Giganthea Christophori statura? Quid Sancta Ursula cum undecim millium Virginum choro, illarumque martyrio decantatius? Quid famosius Rhemensi ampulla, ad Chlodovæum inungendum Divinitus delata? Quam nobilis & antiqua fabula de Carolo Martello ad gehennam damnato? Horum tamen omnium cordatiores Romanensium hodie pudet. Ita quoque fieri potuit, ut hæc de reperta cruce, annis aliquot post Helenæ mortem, a nescio quo primum conficta, patulas aures invenerint, quia admodum favere videbantur illi circa reliquias religioni, quæ affecto seculo quarto gliscere occœpit. Sane Chronicum Coloniense, conscriptum Anno M. CCCC. XCIX. ante exortam Reformationis lucem, hanc inventæ crucis historiam, non minus incertis & dubiis accenset, quam illam de undecim mille Virginibus. Nam & illud observandum, non esse hanc rem traditam nisi ab iis qui Constantino & Helena aliquanto tempore posteriores fuerunt. Quod rem mature quidem, nec multis post Helenæ obitum annis, traditam receptamque demonstrat: veram esse, non vincit. Primus qui illiusce meminit *Cyrillus Hierosolymitanus* est, si modo Cyrillus. Hunc *potuisse interesse* inventioni crucis, Baronius dixit; interfuisse, erubuit dicere. Sed non sine caussa a Viris Magnis dubitatur, an veri Cyrilli hæc genuina epistola sit: tum quia *Hieronymus*, acer licet reliquiarum patronus, de ea epistola nihil dicit, quo loco, Cyrillum inter illustris memoriæ scriptores referens, de ejus rebus & libris docet: *Lib. de Script. Eccl. in Cyrillo*: tum quia ipsa epistola ea continet quæ vero Cyrillo indigna sunt. Nam postquam præfatus esset, literas se dare *non verborum adulatione refertas*, mox tamen Constantium vocat πανσεβέστατον βασιλέα, προγονικὴν εὐσέβειαν μείζονι τῇ πρὸς τὸν Θεὸν εὐλαβείᾳ νικῶντα. *omnium pientissimum Imperatorem, qui sua erga Deum pietate majori parentes suos superaverit.* Et deinceps: *Has ab Hierosolymis primas annuncio voces, Tibi*, τῷ γνησιωτάτῳ καὶ πανσεβεῖ μεθ' ἡμῶν Ἰησοῦ προσκυνητῇ. *maxime germano & omnis pietatis studioso, Christi Unigeniti Filii Dei & Salvatoris nostri una nobiscum adoratori.*

Quo

Quo modo Episcopum orthodoxum Imperatori Ariano, multisque fœdo criminibus, scripsisse, probabile non est. Vide *Baronium ad Annum* CCCLIII. *Num.* XXVI. *& seq.* ubi epistolam eam exhibet: & quum tanta Constantii encomia displicerent, ipse in margine annotavit, *Profusa laudatio.* Non dissimulo tamen Sardicensem Synodum Orthodoxam, Constantium una cum Constante fratre θεοφιλεστάτυς & ευσεβεστάτυς βασιλέας vocare. *Theodoret. Hist. Lib.* II. *Cap.* VIII. *Ambrosii* testimonium annis plus minus octoginta, re gesta, si modo gesta, posterius est. Theodosius enim, in cujus oratione funebri id disserit Ambrosius, obiit Anno Christi CCCXCIV. Crucis autem inventio refertur ad annum CCCXXVI. Adde Ambrosium, virum cætera gravissimum, magnum fuisse reliquiarum promotorem: quem mirum non est sparso de crucis inventione rumori facile credidisse. Hoc enim natura cuivis insitum est, ut iis quæ valdé cupimus, licet non satis explorata sint, statim ac facile adhibeamus fidem, iisque, ut hypothesi inservituris, utamur alacriter. Et profecto si tanti crucis inventio est, ut, juxta Ambrosium, dicendum fuerit Helenæ; *quomodo me redemtam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur?* quo pacto excusari possunt Apostoli, primique Christiani, quot potiundæ cruci non majorem adhibuerint diligentiam? Non enim Judæi, non Pilatus, qui Christi cadaver Arimathæensi Josepho concessit, discipulis infelix magistri patibulum, uti opinor, invidissent. Fac invidisse. Cur non saltem Apostolorum discipuli, diruta Judæorum politia, Urbe ferro & flammis excisa, ex vicino, quo confugerant, oppido statim advolant, in ruderibus illis crucem scrutaturi, tantam religionis suæ partem, inexhaustum benedictionum ac miraculorum thesaurum, Ecclesiæ peculium, spem, præsidium? Præsertim quum nullum ibi persecutionum ludibrium metuendum, sed solitudo, ac muta omnia, essent. Nimirum existimabant id quod res est, nihil ad Ecclesiam commodi ex materiali illa cruce redundare nunc amplius posse. Sufficiebat iis fides, dilectio, cultus Crucifixi: & pia Evángeliorum meditatio, in quibus de Domini perpessionibus sufficienter erudimur. Cæteri auctores fidem historiæ destruunt magis quam ut astruant. Adeo sibi dissona commentantur. Vide sis a quam tenuibus initiis, uti in fabulis fieri assolet, fama vires eundo acquisiverit. *Cyrillus*, ut ajunt, simplicissime primum dixit, Constantini temporibus salutare crucis lignum repertum. Hic substitit. *Ambrosius* rudem fabellam exornavit, vel ab aliis exornatam excepit, & Helenam crucis quærendæ atque inveniendæ ducem edidit: addito, ex titulo crucem Domini deprehensam: non contem-

nendum etiam commentarium de clavis adjunxit. Aliis placuit exiliorem hanc Ambrosii narrationem miraculi gloria animare. *Ruffinus* ergo, Ambrosio paulo junior, ægram producit, Dominicæ crucis contactu repente sanatam. Sed quum nec id pro tantæ rei majestate satis esset, *Paulino*, Poetæ & Oratori haud vulgari, illustrius miraculum fore visum est, si mortuo vita quam si ægræ valentia restituatur. Hinc cadaver cruci admotum, quod vita recepta mox in pedes surrexit. Sollicitudinem fortasse tam discors *Ruffini* & *Paulini* narratio scrupulosis incutiat animis: sed *Nicephorum* nunc vide, qui ingeniose, & plane ex Græcanica solertia, difficultatem omnem eximit, utrumque admittendo miraculum. Ita paullatim instructa fabella est, quam alii magno nisu tradiderunt, identidem factam auctionem: donec Gelasio Papæ oportunum visum est fingendi libidini fibulam imponere. Sed nullum validius argumentum eo est, quod ab *Eusebii* desumitur silentio. Is Cæsareæ, urbis in vicino *Hierosolymorum* positæ, Episcopus, eopse tempore vivens, Constantino ipsi & Helenæ perquam familiaris, rem tantam, si gesta est, ignorare non potuit. Si scivisset, si vel tenuis illius aura ad aures ejus dilapsa fuisset, indictam præterire non debuit; non potuit etiam, quum tam accurate in literas digereret, quæcunque a Constantino & Helena in terra sancta, in locis Nativitatis, Passionis, & Sepulturæ Christi, gesta fuere, nusquam in laudibus Augustæ parcus. Si ulla res, hæc certe quantivis erat pretii, nec ullo modo prætermittenda accurato scriptori, ut fuit Eusebius. Unicum hoc ab Eusebii silentio argumentum, in re tam nobili, tam notabili, ubi tam commoda narrandi opportunitas, tam urgens necessitas, ad displodendam universam illam de crucis inventione narrationem abunde sufficit. Nec invenit quod opponeret Bellarminus, nisi unum aliquid: quod tamen aliquid nihil est. Nimirum mentionem hujus rei inveniri, non quidem in *Historiis*, attamen in *Chronico Eusebii*. Ex quo *ad Annum Constantini* XVI. hæc verba profert. *Helena Constantini Mater, divinis monita visionibus, beatissimum crucis lignum, in quo mundi salus pependit, apud Hierosolymam reperit.* Sed hæc vel fraus est Bellarmini, vel mera supinitas. Nam neque in Græco Eusebiani Chronici textu horum verborum quicquam invenitur, neque, *Scaligero* teste, & *Spondano* non abnuente, in ullo scriptorum codicum Latinorum. Ipseque *Baronius* Eusebii Chronicum a librariis admodum depravatum esse fatetur. Et res ipsa hic clamat. Non enim crucis inventio, si inventa est, ad Annum Constantini XVI. sed XXI. qui incidit in Annum Christi CCCXXVI. referenda est. Hoc ergo additamentum a mala est & sera manu.

Faciunt

Faciunt hæ rationes, ut cum *Chamiero*, *Panstrat. Lib.* XXII. *Cap.* IV. *Salmasio*, *in Epist. de Cruc. p.* 368. *& seq. Dallæo*, *de object. cult. relig. Lib.* V. *Cap.* I. aliisque, illam de crucis inventione historiam pro inventione & fabula habeamus.

XXVIII. Eximius Templorum splendor, Helenæ Imperatricis exemplum, tot encomiis celebratum, & opinio sanctitatis illorum locorum quæ pedibus suis presserat Dominus, quamvis spiritualis Christianismi genio minus consentanea, effecerunt ut religiosæ a multis peregrinationes *Hierosolymam* versus instituerentur. *Sozomenus Lib.* II. *Cap.* XXVI, ubi dedicationem templi, simulque ornamenta & donaria ab Imperatore transmissa descripsisset, sic pergit: *quæ quidem in eadem basilica hactenus manent, & a cunctis, non sine ingenti stupore, spectantur. Ex eo vero tempore solennem quotannis festivitatem admodum splendide Hierosolymitana celebrat Ecclesia; adeo ut Baptismi quoque sacramenta eo die tradantur, & per continuos septem dies collectæ fiant: multique ex omni fere terrarum orbe conveniant, qui hujus festivitatis tempore ad loca sacra perlustranda undique accurrunt.* Hæc quidem Sozomenus. Sed *Hieronymus* de frequentia eorum qui suo tempore religionis gratia *Hierosolymam* confluebant, longe, ut solet, magnificentius, *Epistola* XVII. quæ scripta est nomine Paulæ & Eustochii, quodnam genus hominum, & ex quibus locis illuc properaret, sic describit: *Qui in toto orbe sunt primi, hic pariter congregati: ad quæ nos loca non ut primæ, sed ut extremæ venimus, ut primos in eis omnium gentium cerneremus. Certe flos quidam, & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, monachorum & virginum chorus est. Quicunque in Gallia fuerit primus, huc properat. Divisus ab orbe nostro Britannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso quærit locum fama sibi tantum & scripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios? quid Persas? quid Indiæ, quid Æthiopum populos, ipsamque juxta Ægyptum, fertilem Monachorum, Pontum & Cappadociam Syriam cœlem & Mesopotamiam, cunctaque Orientis examina? quæ juxta Salvatoris eloquium, dicentis, Ubicunque fuerit corpus, congregabuntur illuc aquilæ, concurrunt ad hæc loca, & diversarum nobis virtutum specimen ostendunt: vox quidem dissona, sed una religio.* At quæ tanta caussa fuit hominibus videndi Palæstinam? Si *Hieronymum* audiamus, spes proficiendi in religione, scientia, & virtutibus. In hunc enim modum eadem Epistola rhetoricatur. *Longum est nunc ab adscensu Domini, usque ad præsentem diem per singulas ætates currere; qui episcoporum, qui martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam: putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur,*

XXVIII. *Frequentes olim, & superstitiosæ, ad Hierosolymam peregrinationes.*

manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat. Certe etiam si praeclarus orator reprehendendum nescio quem putat, quod literas Graecas non Athenis, sed Lilybaei, Latinas non Romae sed in Sicilia didicerat: quod videlicet unaquaeque provincia habeat aliquid proprium, quod alia aeque habere non possit, cur nos putamus absque Athenis nostris quemquam ad studiorum fastigia pervenisse. At si verum dicere volumus, mera superstitio fuit, & spiritualis Christianismi ignorantia. Existimabant enim singulari sanctitate praedita esse ea loca, ubi Christus natus & passus est, undeve in coelum adscendit. Quum ex adverso totam Judaeorum terram, & *Hierosolymam*, olim sanctam, dein adulteram & prostitutam, ob incolarum scelera, anathemate Divina ferierit justitia; introducta vero novi testamenti gratia, sublato locorum discrimine, tota terra Jehovae facta sit cum omni plenitudine sua: neque *Hierosolymae* magis, quam in quacunque alia orbis regione, adorari malit Dominus. Unde prudenter Epistola ea de caussa scripta fratribus consuluit *Gregorius Nyssenus*, ut e corpore peregrinentur ad Dominum, non ut e Cappadocia in Palaestinam.

XXIX. *Quibus gradibus Episcopus Hierosolymitanus Patriarchae nomen ac dignitatem nactus sit.*

XXIX. In qua aestimatione, quove honoris gradu Ecclesia *Hierosolymitana* Constantini aetate fuerit, colligi potest ex Canone VII. Concilii Nicaeni, qui ita habet: *Quoniam mos antiquus obtinuit & vetusta traditio, ut Aeliae Episcopo honor deferatur, habeat consequenter honorem, manente tamen Metropolitanae civitatis propria dignitate.* Aeliam verum urbis nomen esse quae abusive *Hierosolyma* vocatur, ex iis, quae antea monuimus, notum est. Honor, qui ejus urbis Episcopo ex more & vetusta traditione deferebatur, in eo consistebat, ut inter Apostolicarum Ecclesiarum Antistites sederet, & in literis quoque ita nominaretur, ac subscriberet: utque honorarius esset Metropolitanus, quasi talis τῇ ἀκολουθίᾳ τῆς τιμῆς. Hunc ei honorem sartum tectum manere magna Synodus voluit: addita tamen hac cautione, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος, *salva Metropolitanae civitatis propria dignitate.* Metropolitana Syriae Palaestinae civitas, Caesarea erat: cujus Episcopo itaque suberat *Hierosolymitanus*, & a quo ordinabatur. Atque hanc etiam Caesariensi Episcopo dignitatem potestatemque illibatam manere, sciscit Synodus. *Balsamon* in Canonem VI. ita commentatur: ὁ παρὼν κανὼν καὶ ὁ ἕβδομος διορίζονται τοὺς τέσσαρας πατριάρχας, δηλαδὴ τὸν Ῥώμης, τὸν Ἀλεξανδρείας, τὸν Ἀντιοχείας, καὶ τὸν Ἱεροσολύμων κατὰ τὰ παλαιὰ ἔθη τιμᾶσθαι. *Sextus & septimus Canon statuunt, quatuor Patriarchas, videlicet, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum, ex antiquis moribus honorari.* At fallitur: nam

neque Patriarchæ nomen ea notione Nicænis Patribus uſpiam uſurpatum eſt: & *Hieroſolymitanus* Epiſcopus Cæſarienſi poſtponitur. Sed non diu fuit, quin gnaviter eam dignitatem arripuerit, ſibique vindicaverit *Hieroſolymitanus*; aſſumto Patriarchæ titulo, & ſubjecto ſibi ſuo Metropolitano, & Palæſtinis Eccleſiis. Canon Arabicus, qui Canoni VII. Nicæno reſpondet, quamvis in Arabico ſit X, ex verſione Turriani ita habet: *quia eſt conſuetudo honorandi Epiſcopum Heliæ nomine Patriarchæ, quum eſt dignus honore propter ſanctitatem loci, & propter probitatem ejus: præſit illi provinciæ & locis ei vicinis, reddatque Archiepiſcopo ejus loci debitum honorem: & vocetur ille Exarchus, id eſt major quam Archiepiſcopus.* In concilio *Conſtantinopolitano*, ſub Imperatore *Juſtiniano*, circa annum Chriſti DLIII. communi cæterorum Patriarcharum conſenſu Patriarchæ titulus & dignitas *Hieroſolymitano* Epiſcopo ſolemniter data eſt. Et Antiocheno atque Alexandrino Metropolitani & Epiſcopi aliquot ſubtracti ſunt, quibus *Hieroſolymitanus* augeretur. Vide *Baron. Annal. Tom.* VII. *p.* 473. Cæterum non exſpectato, ut dixi, aliorum Patriarcharum ſuffragio, ipſe ſibi *Hieroſolymitanus* longe ante illud tempus iſtam honoris prærogativam arrogaverat. Creſcente ambitione *Polychronius*, ſedis hujus Epiſcopus, contendit *Hieroſolymorum* Eccleſiam locum principem obtinere: & dignitate reliquas ſedes Apoſtolicas antecellere. Semper tamen videas ultimo inter Patriarchas loco *Hieroſolymitanum* cenſeri: etiam, poſtquam iis adnumerari Conſtantinopolitanus, omnium recentiſſimus, cœpit. Petrus Patriarcha Antiochenus, in epiſtola ad Epiſcopum Gradenſem Aquilejenſem. Πέντε ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ ὑπὸ τῆς Θείας ᾠκονομήθη χάριτος εἶναι πατριαρχὰς, τὸν Ῥώμης, τὸν Κωνςαντινυπόλεως, τὸν Ἀλεξανδρείας, τὸν Ἀντιοχείας, τὸν Ἱεροσολύμων. *In toto terrarum orbe quinque in univerſum ordinati ſunt Patriarchæ: Romanus, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus.* Qui tamen ex Græcis contra Romani Papæ primatum diſputarunt, ii, ſi ex loci prærogativis decidenda controverſia ſit, eum *Hieroſolymitano* potius, quam cuicunque alteri, tribuendum eſſe pugnaverunt. Certe ſic *Barlaamus Monachus* apud noſtrum τὸν πάνυ *Spanhemium*, *Diſſert. ad Can.* VI. *Concil. Nicæni* I. *§.* XXVI. Οὐκοῦν ἐπεὶ ὁ δεσπότης ἡμῶν Ἰησοῦς Χριςὸς ἐν Ἱεροσαλύμοις τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ὑπέςη θάνατον, εἴη ἂν ὁ Ἱεροσολύμων ἐπίσκοπος πάντων προεςώς, ὡς τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ πρώτου ἡμῖν ἀρχιερέως. καὶ τοσοῦτον μείζων τοῦ Ῥώμης ὅσον καὶ ὁ Χριςὸς τοῦ Πέτρου. *Quando igitur Dominus noſter Jeſus Chriſtus Hieroſolymis mortem noſtri cauſſa ſuſtinuit: præerit omnibus Hieroſolymorum Epiſcopus; utpote Primarii noſtri Pontificis locum tenens: & tanto quidem major Romano Epiſcopo, quanto Chriſtus major Petro.*

XXX. *Judæos iterum rebellantes pœnis ac legibus Constantinus compescuit.* XXX. A Christianis nunc ad Judæos transeamus, qui post Hadriani cladem in varia sparsi loca, quieti vixere usque ad Constantinum M. cujus tempore quædam tumultuantium factio ausu temerario Templum *Hierosolymitanum* instaurare cœpit. Verum Imperator, re cognita, opera eorum curavit disjici, & perduellionis reos severe castigavit. *Chrysostomus adversus Jud. Homil.* III. *Tom.* V. narrat Constantinum, amputatis illorum auriculis, ac rebellionis signo corpori impresso, per omnia eos loca circumtulisse, ceu fugitiva mancipia, & verberones, corporibus mutilatis conspicuos, ut popularibus suis exemplo essent, ne similia imposterum molirentur. Nunquam a se impetrare Judæi potuerunt, ut Christianam religionem Vatiniano non prosequerentur odio. Quod & prosperis sub Constantino Christianorum rebus demonstrarunt. Quicunque enim ex popularibus suis ad Christianorum fidem capessendam animum adplicarent, eos hostiliter ad necem usque persecuti sunt. Constantinus autem, his prospiciens qua decebat severitate, furentes eorum animos hac lege compescuit. *Leg.* I. *De Jud. Cod. Theodos. Constantinus Imperator ad Euagrium. Judæis & Majoribus eorum & Patriarchis volumus intimari: quod si quis, post hanc legem, aliquem qui feralem eorum fugerit sectam, & ad Dei cultum respexerit, saxis, aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognovimus, ausus fuerit adtentare; mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus. Si quis vero ex populo ad eorum nefariam sectam accesserit, & conciliabulis eorum se adplicaverit, cum ipsis pœnas meritas sustinebit. Data* XV. *Kal. Nov. Murgillo. Constantino A.* IV. *& Licinio A.* IV. *Coss.* Retusa hunc in modum Judæorum audacia, compressoque fastu, sponte ei paruerunt. Ideoque nulla eos Imperator severitate persecutus, clementer, uti reliquos subditos, habuit. Quod data pro ipsis rescripta arguunt: quibus plurimum iis indulsit.

XXXI. *Postmodum Constantius nova molientes profligavit.* XXXI. Sub CONSTANTIO, Constantini filio, denuo Romanorum jugum excutere adnisi sunt: sed irrito conatu. De quo *Socrates. Hist.* II: XXXIII. *Judæi qui Diocæsaream, Palæstinæ urbem incolebant, contra Romanos arma sumentes, vicina loca excursionibus vastare cœperunt. Verum Constantius Gallus, quem Imperator auctum Cæsaris dignitate in Orientem destinaverat, misso exercitu eos profligavit; urbemque eorum Diocæsaream solo æquari præcepit.*

XXXII. *Julianus Templum & sacra instaurare* XXXII. Ultimo conatu sub Juliano cristas erigere cœperunt. Hic enim Imperator sacrificiis deditus, & Christianis cupiens ægre facere, vaticinia Christi de nunquam instaurando Templo *Hierosolymitano* mendacii convicturus, Judæis *Hierosolymam* redeundi, templum ædifi-

ædificandi, sacra obeundi, copiam fecit. Ipse sumtus operi ex publico præberi jussit. Judæi nunc oportunum sibi vindictæ tempus obtigisse rati, multaque Christianis minantes, magna alacritate omnia structuræ necessaria præparare: mulieres quoque antiqui ædificii rudera gremiis exportare, & monilia ac reliquum omnem mundum muliebrem ad sumtus ultro conferre. Interea temporis *Cyrillus Hierosolymorum* Episcopus, memor vaticinii Danielis, quod & Christus in Evangeliis confirmavit, palam multis adstantibus prædixit, futurum brevi, ut in eo templo lapis super lapidem non maneret. Quumque hæc dixisset Episcopus, noctu ingens terræ motus exortus, lapides ex veteribus templi fundamentis avulsos sursum excussit, & cunctos una cum contiguis ædificiis dispersit. Terror ex eo non mediocris invasit Judæos; famaque ejus miraculi plures exciti, ex longinquis regionibus in eum locum convenere. Quum igitur quam plurimi adessent, aliud denuo prodigium accidisse fertur. Ignis enim cœlitus missus cuncta opificum instrumenta consumsit. Itaque cernere erat malleos, scalpra, serras, secures, ascias, cuncta denique ad opus faciendum necessaria, flammis absumi. Et ignis quidem toto die hæc omnia depascebatur. Judæi vero ingenti timore perculsi, etiam inviti Christum Deum esse confessi sunt. At quum ne sic quidem mandato ejus parerent, en tertium miraculum: quippe sequenti nocte *σφραγῖδες σταυροῦ ἀκτινοειδεῖς*, *signa crucis radiantia*, in illorum vestibus impressa apparuerunt: quæ orto die conspicati, frustra abstergere aut eluere conabantur. Sic templum, quod moliebantur reficere, funditus eversum est. Ita quidem *Socrates Hist.* III. XX. Nec abludit *Sozomenus Lib.* V. XXI. *Chrysostomus Orat.* III. *contra Jud.* quum eadem fere narrasset, subjungit: *καὶ νῦν ἐὰν ἔλθῃς εἰς Ἱεροσόλυμα, γυμνὰ ὄψει τὰ θεμέλια τῆς γῆς ἐκείνης. καὶ τούτου μάρτυρες ἡμεῖς πάντες. ἐφ' ἡμῶν γὰρ, οὐ πρὸ πολλοῦ ταῦτα γέγονε χρόνου. Et nunc si redeas Hierosolymam, conspicies nuda fundamenta. Hujus rei nos omnes testes sumus. Nostra enim ætate hæc non ita pridem acciderunt. Gregorius Nazianzenus, Imperatori σύγχρονος*, pluribus eadem exsequitur, secunda oratione invectiva. Ubi inter alia signa, quibus absterritæ fuerunt operæ; *lucem in cælo stetisse* adfirmat, *quæ crucem in orbem describeret*: *ἔστη φῶς ἐν τῷ οὐρανῷ τὸν σταυρὸν περιγράφον.* Provocat etiam ad eos qui prodigii hujus fuerunt spectatores, vestesque suas proferre jubet *τὰς τότε κατασημανθείσας τοῖς τοῦ σταυροῦ σίγμασιν*, *crucis notis tunc inustas & consignatas.* Denique addit, multos hoc miraculo ad Christum fuisse conversos.

jussit; ac cælitus impedito molimine.

XXXIII. *Quod & Judæis & Gentilibus Scriptoribus observatum est.*

XXXIII. Bonum factum, quod impia illa, sed frustranea, tam Juliani quam Judæorum, adversus Christi prophetias, ad templum reædificandum molimina, non Christianis modo, sed & Judæis, & Gentilibus Scriptoribus memorata sint. Judæos quod attinet, in Libro cui titulus est, צמח דוד, *Germen Davidis*, *Part.* II. *fol.* 36. *Num.* 368. hæc exstant: הקיסר חזות צוה לחדש הבנין בית המקדש לכבוד ולתפארת ונתן לזה עזר ממונו אך מן השמים נתעכב שלא נגמר בנינו כי הקיסר נהרג במלחמת פרס: *Imperator hic* (de Juliano loquitur) *jussit renovari structuram ædis sacræ, ad gloriam & decus: & sumtus de publico præbuit. At cœlitus impeditum est opus, quo minus consummaretur: Imperatore, dum cum Persis pugnaret, trucidato.* Eandem tangit historiam Rabbi *Gedalia*; *p.* 109. at mala admodum fide. Concedit quidem operas primum igne fuisse impeditas: postea vero, recuperato animo, ac restauratis viribus, templum exstruxisse, quod multis post annis terræ motu concussum fuerit ac dirutum. Cæterum commentum istud omnium annalium fide, ipsaque rerum luce refellitur. Ex Gentilibus *Ammianus Marcellinus*, aliquanto planius & candidius, initio *Lib.* XXIII. sic tradit: *Et licet accidentium varietatem sollicita mente præcipiens, multiplicatos expeditionis apparatus flagranti studio perurgeret, diligentiæ tamen ubique diffidens, imperiique sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa & interneciva certamina obsidente Vespasiano, posteaque Tito, ægre est expugnatum, instaurare sumtibus cogitabat immodicis: negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Quum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ rector,* METUENDI GLOBI FLAMMARUM PROPE FUNDAMENTA CREBRIS ASSULTIBUS ERUMPENTES, FECERE LOCUM EXUSTIS ALIQUOTIES OPERIBUS INACCESSUM: *hocque modo, elemento destinatius repellente, cessavit inceptum.*

XXXIV. *Feliciori successu Justinianus Hierosolymæ superbam ædem Mariæ Deiparæ struxit.*

XXXIV. Feliciori successu usus est *Justinianus* Imperator, in exstruendo *Hierosolymis* Virgini Deiparæ templo: circa annum Christi DXXX. De quo prolixe *Procopius*: *de Ædific. Justin. Orat.* V. quamvis in ejus descriptione omnes accurati Historici numeros, Baronio observante, non impleverit; omissis rerum omnium numero & mensura, quæ in Architectura primum locum obtinere videntur. At non aliunde tamen ædificii hujus rationem melius cognoscamus. Quantum igitur ex intricato sive Procopii ipsius, sive Interpretis sermone, colligere potui, hoc fere modo comparata magnificentissimæ ædis structura fuit. Colli eam inædificari Imperator jussit, præscripta forma, & accurata longitudinis latitudinisque dimensione. At minor erat

erat ædi destinatus collis, quam ut tantam molem sustineret: nam ad meridiem & solem orientem, ubi sacra sacerdotibus obeunda forent, quarta templi pars defectura videbatur. Arte igitur opus fuit, ut superata loci iniquitate, nova repente exsurgeret rupes, collem altitudine æquans, cui, quæ deerant templo, superstruerentur. In quem finem vægrandia saxa, ex montibus qui urbi imminent desecta, & scite expolita eo devexerunt: singula singulis imposita curribus, quos boves quadraginta trahebant. Sed quum viæ quæ in urbem ducunt, ob interjectos montes, curribus tam gravi pondere pressis inviæ essent, montes plerosque incredibili labore effossos vel exsectos pervios fecerunt. Sic strui Templum ex voto Imperatoris potuit. At ligna tecto faciendo deerant. Quærentibus ac circumspicientibus silva inventa est, cedris abundans in altitudinem tantum non infinitam tendentibus. Eas tecto aptarunt. Adhæc Templo undique columnis opus erat: quarum & forma templi elegantiæ responderet, & ea magnitudo foret quæ molem impositam sibi sustineret. Regio autem longe a mari aberat, præruptis montibus vallata: ea res sollicitos faciebat artifices, qua aliunde columnæ inferri possent. Quod quum Imperator propter operis difficultatem moleste ferret, (ipsa abhinc Procopiani interpretis verba exhibebo) Deus in proximis montibus lapidis naturam indicavit, huic operi satis congruam: qui plane lapis, aut prius existens hic delituit, aut nunc primum conditus est. Utique probabilis ratio adest, quæ caussam in Deum referat. Nos humana potestate omnia metientes, multa arbitramur impossibilia. Deo nihil omnium neque anceps, neque impossibile. Hinc igitur ingentium columnarum, & ignis flammam quandam colore imitantium, magna copia undique suffulciunt templum: partim superne, partim inferne, ad porticus quoque totum ferme templum obeuntes, præterquam ad latus auroræ obversum. Imprimis tamen excellentes duæ columnæ stant ante fores templi, nullis fortasse columnis totius orbis secundæ. Deinde altera quædam porticus excurrit, a ferula (ut opinor) nomen habens, quod scilicet in latum non protendatur. Post hanc atrium similibus columnis in quadrangulo exsurgens. Atrii fores adeo magnificæ sunt & decentes, ut iis, qui extra vagantur & deambulant, palam significent, quale spectaculum sint adituri. Vestibula inde admirationis plena. Nempe veluti fornix quidam, duabus columnis evectus, immensam atque inexplicabilem altitudinem procul accedenti ostentans, & duo hemicycla adversas inter se facies habentia. In via, qua ad templum itur stant hospitia utrimlibet duo, uno hospites peregrini excipiuntur, altero

requiescunt ac refocillantur pauperes ægroti. Hoc templum Dei genitrici consecratum, Justinianus rex magnarum pecuniarum accessione honoravit. Quæ igitur *Hierosolymis* a Justiniano rege acta sunt, sic habent.

XXXV. *Aliæque ibi Ecclesias antiqui Judæorum Templi spoliis locupletavit.*

XXXV. Eodem Justiniano Imperatore, circa annum Domini DXXXIV. accidit & aliud notatu dignum. Victis *Vandalis Belisarius* honores tulit, quos veteres Romanorum duces qui maxime illustres laureas domum deportarant. Transierant anni prope sexcenti, quod nemo ad id decus pervenerat præter Titum, Trajanum, aliosque in summa potentia Barbarorum victores. Spolia enim captivosque ostentans media in urbe triumphum egit: hoc uno antiquis disparem, quod pedibus ivit sua e domo in circum, atque inde eum in locum ubi solium est Imperatoris. In spoliis erant ea quibus solitum ministrari regi Vandalo: sedes aureæ, & pilenta quæ regiam matronam vectaverant; gemmarum præterea incredibilis splendor, ex auro pocula, quæque alia regiæ mensæ ostentamenta. Tum vero argenti centena aliquot millia pondo, pretiique ingentis alia, quæ Romano quondam Palatio direpta, Gisérichus abstulerat. In his & illa quæ captis olim *Hierosolymis* Romam pertulerat Titus Vespasianus. Quæ ipsa Judæus quidam conspicatus, ut Imperatori familiarium cuidam adstiterat: *hæc*, inquit, *in Palatium Bysantinum inferri non ex usu judicem. Neque enim fas ea alibi cerni, quam ubi ea Salomon, Judæorum rex, rite collocavit: neque aliam ob caussam datum Giserichο spoliare Romæ Palatium, & Romanis res Vandalorum evertere.* Tetigit ea res nunciata animum Imperatoris: ita ut res illas sine mora deferri *Hierosolyma* juberet, in ædem quæ ibi est Christianorum. Vide *Procop. de Bello Vandal. Lib.* II.

XXXVI. *Chosroës Persa Hierosolymam capit.*

XXXVI. Sic *Hierosolyma*, dum sub Christianis Imperatoribus fuit, multis ac præclaris aucta ornamentis est. At post *Mauritii* Imperatoris mortem, sub Persarum redacta est potestatem: mox tamen reddenda Christianis. Nimirum *Chosroës* Persarum rex, qui Mauritii filiam Mariam uxorem duxerat, ulturus amici ac soceri mortem, duobus magnis præliis victor, universam Mesopotamiam, Syriam, Ægyptum, Phœniciam & Armeniam occupavit: ipsam etiam *Hierosolymam* Romanis eripuit, peremtisque, ut ajunt, triginta sex civium millibus, crucem, uti credebatur, Dominicam, & Zachariam Patriarcham, cum residuo populi, tam urbis, quam regionis universæ, secum deportavit in Persidem. Multi etiam Christianorum civium, vili pretio Judæis venumdati, non more gentium in servitute ab iis retenti, sed innumeris afflicti suppliciis dire ab iis trucidati esse perhiben-

hibentur. Refertur ea *Hierosolymæ* clades ad annum *Heraclii* V. *Christi* DCXIV.

XXXVII. *Quam Siroës filius Heraclio restituit.*

XXXVII. At *Heraclius*, quum hinc ab Hunnis Thraciam, illinc a Persis universum Orientem diripi cerneret, Deo confisus (in quem Persarum rex Chosroës diras eructaverat blasphemias, non prius se arma depositurum gloriatus, quam Sol, Deus Persicus, abolita crucifixi Dei religione, passim coleretur,) facta cum Hunnorum rege pace, conscriptis, quantas potuit, copiis, in ipsa Persiæ viscera expeditionem suscepit, tribusque maximis præliis victor, hostis thesauros occupavit. Chosroës undique se premi videns, Romanis jam Tigridem transgressis, in morbum prolapsus, filium natu minorem, *Medarsem*, regno destinavit. Sed *Siroës*, natu grandior, parente capto, in carcerem conjecto, & tandem cum omnibus reliquis filiis interfecto, sibi illud rapuit: impetrataque ab Heraclio pace, præter crucem Dominicam, Ægyptum, Africam, Syriam, *Hierosolymam*, omnemque terram a Mesopotamia ad Erythræum mare illi restituit.

XXXVIII. *Qui crucem Domini solemniter, nec sine prodigio, suis humeris in Calvariam tulisse fertur.*

XXXVIII. Addit ex *Ritualibus Ecclesiasticis Baronius*, *Tom.* VIII. *p.* 293. Heraclium *Hierosolymam* profectum, solemni celebritate crucem Dominicam suis humeris retulisse in eum montem, quo eam Salvator tulerat: illudque factum illustri commendatum esse miraculo. Nam Heraclius, ut erat auro gemmisque ornatus, gradum sistere coactus est in porta, quæ ad Calvariæ montem ducebat: quo enim magis progredi nitebatur, eo magis videbatur retineri. Stupenti vero Heraclio, Zacharias, *Hierosolymorum* Antistes, *vide*, inquit, *Imperator, ne isto triumphali ornatu parum Jesu Christi humilitatem & paupertatem imitere.* Tunc Heraclius abjectis regiæ magnificentiæ vestibus, & plebejo indutus amictu, exutisque calceis, reliquum viæ facile confecit. Et in eodem Calvariæ loco crucem statuit, unde fuerat a Persis transportata. Verum hæc infinitis id genus prodigiis, quæ crucis ligno adscribuntur, id est vanissimorum hominum commentis, quibus seculi sui credulitati illuserunt, accensenda arbitror.

XXXIX. *Dein Saraceni Hierosolyma potiuntur: & Homar Mahumeticæ religioni Templum ædificat, eo loco ubi Salomonis steterat.*

XXXIX. At non diu Christiani *Hierosolymam* tenuerunt. Anno enim Redemtoris DCXXXVI. post biennii obsidionem a *Saracenis*, infensissimis Christi hostibus capta est, non nisi post annos CCCCLXIII. a Christianis iterum occupanda. *Homar*, filius Catab, a Mahumete tertius, erroris & regni successor, cum immensis Arabum copiis Palæstinam invadit: Gazam, urbem munitissimam, occupat; *Hierosolymam* obsidione cingit, & post biennii moram deditione capit; ea lege, ut Christianis suis legibus vivere, dejectas Ecclesias restaurare, Episcopum sui ritus habere liceret. Ipse vero ab incolis, & maxime a

Sophronio Episcopo, diligenter percunctatus, ubinam ille locus esset, in quo Templum Domini, a Tito dirutum, fuerat; mox sumtibus qui sufficere ad impensam possent designatis, convocatisque artificibus, & præparata ex lignis & marmoribus materia, eodem loci, suæ, id est Mahumeticæ religionis templum ædificari jussit. Quod feliciter ex animi sententia consummatum, opulentis possessionibus ditavit, ut ad sarta tecta conservanda, ad luminaria cæterumque cultum abunde semper esset. Exstant vero in eodem Templi ædificio, intus & foris, ex opere Musaico Arabici idiomatis literarum vetustissima monumenta, quæ illius temporis esse creduntur, quibus & auctor, & impensæ, & cœpti absolutique operis tempus declaratur.

XL. *Dum Mahumetanis mancipata sunt Hierosolyma, frequenter mutavit dominos: variis acta fatis: donec recuperata Christianis est.*

XL. Sic mancipata *Hierosolyma* Mahumeticæ superstitioni est: grave servitutis jugum continuis passa laboribus; conditionibus tamen alternis. Nam & frequenter mutavit dominos, primum Persis, mox Ægyptiis, exin Turcis subjecta: & nunc adstrictius, nunc clementius habita, lucida aliquando, alias nubila intervalla habuit, ægrotantis more vel gravata, vel respirans. Nunc diruta dominantium jussu Ecclesia Dominicæ Resurrectionis est; nunc aliorum permissu exstructa rursus. At nunquam pejus *Hierosolymæ* fuit, quam sub dominatione Turcarum; qui fractis Imperii Orientalis viribus, *Hierosolymam* gravissimæ servitutis jugo presserunt. Quarum mutationum historiam magna diligentia contexuit *Wilhelmus Tyri Archiepiscopus*; a tempore Mahumetis, ad annum Christi MCLXXXII, quingentorum & septuaginta annorum seriem complexus. At ne prolixioris repetitionis tædio lectorem meum enecem, ad ea tempora propero, quibus per FRANCOS, sive ex Occidente Christianos, incredibilis rerum mutatio in Oriente facta, *Hierosolyma* recuperata, & novum regnum Christianorum in Palæstina repente fundatum est. Cujus rei tenuia fuerunt initia, progressus mirabiles, exitus vero toti Europæ infelix ac luctuosus. Historiam hoc fere modo temporis istius scriptores prodiderunt.

XLI. *Quos Petrus quidam Eremita ita ad sacram expeditionem excitat, ut auctore Urbano Pontifice, cum magni no-*

XLI. Quum *Saraceni*, in Oriente propemodum toto, uti dicere occupavimus, rerum potirentur, & urbis quoque *Hierosolymæ* domini essent; multi ex tota Christianitate religionis gratia per mille mortis genera ad eam proficiscebantur urbem, quam Domini præsentia, miraculis, morte atque sepulcro rebantur esse sanctificatam. In iis erat PETRUS quidam EREMITA, e regno *Francorum*, ex Episcopatu *Ambianensi*, statura pusillus & contemptibilis. Sed

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Vivacis enim ingenii erat; oculum habens perspicacem, gratumque: nec

nec ſponte fluens deerat eloquium. Is de miſera Chriſtianorum in illis oris conditione, tam aliorum narrationibus, quam ſuis nunc oculis edoctus, excitatusque ſermonibus *Simeonis* Patriarchæ, *Romam* profectus, *Papam Urbanum* circa illas partes reperit; cui Patriarchæ, & fidelium qui *Hieroſolymis* habitabant, literas porrigit: expoſitiſque eorum miſeriis Papæ opem implorat. A quo benigne ſuſceptus, omni permeata *Italia*, ſuperatis *Alpibus*, Occidentales Principes omnes ſingulatim circuit, inſtat ſollicitus, increpat, arguit, & quibusdam perſuadet, ut fratribus in afflictione poſitis ſubvenire non differant; & loca ſancta, quæ Dominus ſua dignatus eſt illuſtrare præſentia, infidelium ſpurcitiis diutius profanari non permittant. Plebem etiam ad id ipſum ſuis exhortationibus animabat. Rebus ita præparatis Anno Domini MXCV *Urbanus* apud *Clarum Montem Alverniæ* civitatem, ex univerſis *Trans-Alpinarum* partibus Provinciarum Concilium convocat; ubi quum prolixa & ad adfectus movendos perquam idonea oratione miſerias Chriſtianorum in Oriente expoſuiſſet, hortatus auditores ſuos eſt, ut ſacra adverſus Chriſtiani nominis hoſtes expeditione ſuſcepta, Eccleſiam eorum tyrannidi eriperent, commiſſas noxas iſthoc pietatis officio expiaturi. Quibus peroratis, ingens tantæ multitudinis excitatus fuit ſtrepitus, auditaque una omnium vox eſt certatim acclamantium, DEUS VULT, DEUS VULT. Convenerat autem inter omnes, & injunctum a Papa fuerat, ut quotquot prædictæ viæ voto ſe obligarent *crucis* inſigne veſtibus ad humerum inſuerent. Præter innumerabilem hominum ex Gallia & Germania multitudinem, viri quidam Principes primæque nobilitatis, omni rerum familiarium cura ſepoſita, in arrham futuræ peregrinationis ſigno ſe crucis communiverunt. In quibus præcipui erant, *Hugo Magnus, Philippi* Francorum Regis Frater; *Robertus, Flandriæ* Comes; alter *Robertus*, Comes *Normannorum*, *Willelmi Anglorum* Regis frater; *Stephanus, Carnotenſium* Comes & *Bleſenſium*; *Ademarus, Podienſis* Epiſcopus; *Willelmus, Auraſicenſis* Epiſcopus; *Raimundus*, Comes Toloſanus; *Gothefridus, Lotharingiæ* Dux, & fratres ejus *Balduinus* atque *Euſtachius*, aliique multi, quos enumerare nihil eſt neceſſe. Hi omnes alacriter ſuſcepto voto, eodemque accenſi fervore, neceſſaria omnia comportabant; condicto etiam itineris inchoandi tempore. Catervatim concurrebant populi, principibus ſe ſociaturi, obſequia promittentes ac fidem. Et quum vulgato carmine publice diceretur:

Occupet extremum ſcabies: mihi turpe relinqui;

laborabant certatim ſe neceſſariis communire, alter alterum antevertere cupientes.

minis principibus incredibilis hominum multitudo ſuſcepto crucis ſigno, in Orientem contendat. Will. Tyr. Lib. I. Cap. X. & ſeq.

XLII. *Attamen consilium hoc Deo non placuit; nam Pontifices suæ solum avaritiæ & ambitioni litabant.*

XLII. Sed quamvis hæc ex insigni pietatis studio proficisci crederentur, ab Ecclesiasticis hominibus, quibus quæstuierant mentes superstitione captæ, supra modum laudata; Deo tamen consilium istud minime placuit: partim ratione *principii* sui; partim ratione *eorum*, qui consilium illud exsecuturi in longinquas eas regiones proficiscebantur. *Principium* geminum considerari potest; partim respectu *Pontificum*, ad sacrum illud bellum instigantium; partim respectu *militum*. Quid in ea re consilii *Pontifici* sederit, facile ex eo colligitur, quod Occidente quasi omni, in Principibus certe rerum, in Orientem navigante, & vacuum se ambitioni avaritiæque Pontificum Occidens aperiret, &, exhaustis per ejusmodi expeditiones Principum subjectorumque opibus, impares post hæc essent ad frænandam domandamque eandem & avaritiam & ambitionem. In ea enim tempora hæc inciderunt, quibus Pontifices immani superbia ad absolutæ dominationis culmen grassabantur.

XLIII. *Principes & milites fascinabat superstitio.*

XLIII. Principes & *milites* fascinavit superstitio. Existimabant enim *Sanctam* præ cæteris *Judæorum* terram esse, quam suis vestigiis, oraculis, miraculis decoraverat Dominus: non intelligentes eam qualemcumque sanctitatem, tunc prorsus periisse, quando, Christo in cœlos evecto, tota terra cum plenitudine sua Domini facta est, &, sine ullo tractus discrimine, æque gratæ preces ac laudum pura sacrificia ubivis offerri possunt Deo. Imo vero terram illam Divino judicio *devotam*, anathemate percussam, ac maledictioni subjectam esse, & *calcandam a gentibus donec impleantur tempora gentium*: cui Divino consilio per Evangelium patefacto obnitendum non fuit. Atque omnis illa circa *Domini sepulcrum* religio quid, nisi insana superstitio est? quum non in sepulcro, sed in cœlo, ad dexteram Patris sui, adorari se atque coli postulet. Sed & illud accessit, quod cæci stultique mortales scelerum suorum expiationem, animæque ab inferni ac purgatorii cruciatibus liberationem, Pontificum sisi *indulgentiis*, ex bellis illis temere sibi promiserint: quamvis de sincera morum emendatione & ad Christi præscriptum conformatione nihil omnino fuerint solliciti. Quæ persuasio certa Christianismi pestis est.

XLIV. *Plebs cruciatorum omnibus flagitiis coopertis, dedecus ubique Christianismi erant: &*

XLIV. Ii vero qui *cruce se signarunt*, magnam partem ex ima plebis fæce homines, rapinis, stupris, adulteriis, exsecrationibus, omnibusque flagitiis cooperti, sceleratam prorsus vitam egere, ut horrori ac detestationi fuerint, non Deo solum, sed & iis per quorum terras transibant populis, & profanaverint nomen Dei inter hostes; indignissimi quorum opera ad rem communem populi Christiani uteretur Deus. Quod omnes eorum temporum Historici uno ore tradunt. Hinc pessimis

mis mulctati modis plerique eorum *in via* fœde perierunt. *Gothefridus Bulionæus*, quum incredibilem cruciatorum multitudinem esse deprehenderet, consultum duxit, ut, in tres distincti exercitus, diversis itineribus in Orientem contenderent. Et primum quidem exercitum *Petro Eremitæ* ducendum dedit. Is ad *Gothefridi* Ducis exemplum, quo evitaretur confusio, suas iterum copias in duas partes dispescuit. Alteri præfecit *Gualterum* quendam, militem egregium, cognomento *Senzavehor*, (nunc dicunt Galli *Sans avoir*) qui in magna societate *Francigenarum* peditum, octo solum equites habens, iter per *Ungariam* versus *Constantinopolim* aggressus est. Initio quidem satis prospere; viam ipsi & commeatum *Calomanno Ungarorum* rege munifice præbente: nisi quod *Ungari* quidam sedecim ex militibus ejus armis, vestibus, auro atque argento spoliaverint. Quod vix dignum memoratu videretur, nisi magnis cladibus, uti mox audiemus, dedisset occasionem. At ubi in *Bulgarorum* fines pervenerat, nihil ibi venale inveniens, permisit suis oves, boves, pabula, cæteraque quæ usui erant, suo sibi arbitratu rapere. Hinc *Bulgari* ad arma concurrerunt; coactaque subito centum & quadraginta millium manu, *Gualterum* cum suis in fugam conjecere: qui non paucis sociorum relictis, cum miseris reliquiis, per vastas solitudines octo dierum itinere emensas, vix eluctatus est; donec tandem omnium indigus prope *Constantinopolim* appulit. Pejor multo eorum fortuna fuit, qui *Petrum Eremitam* ducem habuerunt. Illius *exercitus*, ait historia, *copiosus erat, & ut arena maris innumerabilis.* Quumque eandem insistens viam absque omni turbine ad *Malevillam*, oppidum ad fines *Ungariæ* & *Bulgariæ*, appulsus, intelligeret quæ ab *Ungaris* adversus *Gualteri* socios hostiliter patrata erant, stulta ambitione injuriam suis illatam vindicare instituit. Itaque, contra fidem *Calomanno* datam, *Malevillam* vi capit, multisque *Ungarorum* trucidatis, quam invenit rerum omnium abundantiam absumendam suis dat. Qui prædæ dulcedine semel gustata, procul omni ducis obsequio, *Ungarorum* ac *Bulgarorum* terras depopulantur: nihil sceleris reliquum facientes. *Ungari* ac *Bulgari*, ea perfidia vehementer, ut par est, commoti, variis eos præliis, invadunt, fugant, dissipant, spoliant, trucidant; sic ut ex innumerabili illa multitudine vix triginta hominum millia, omnes lassitudine, fame, vulneribus, confectos, *Constantinopolim* ad *Gualterum* suum, æque miserum, rudis militiæ *Eremita* adduxerit. Haut multo post gravius fatum, at suo merito, aliis incubuit, qui sub ductu *Godeschalci*, ex *Lotharingia*, *Orientali Francia*, *Alemania*, ultra quindecim millia, iisdem insistentes vestigiis, in *Ungariam* ad arcem *Meseburgh* iter

plerique in via fœde perierunt.

Alb. Aqu. Hist. Hier. Lib. I. *Cap.* VII.

Idem Cap. VIII.

iter suum promoverant. Ubi quantumvis comiter excepti, *Bavari* præcipue & *Suevi* qui in *Godeschalci* exercitu erant, pacta conventa violant, populationibus omnia infestant, quæ in usum suum convertere non poterant armenta interimunt, resistentes obtruncant; atque eo tandem Barbaræ crudelitatis deveniunt, ut juvenem quendam *Ungarum*, ob contentionem vilissimam, palo per secreta naturæ adacto, vivum in foro transfixerint. Immanem id facinus iis conflavit invidiam: totque contumeliis incitatus *Calomannus*, coactis omnibus copiis suis impetum in eos facit, certus nemini peregrinorum parcere in tanti sceleris ultionem. Acie igitur & dolis circumventos eo adegit, ut depositis armis, traditaque omni pecunia sua, ad consilium *Godeschalci*, se dederent. Imprudenter, ut omnia. Tunc enim in inermes adeo sævitum est, ut pauci oppido tantæ cladis nuncii ad suos reverterint. Qui tamen alienis periculis non sunt facti cautiores. Nam sub æstatem ejusdem anni MXCVI, alia multitudo a Regno *Franciæ*, *Angliæ*, *Flandriæ*; *Lotharingiæ*, gens copiosa & innumerabilis, consimili correpta ardore, suscepto crucis signo, *Hierosolymam* tetendit. At pudendum impudicarum fœmellarum gregem secum vehentes, commessationibus ac stupris se nullum præter Ventrem Deum colere palam fecerunt. Trajecto circa *Coloniam Rheno*, *Emichoni* Comiti, qui ipsos cum ingenti *Teutonicorum*, haut multo meliorum, manu exspectabat, impia se confluges ista hominum junxit. Ibi incessit illos lubido zelum suum adversus Judæos periclitandi; quos *Moguntiæ* & in aliis *Germaniæ* oppidis, nullo ætatis, nullo sexus discrimine, exuta omni humanitate, crudeliter interfecerunt. Neque profecto impune. En vindices eosdem *Ungaros*, eodem in loco. Dum enim *Meseburgum* impii illi oppugnant (erant autem DUCENTA MILLIA equitum & peditum) *dum* (ipsa priscæ historiæ verba dabo) *fere omnia prospere successissent, & muros grandi foramine penetrassent, nescio quo casu & infortunio tantus timor universum exercitum invasit, ut in fugam pariter redderentur, & quasi oves a lupis irruentibus dispersi & concussi, hac & illac diffugium quærentes, sociorum obliviscerentur. Ungari vero videntes tam subito athletas fortes deficere, & fugam maturare, in virtute magna e portis cum Rege exsiliunt, sine tardatione fugientes persequuntur, plurimam cædem exercentes, & plurimos captivantes, ac plerumque noctis in persecutione consumentes. Pedestris vulgi utriusque sexus tanta facta est occisio, ut aqua Danubii & Lintax in sanguineas mutarentur undas. Plurimi vero & numero incomparabiles, per aquas liberari sperantes, præ timore imminentis occisionis, Danubii undis cæco ausu inferuntur, & aquis vehementibus suffocantur.*

Albert. Aquens. Lib. I. Cap. XXV.

Mirabile dictu : tanta fugitivorum submersio facta est, ut tam spatiosi fluminis aquæ præ tot millium corporibus per aliquantum tempus videri non possent. Interjectis pauculis ita pergit : *Sic manus Domini contra peregrinos esse creditur, qui nimis immundiciis & fornicario concubitu in conspectu ejus peccaverant ; & exsules Judæos, licet Christo contrarios, pecuniæ avaritia magis, quam pro justitia Domini, gravi cæde mactaverant. Quum justus judex sit Dominus, & neminem invitum aut coactum ad jugum fidei Catholicæ jubeat venire. Fuit & aliud scelus detestabile in hac congregatione pedestris populi stulti & væsanæ levitatis, quod Domino odibile, & omnibus fidelibus incredibile non dubitatur. Anserem quendam Divino spiritu efferebant afflatum, & capellam non minus eodem repletam, & has sibi duces hujus secundæ viæ fecerant in Jerusalem, quas & nimium venerabantur, ac bestiali more his intendebant ex tota animi intentione.* Tanta passi sunt Cruciati antequam *Constantinopolim* pervenire potuerint. Nec felicius iis cessit, quum *inde* versus *Turcas* moverent. Præter suorum quas adducebat reliquias inveniebat circa *Constantinopolim Petrus Eremita* multos *Lombardos* & *Longobardos* & *Alemannos*, adventum ipsius exspectantes. At dici vix potest quam proterve se ac nequiter gesserint, prædantes vastantesque hortos, domos, palatia, ædes quoque sacras, ut vix ipsi *Saraceni* infestius cum *Græcis* agere potuerint. Quibus cognitis coëgit eos Imperator *Alexius Comnenus* trajicere fretum illud quod *Brachium Sancti Georgii* dicebatur. Ubi pari, aut majori cuncta populantes insolentia, brevi etiam discordiis litibusque sejuncti, præda hostibus facti sunt. Temere ultra *Nicæam* progressi, reperto in vicinia oppido incolis vacuo, sed omni rerum abundantia affatim instructo, genio indulgentes, hostium securi, hilares aliquot dies transegerunt. Quo comperto magna in eos militum manu irruerunt *Turcæ* : *Raginaldum*, quem sibi peregrini ducem præfecerant, intra arcem fugarunt, multis interemtis ; reliquos in arce obsessos aquæ penuria ad extrema redegerunt, sic ut jumentorum suorum sanguinem, suumque aut sociorum lotium, fœdum dictu ! bibere cogerentur. Non tulit hoc *Raginaldus*, homo iners ac nulli rei, sed transfuga ad *Turcas* factus, abjurata religione, socios prodidit : quorum alii in desperationem versi Christianismo renunciarunt, alii sagittis transfixi, aliove mortis genere necati, periere, alii sub hastam missi durorum dominorum vilia facti sunt mancipia. Hac victoria ferocientes *Turcæ* in alteram exercitus partem, cui *Gualterus* præerat, moverunt ; eumque cum multis aliis fortiter dimicantem trucidarunt ; dissipatis cæteris. Lubet hanc narrationem concludere observatione *Baldrici* Archiepiscopi. *Ecce*, inquit, *modico temporum*

intervallo, parvo terrarum interstitio, Christianitas bis profligata est, bis multata, bis castigata: quod pro expiatione facinorum illorum ipsis obtigisse non ambigimus; & pro reprimenda minus cautorum stoliditate, & pro subsequentis exercitus necessaria castigatione. Piget cætera persequi: nam quis esset finis? Facile ex iis quæ observavimus collectu est, qualis fuerit illa pietas, qua ad *Hierosolymam* occupandam & vindicandam instigata tanta hominum multitudo fuit.

XLV. *Qui tamen ex tam immensa multitudine reliqui in Palæstinam venerunt, Hierosolyma tandem potiti sunt.*

XLV. Interim post varios casus magnaque rerum discrimina in Palæstinam pervenerunt: Anno MXCIX. belli caput, *Hierosolymorum* urbem obsessuri: quam Turcis Sultanus Ægypti paullo ante eripuerat. Incredibile dictu est, quam pauci tunc ex innumeris superfuerint. Qui enim urbem cinxerunt, cujuscunque sexus, ætatis, conditionis, feruntur quasi ad quadraginta millia fuisse: in quibus expeditorum vix poterant esse *viginti millia peditum*; *equites* autem *mille quingenti*: cæteri vulgus iners, & inutilia terræ pondera. In urbe autem dicebantur esse virorum fortium, beneque armatorum, quadraginta millia. Plurimi enim eo se receperant: nonnulli ut suæ consulerent saluti, alii ut urbem regiam fortiter tuerentur. Prævaluere tamen Christiani, & duce imprimis *Gothefrido*, urbe tandem potiti sunt: atque omnem Saracenorum multitudinem, nulla vel ætatis vel sexus habita ratione, peremerunt. Mox compositis quantum pote rebus, nudis pedibus, lotis manibus, vestibusque sumtis mundioribus, loca sacra, & præcipue ædem resurrectioni Dominicæ consecratam, principes cum plebe circuibant, Christo redemtori agentes gratias. Patriarcha vero, una cum populo *Hierosolymitano*, *Petro Eremita*, tantarum rerum post Deum auctori, summum deferebant honorem. Sic a jugo Saracenico liberata, & a Christianis vindicata *Hierosolyma* est, anno Domini MXCIX. quintadecima die Julii, feria sexta, circa horam diei nonam.

XLVI. *Et Gothefridum Bulionæum, egregium principem, Regem Hierosolymæ creaverunt.*

Lib. VIII. *Cap.* V.

XLVI. Octavo ab urbe capta die conveniunt Principes, ut de Rege *Hierosolymorum* ex se eligendo deliberarent; & communibus tandem votis ad GOTHEFRIDUM BULIONÆUM itum est: cui virtus & merita, quibus cæteros omnes facile superabat, & quod primus muros conscendisset, tantum conciliaverunt honorem. *Erat enim*, teste Willelmo Tyrio, *vir religiosus, clemens, pius, ac timens Deum, justus, ac recedens ab omni malo, serius & promissorum tenax, seculi vanitates contemnens; quod in illa ætate, ac militari præsertim, rarum est: in orationibus jugis, in pietatis operibus assiduus; liberalitate insignis, affabilitate gratiosus, mansuetus & misericors; in omni vita sua commendabilis & Deo placens. Fuit autem & corpore procerus, ut maximis mi-*

nor,

nor, & mediocribus major haberetur: robustus sine exemplo; membris solidis, thorace virili, facie venusta, capillis & barba mediocriter flavis, in usu armorum, & exercitiis militaribus, omnium judicio, eximius. Insigne exstat Divinæ circa eum Providentiæ & singularis curæ documentum; quod, quum magnam cum iis quæ Davidi olim contigerunt adfinitatem habeat, hic quoque memorandum censui. Dum in *Pisidia* anno MXCVII. se reficit Christianorum acies, *Gothefridus*, ut in solitudine secum & cum Deo loqueretur, equo obambulans, tristi ejulatu aures feriri sensit. Accedit propius viditque peregrinum inopem qui sarmenta congestum egressus, vix sibi ab imminente urso, circum arbores cursitans, cavebat. Erat autem immanissima bellua, multarum non pecudum modo, sed & pastorum strage, ut accolæ memorabant, formidabilis. *Gothefridus*, qua erat pietate, educto raptim gladio, incitatoque calcaribus equo, misello homini auxiliatum advolat: & clamore ingenti per media fruticeta accelerans crudeli se hosti objicit. Is relicta priori præda, & horrisono fremitu totam late silvam replens, in equum & ducem fertur: fauces, ut jugulet, aperit; totum se ad resistendum, imo ad invadendum, erigit; ungues suos acutissimos ad laniandum exserit; caput, & anteriora crura, ab ictu gladii diligenter cavens, subtrahit; atque insigni peritia omnes Ducis ictus frustratur: denique vægrandi corporis sui mole & equum & sessorem sternit. Jamque curvos ungues tunicæ Ducis infixerat; ac complexum cruribus, equo devolutum, in eo erat ut jugularet. In hoc repentino ab equo lapsu, & cum insana bellua luctamine, *Gothefridi* gladius cruribus ejus implicitus explicari inde non potuit, nisi suris & nervis crurum gravi incisione sauciatis. Nec tamen, licet largus inde cruor profluens bellatoris vires admodum imminueret, iniquæ belluæ cessit, fortiter dimicans, donec ex sociis quidam, *Husechinus* nomine, & ursi fremitu & liberati peregrini clamore accitus, in auxilium adfuit, qui stricto mucrone horribilem feram impetiit, & una, cum Duce, jecur & costas illius transfixit. Sic tandem ferocissima fera exstincta, Dux primum vulneris dolore, deinde nimia sanguinis effusione, cœpit animo linqui, & vultu pallescere. Unde ingens universo exercitui incussus terror, in tanto Imperatore suam trahi animam haut immerito existimantibus. Tantum abfuit, quin sævus ursus capite suo peregrinorum phalanges orbaverit. Verum servari oportuit quem regno fata destinaverant. Hic ergo Rex declaratus, corona spinea, quod volebat, ad exemplum Christi, insignitus est, anno Christi MXCIX, die IX Kal. Aug.

XLVII. *Regni Hierosolymitani Christianorum brevis historia.*

XLVII. Atque hæc est origo *Hierosolymitani* Christianorum regni in Oriente: quod non Judæam modo & Palæstinam, sed & optimam & maximam reliquæ Syriæ partem comprehendit. Sed quod octo tantum regibus mansit: quorum res gestas brevi narratione complectar. Primus ergo fuit GOTHEFRIDUS BULIONÆUS, *Lotharingiæ* Dux; qui, Amira seu Soldano Ægypti, cum validissimo exercitu CCC millium, amissam *Hierosolymam* repetente, ad Ascalonem profligato, & ingenti præda capta, post unius anni imperium peste correptus exspiravit. Successit ei BALDUINUS frater, comes *Edessanus* in Mesopotamia; qui vario eventu cum Saracenis pugnavit: regnoque præfuit annis XVIII. Balduino I. defuncto alter ejusdem nominis surrogatus fuit anno Christiano MCXVII. Prid. Kal. April. qui Persarum regem devicit atque occidit, Damasci regem fugavit: sed mox captus a Turcis in prælio, & post XVIII. menses, datis obsidibus, libertati redditus, magnis cladibus hostes affecit, quadringentis millibus hostium tribus Christianorum millibus feliciter occurrit, septem millibus cæsis, & quinque millibus aqua suffocatis: Saracenos etiam in Syria duabus stragibus fudit, & regnum feliciter ampliavit: mortuusque anno MCXXXI. successorem accepit FULCONEM ANDEGAVENSEM generum suum ex filia *Melisenda*. Hic ordinem equestrem a *Sancto Johanne* dictum, quem & *Hospitaliorum* vocant, instituit: & variis exercitus bellis, dum leporem venando insequitur ex equo decidens, rebus humanis exemtus, quum regnasset annos XI. & bimestre ac dies aliquot, locum filio dedit BALDUINO III. anno Christiano MCXLII, medio mense Novembri. Et is dum cum matre de regno disceptat, Turcis Antiochenos vexandos, imo opprimendos prostituit. At deinceps Gaza & Ascalone Saracenos ejecit: & apud Hierichunta *Nuredinum* Damascenæ militiæ principem, quinque millibus hostium interfectis, vicit ac fugavit: Ægyptios etiam & Babylonios fudit: denique post viginti annorum & trimestre regnum, veneno, quod Judæus medicus propinaverat, exstinctus, hæredem & successorem reliquit fratrem suum ALMERICUM: qui bello Ægyptum invasit, & Saracenis Damiatam ac Pelusium ademit, defunctus anno regni XI, Christi MCLXXIII, die V. Eid. Julii. In cujus locum venit BALDUINUS IV, ejusdem filius natus tum annos XIII. Hic lepra infectus cum liberos non gigneret: ex voluntate ordinum hæredem regni instituit moriturus BALDUINUM V. adhuc puerum, e sorore sua natum, curæ *Comitis Tripolitani* commendatum. Sed eo quoque statim post avunculum defuncto, vitricus ipsius GUIDO LUSIGNANUS regnum invasit anno Christiano MCLXXXIV, indignissi-

indignissime id ferente Comite Tripolitano. Unde discordia inter regni proceres orta *Saladinum* Saracenum, Ægypti regem potentissimum, qui aliquot ante annos Dominum suum Calipham in Ægypto interemerat, ac regnum invaserat, in Palæstinam attraxit. Ille vero occasionem rapiens, non regionem solum depopulatus est; sed ipsam Metropolim, regni caput, *Hierosolymam* expugnatam Christianis ademit. In qua calamitate nihilominus placuit reliquiis Christianorum de regni jure inter se contendere, & scindi in partes: actumque tum sine dubio de omni fortuna eorum fuisset: nisi ex Germania, Gallia, Anglia, Italia, Pannonia, quo fama calamitatis pervolarat, auxilia opportuna & frequentia alia post alia advenissent, quæ cursum victoriarum Saladini inhibuere, & Ptolemaida, aliasque regni partes Christianis restituerunt. Eadem tempestate, anno MCCXII, pueri diversæ ætatis, quasi furore quodam correpti, in Saxonia, ad recuperandam, uti loquebantur, crucem Domini, congregantur: at plerique in Alpibus, in Italia, in Silvis, frigore, fame, siti misere perierunt. In Galliis eadem fuit puerorum expeditio. Excivit eos adolescens quidam, vicos urbesque obambulans, canensque cantilenam, cujus summa erat, *Jesu Christe crucem tuam nobis restitue*: qua omnes pueri ita excitati fuere, ut qui canentem audiverant, eos nec feræ, nec repagula, nec custodiæ retinere potuerint. Hi Massiliam abiere, & plerique ponto mersi sunt. Interim & factiones durarunt in Palæstina, & Saladinus, terror Christianorum, e vita decessit, & regni fastigium, anno Christi MCCXVII, ad JOHANNEM BRENNENSEM Gallum, virum imprimis fortem delatum est, ac Tyri corona ei imposita, & ab eodem, anno sequenti, Damiata Ægypti obsessa captaque: *Hierosolyma* tamen in potestate Saracenorum manente, culpa præcipue ambitiosissimi legati Papalis, per quam Damiata etiam rursum amissa. Postremo FRIDERICUS II. Imperator ducta in uxorem *Jole*, filia Johannis Brennensis, (qui auxilii rogandi caussa in Italiam venerant) ac jure regni *Hierosolymitani* in dotem accepto, in Palæstinam profectus terrore exercitus sui eo compulit Soldanum Saracenorum, ut *Hierosolyma* decederet. Ita ipse cum suis urbem ingressus anno Domini MCCXXIX, die XV. Kal. April. solemni ritu, gaudentibus Christianis omnibus qui in Asia erant, solum fremente Romani Pontificis factione, corona regia est ornatus. Horrendum perfidiæ exemplum est, quod in Imperatorem hunc *Templarii* ediderunt, atque hinc cætera hominum scelera æstimes. Pace inter Imperatorem & Soldanum facta, constituerat ille in Jordanem, ubi sacro baptismate tinctus est Christus, loturus exspatiari. Id Soldano significarunt Templarii,

quo Imperatorem interciperet. Soldanus purpuratis suis proditorias literas monstrans : *en*, ait, *fidem Christianorum*. Hi, inspectis literis, post diligentem deliberationem, auctores Soldano fuerunt, ne sanctae pacis jura violaret, sed *ad omnium*, sic ajebant, *Christianorum confusionem*, ipsi Imperatori sceleratas literas mitteret. Quod & factum. Tragœdiam hanc prolixe narrat *Matth. Paris. p. 246.* Sed urbs *Hierosolyma* post annos XVI, cum haberetur annus aerae Christianae MCCXLIV. a *Soldano Babylonio* rursus Christianis extorta : eodemque illo anno mense Octobri, Christiani ingenti praelio in Palaestina victi, propeque deleti fuere, vivente tum adhuc & imperante Friderico II, verum intra vertentem annum post hanc cladem extincto. Nec tamen propterea iidem sese deseruerunt, freti oppidis compluribus, quae adhuc tum illic, tum in reliqua Syria, & vicinis regionibus tenebant. In quo numero *Antiochia*, *Tyrus*, *Sidon*, *Berytus*, *Joppe*, *Caesarea*, imprimisque *Ptolemais*, in ipso littore cum percommodo portu sita : in qua *Veneti* & *Genuenses* ac *Pisani* praecipuum emporium mercium Orientalium constituerant, multo tempore concordes inter se. Sed anno Christi MCCLX, quum rupta concordia iidem in bellum exarsissent, grave detrimentum rebus Christianis intulere. Nostrorum quippe discordia res ipsorum debiles, res hostium concordia validae factae, & *Aegypti Soldanus Bondegar* audacia sumpta anno Christi MCCLXVIII. Syriam cum exercitu percurrit, loca plurima cepit, Christianos ubique afflixit, in Armeniam quoque impetum dedit, multaque ibidem vastavit : inde reversus, Antiochiam urbium Syriae quondam maximam, tum fuga prope desertam, invasit, diruit, pene excidit. Anno autem sequente ad reparandam fortunam exercitus in Palaestinam profecti, in quibus *Eduardus* Angliae regis frater, & *Ludovicus* IX. Galliae rex, cum fratribus in Africa Saracenos aggressus, labores & impendia perdidere. Nam & Gallum cum fratribus duobus magnamque exercitus ejus partem pestis ad Carthaginem absumpsit, & Anglum frustranea exspectatio Galli, qui se in Syriam secuturum cum exercitu promiserat, & discrepantia peregrinorum consilia, nulla confecta re domum redire compulerunt. Factum quadriennio ante quam *Rudolphus Habspurgensis* Imperator in Germania designaretur, & interregnum exitiale finem caperet. Inde, novis armorum tumultibus inter reges & principes Europae ortis, non potuere nova auxilia laborantibus in Syria, atque adeo inter se quoque dissidentibus, submitti. Qua occasione *Soldanus Aegypti* anno Christi MCCXC. cum maximo exercitu *Tripolin* Palaestinae invasit, cepit, excidit, infinitam multitudinem Christianorum trucidavit; *Tyrum*,

rum, *Sidonem*, *Berytum* simili modo oppressit & evastavit. Eodemque anno ad obterendos penitus Christianos Europæos in Syria, totaque Asia summovendos, *Soldanus Babylonius* in Palæstinam cum exercitu CL millia armatorum vertit in *Ptolemaida*, quæ sola operibus & præsidio bene munita Europæis erat reliqua: atque eam bimestri obsidione cinctam, desertam tandem a præsidiariis diffugientibus, occupavit & funditus evertit; ut ne reliquiæ urbis ullæ superessent. Hic finis regni fuit *Hierosolymitani* ab Europæis conditi: quod ab urbe a Gothefrido Bulionæo capta ad hanc cladem Ptolemaidis duravit annos CXCI. Qui cladi huic superfuere Christiani, in Cyprum, in qua tum *Guido Lusignanus* Gallus regnabat, & partes maritimas Ciliciæ, a nostris adhuc habitatas, & Armeniam Christo adhuc parentem, confugiebant. Vide *Boxhornii Historiam Universalem p.* 652.

XLVIII. Sic *Hierosolyma* Mahumetæo cultu polluta sub *Soldanis Ægypti* fuit: donec anno MDXVII. a *Selimo* Turcarum Imperatore ejus nominis secundo, post debellatos *Mammelucos* occupata, & a Solimanno filio ac successore, novis mœnibus ornata, in eam, qua nunc visitur, formam redacta est. XLVIII. *Everso hoc regno, Mahumetanis servit Hierosolyma in hunc usque diem.*

XLIX. Quam si quis cognoscere aveat, non melius eam repræsentavero, quam delineatione JOHANNIS COTOVICI, Jurisconsulti Ultrajectini; qui initio hujus seculi curiosis *Hierosolymam* oculis lustravit, & Itinerarium suum edidit anno MDCXIX. Ubi Cap. XX. sic eam depingit. Figura *Hierosolymæ* quadrata oblonga, tota montosa est: Montem quippe Moriah, Salomonis Templo, quod nunc exstat, Turcis *Cubisabara* dicto, insignem, itemque Sion, Gihon, Acræ Montium partem occupat. Inter quos quasi medius assurgit Calvariæ mons, seu rupes Golgothana, non multum ampla, nec eminens, altitudine monti Testaceo, qui Romæ est, non absimilis, tot in eo collocatis ædificiis, ut superficiem intueri, vel cognoscere vix possis. Hic olim extra urbem infamis habitus, Christi passione, ejusque sanguine pretiosissimo, usque adeo nobilitatus & sanctificatus est, ut nunc urbis fere medium obtinens, Angelis pariter & hominibus venerabilis sit. Porro tria milliaria aut circiter ambitu suo urbs ipsa complectitur: cui ab Ortu adjacent Olivarum Mons, & Vallis Josaphat; ab Austro Mons Offensionis, & Vallis Gehennon; itemque pars Montis Sion; ab Occidente Montis Gihon pars, & Vallis seu Piscina Bersabeæ, quæ alias etiam Vallis Ennon appellatur; a Septentrione vero Montis Acræ pars. Extendebatur autem antiquitus longitudo urbis, quantum ex veterum scriptis colligere licet, ab Austro in Septentrionem, sacrum Montem Sion, maximamque Acræ XLIX. *Urbis, ut nunc est, accurata delineatio.*

Mon-

Montis partem mœnibus comprehendens: Latitudo vero quicquid est intra Portam Judicialem, ad Vallem usque Josaphat, complectebatur. Hodie pomœriis ejus plurimum contractis, longitudine in latitudinem versa, major Sion & Acræ Montium pars, totusque Borealis angulus ad Portam usque Ephraim olim sese extendens, mœnibus excluduntur. Gihon vero Montis pars, & Calvariæ, olim extra muros, nunc includuntur. Ita ut ab angulo occiduo juxta Sancti Salvatoris Monasterium, seu a Jaffæ Porta ad Gregis usque Portam, Orientem spectantem longitudo urbis hodie protendatur: latitudo vero a Porta Sterquilinii Meridiem respiciente, ad Damasci usque Portam, Aquilonem versus terminetur, urbem a ternis lateribus valles cingunt, ut diximus, latæ, & profundæ, a Meridie scilicet, ab Ortu, & Occasu, a latere autem Septentrionali, usque ad mœnia patet aditus, non præceps, nec angustus, fossis tantum, non multum profundis, & aqua vacuis, interjacentibus. Portæ urbis sex hodie numerantur; novæ omnes, Aurea excepta, quæ vetustatem præ se fert: veterum, præter hanc, nulla vestigia. Valvæ ferreis obductæ sunt laminis, ne flammis facile obnoxiæ fiant, aut ab Arabibus incendantur: quod facile alioquin fieret, cum nulli pontes pensiles, aut fossæ aditum ad valvas impediant. Portarum aliquæ antiqua etiamnum obtinent nomina, quod eodem positæ sint loco, quo olim veteres: quas singulas velut ob oculos ordine collocare operæ pretium duximus, ut situs inde urbis liquidius constare possit. Incipiemus autem ab angulo urbis Orientali, Septentrionem respiciente, atque ad Meridiem progrediendo, Meridionale latus, dein Occidentale, postremo Septentrionale complectemur: universamque urbem hoc modo circumibimus. Prima itaque Porta, olim Gregis, vel secundum alios Ephraim, & Vallis nominata, hodie a loco lapidationis Divi Stephani, qui proximus est, Sancti Stephani nomen obtinet, utrimque Leonis simulachro rudi modo insculpto; quod quidem (cum Mahometæorum Lege depictas aut sculptas habere hominum aut animalium imagines vetitum sit) multis admirationi caussam tribuit. Quis auctor horum fuerit, nos latet. Putant aliqui, dum muri portæque urbis restaurarentur, Christianæ Legis apostatam urbi imperasse, ejusque permissu id factum: quod vix crediderim. Huic proxima est ab eodem Orientali latere Aurea vulgo dicta, ad amplissimam Salomonis Templi aream ingressum quondam præbens, nunc obstructa penitus. Eandem esse, quam ovans Christus intravit, putant Minoritæ; cui opinioni non facile adhæserim: nam quum Templum Salomonis a Romanis dirutum penitus, & solo æquatum

tum esse constet, muris proximis, atque Portæ Aureæ (quæ fere medium obtinet) nequaquam pepercisse credendum est: vel eo magis, quod muros omnes urbis dirutos esse scribat Josephus; quodque totus ille muri tractus, Portam Auream in medio continens, nullam antiquitatem referat, nec ex ejusmodi, adeoque magnis constet saxis, quemadmodum illa antiquissimi muri pars, supra quam nova mœnia structa sunt, quæ juxta Portam Sterquilinii etiamnum superest, ædificata cernitur. Eo vero positam loco quo vetusta fortassis exstiterit, concedendum potius existimo, quam inficias ierim. Hanc a Meridie sequitur tertia, Sterquilinii vulgo dicta, cæteris angustior, antiquum usque in hodiernum diem nomen retinens, licet recens constructa. Huic proxima ab eodem hæret latere Davidis Porta, alias Sion nuncupata; quod in Montem Sion ducat; quæ & ipsa nova, & in ordine quarta est. Ab Occiduo latere unica & quinta occurrit, cognomento Jaffæ, quæ & Piscium Porta, & Hebron dicitur, Castro Pisanorum contigua. A Septentrione demum sexta & ultima sequitur, Nephtalim nomine, nunc Damasci Porta appellata. Omnes hæ portæ, & muri civitatis (Castro Pisano muris incluso, atque ea parte, quæ Orientem respiciens Portam Auream continet, & Salomonis Templi Aream munit, exceptis) jussu Soleimanis Turcarum Imperatoris instaurati sunt: constantque ex quadratis & dolatis lapidibus, turribus quadratæ formæ certis intervallis interpositis: quorum crassities, quantum visu percipere licuit, ad tres circiter pedes extenditur, nullo tamen vallo aut aggere muniti, quos interius Menianum in summitate ambit, per quod circumire urbem commode possis, foraminibus passim certo ordine in ipso muro relictis, quo tutius commodiusque ejaculari bombardas, sagittasque in hostes emittere defensores queant. Cæterum locus in quo civitas sita est, arduus totus & inaquosus, flumina vel rivos nullos habet: incolæ aquis tantum utuntur pluvialibus: mensibus enim hibernis in cisternis (quas in urbe habent plurimas) imbres sibi solent colligere, & per totum annum ad usus necessarios conservare. Urbis plateæ fere omnes angustæ, sordidæ, ruinisque passim impletæ: imo nonnullis in locis adeo immunditiis & lapidum acervis exaggeratæ sunt, ut occurrentes arcus transversarios, nisi ad uterum caput inclinaveris, transire vix possis. Ruinarum acervi, collapsæ domus, neglectæ etiam & vacuæ plurimæ, ubique fere sese offerunt. Nulla pallatia, ædesve magnificas, nil quod delectet, aut spectatorem detineat, usquam conspicias. Deformata, fœda, squalore obsita omnia, Infrequens itaque & quasi neglecta jacet miseranda urbs; olim licet fre-

frequentissima, & opulentissima; ut vere hic locum habeat Dominica de desertione urbis prædictio. Quæ vero hodie integræ visuntur ædes, lapideæ quidem omnes, sed humiles pleræque, & unius tantum contignationis sunt, pavimento subdiali tectæ: paucæ ad secundam contignationem adscendunt; paucissimæ ad tertiam. *Bazara* (id est Fora) etsi satis magnifica, arcuato quippe opere, atque e quadrato lapide æqua mensura conciso, multis in locis etiamnum integra sunt; ut plurimum tamen tabernæ vel ruinis deformes, & sordidæ, vel neglectæ, & vacuæ spectantur. Rari enim hic sunt artifices, nulli fere mercatores, præter eos qui annonam, & pannos ex camelorum vel caprarum pilis contextos, telasque gossypinas vendunt. Incolæ plerique artem textoriam exercent, ac texendis pannis, telisque gossypinis operam navant. Cæteræ artes ut plurimum silent. Inter privatas publicasque ædes structuræ magnificentia eminent Herodis Palatium, Pilati Prætorium, Saniaccorum hodie domicilium, Xenodochium publicum, & Divitis epulonis (ut vocant) ædes. Omnium vero Messitarum & Templorum præstantissimum est Salomonis, tum Præsentationis Mariæ, utrumque a Mahometæis possessum, & plumbeis laminis tectum. His non immerito addi potest Sepulchri Dominici, seu Resurrectionis, & Golgothanæ rupis ad Christianos pertinens Basilica. Sunt præterea & alia Templa haudquaquam contemnenda, partim a Christianis, partim a Mahometæis, vel Mauris possessa; quorum pleraque supra memoravimus. Incolæ Mauri fere omnes, Christiani pauci, pauciores Hebræi, quam quis credat; Turcæ vero paucissimi. Christiani montem Gihon, proximasque monti Calvariæ ædes inhabitant. Hebræi partem montis Sion incolunt: Turcæ, Maurique per universam sparsi urbem. Hebræi ut plurimum egent, imo pauperrimi sunt, ditiorum alibi commorantium eleëmosynis vivere assueti. Viget namque apud illos opinio, suum quem exspectant Messiam, priusquam *Hierosolyma* potituri sint, ignem ex inproviso e cœlo demissurum, & flammis universam urbem consumturum, mox imbre effuso eas exstincturum, ut ab immunditiis, & profanarum gentium, Christianorum nimirum, & Mahumetæorum (ut ipsi interpretantur) abominationibus, longa habitatione commissis, urbs ipsa tot jam seculis profanata, tota purgetur, & emundetur: eaque de caussa (uti accepimus) adeo pauci, iique egentissimi, & a cæteris mercede conducti, urbem tam horrendæ conflagrationi (ut putant) obnoxiam, incolunt. Præsunt urbi populoque tres supremi Magistratus, penes quos omnium & vita & mors consistit: primus *Saniaccus* appellatus, summum dignitatis apicem

cem obtinet, præstatque cæteris auctoritate & gradu: nam præterquam quod in omnes urbis incolas, militesque imperium exerceat, etiam universæ *Hierosolymitanæ* ditionis administrationem & curam habet. Dum nos *Hierosolymis* ageremus, *Saniaccatus* munere fungebatur *Saniacci Gazeræ* filius major, sed quum per ætatem magistratum obire non posset, per vicarium (quem *Chiecagiam* vocant) patris intercedente auctoritate, rempublicam administrabat. Alter *Cadius* dictus (quod nobis Judicem significat, Veneti Potestatem appellant) de caussis litigantium cognoscit: estque in civilibus atque etiam criminalibus supremus judex. Hos sequitur *Subassius*, id est, Justitiæ præfectus, qui nocte præest, in sontes inquirit, carceribus mancipat, *Cadii* sententias executioni mandat, & ultimum supplicium lictoris opera de reis sumit. Hic a *Saniacco* constituitur, ejusque arbitrio suo munere fungitur. Hæc de Urbis *Hierosolymæ* situ, conditione, & facie, ejusque incolis & magistratibus dicta sufficiant.

EXERCITATIO XIII.

Qua disputatur.

Evangelium per Apostolos AMERICANIS

Olim prædicatum fuisse.

BREVIARIUM.

I. Controversiæ status, & tractandi ratio. II. Prisca vaticinia universalem omnium populorum vocationem pollicentur. III. Eamque per Apostolos initio prædicationis Evangelicæ peragendam. IV. Quibus a Christo ea demandata provincia est. V. Adsignato etiam tempore quo cursum istum suum absolvendum haberent. VI. Nimirum ante excidium Hierosolymitanum. VII. Quibus Domini jussis Apostoli paruerunt. VIII. Sic ut Evangelii lux non minus omnes terræ partes illustraverit, quam Solares radii. IX. Quod prisci Ecclesiæ Doctores egregie exornarunt.

narunt. X. Quæ omnibus gentibus notificata perhibentur, ea & Americanis prædicata esse oportet. XI. Nam neque inculta tunc prorsus America fuit. XII. Neque Americanæ gentes ulla ferali Dei sententia a salutis communione exclusæ. XIII. Apostoli terrarum orbem inter se partiti. XIV. Quidam etiam in Indiam Orientalem pervenerunt. XV. Alii in Occidentalem quoque penetrasse narrantur. XVI. Rara Hornii observatio de Thoma Brasiliensibus prædicante, vel saltem noto. XVII. Reliquiæ Veterrimi Christianismi in America. XVIII. Difficultates sententiæ huic oppositæ. XIX. America fortassis est Atlantis Platonis. XX. Phœnicibus olim navigata. XXI. Solomonis Ophir creditur esse Monomotapa Cafrorum. XXII. America Græcis quoque & Romanis olim cognita. XXIII. Inque ea Romani commercii indicia. XXIV. Magnetis vim gubernatricem non ignorasse Phœnices, contendit Fullerus. XXV. Et quamvis ignoraverint, tamen navigabilis & navigatus fuit Oceanus. XXVI. Terra etiam adiri posse, aut potuisse Americam credibile est. XXVII. Quidquid sit, Deus suis viam, si non invenit, facit. XXVIII. Epilogus.

I. Controversiæ status, & tractandi ratio.



Iversis occasionibus diversasque ob caussas, & olim & nuperius inquisitum est, *an per Apostolos Apostolicosque viros, primo nascentis Christianismi seculo, Evangelii præconium, vel saltem illius fama, ita per universas totius orbis habitabilis nationes, publicata fuerint, ut ad extremos Garamantas & Indos, ne exceptis quidem Americanis gentibus, & terræ Australis adhuc nobis incognitæ incolis, penetraverint.* In qua quæstione terminanda video Theologorum aliquos suas primum consulere aliunde formatas hypotheses; ut quod iis convenientissimum etiam hic dici videtur, quodque novi argumenti vicem præstare posse censent, id demum maxima contentione dicant: quasi controversiæ de Divina prædestinatione, & mortis Christi gratiæque ac vocationis minus restricta aut restrictiori universalitate, tractari non possent, sine problemate hoc historico: aut quasi historicum hoc problema decidi deberet, secundum istas hypotheses. Verum ea disputandi ratio, quum animum jam præjudiciis imbutum & anticipatis opinionibus servientem arguat, minus mihi candida & generosa esse videtur; minus etiam ad veritatem investigandam idonea. Ego sane seposita nunc controversorum istorum dogmatum consideratione, quæ utraque contendentium pars ex animi sui religione tueri potest, sive Americanis olim prædicatum esse Evangelium credat, sive non credat; hujus duntaxat caussæ momenta librabo, expendamque quæ Scriptu-

Scripturas eorumque temporum historiam legenti, ejusce rei cogitatio oriri animo debeat. Ista autem procedam via, ut ea primum quæ parti ajenti, tum quæ neganti favere videntur exponam. Atque hac quidem Exercitatione omnes artis meæ forulos excutiam, ut quidquid ab aliis collectum inveni, quidquid ex propriæ industriæ penu ulla specie addi posse deprehendi, id concinno locatum ordine affirmantibus nunc gratificer. Altera quæ hanc excipiet Exercitatione omnia isthæc argumenta pari diligentia, fide, candore ad examen vocaturus: & quod vero maxime consentaneum esse arbitror calculo meo approbaturus.

II. Prisca Vaticinia universalem omnium populorum vocationem pollicentur.

II. Illud itaque ante omnia dignissimum notatu est, multa exstare Veteris Instrumenti vaticinia, quibus amplificatio regni Messiæ, præconio Evangelii, quod verbum regni est, peragenda, non aliis circumscribitur limitibus, quam qui ipsius orbis habitabilis limites sunt. Pollicitus Filio Pater est, daturum se ei *gentes*, imo & *fines terræ*, in possessionem suam. Ps. II: 8. dominaturum eum esse *a mari uno ad alterum, & a fluminibus usque ad terminos orbis terrarum*. Ps. LXXII: 8. Zach. IX: 10. ad montem domus Jehovæ confluxuras esse *omnes gentes:* doctrina prodeunte ex Zione, & verbo Jehovæ Hierosolymis. Jes. II: 2, 3. ut *insulæ maris* legem Messiæ, neque frustra, exspectent; & Jehovam novis canticis celebrent, ac laudem ejus *ab extremitate terræ*. Jes. XLII: 4, 10, 11. ipsaque adeo *terra plena sit scientia Jehovæ*, veluti *aquis alveum maris operientibus*. Jes. XI: 9. Futurum etiam esse ut Jehova unus sit, & nomen ejus unum super *totam terram*. Zach. XIV: 9. Porro conversurum esse Jehovam ad *populos* labium purum, quo invocent *omnes* nomen Jehovæ, colendo eum humero uno; atque *e transfluvialibus partibus Æthiopiæ* supplices Jehovæ cum filia dispersorum ejus adferant ipsi munus Zeph. III: 9, 10. Quibus consonum est alterius Prophetæ oraculum: *Ab ortu solis usque ad occasum ejus* magnum futurum nomen Dei, *in gentibus*, & *in omni loco* suffimentum adferendum nomini ipsius & munus purum: *quia magnum nomen meum erit in gentibus, ait Jehova exercituum*. Mal. I: 11. Iterum aliud: *Ut revereantur inde ab occasu nomen Jehovæ, & inde ab ortu solis gloriam ejus.* Jes. LIX: 19. Denique; *Congregabo omnes gentes & linguas, quæ venientes visuræ sunt gloriam meam. Ponam in his signum, & mittam ex his qui evaserint ad gentes, in Oceanum, Pulem, & Ludum, jaculantes arcu, Thubalem & Javanem; regiones denique longinquissimas quæ non audiverant famam meam, neque viderant gloriam, ut indicent gloriam meam in gentibus, &c.* Jes. LXVI: 18, 19. Ad hæc, & quæ hisce gemina multa exstant vati-

cinia, observari velim: I. Describi illis stilo prophetico genium atque indolem regni Messiæ, id est, religionem & cultum spiritualis Christianismi, prout exercendus erat glorificato in cœlis Jesu: cujus promotioni Evangelii prædicatio unice inservit. II. Doceri spiritualis illius cultus amplitudinem, diffusam per omnes gentes, omnes terræ cardines, terram universam, ab ortu solis ad Hesperium cubile: iis locutionibus, quibus neque grandiores neque efficaciores vel mente conceperis. III. Quum amplitudo regni Christi gloria & gaudium Christianorum sit, nequaquam nostræ esse pietatis, ut quæ magnificentissimis carminibus cecinere vatum antiquissimi, ea nos quæsitis subtilitatibus intra arctiores justo limites coerceamus.

III. Eamque per Apostolos initio prædicationis Evangelicæ peragendam.

III. Quum vis prædicationis Evangelicæ maxime se exserere debuerit circa illius initium, quando potissimum opem ei suam commodaturus erat Dominus, multis stupendisque signis ac prodigiis, variisque virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus pro sua voluntate; plus quam probabile esse videtur, ut Apostolorum ministerio oracula ista de cœlestis regni amplitudine, saltem quoad maximam sui partem, impleta sint. Præsertim quum & id ipsum prædixerint Prophetæ, quod ex Zione prodituri essent qui regnum Dei diffunderent per gentes. *Sceptrum roboris tui mittet Deus ex Zione.* Ps. CX: 2. *Super celsum montem adscende bonorum nuncia Zion; vocem tuam vehementer effer bonorum nuncia Jerusalem.* Jes. XL: 9. Quo & multis refertur illud quod apud Suetonium est, vulgatam scilicet eo tempore famam ex Judæa proditurum qui orbi imperaret. Stante itaque urbe & Republica Judæorum eam Regni Messiæ amplificationem fieri oportuit.

IV. Quibus a Christo ea demandata provincia est.

IV. Quæ observatio fortius stringet, si attenderimus, Apostolos a Domino suo, jam jam terris excessuro, in expressissimis mandatis accepisse, ut Evangelium ubivis terrarum prædicatum irent. *Et quum accessisset ad eos Jesus, locutus est eis, dicens; data est mihi omnis potestas in cælo & in terra; profecti ergo docete* OMNES GENTES. Matt. XXVIII: 18, 19. Sub omni ea potestate quam in terris sibi datam protestatur Dominus, indubium est comprehendi jus congregandi sibi populum ex omnibus terræ finibus, ut clare prædixerant David, Jesaias, Daniel aliique. Cum jure isthoc suo connectit officium Apostolorum, quos ejus juris administros atque legatos constituit; cum mandato, ut omnibus sine exceptione gentibus id edicant publicentque. Ne quis vero ullam hic sibi restrictionem fingat, prudenter cavisse videtur Dominus eo sermone qui restrictionem omnem procul esse jubet. PROFECTI IN MUNDUM UNIVERSUM PRÆDICATE EVANGELIUM OMNI CREATURÆ. Marc XVI: 15. Potuitne quidquam

quam disertius? Habet iste Domini sermo ὑπερβολὴν ἐμφατικὴν, qua ad omnes Evangelii præconium ita pertinere significatur, ut, si bestiæ quoque & saxa audire possent, non excluderentur. Quod observatum est a *Johanne Gerhardi* in *Harmon. Hist. Evang. de Resur. Chr. Cap.* XIII. *p. mihi* 349. Adde Act. I: 8. *Eritisque mihi testes & Hierosolymis, & in tota Judæa, & in Samaria, &* USQUE AD ULTIMAS TERRAS. His enim, ut Erasmus annotavit, gradibus propagatum est Evangelium: ab Hierosolyma velut a fonte dimanavit ad omnes Judææ partes, dein ad Samaritanos semipaganos & semijudæos, mox in Syriam, hinc in totam Asiam minorem, hinc in Græciam, postremo in Italiam, denique in universum terrarum orbem. Enimvero nefas est dubitare quin Apostoli, Domini jussis obsequentissimi, ea quæ mandata sibi erant accuratissime exsecuti sint, singulique assignatum sibi cursum absolverint. I. Tim. IV: 7. Adeo ut nullum locum cœlestis doctrinæ exsortem esse sinerent, μὴ νῆσος, μὴ ἤπειρον, μηδ᾽ εἴτινα τρίτην ἀνθρώποις κατοικίαν ἡ φύσις ἔδωκε, *non insulas, non continentem, non si quam tertiam habitationem hominibus natura concessit?* ut *Gregorius Nyssenus* loquitur *Orat. in Petr. & Paul.*

V. In quam rem suo se iis adfuturum esse Spiritu promisit Jesus. Mat. XXVIII: 20. Ipsumque adeo tempus, atque id non multorum oppido annorum, finivit, intra cujus decursum ista Evangelii per totum orbem prædicatio peragi deberet: nimirum ante Hierosolymitanæ urbis & templi excidium. Ita enim prædixit: *Et prædicabitur istud Evangelium regni in toto terrarum orbe; ut sit testimonio omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Mat. XXIV: 14. Omnia hic insignite emphatica sunt PRÆDICABITUR Evangelium, publica ac sonora eorum voce qui ministerio isti a Christo destinati sunt: Ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, IN TOTA TERRA HABITABILI in omnibus mundi partibus, ubicunque locorum & regionum homines degunt: IN TESTIMONIUM OMNIBUS sine exclusione GENTIBUS, tam manifeste, tam efficaciter, ut testimonium Dei de vita quæ in Filio suo est ubivis prostet, agnoscatur, recipiatur, & apud omnes gentes fructum ferat. ET TUNC demum VENIET FINIS, non seculi, quod quidam opinantur, sed Hierosolymorum.

V. Assignato etiam tempore quo cursum istum suum absolvendum haberent.

VI. De ea enim re nunc agit Christus. Quod probari potest, I. Ex antecedentibus. Ordine respondet Dominus ad quæsita Apostolorum. Quæsitorum primum est, quando essent eventura quæ de Templi excidio prædixerat. Ejus rei signa antecedanea enarravit hactenus: quæ ex historiis demonstrari possunt stante adhuc templo accidisse. Eodem quoque hæc ῥῆσις pertinet, uti evidentissime patet.

VI. Nimirum ante excidium Hierosolymorum.

II. Ex

II. Ex consequentibus. Statim enim subjicit: *quum autem videritis abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem Prophetam, positam in loco Sancto &c.* quibus verbis de vastatione Hierosolymorum, & quæ eam proxime antecessura erant, sermonem esse res ipsa loquitur: ita orationem prosequente Domino: comm. 16. *tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes.* III. Ex ipsis hisce verbis. Marcus enim habet cap. XIII: 10. *Et apud omnes gentes oportet primum prædicari Evangelium.* Ubi dictio *primum* non potest commode referri nisi ad consummationem Hierosolymorum: siquidem Marcus non commemorat Apostolos quæsivisse de fine seculi, sed tantum de tempore & signis excidii Hierosolymitani. Hac mente & veterum aliquot pericopam istam explicuere. Ex multis nunc occurrit Hilarius: *Per omnes orbis partes viris Apostolicis dispersis, Evangelii veritas prædicabitur, & quum universis fuerit cognitio Sacramenti cœlestis invecta, tum Hierusalem occasus & finis incumbet: ut prædicationis fidem & infidelium pœna & metus civitatis erutæ consequatur.* Et quid multis? Tam plana tamque perspicua hæc prædictionis Dominicæ explicatio est, ut ab omnibus non aliunde occupatis facilem assensum impetret.

VII. Quibus Domini jussis Apostoli paruerunt.

VII. Quum vero Dominus noster ipsa veritas sit, quæcunque ab ipso futura prædicuntur pro non minus certis habenda sunt, quam quæ jam facta ipsoque actu præstita esse narrantur. Commodum autem accidit, ne & hic quoque rerum desiderentur testimonia. Certe Apostoli *profecti prædicarunt ubique.* Marc. XVI: 20. Ipsorumque ministerio *sermo veritatis Evangelicæ pervenit in totum mundum.* Col. I: 6. Imo, quo quid dici potest illustrius? PRÆDICATUM EST EVANGELIUM OMNI CREATURÆ QUÆ EST SUB COELO. ibid. vers. 23. Taceo de fama Christianæ fidei latissime diffusa; solius *Romanæ Ecclesiæ fides in universo annunciata fuit mundo.* Rom. I: 8.

VIII. Sicut Evangelii lux non minus omnes terræ partes illustraverit quam solares radii.

VIII. Denique tota hæc controversia uno unius Pauli dicto dirimi aut decidi posse videtur, quando Evangelio applicat, quod de sole dixerat David Ps. XIX. in sua ad Romanos Epistola Cap. X: 17, 18. sic scribens: *Ergo fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Sed, inquam, an non audierunt? Imo vero* IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONUS EORUM, ET AD ULTIMA ORBIS TERRARUM VERBA EORUM. In eo est Apostolus, ut doceat neque Judæis neque Græcis esse quod incredulitati suæ prætexant, quum omnibus nunc ex æquo prædicatum sit Evangelium; adeo quidem ut non magis solares radii luce sua omnes terræ angulos feriant, quam Evangelii fama ad eosdem dimanaverit. Augustior hæc oratio est, quam ut illiberali interpretatione ad eas angustetur regiones in quibus Judæi degebant: quasi id solum

lum dicere voluerit Apoſtolus, quod dicentem eum facit Illuſtris *Grotius. Cœlum aſtriferum uno in loco eſt, & tamen ejus vox & verba ubique locorum audiuntur, id eſt, vis ejus intelligitur. Pari modo, quum Apoſtoli in illuſtrioribus urbibus fuerint, ibique & prædicaverint & miracula fecerint, ut Hieroſolymis, Cæſareæ, Joppæ, Antiochiæ, Epheſi, Corinthi, Theſſalonicæ, inde fama rerum tantarum pervenit ad omnes terras in quibus habitabant Judæi, idque ſufficit.* At profecto non videtur ſufficere. Nam quæ inſtitutio iis eſt circumſcripta limitibus, quos Evangelii prædicationi hic figit Grotius, ea tam magnificæ contentionis vim ſuſtinere non poteſt, qua inſtitutioni quæ cœlo magiſtro fit æquiparetur. Omnes enim ubi ubi degant homines iſta ſchola erudiuntur. Quamvis inter ſe populi linguis differant, & Græcus Barbaros non intelligat, tamen ad cunctos pariter erudiendos communis cœli ſermo eſt: nec quicquam præter ſocordiam obſtat, quo minus alieniſſimi quique ex unius illius doctoris ore proficiant. Omnes homines ſive in habitabili, ſive in deſertiſſima terra ſint, pariter cœlorum ductus cernunt; nulluſque eſt orbis angulus, ubi figuræ iſtæ, ceu totidem Divinarum perfectionum argumenta, legendæ non proſtent. Unde conſequitur, eadem prorſus latitudine quam David animo concepit, quando de naturali per cœlum inſtitutione canebat, intelligenda eſſe quæ Paulus de ampliſſima Evangelii prædicatione ſcribit.

IX. Sibi quidem Dei verba ad ἀξιοπιςίαν abunde ſufficiunt: ſi quis tamen eadem ex hominibus audire deſiderat, vix ullus ex antiquis Eccleſiæ Doctoribus eſt, qui in prædicanda incredibili iſta Evangelii propagatione ſuam non exercuerit eloquentiam. Ex multis hæc habeto. *Juſtinus* in *Dialogo cum Tryphone*: οὐδὲ ἓν γάρ ὅλως ἐςι τὸ γένος ἀνθρώπων, εἴτε βαρβάρων, εἴτε ἑλλήνων, εἴτε ἁπλῶς ᾡτινιοῦν ὀνόματι προσαγορευομένων &c. *atqui ne unum quidem eſt genus mortalium, ſive Barbarorum, ſive Græcorum, ſive etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine, vel Amaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium (Scenitarum) & cum pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen crucifixi Jeſu, ſupplicationes & gratiarum actiones Patri, fabricatori rerum omnium, non fiant.* Irenæus, lib. I. cap. III. *Etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt. Et neque hæ quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Hiberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut Sol creatura Dei in univerſo mundo unus & idem eſt, ſic & lumen & prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines,*

IX. *Quod priſci Eccleſiæ Doctores egregie exornarunt.*

qui volunt ad veritatis cognitionem venire. Tertullianus, lib. adverſ. Judæos: *In quem enim alium univerſæ Gentes crediderunt, niſi in Chriſtum qui jam venit? Cui enim alii Gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, immorantes Ægyptum, & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem, Romani, & incolæ, tunc & in Hieruſalem Judæi, & Gentes cæteræ, ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, & Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa loca Romanis, Chriſto vero ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum Gentium, & provinciarum & inſularum multarum vobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus? In quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat.* Hinc eodem libro dicit: *Adſpice univerſas nationes, de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum Creatorem, & Chriſtum ejus.* Quæ eadem quoque verba habet, contra Marcionem lib. III. Arnobius, converſus Gentilis, in libris adverſus Gentes, quos ſcripſit adhuc Catechumenus, lib. II. *Enumerari poſſunt atque in uſum computationis venire ea quæ in India geſta ſunt apud Seras, Perſas, & Medos: in Arabia, in Aſia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas: in Achaja, Macedonia, Epiro: in inſulis & provinciis omnibus quas ſol oriens atque occidens luſtrat: ipſam denique apud Dominam Romam.* Hieronymus, Tom. I. epiſt. in Epitaphio Nepotiani, ad Heliodor. *Ab India uſque ad Britanniam, a rigida Septentrionis plaga uſque ad fervores Atlantici Oceani, jam innumerabiles populi, & tantarum gentium multitudines, quam variæ linguis & habitu, tam veſtibus & armis, piſcium ritu ac locuſtarum, & velut muſcæ & culices conterebantur (abſque notitia enim ſui Creatoris omnis homo pecus eſt) nunc vero paſſionem Chriſti & reſurrectionem ejus cunctarum gentium & voces & literæ ſonant. Taceo de Hebræis, Græcis, & Latinis, quas nationes fidei ſuæ in Crucis titulo Dominus dedicavit. Immortalem animam, & poſt diſſolutionem corporis ſubſiſtentem, quod Pythagoras ſomniavit, Democritus non credidit, in conſolationem damnationis ſuæ Socrates diſputavit in carcere, Indus, Perſa, Gothus, Ægyptius philoſophantur. Beſſorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce Crucis fregerunt melos; & totius mundi una vox, Chriſtus eſt.* Et epiſt. ad Lætam: *Depoſuit pharetras Armenius: Hunni diſcunt Pſalterium: Scythiæ frigora fervent calore fidei: Getarum rutilus & flavus exercitus Eccleſiarum circumfert tentoria.* Ad Sun. & Fretel. *Quis hoc crederet, ut Barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem, & dormitantibus, imo contendentibus Græcis, ipſa Ger-*

Germania Spiritus Sancti eloquia scrutaretur? Chrysostomus, in libro quod Christus sit Deus. Tom. VI. p. 631. Ἐξ ἐκείνου πᾶσαι χῶραι, καὶ πᾶσαι πόλεις, καὶ οἰκουμένη καὶ ἀοίκητος, τὸν ἐσταυρωμένον ἀνακηρύττομεν. καὶ βασιλεῖς, καὶ στρατηγοὶ, καὶ ἄρχοντες, καὶ ὕπατοι, καὶ δοῦλοι καὶ ἐλεύθεροι, καὶ ἰδιῶται καὶ σοφοὶ, καὶ βάρβαροι, καὶ τὰ ποικίλα τῶν ἀνθρώπων γένη, καὶ λοιπὸν ὅσην ἥλιος ἐφορᾷ γῆν, ταύτην δὴ τὴν τοσαύτην ἐπέδραμε τὸ ὄνομα καὶ ἡ προσκύνησις. *Ab illo tempore omnes regiones, & omnes urbes, & desertum, & terra tam habitabilis quam non habitata Crucifixum prædicamus. Et reges & imperatores & principes & consules, & servi & liberi, & privati, & docti atque indocti, & barbari, & multifaria hominum genera, & quamcunque demum terram sol lustrat, eam quanta quanta est Crucifixi nomen & adoratio pervasit.* Rursus p. 635. in fin. Ἐννόησον ἡλίκον ἐστὶ τὴν ὑφ' ἡλίῳ κειμένην ἅπασαν ἐκκλησιῶν ἐν χρόνῳ βραχεῖ τοσούτων ἐμπλῆσαι — καὶ πανταχοῦ θυσιαστήρια ἀναστῆσαι, ἐν τῇ Ῥωμαίων χώρᾳ, καὶ ἐν τῇ Μαύρων, ἐν τῇ Ἰνδῶν. τί λέγω; ὑπὲρ τὴν οἰκουμένην τὴν καθ' ἡμᾶς. καὶ γὰρ αἱ Βρεττανικαὶ νῆσοι, αἱ τῆς θαλάττης ἐκτὸς κείμεναι ταύτης, καὶ ἐν αὐτῷ οὖσαι τῷ ὠκεανῷ, τῆς δυνάμεως τοῦ ῥήματος ᾔσθοντο. καὶ γὰρ κἀκεῖ ἐκκλησίαι. *Attende quanta res sit terram quæ sub sole jacet universam tam exiguo temporis spatio tot implere Ecclesiis, — & ubique gentium aras excitare, in regione Romanorum, Persarum, Scytharum, Maurorum, & Indorum, & ultra orbem nostrum. Nam & Britannicæ insulæ, extra hoc mare sitæ, & quæ in ipso Oceano sunt, virtutem verbi senserunt. Sunt enim etiam illic Ecclesiæ.* Et ut tandem finem faciam horum testimoniorum, quorum adeo recordatio nos delectat, ut temporis fere laborisque capiat oblivio, Theodoretus, de Græcar. Affecti. Curat. Serm. IX. Οἱ δὲ ἡμέτεροι ἁλιεῖς, καὶ οἱ τελῶναι, καὶ ὁ σκυτοτόμος, ἅπασιν ἀνθρώποις τοὺς εὐαγγελικοὺς προσενηνόχασι νόμους. καὶ οὐ μόνον Ῥωμαίους, καὶ τοὺς ὑπὸ τούτοις τελοῦντας, ἀλλὰ καὶ τὰ Σκυθικὰ, καὶ τὰ Σαυρομάτικα ἔθνη, καὶ Ἰνδοὺς, καὶ Αἰθίοπας, καὶ Πέρσας, καὶ Σῆρας, καὶ Ὑρκανοὺς, καὶ Βακτριανοὺς, καὶ Βρεττανοὺς, καὶ Κίμβρους, καὶ Γερμανοὺς, καὶ ἁπαξαπλῶς πᾶν ἔθνος καὶ γένος ἀνθρώπων, δέξασθαι τοῦ σταυρωθέντος τοὺς νόμους ἀνέπεισαν. οὐχ ὅπλοις χρησάμενοι, καὶ πολλαῖς μυριάσι λογάδων, οὐδὲ τῆς περσικῆς ὠμότητος χρώμενοι βίᾳ, ἀλλὰ πείθοντες, καὶ δεικνύντες ὀνησιφόρους τοὺς νόμους, *At nostri illi piscatores ac publicani, sutorque ille noster, cunctis nationibus legem Evangelicam detulerunt. Neque solum Romanos, quique sub Romano vivunt imperio, sed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopes, Persas, Seras, Hyrcanos, Britannos, Cimmerios & Germanos, atque semel dicatur, omne hominum genus, nationesque omnes induxerunt Crucifixi leges accipere; non armis usi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Parthicæ violentia; sed verborum suasu, ostensa legum quas prædicabant utilitate.*

X. Fateor

X. Quæ omnibus gentibus notificata perhibentur, ea & Americanis prædicata esse oportet.

X. Fateor omnia hæc generalibus duntaxat comprehensa locutionibus nihil hactenus speciatim de Americanis adserere. Attamen quotiescunque de omnibus in universum gentibus aliquid adfirmatur, tanta universalissimi sermonis amplitudine, quanta in ejus generis negotio adhiberi potest; totius id de Americanis quoque non minus intelligi debet, quam si & ipsi nominatim expressi forent. Præsertim quum ob quam caussam cæteris nationibus Evangelium prædicari curavit Dominus, ob eandem caussam Americanis itidem prædicari debuerit. Caussa prædicati in gentibus Evangelii, est immensus Dei erga genus humanum amor, ut notefacta iis salutis consequendæ via ac ratione ad communionem Dei in Christo comiter invitarentur. Eam in rem *illuxit salutifera illa Dei gratia omnibus hominibus*: Tit. II: 11. quippe qui *omnes homines servari, & ad agnitionem veritatis pervenire vult*. 1. Tim. II: 4. Et cur hic Americanos magis quam quosvis excipias alios? *Ad personam enim Deus non respicit*. Act. X: 34. *In Christo Jesu non est Græcus & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha*. Col. III: 11. Neque ullum omnino gentium discrimen. Eas etiam quæ immanissimis fœdatæ erant sceleribus, Evangelii sui vocatione dignatus est Dominus. *Nam eramus & nos quondam amentes: rebelles, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odiosi, alii alios odio prosequentes*, & nobis tamen *apparuit benignitas & erga homines amor Servatoris nostri Dei*. Tit. III: 3. Ne quis propter inolita genti alicui vitia, Evangelii aditum illi interclusum esse temere opinetur. Neque sane gens ulla est quam præ cæteris vocet Deus vocatione sua sancta, intuitu eorum quæ ipsi patraverint operum, *sed ex suo proposito & gratia, quæ data est in Christo Jesu ante tempora seculorum: sed facta nunc est manifesta per illustrem illum adventum Servatoris nostri Jesu Christi, qui & mortem abolevit, & vitam ac incorruptibilitatem in lucem produxit per Evangelium*. 2. Tim. I: 9, 10. Ex quibus omnibus conficitur, vel gentes Americanas in rerum natura non fuisse, tum quando gentibus omnibus Evangelium prædicari curavit Deus; vel ipsas singulari Dei maledictione beneficio fuisse exclusas; vel denique ejusdem cum cæteris gratiæ consortes. Atqui neque illud dici potest, neque istud: ergo hoc solum superest.

XI. Nam neque inculta tunc prorsus America fuit.

XI. Doctissimus Vir, *Johannes Henricus Ursinus*, Superintendens Ratisbonensis, in *Analectis suis Sacris* lib. VI. cap. XXIV. p. 378. ubi de hac ipsa caussa disputat, profitetur *induci se non posse ut credat, iis temporibus Americam hominibus fuisse frequentatam. Conjectare mavult colonias gentium, non ante, sed post Servatoris tempora in remotiores a conti-*

continente insulas, inque hunc novum orbem, sive mari adeundus fuerit, divulsus a nostro, sive pedestri itinere, aut freto aliquo non lato, fuisse traductas. Ita moderante Divina providentia, ut quæ, non ante turrim Babelicam & confusionem linguarum, in orbem habitabilem viciniores que insulas essent dispersæ, eæ nec ante prædicatum labio electo Jesum, nec ante perfide spretum, in tam longinqua mitterentur exilia: ubi qui dii quasi mortales esse noluissent, homines quoque exuerent. Cæterum eam hariolandi audaciam, debilibus admodum nixam rationibus, castigandam sibi sumsit *Georgius Mæbius*, Primarius in Lipsiensium Academia Theologiæ Professor, eique ut multo fundatiorem opponit Latii sententiam, qui apud *Hornium de Orig. Gent. Americ. lib.* I. *cap.* XI. in hæc verba fatur: *Ego ita judico; quum America tam late pateat quam noster orbis, & non minus habitata fuerit quam aut Europa aut Asia aut Africa, omnino credendum esse non ab annis quingentis aut mille primum habitari cœpisse; sed statim post confusionem linguarum & dispersionem illam familiarum etiam in Americam migratum fuisse: nam alias non video quomodo idonea ratio reddi possit tantæ ubique per Americam incolarum multitudinis, & infinitarum ferme linguarum, & a se invicem & Europæis toto cælo discrepantium.* Multa enimvero sunt quæ sententiam hanc altera illa longe faciunt probabiliorem; de quibus non est differendi locus.

XII. Non putem etiam idonea satis ratione firmari posse eorum, si qui sint, opinionem, qui Americanos a Divinæ participatione benedictionis singulari sententia exclusos arbitrantur. Ea enim iræ super ipsos mansuræ funesta denunciatio, si uspiam, in Noachi oraculo inveniri deberet; quo Semo illiusque posteritati primo addicitur salus, mox Japheto, sive alliciendo, sive dilatando ipsi locum, ut habitet in tentoriis Semi: in Chamum autem, illiusque filium Canaanem, dira pronunciatur sententia, *Maledictus erit Canaan, servus servorum erit fratribus suis.* Gen. IX: 25. Porro *Chami* progeniem Americanos, si non omnes, maximam certe partem esse, non desunt qui opinentur. At præterquam quod hypothesis ista valde dubia, & fortassis falsa sit; quantocunque rigore sanctissimi senis exsecrationem interpreteris, non eo usque valuisse ut omnis Chami posteritas Evangelicæ gratiæ communione orbetur, & aliorum vatum oracula, & eventus ipse docuerunt. Adeo ad Chami progeniem Ægyptii pertinent, ut Ægyptus *terra Cham* signate aliquoties in nostris sacris dicatur, & in sacris Isidos χημία. De Ægypto tamen vaticinatus Jesaias est: *Futuras ibi esse civitates quinque loquentes sermone Canaanis & juratas Jehovæ exercituum: structum iri Jehovæ altare in medio Ægypti, ut colatur sacrificio & munere, & voventes votum Jehovæ pendant:*

XII. Neque Americanæ gentes ulla ferali Dei sententia a salutis communione exclusæ.

dant: convertendos Ægyptios esse ad Jehovam, qui exoratus sanaturus sit ipsos: denique futurum esse uti dicat Deus, Benedictus sit populus meus Ægyptius. Jes. XIX: 18. & seqq. Et quid multis? Nihil factius & certius est, quam in *Ægypto* cæteraque *Africa* universa, in ditionibus *Tyriorum*, *Sidoniorum*, & infinito terrarum ad *Chami* portionem pertinentium tractu, florentissimas fuisse Ecclesias. Adde, tales in ipsa cum maxime America inveniri: Deo Anglorum potissimum in promovendo Evangelio diligentiæ, Spiritus sui efficacia insigniter favente. Non itaque isto Noachi oraculo durius quidquam in Americanos, Chami nepotes, quam cæteras mundi nationes, statutum est; unde eos per Evangelium ad Christi gratiam invitari non debuisse merito colligas.

XIII. *Apostoli terrarum orbem inter se partiti.*

XIII. At necesse non est ita generalibus hisce immorari, ut non ad specialiora quoque descendere liceat. Constans quippe veterum traditio est, Apostolos mandato Domini defuncturos partitos esse inter sese orbem terrarum, singulisque suas adsignatas provincias: quas nonnulli hoc modo dividunt, ut *Thomæ* quidem & *Bartholomæo* obtigerit *Oriens*, *Simoni* & *Thaddæo Septentrio*, *Matthæo* & *Jacobo Majori* Regiones *Mediterraneæ*, *Johanni* & *Andreæ* Provinciæ *Maritimæ*, *Petro* vero & *Jacobo Minori Occidens.* Alii aliter.

XIV. *Quidam etiam in Indiam Orientalem pervenerunt.*

XIV. In INDIAM quum *Pantænus*, Divina quadam æmulatione succensus, prædicandæ salutaris doctrinæ caussa penetrasset, apud quosdam cognitione Christi jam pridem imbutos, Evangelium Matthæi, quod adventum ipsius prævenerat, reperisse narratur. Quippe quod *Bartholomæus* ibi prædicaverat, & Hebraicis conscriptum literis reliquerat. *Euseb. lib.* V. *cap.* X. De Johanne sic habet *Baronius Annal. T.* I. *p.* 320. *Johannem non semper in Asia mansisse, sed & alias Orientis regiones Evangelium prædicando peragrasse, multa sunt testimonia. Ad Parthos enim adscendisse, titulus suæ ipsius primæ Epistolæ, quæ olim ad* PARTHOS *inscripta legebantur, facile monstrat. Sed adhuc ulteriores Orientis partes penetrasse, &* BASSORAS *Christiana fide imbuisse, accepimus certa ac fide digna relatione religiosissimorum Patrum Societatis Jesu, qui nostris temporibus ad Indos Evangelicæ prædicationis caussa profecti hæc ex ejusdem populi a majoribus accepta traditione didicerunt.* De *Thoma* hæc collegit: p. 321. *Thomas Apostolus imprimis ad* PARTHOS *profectus est, ut auctor est Origenes atque Eusebius. Eundem* INDOS *penetrasse tradit Gregorius Nazianzenus. In* ÆTHIOPIAM *quoque perrexisse testatur Johannes Chrysostomus, quum ait, Thomas dealbat Æthiopes. Thomæ adscribitur quod ait Theodoretus,* PARTHOS, PERSAS, MEDOS, BRACHMANNAS, INDOS, *aliasque nationes finitimas Christi Evangelium susce-*

ſuſcepiſſe. Ad TAPOBRANAM *quoque inſulam veniſſe Nicephorus tradit. Qui apud Indos reperti ſunt Chriſtiani in regione* NARSINGENSIUM *firma certaque traditione adfirmant, Thomam Apoſtolum in illis regionibus Evangelium prædicaſſe, Eccleſias erexiſſe, ac cætera quæ ad Chriſtianorum inſtitutionem pertinent, conſummaſſe. Id ipſum etiam profiteri qui in Indiæ regione* CHRANGANORE *& aliis adjacentibus locis agunt, Oſorius Silvenſis Epiſcopus, qui res Indicas luculentiſſime ſcripſit, teſtatur.* Hæc *Baronius.* Quibus & aliorum addi poſſunt narrationes, tradentium non ſolum a *Thoma* Apoſtolo invectam apud *Indos* fuiſſe religionem Chriſtianam, ſed & per *crucis* ſignum patrata iſtic fuiſſe miracula, cultumque ab eodem lapideum quoddam crucis ſignum, in tumulo haut procul ab urbe adſurgente conſtitutum; quo Apoſtolus ſecedere, Dei propitiandi & ſui recolligendi cauſſa, conſueviſſet: idque ſignum Thomæ poſtea ſanguine, quum a Barbaris mactaretur, reſperſum fuiſſe. Sed & ipſam illam crucem, ſanguineis guttis adhuc tinctam, anno ſuperioris ſeculi XLVIII, MELIAPORE apud *Malabares*, in *India* cis *Gangem*, a Luſitanis repertam eſſe, characteribus vulgo ignotis inſcriptam, qui adhibitis de Brachmanum genere duobus doctiſſimis interpretibus intellecti ſunt continere totum Thomæ martyrium. Qua de re qui plura, & ſupra fidem portentoſa, legere geſtit, adeat *Oſorium Indic. lib.* III. *circa finem.* & *Xaverium epiſt. lib.* I. *Epiſt.* I. *& lib.* II. *epiſt.* X. Atque ita quidem Evangelii ad INDOS ORIENTALES per Apoſtolos Chriſti propagationem oſtendimus: & quæ dici poteſt cauſſa cur *Occidentales Indos* neglectiores Deus habuerit?

XV. At neque de his perpetuum atque univerſale in priſca hiſtoria ſilentium eſſe, a Doctis quibuſdam hominibus creditur. *Scribit enim diſertis verbis Nicephorus lib.* II. *cap.* XLI. *Evangeliſtam Matthæum apud* CANNIBALOS ἀνθρωποφάγους, BRASILIENSIBUS *conterminos, prædicaſſe. Cannibali autem ſunt in India Occidentali, de quibus videndus ipſe Chriſtophorus Navigationis ſuæ cap.* IV. *&* V. Quæ quum retuliſſet Clariſſimus *Mœbius*, lubet ipſi rogare: QUODNAM IGITUR CLARIUS POSSEMUS HUJUS REI HABERE ARGUMENTUM?

XV. Alii in Occidentalem quoque penetraſſe narrantur.

XVI. Addenda autem magno ſuo merito eſt rara, ut ipſe vocat, *Georgii Hornii* obſervatio. *De Orig. Gent. Amer. lib.* III. *cap.* XIX. Nimirum *S. Thomam* his iiſdem gentibus vel prædicaſſe Evangelium, quod multi volunt, vel ſaltem innotuiſſe. Nam BRASILIANI meminerunt cujuſdam Sancti Viri, &, ut ex narratione ipſorum patet, Chriſtiani, quem *Meyre Humane* vocant, GUARAIS, qui *Provinciam Sanctæ Crucis* in montibus tenent, *Paicuma* dicitur: unde & primos Monachos Hiſpanos *Paicumas* appellarunt. Hunc S. Thomam eſſe

XVI. Rara Hornii obſervatio de Thoma Braſilianis prædicante, vel ſaltem noto.

esse colligit Hornius, ex nomine & ex historia. Nomen quod attinet, *Meyr* ipsius in genere peregrinus dicitur, barbatus, vestitus. *Human* ex voce *Thomas* expressum solo T abjecto. Terminatio in diversis linguis plerumque variat: sicut Ὀδυσσεὺς & Ulisses, Ajas & Ajax. Historia magnam lucem huic narrationi adfert. Quæ enim *Brasiliani* de *Meyre Humane*, eadem *Orientales Indi Malabares* de *S. Thoma* narrant. Lerius: *ante innumerabiles lunas venisse ad majores suos virum barbatum & vestitum, qui fidem in Deum tradiderit, more Christianorum.* Addit Stadius: *edita ab eo multa miracula, moremque tonsuræ quo utuntur primum ostendisse.* Quare quum & nomen, & quod narrant Barbari, si tonsuram excipias, Thomæ conveniant, non ignotus ipsis videtur fuisse. De hoc quæritur: veneritne *Thomas* in AMERICAM, & ibi prædicarit; an ex *Tataria* ejus notitiam intulerint illæ gentes: quorum prius *Lerio* probatur, *quia in omnem terram exivit sonus Apostolorum*: altera tamen sententia *Hornio* certior est. Nam multa indicio sunt, *Brasilianos* a *Tataris* ortos. Deinde constat, Thomam in *Tataria*, *Sinis*, *India*, Evangelium prædicasse, & ibi occisum. Nulla vero ejus in *Americam* profectionis & reditus argumenta. Unde ejus ex *Tataria* memoriam illatam putat, vel ab ipsis *Brasilianis*, vel iis unde hoc acceperunt populis. Utra vero sententia firmiori talo stet, an hæc Hornii, an illa Lerii, ad caussam nostram parum attinet; modo id habeatur; per S. Thomam, sive proxime, sive interventu aliorum, prædicatum *Americanis* esse Evangelium.

XVII. *Reliquiæ veterrimi Christianismi in America.*

XVII. At multum ea traditio firmatur prolixa ejusmodi tam rituum, quam opinionum enarratione; quæ, evidentes satis veteris ibi Christianismi reliquiæ, a recentioribus novi, ut vocant, orbis detectoribus repertæ sunt. Testantur illi, qui res Indiæ summa cura ac fide consignarunt, partim etiam ipsi oculis suis lustrarunt, non obscura adhuc veri cultus indicia apud Barbaros exstitisse, tum quum *Columbus*, aliique Lusitani aut Hispani, eo appellerent. Refert *Petrus Martyr*, historicus, *in Tractatu de Insulis nuper repertis*, sacerdotes quosdam Americanos, in regno *Mexicano* supra *Darienen*, anniculos pueros puellasque in templis aqua in crucem cum urceolo super injecta baptizare visos fuisse. Sacrosanctæ etiam Cœnæ adumbrationes, alii sibi deprehendere visi sunt; imo & adorandæ Trinitatis quædam rudimenta: quæsitos autem, unde hæc similiaque haberent, respondisse, *transiisse aliquando virum formosissimum per eos tractus, qui ea ipsis reliquerit.* *Johannes Lerius* de *Brasiliensibus* testatur, quod animarum immortalitati adstipulentur. Refert etiam, *se aliquando ipsiscum*

ipsiscum de vero Dei cultu, de creatione rerum, de labe & ruina generis humani, & similibus religionis Christianæ capitibus disseruisse, quibus, postquam duas amplius horas magna cum admiratione & attentione auscultassent, demum quendam ex senioribus respondisse, habere se ex aliorum relatu, jam inde a priscis temporibus, & ante plurimos annos, hominem nostro more vestitum, & barbatum, in illorum devenisse terras, qui simili oratione ipsos sub Dei obsequium adducere conatus sit: quum autem majores ipsorum illi fidem non adhiberent, mox successisse alium, qui ensem, symbolum maledictionis, illis traderet: ab eo tempore bella & dissensiones perpetuas inter ipsos viguisse. Similia multa congessit *Hornius de Gent. Americ. Orig. lib.* IV. *cap.* XV. *Apud Mexicanos ritus Christiani plurimi & evidentissimi, Trinitatis, Sacramentorum, Baptismi & Cœnæ Domini, Confessionis expressa memoria. Apud Jucatanos* XXXV *dierum jejunium. Summum Sacerdotem suum Mexicani PAPAM vocant. Cultus & ornatus sacerdotum Peruviæ, ut apud Christianos Episcoporum. Nec quidquam illustrius Jucatanensium Baptismo: de quo Herrera, datum ei nomen* REGENERATIONIS: *administratum infantibus anno ætatis tertio. Parentes ad id sese parasse jejunio & secubatione; accessisse confitendi morem, & unctionem in fronte. Cruces in Gozumal & Jucatan repertæ: & cognitus ipsis vir sole lucidior, qui in cruce passus sit. Mortuos resurrecturos Peruani credebant: unde Hispanos, sepulcra violantes, deprecati, ne ossa turbarent, impedimento id resurgentibus fore rati.* Hæc & id genus compluria, quæ Lusitani atque Hispani in America invenerunt, non introduxerunt secumque attulerunt, evidenti indicio sunt, Christianam religionem antiquitus ibi cognitam fuisse, sed, ut fieri adsolet, paullatim superstitione fœdatam ita degeneravisse, ut alicubi non nisi quædam veluti fugientis tenuia supersint vestigia. Si vero ab antiquissimis temporibus prædicata ibi Christiana religio sit, a quibus eam prædicatam malumus, quam ab ipsis Apostolis, virisve Apostolicis?

XVIII. Dissimulandum tamen non est, omnibus hisce, quantavis probabilitate disputentur, duas, atque eas quidem maximi momenti, difficultates obstare: primo, quod totus ille Americæ tractus ejus ævi hominibus, quo Apostoli vixerunt, prorsus fuerit incognitus, tum si vel cognitus fuisset, tanta tamen locorum intercapedine a cæteris terræ partibus fuerit semotus, nullo ut itinere adiri ab Apostolis potuerit. Quo enim pacto iter illud suum confecissent? An terra & pedibus? Atqui novus iste orbis, quantum hactenus constat, a reliqua terra habitabili prorsus separatus est. Maritimum itaque & nauticum iter esse oportuit. Atqui vastum illum Oceanum inter-

XVIII. Difficultates sententiæ huic oppositæ.

intermedium omnis antiquitas innavigabilem, & a mortalibus (quia sacrum, divumque sedem existimavit) navigatione minime violandum credidit. Accedit, quod ante repertum magnetis lapidis usum, quem nuperum habemus, vix ante trecentos annos exploratum, Oceanus ille intermedius nunquam tentari potuerit; quod omnibus, qui navigant, indubium esse adfirmat *Ortelius.*

XIX. America forsitan est Atlantis Platonis.

XIX. At non desunt quæ tollendis hisce difficultatibus magna cum veri specie adferri possunt; & si vel nulla nobis inveniretur via, nihil certe invium est Numini. Atque id primo secure nimis sumitur, ignotam plane priscis mortalibus eam orbis terrarum partem fuisse quam nunc Americam vocitamus. Hanc enim eandem esse quam divinus *Plato* ATLANTIDEM dixit, insulam *Africa* & *Asia* majorem, quamque ad fauces *Gaditani* freti locat, multi viri docti crediderunt. Memorabilia imprimis sunt, quæ *Lipsius* in hanc rem observavit. *Physiol. Stoic. Lib.* II. *Dissert.* XIX. Est, inquit, & in Platone profecto vetus & vera memoria magnæ ATLANTIDIS insulæ, quam Asia & Africa ampliorem scribit: atque ita describit, ut mihi videatur locus dubitationi non esse, quin Novus orbis pars sit Platonicæ illius terræ. Nam primum facit locatque grandem illam insulam ad fauces Gaditani maris: quæ longe lateque introrsum scilicet pateret: & ex qua esset ἐπίβατον ἐπὶ τὰς ἄλλας νήσους, ἐκ δὲ τῶν νήσων ἐπὶ τὴν καταντικρὺ πᾶσαν ἤπειρον, τὴν περὶ τὸν ἀληθινὸν ἐκεῖνον πόντον: *gradus transitusque ad alias insulas: iterumque ex istis ad oppositam continentem, adjacentem mari quod vero nomine sic appellamus.* Si hæc consideras & scrutaris, quid nisi dicit magnam illam fuisse insulam statim ab Hispania, ubi nunc reliquiæ (nam illuvione periit) & velut fragmenta tot insularum sunt? *Canariarum*, *Fortunatarum*, & quas alias tota ora *Africæ*, & interior habet. *Ex illa autem, ait, transitus in insulas.* Quas? eas quæ nunc etiam præjacent continenti, *Cubam*, *Hispaniolam*, *Jamaicam*, & plures. *Et ex insulis in ipsam continentem.* Verissime. Statim ex illis vel in *Peruanum* vastum tractum, vel in vastiorem *Mexicanum* transitur. Et *continentem* appellat, etsi insula est, sed ita, quomodo nostra hæc pars a nobis habitata. Atque hæc quidem Lipsii de *Atlantide* sententia est. Non abludit Collega noster D. LUITSIUS. *Introd ad Geograph. Sect.* V. *Cap.* I. *Americ.* Ubi refutat Kircherum, Atlantidem insulam a veteri & novo orbe distinguentem, eamque collocantem in medio Oceano Atlantico: ubi immani terræ motu maximoque Oceani illuvio brevissime absumta, parva sui vestigia in Flandricis & Canariis insulis reliquerit. Refutat etiam Barlæum, cui autumare visum, totam istam Platonis narrationem μυθικὴν magis esse, quam ἱστορικήν:

quod & Platoni ipsi, & Straboni, & Soloni repugnet, qui integrum de Atlantide librum scripsisse memorantur. Confer Hornium *lib.* II. *cap.* VI.

XX. Si quis tamen quæ de *Atlantide* narrantur fabulis propiora existimet; pro certioribus habenda videntur, quæ *Diodorus Siculus* hisce propemodum verbis commentatus est: *Phœnices vetustissimis temporibus extra columnas Herculis navigantes, ingentibus ventorum procellis ad longinquos Oceani tractus fuisse abreptos, ac multis diebus vi tempestatis jactatos, tandem ad ingentem insulam in Oceano Atlantico, complurium dierum navigatione a Libya in occasum remotam, venisse. Cujus solum frugiferum, amnes navigabiles, sumtuosa ædificia fuerint. Inde Carthaginenses & Tyrrenos harum terrarum notitiam accepisse.* Quibus verbis nihil clarius esse posse, dictat *Hornius lib.* II. *cap.* VII. Quippe quæ & notam fuisse priscis Americam, & *Phœnices* in eam navigasse ostendant. XX. *Phœnicibus olim navigata.*

XXI. Cæterum neque *Salomonem*, cujus immensa fuit sapientia, magnæ illius terrarum partis, quæ tot miraculorum ferax est, credibile est omnino fuisse ignarum. Multaque argumenta homines eruditissimi congesserunt, quæ faciunt, ut *Salomonis*, *Hirami*, & *Josaphati* naves per *Mediterraneum* mare in OPHIR & TARSIS navigare potuerint, & hinc in ipsam, quod triennium suadet, *Americam*. Sin cum multis aliis classes ex *Erythræo mari* solvisse malis, etiam hinc trienniii navigatione *Americam* petere potuerunt. Non desunt qui opinantur quod enavigato sinu Arabico, flexa in Occidentem Classe, juxta litus Africæ MONOMOTAPAM advecti sint. Quem locum esse terram *Ophir*, *Barros*, *Lopes*, *Santos*, non absque firmis rationibus, si *Hornio* credimus, statuunt. *Johannis dos Santos* in *Æthiopia Orientali* verba hæc sunt: *In Monomotapa apud Massapam mons est nomine Fura sive* AFURA, *apud quem dites aurifodinæ sunt. In cacumine ejus rudera antiqui ex lapide ædificii, quale non alibi in tota Cafraria conspicitur. Incolæ tradunt, eas ædes fuisse Reginæ Sabæ, & hanc terram sive* Afuram *esse Salomonis* Ophir. *Ibidem sunt præstantia ligna & pavones. Navigatio potuit triennis esse ob ruditatem ejus ævi, & pigritiam Cafrorum.* XXI. *Salomonis Ophir creditur esse Monomotapa Caferorum.*

XXII. Ne ipsis quidem *Græcis* ac *Romanis* circa Christi tempora ignota videtur fuisse America. *Plinius* enim suo tempore totum occidentem navigatum fuisse memorat *lib.* II. *cap.* LXVII. Huc etiam spectare nonnullis nota *Virgilii* carmina creduntur VI. *Æneid.* XXII. *America Græcis & Romanis olim cognita.*

—— jacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias, ubi cœlifer Atlas,
Axem humeris torquet, stellis ardentibus aptum.

Extra sidera? quî potest? cœlo certe tegitur: sed majora sidera accipe, aut Planetas, qui intra Tropicos decurrunt. Ideo addit, velut interpretans, *extra anni & solis vias.* Ergo ultra Torridam locat: nempe ἀντάξονα illam nobis, & temperatam. Nam de *Atlante* quod scribitur, non de illo Africæ intelliges, sed de isto, quem Plato celebravit, & regnasse in iis locis scribit, Eo, inquit, Augustus proferet imperium. Memorabile est quod *Ælianus* III. *Histor.* refert, *Silenum* narrasse *Midæ: Europam, Asiam, Lydiam, insulas Oceano circumfusas esse, extra eas continentem quandam infinitæ magnitudinis, quæ nutriat grandia animalia, & homines duplo majores & longæviores quam nostri sunt. Ibidem esse magnas civitates, diversa vitæ instituta & leges nostris contrarias.* Adjecit: *hanc terram possidere grandem vim auri atque argenti; ita, ut inter populos minoris pretii sint quam apud nos ferrum.* Hæ sunt magnæ illæ insulæ, de quibus ex *Aristotelis* & *Theophrasti* mente *Apulejus Libro de Mundo.* In *Senecæ Suasoriis* Avitus testatur, *communem opinionem jactari: Fertiles in Oceano jacere insulas,* ULTRAQUE *eum rursus alia littora,* ALIUM *jacere* ORBEM. Denique quum Marcellinus inquit, *In Atlantico mari Europæo orbe potior insula*, nonne Americam digito quasi ostendit?

XXIII. *Inque ea Romani indicia commercii.*

XXIII. Enimvero indicia quoque Romani commercii in terris istis exstare narrantur. Si Hispanis auctoribus fides, in India Occidentali, in valle quæ *Cauten* dicitur, in Provincia *Chili*, oppidum exstat, quod Imperiale ob hanc caussam nominant, quoniam in plerisque domibus ac portis repererunt aquilas bicipites, formatas ut hodie videmus in Romani Imperii signis: teste *Lansio Orat. contra Hisp. p.* 515. Unde vero istæ bicipites aquilæ, nisi ab Europæis? Roborat conjecturam, quod nulla in isthoc tractu biceps avis inveniatur, unde Symbolum petere potuerint. Adde quod *Marinæus Siculus* tradit *Hist. Hispan. lib.* XV. aureum nummum inventum ibi fuisse cum effigie *Cæsaris Augusti.* Quem nummum ob admirabilitatem suam ad summum Pontificem transmissum fuisse, *Ortelius* testatur. Unde nummus iste, nisi ex Europa, ubi cusus?

XXIV. *Magnetis vim gubernatricem non ignorasse Phœnices contendit Fullerus.*

XXIV. Neque omnibus indiciis istis opponi par est unicum illud de Pyxidis nauticæ defectu, absque qua tam vastus Oceanus navigabilis non sit. Non enim certo constat, Veteres ea plane fuisse destitutos. *Nicolaus Fullerus* profundæ eruditionis, limatissimique Vir judicii, *Miscellan. lib.* IV. *cap.* XIX. multus in eo est, ut probet Phœnices hoc navigationum suarum adminiculo instructos fuisse. Probabiliter conjectari posse existimat, *Salomonis* id esse inventum, ab eo didicisse *Tyrios.* Si quidem novimus Salomonem tam incomparabilem

bilem naturæ rerum ſcientiam a Deo conſecutum eſſe, ut ætatibus omnibus ſemper miraculo fuerit, ſitque futurus. Credibile igitur eſſe, non ignoraſſe eum vim magnetis ἡγεμονικὴν, *gubernatricem*: præſertim quum ea propoſito ipſius de auro & aromatibus e longinquis regionibus in Iſraelitidem devehendis tam eſſet conducibilis, ac propemodum neceſſaria. Si autem ipſe cognoverit, dubium non eſſe, quin rem totam cum Tyriis benigniſſime communicarit, utpote nautis ſuis ac gubernatoribus præſtantiſſimis, Indicæque navigationis præcipuis adminiſtris. Unde factum ſit, ut magnes olim ἡράκλεια λίθος vocaretur, non ab *Heraclea* civitate, quod quidam volunt, ſed a vetuſtiſſimo nomine ἡρακλῆς, quod *Hercules* Latine appellatur. Porro Hercules ἡγεμὼν, id eſt *viæ dux* antiquitus habitus & dictus eſt. Hinc auguratur, admirandum illum lapidem initio nuncupatum *Herculeum* a Tyriis ipſis, veterrimis Herculis cultoribus, maximisque orbis terrarum luſtratoribus, quod ejus tanquam Herculis, aut ſolis cujuſdam ſiderisque terreſtris, ductu in longiſſimis itineribus ſuis, terra marique conficiendis, dirigerentur. Addit Vir præſtantiſſimus, non uſque adeo mirum eſſe, quod tantæ rei memoria ſeculorum lapſu interciderit. Tyrios enim eum magnetis uſum cautiſſime celaſſe, & continuiſſe ἐν ἀπορρήτοις, ne ſemel pervulgato tam inſigni navigationis adjumento ipſi dominio maris exciderent. Præterquam quod ſola vetuſtas tot ſeculorum ſpatio artem iſtam ex hominum memoria prorſus delere potuerit: uti tinctus germanæ purpuræ nunc ignoratur, quo ſolos omnium gentium Tyrios egregie & ditatos olim & celebratos fuiſſe legimus. Hæc Fullerus.

XXV. Utcunque ſe res habeat, conſtat vaſtiſſima marium ſpatia navibus ſuis Phœnices percurriſſe. Ubi autem de re ipſa conſtat, quid de rei modo anxie hæſitamus? Si caſu & tempeſtatibus ejecti hujus noſtræ terræ homines primum eo appulſi ſunt, omnem defectum ipſa neceſſitas & vis ſupplevit. Si conſilio eo navigarunt, ſufficientibus ad tantam navigationem mediis inſtructos fuiſſe oportuit. Eos ſane primum falli manifeſtum eſt, qui veteres litora tantum & maritimam oram legiſſe fingunt, nunquam ſe patenti Oceano committere auſos: amiſſo terræ conſpectu vagatos per incerta. Quod commentum vel ſolæ ad *Fortunatas*, *Caſſiteridas*, & alias *Atlantici Oceani* longe diſſitas inſulas, *Carthaginienſium* navigationes ordinariæ & certo conſilio ſuſceptæ confutant. Unde credibile eſt, alia veteres habuiſſe ſubſidia, præſertim *Tyrios*, nobis hodie fortaſſis, ut multa, incognita, quibus magnetis defectum utcunque penſabant. Certe propterea Oceano non abſtinuere. Qua ergo via alii, eadem Apo-

XXV. Et quamvis ignoraverint, tamen navigabilis & navigatus fuit Oceanus.

ſtoli aut Apoſtolici viri, quibus nulli diligentiores, nulli diſcriminum moleſtiarumve tolerantiores, in Americam pervenire potuerunt: pelago nimirum; Deo ſua providentia occaſionem ipſis ſuppeditante. *Non enim ſeparat mare eum qui fecerat mare. Quo naves poſſunt accedere, verba Dei non poſſunt?* Ut eleganter Auguſtinus *in Pſ.* XCVI.

XXVI. *Terra quoque adiri poſſe aut potuiſſe Americam, credibile eſt.*

XXVI. At neque terra id fieri potuiſſe, negandum eſt. Multi enim ex accuratioribus hodie Geographis orbem noſtrum cum India Occidentali ſive America alicubi terrarum eſſe continentem, vel ſaltem exiguo freto diremtum, non contemnendis rationibus adſtruunt. Ad Septentrionem Americam & Aſiam propius coire credunt plerique. Ad Auſtrum incertum quo pacto ſe terra habeat: probabile autem veterem orbem conjungi cum nova *Guinea*: ſic ut ii, qui circa Fretum *le Maire* & *Magellanicum* agunt, facile eo poſſint pervenire. Vide ſodes diligenter hac de re diſſerentem in Annalibus *Torniellum*, ad annum 1431. p. 141. Denique ea via in Americam penetrare potuerunt Apoſtoli, qua via eo venerunt belluæ & fera animalia; quæ neque condita ibi eſſe, neque ingentia maria tranaſſe, neque ab hominibus transvecta fuiſſe, veriſimile eſt.

XXVII. *Quidquid ſit, Deus ſuis viam, ſi non inveniunt, facit.*

XXVII. Et quid in caſſum noſtros fatigamus animos? Si nullam omnino viam noſtra invenire queat diligentia; at fata invenerunt, vel fecerunt. Si Dominus noſter Jeſus mari ambulavit ut ſuis ſe præſentem ſiſteret diſcipulis; ſi Petrum etiam, experiundi cauſſa, mari ad ſe accedere juſſerit: ſi Eliam quadraginta dierum iter per Judææ & Arabiæ deſerta mirabili prorſus ratione conficere voluerit; ſi Jonam balænæ viſceribus per ima maris incredibili prodigio vectum ubi viſum eſt expoſuerit; ſi Philippum Spiritus Domini rapuerit, ut inſueto hominibus more ex vicinis Hieroſolymæ locis repente transferetur Azothum, ibi & in finitimis urbibus prædicaturus Evangelium; cur incredibile nobis videatur, Deum ſimili prodigio Apoſtolos Apoſtolicoſve viros in Americam transvexiſſe, ut ipſa quoque, in univerſali iſta mundi per Evangelium illuminatione, tanti boni conſors redderetur? Non fruſtra ſane Jeſaiæ cecinerunt oracula *cap.* XI: 15. *Etiam devovebit Anathemati Jehova ſinum maris Ægyptii, & agitabit manum ſuam contra ipſum flumen, ea inſlante vento ipſius: percutiensque ipſum flumen per ſeptem fluenta, efficiet ut iter ea habeat calceis populus ſuus.*

XXVIII. *Epilogus.*

XXVIII. Quum itaque Evangelium Chriſti ubivis terrarum prædicatum iri priſcis proditum ſit oraculis; quum Chriſtus Apoſtolos juſſerit omnibus illud ſub cœlo mortalibus annunciare; quum Apoſtoli Domini mandatis obſequentiſſimi curſum illum ſuum ante Hieroſolymo-

ſolymorum deſtructionem abſolverint; quum Veteris Eccleſiæ Doctores incredibilem illam Evangelii per omnes orbis terrarum partes, quas ſol oriens vel occidens luſtrat, propagationem pia verborum pompa mirifice celebraverint; quum Hiſtoriæ monumenta eos nominatim laudent quibus auctoribus in utraque India ſalutaris doctrinæ ſermo auditus eſt, quum Apoſtolicæ prædicationis reliquiæ poſt multorum ſpiramenta ſeculorum a Luſitanis atque Hiſpanis in America repertæ ſint; quum denique omnes, quæ in contrarium moventur difficultates, commode e medio removeri poſſe demonſtratum ſit; quid reſtat niſi ut cauſſam hanc peroratam eſſe dicamus?

EXERCITATIO XIV.

Qua oſtenditur probari non poſſe, quod Evangelium per Apoſtolos AMERICANIS *prædicatum ſit.*

BREVIARIUM.

I. Continet Exercitatio hæc examen antegreſſæ. II. Quid Deo glorioſum ſit, non ex noſtro ſenſu, ſed ipſius conſilio arbitrandum eſt. III. Conſultum autem duxit, gratiam ſuam non omnibus ſimul, ſed nunc his, nunc illis nationibus offerre IV. Univerſaliſſimæ locutiones reſtrictionem tamen aliquam admittunt. V. Oracula de amplitudine regni Chriſti, ad Apoſtolorum ætatem arctare nefas eſt. VI. Nonnulla de ſerioribus agunt temporibus, ut Jeſ. XI: 9. *VII. Et Jeſ.* LIX: 21, 22. *ac Zach.* XIV: 9. *VIII. Ergo ex iis inferri non poteſt abſoluta Apoſtolicæ prædicationis univerſalitas. IX. Quam nec mandata Chriſti ad Apoſtolos arguunt. X. Quippe quæ ad eorum etiam ſucceſſores referenda ſunt. XI. Et Apoſtoli ſcriptis ſuis docturi ſunt ad noviſſimum diem. XII. Ipſi Hieroſolymis & in vicinia ſubſtiterunt. uſque ad Colloquium illud, de quo Act.* XV. *XIII. Quod multis annis poſt Chriſti reſurrectionem*

ctionem habitum fuit. XIV. Interim in longinquas terras profectos Apostolos inde Hierosolymam rediisse, ex sacris non liquet XV. Ecclesiastica de istis temporibus monumenta scatent fabulis. XVI. Ante excidium Hierosolymorum nondum Evangelium omnibus & singulis gentibus prædicatum erat. XVII. Quum Marcus Apostolos ubique prædicasse dicit, multa aut quævis loca intelligit sine exceptione. XVIII. Eodem sensu Paulus toto orbe Evangelium annunciatum scribit. XIX. Nec aliter exponi potest quod de celebrata in toto mundo Romanorum fide narrat. XX. Explicatur Rom. x: 17. *XXI. Respondetur ad Patrum dicta. XXII. Ex communi Dei φιλανθρωπίᾳ non licet inferre, quod omnibus simul gentibus prædicari debuerit Evangelium: XXIII. aut Americanis nominatim prædicatum sit per Apostolos. XXIV. Quæ de Apostolis orbem inter se terrarum partientibus anno Claudii 2. Christi* 44. *narrantur, palam fabulosa sunt. XXV. Uti & ea quæ a singulis patrata dicuntur. XXVI. Nominatim Thomæ apud Indos prædicatio. XXVII. Cui originem dedit alterius Thomæ multo recentioris historia. XXVIII. Ineptissime Thomas a Malabaribus ad Brasilienses transportatur. XXIX. Nusquam dicit Nicephorus, Matthæum apud Cannibalos prædicasse; & quæ dicit, ridicula sunt. XXX. Quæ de Veteris Christianismi reliquiis in America narrantur, fortasse ficta sunt. XXXI. Aut si vera, non sunt argumenta Christianismi. XXXII. Quædam eorum, aut vera aut ficta indicia pravæ superstitionis. XXXIII. Incognita veteribus America fuit. XXXIV. De Atlantide. XXXV. De Phœnicum navigationibus ex Bocharto & Salmasio. XXXVI. De Ophir, in Orientali potius India quærenda, XXXVII. quam in Occidentali. XXXVIII. Dicta quædam veterum amplius probare non possunt, quam ipsos de novo orbe aliquid audivisse vel suspicatos esse; quem tamen nemo Europæorum viderit. XXXIX. Bicipitum Aquilarum signa, & nummus Augusti, commentis recensenda sunt. XL. Cur vetus cum Americanis commercium tot seculis interruptum fuerit, caussa dici non potest. XLI. Pyxidis nauticæ usus priscis incognitus. XLII. Salomonis sapientiam eo pertinuisse, non liquet. XLIII. Ἡράκλεια λίθος non ab Hercule Tyrio, sed ab urbe Heraclea dictus. XLIV. Bocharti ad Fullerum observationes. XLV. Non constat Americam orbi nostro vel cohærere, vel proximare. XLVI. De miraculosis Apostolorum itineribus sacræ literæ nihil docent. XLVII. Epilogus. XLVIII. Solida & pia Voetii observatio.*

NUper-



NUperrima Exercitatione eorum exhibui ſententiam atque argumenta, qui pugnant Evangelium Jeſu Chriſti, ab Apoſtolis, viriſve Apoſtolicis, ita in toto prædicatum eſſe terrarum orbe, nullæ ut gentes remanſerint, ad quas non illius ſaltem fama penetraverit: ne Americanis quidem nationibus exceptis, & ignotis adhuc nobis, ſi qui ſint, terræ auſtralis incolis. Eam vero cauſſam ſic egi, ut non modo nihil conſilio omiſerim eorum, quæ ab aliis ei confirmandæ adducta eſſe deprehendi; ſed & omnia quanta potui arte exornaverim, & de meo addiderim non pauca, ut eo redderetur probabilior. Haut tamen diſſimulo, tanti mihi rationes iſtas non videri, ut animo paullo difficiliori adſenſum extorquere queant: multaque in contrarium obtendi poſſe, quibus earum vis plurimum infringatur. Idcirco operæ pretium exiſtimavi, totam eam diſputationem ad calculos revocare; ac ſingulorum argumentorum examen accuratiori judicio inſtituere.

I. Continet Exercitatio hæc examen integreſſa.

II. In eo ſane omnes rei Chriſtianæ ſtudioſi facile conſentiunt, nihil tam præclare de Divino erga genus humanum amore, de virtute ſatisfactionis ac meritorum Chriſti, de amplitudine gratiæ ac regni ipſius dici poſſe, quod non ab ipſa rei veritate plurimum ſuperetur. Modo illud obſervemus, cuncta ea quæ memoravimus, non earum quas nobis formavimus cogitationum modulo, ſed Divino conſilio dimetienda eſſe. Conſilium autem illud ſuo ipſe revelavit verbo: ex quo ſolo diſci poteſt, quibus, quo modo, quo tempore, hominibus, gratiam ſuam offerre conſtituerit. Non, ſi nobis fortaſſe glorioſius Deo & Chriſto videatur, ut omnibus, qui in Adamo perierunt hominibus, non modo impetretur per Chriſtum ſalus, ſed & impetrata applicetur per Chriſti Spiritum; vel ſaltem, ut omnes ſine diſcrimine gentes omni tempore per claram Evangelii prædicationem vocentur atque invitentur ad tantæ participationem felicitatis, mox profecto licebit ex eo inferre, quod iſta prorſus ratione ſeſe res habeat. Aliter enim Divinam judicaſſe ac diſpoſuiſſe ſapientiam, & ſacræ literæ docent, & eventu comprobatur. Atque hinc ſolum, non ex noſtris ratiocinationibus, de amplitudine & gloria regni Chriſti arbitrari fas eſt. Illud quippe glorioſiſſimum Deo & Chriſto ejus eſt, non quod nobis ita videtur; ſed quod ipſe conſtituit & facit.

II. Quid Deo glorioſum ſit, non ex noſtro ſenſu, ſed ipſius conſilio arbitrandum eſt.

III. Conſtituit autem gratiæ ſuæ communicationem non omnibus ſemper hominibus, neque ſimul offerre; ſed pro liberrimo ſuo delectu, certis quibuſdam gradibus & definitis temporum ſpiramentis. Idque non iis ſolum ſeculis, quæ Chriſti nativitatem, mortem & in

III. Conſultum autem duxit, gratiam ſuam non

omnibus simul, sed nunc his, nunc illis nationibus offerre.

cœlum evectionem, atque descensum Sancti Spiritus in Apostolos, antecesserunt; sed & ea ætate quæ isthæc omnia consecuta est. Sua cuique populo designata est a Numine tempestas. Nunc hic, nunc illic circumfertur, & videndam se exhibet Arca sacratissimi fœderis. Evangelii fama crescit occulto velut arbor ævo: donec euntibus ordine fatis ad extremos orbis habitabilis terminos diffundatur. Non intercedo equidem, quo minus locutionem istam in omni sua interpreteris latitudine; dummodo id mihi des, comprehendi quoque ea omnem temporis istius longitudinem, qua duraturum in terris Christi regnum est. Ea mente, ut non veniat consummatio seculorum & rerum omnium finis; donec Christus Evangelii sui radiis omnibus adfulserit nationibus.

IV. *Universalissimæ locutiones restrictionem tamen aliquam admittunt.*

IV. Hæc observatio clavis vicem præstabit, ad eruendum verum sensum eorum oraculorum Propheticorum, quibus de hac re agitur. Nimirum haut semper urgenda nimis locutionis universalitas est, quam subjecta sæpe numero materia suis circumscribit limitibus. *Totius terræ reges* Salomonis sapientiam quæsivisse: I. Reg. X: 24. cum *omnibus terræ regnis quæ in superficie telluris sunt* scortaturam esse Tyrum: Jes. XXIII: 17. Nebucadnetzari dominatum a Deo datum *in quoscunque locos ubi habitant filii hominum*: Dan. II: 38. surrecturumque post ipsum regnum alterum, quod dominaturum sit *in tota terra*: ibid. vers. 39. Nebucadnetzarem & Darium edicta sua inscripsisse *omnibus populis, nationibus ac linguis, quæ habitant in tota terra*: Dan. IV: 1. & VI: 26. Itemque ejusdem Nebucadnetzaris altitudinem ita crevisse, ut pervenerit *ad cœlum, & dominium ipsius ad finem terræ*: Dan. IV: 22. Rursus venturum esse Jehovam cum instrumentis indignationis suæ *e terra longinqua ab extremitate cœlorum*, ad destruendum Nebucadnezaris regnum: Jes. XIII: 5. eundem denique Jehovam dispersisse populum Israëliticum in *omnes populos ab extremitate terræ una usque ad alteram*: Deut. XXVIII: 64. omnia hæc, & quæ de hoc genere propemodum infinita sunt, frequenter in Scripturis invenias. Quæ nemo, quantumvis liberalis interpres, sine restrictione aliqua exponat. Nemo certe ad Americanos & terræ Australis incolas temere extendat. Quid ni de simili restrictione cogitare fas est, circa ea præcipue oracula, quibus regni Christi amplitudo describitur, qualis ea initio prædicationis Evangelicæ futura erat? Non enim una aliqua unius seculi parte omnem suam amplitudinem consecuturum erat Christi regnum: & perperam admodum cuncta, quæ de ea prædicantur, ad Apostolorum ætatem arctes.

V. Pro-

V. Processus ille, labentibus seculis consummandus, eleganter delineatur Ps. LXXII: 8 & seq. *Dominabitur a mari ad mare, & a fluvio usque ad terminos terræ.* Id est, per totam terram Israëlis. Locutione desumta ex Exod. XXIII: 31. ubi limites Israëlitidis assignantur. *A mari rubro usque ad mare Philistæum, & a deserto usque ad Euphratem.* Et Deut. XI: 24. *A deserto & Libano, a fluvio Euphrate usque ad mare postremum;* h. e. mare salis. Significatur itaque ex magnorum Interpretum sententia, quod Christus per Apostolos suos, per omnes tribus, terram sorte patribus datam & eorum imperio assignatam, habitantes & implentes, regnum suum extensurus esset. Et sane *Regi, Filio Regis*, primum subjici debuit τὸ δωδεκάφυλον, duodecim tribus latissime terram patribus datam inhabitantes. Hinc extendi ad gentes, easque non cultas solum, sed & Barbaras, etiam deserticolas, de quibus vers. 9. Tandem a gentibus ad Reges gentium transitur, pariter Christo subjiciendos. vers. 10, 11. *Reges Tarsis & insularum munus referent; Reges Scheba & Seba donum offerent. Et adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes servient ipsi.* Quod, quomodo Apostolorum ætate impletum sit, fateor me nondum intelligere. Quarum enim tunc terrarum & insularum Reges adoraverunt Christum?

V. Oracula de amplitudine regni Christi, ad Apostolorum ætatem arctare nefas est.

VI. Verum & alia aliquammulta exstant vaticinia, quæ non de Apostolorum ætate, sed de serioribus longe loquuntur seculis. Tale est illud Jes. XI: 9. Attendenda nimirum prophetiæ series est; quæ hoc se modo habet. Initio capitis prædicitur salutifera Christi Domini nativitas ex familia Davidis multis cladibus attrita, & ubertas quiescentis in ipsum Spiritus, & judicium ad piorum vindictam, impiorum deletionem: quo pertinet novissima Israëliticæ politiæ per Romanos eversio. Consequitur vocatio gentium, & incredibilis illa rerum immutatio, quæ *Constantino M.* imperante contigit. Tunc enim cum agno lupus, pardus cum hædo cohabitavit, unumque pascuum vaccam & ursum habuit. Mundus nuper horrens, & furens contra Christianos, sub *Diocletiano, Maximiano, Galerio, Maxentio, Licinio*, usque adeo se in omnia alia conversum miratus est, ut, qui modo ferre non poterant Ecclesiam apud se peregrinantem, ii nunc Ecclesiæ cohabitare gauderent, desertaque superstitione patria ipsi quoque Christiani vocari vellent. Innuitur etiam ex quorundam interpretatione, quam ego nunc neque probare, neque refellere habeo, exortus *Antichristi* sub emblemate *Aspidis* & *Basilisci*, illiusque detectio ac pudefactio, quum puer lactens ludet apud foramen Aspidis, & ablactatus manum suam projiciet in cavernam Basilisci; id

VI. Nonnullæ de serioribus agunt temporibus, ut Jes. XI: 9.

id est, doctores mundo contemtibiles Antichristianæ doctrinæ nugas exsibilabunt atque impugnabunt. Tunc demum sequentur ea tempora, quibus Ecclesia Christiana *sancti montis* instar habebit; ac *terra cognitionis Jehovæ plena* erit: quibus *Radix Isai stabit in signum populorum*, hoc est, Messias evidentissimis demonstratus argumentis, quibuscunque populis pro pharo ac turri receptus erit: quibus denique *quies ipsius futura est gloriosa*, dum in amplissimo Ecclesiæ territorio pacate regnabit. Hac serie multum ab Apostolorum ævo abducimur.

VII. *Et Jes.* LIX: 21, 22. *ac Zach.* XIV: 9.

VII. Ejusdem generis & alterum illud *Jesaiæ* est cap. LIX: 21, 22. Cujus pericopæ non meliorem certe Paulo nacturi sumus interpretem: is vero ad eam Judæorum conversionem diserte refert, quæ obdurationem istam, cui nunc tot secula obnoxii sunt, consecutura est; & quam introitus plenitudinis gentium antecedet, aut comitabitur. Rom. XI: 25, 26. Neque alio referendum arbitror *Zachariæ* oraculum cap. XIV: 9. ubi promittitur regnum Dei non ubique solum prædicandum, sed & agnoscendum ac recipiendum esse; sic ut, abolito falsorum numinum cultu, unus Jehova totius terræ rex, unus Jehova verus Deus hominumque salus esse credatur. Nomen quoque ejus unum sit: una fidei professio, una religionis forma, sine amaris & acerbis disputationibus, sine sectis & schismatibus. Qualem Christianismi speciem omnes pii ardentibus quidem votis exoptant: at nullius mortalis oculi in hunc usque diem conspexerunt.

VIII. *Ergo ex iis inferri non potest absoluta Apostolicæ prædicationis universalitas.*

VIII. Quandoquidem ergo ea, quæ priscis oraculis promittitur prædicationis Evangelicæ amplitudo, universalissimis etiam loquendi formulis omnem restrictionem non excludit; neque ad Apostolorum ætatem arctari potest, sed per omnia Ecclesiæ in terris secula diffunditur: quandoquidem etiam nonnulla istorum oraculorum ad novissima tempora pertinent: concludo, debili admodum, vel nullo potius argumento, ex iis inferri, tam universalem per Apostolos Evangelii prædicationem, ut ne novus quidem & ignotus mortalibus orbis excipiatur.

IX. *Quam nec mandata Christi ad Apostolos arguunt.*

IX. Nunc ea Domini mandata excutiamus, quibus Apostolos per *universum mundum* proficisci jussit, ut in *omnibus gentibus* formarent sibi discipulos, & Evangelium prædicarent *omni creaturæ*, usque ad *ultimas terras*. Quorum verborum mens ut recte intelligatur, attendendum est, arctis olim cancellis inclusum fuisse Apostolorum ministerium: *In viam gentium*, inquiebat Dominus, *ne abieritis, & in urbem Samaritanorum ne ingrediamini: sed proficiscimini potius ad oves perditas domus Israëlis.* Mat. X: 5, 6. Neque profecto mirum id ipsis videri poterat, quum ipse de se testaretur Dominus, non esse se

missum

missum nisi *ad oves perditas domus Israëlis, neque bonum esse ut intervertatur panis liberorum, objiciaturque catellis.* Mat. xv: 24, 26. Verum nunc parta gentium omnium salute, suscitatoque ex mortuis Jesu, aliis instruendi mandatis Apostoli erant. Itaque sublato discrimine, gentes Christus Judæis æquat, & utrosque promiscue in societatem fœderis admittit: diruta maceria Evangelii ministros procul exire jubet, ad spargendam per omnes mundi plagas salutis doctrinam. Ea amplitudo, si cum antegressa restrictione comparetur, tanta profecto est, ut vix satis magnifica oratione prædicari posse videatur; etiamsi fortassis necdum omnes sine ulla exceptione mundi regiones animo complectaris. Talibus enim locutionibus ὑπερβολὰς frequentissime subesse in liquida modo ponemus luce. Et quis est qui hyperbolem non agnoscat Marc. xvi: 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*? quam nî morose nimis urgeat *Johannes Gerhardi*, consequetur Apostolos obligatos fuisse, omnibus non solum nationibus, sed & singulatim omnibus hominibus, annunciare verbum gratiæ.

X. Cæterum & illud observandum, ita hæc Apostolis esse dicta, ut ad eorum quoque in Evangelii prædicatione successores referenda sint: quorum intuitu pollicitus est Jesus, *se iiscum fore omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Apostolis ergo tanti operis fundamenta jacienda erant, quibus alii inædificarent. Quamobrem morem Domino exactissime gessisse censendi sunt, si quanta fieri potuit alacritate ingens illud stadium ingressi, quousque fata sivere, perrexerint: quæ restabant aliis percurrenda committentes.

X. *Quippe quæ ad eorum etiam successores referenda sunt.*

XI. Denique notandum est, Apostolos non viva solum voce, sed & scriptis docuisse; atque ita etiamnum docere, & porro docturos ad novissimum diem. Quæcunque itaque gentes per quoscunque Evangelii ministros ad Christum adductæ sunt, eæ in discipulatum Apostolorum concessere, eosque ut principes post Christum magistros venerantur. Ex quibus perspicuum esse arbitror, ea Domini ad Apostolos mandata non inferre universalissimam istam Evangelii per omnes omnino gentes prædicationem ab ipsis Apostolis peractam.

X. *Et Apostoli scriptis suis docturi sunt ad novissimum diem.*

XII. Quod manifestius evadet, si attenderimus, quo modo Apostoli mentem Domini intellexerint, & quo ordine eam exsecuti sint. Post acceptum Spiritum Sanctum aliquammultis annis manserunt Hierosolymis, ibi atque in vicinia colligentes Christo numerosam Ecclesiam: adeo de invitandis gentibus nihil cogitantes, ut ne per cætera quidem Judææ oppida se diffunderent; donec sæviente per Saulum persecutione, Hierosolymitanorum aliqui avitas sedes re-

XII. *Ipsi Hierosolymis & in vicinia subsiterunt, usque ad Colloquium illud, de quo Act. xv.*

linquere cogerentur. Hac demum occasione factum est, ut dispersi isti peragrarent *Judæam*, Evangelizantes sermonem Dei. Inter hos *Philippus Samaritanis* primus Christum annunciat, plurimos ad fidem conversos baptizat, ipsumque adeo *Simonem Magum*. Hæc quum intellexissent qui hactenus Hierosolymis manserant Apostoli, *Petrum* & *Johannem* eo ablegant, qui conversos in fide confirmarent, & manuum impositione dona Spiritus Sancti in eos conferrent. Ministerio isto peracto, dum Hierosolymam repetunt Apostoli, in multis *Samaritanorum* pagis & oppidulis propter viam Christum prædicant. Act. VIII. Postea restituta Ecclesiis pace, fideles confirmandi gratia lustraturus, Joppen advenit: illic dum hæret, a *Cornelio* Centurione Divino jussu *Cæsaream* evocatus, primus eorum est qui gentili alicui Evangelium prædicaverit. Quod nec ipse facere sustinuit, nisi ex diserto Dei mandato: & quum fecisset, Apostoli, qui Hierosolymis hactenus substiterant, mirati sunt; alii vero religionis patriæ fervidi Zelotæ, vehementer improbarunt; lite ob eam rem Petro intentata. Adeo hactenus non attenderant, Evangelium omnibus gentibus prædicandum esse. Unico autem hoc exemplo contenti acquieverunt. Nam qui dispersi erant ex afflictione orta ob Stephanum, transierunt quidem usque in *Phœniciam*, & *Cyprum* & *Antiochiam*, at *nemini sermonem Dei locuti sunt, nisi* SOLIS JUDÆIS. Act. XI: 19. Primi qui Græcis Evangelium publice prædicasse narrantur, *Cyprii* quidam & *Cyrenenses* erant, *quibuscum manus Domini fuit, sic ut multus numerus apud Antiochiam fide ipsis habita ad Dominum conversus sit.* Ib. vers. 20, 21. Tanti ergo operis duces atque auctores, non Apostoli, qui Hierosolymis hactenus commorabantur, sed aliqui, ut videtur, e plebe fideles fuerunt: quibus deinceps ab Hierosolymitana Ecclesia, ad operis feliciter inchoati prosecutionem, adjunctus est *Barnabas*: cui & *Paulus* accessit. Is, quantum ex sacra historia colligere licet, Apostolorum omnium primus fuit, qui publice gentibus annunciavit Jesum, tum maxime postquam *Antiocheni* in *Pisidia* Judæi præfracto animo Evangelium sprevissent. Act. XIII: 46. Interim occasione gentilium, in Christum, at sine circumcisionis susceptione, credentium, lis Paulo ac Barnabæ movetur; ab Hierosolymitana Ecclesia, & qui illi præerant Apostolis ac Presbyteris, decidenda. Ad hoc ergo tempus usque Apostoli Hierosolymis substiterunt, (nisi quod ad vicinas provincias, rebus ita exigentibus, quandoque excurrerent) si non omnes, at certe præcipui eorum, Petrus, Jacobus & Johannes, quos celebri isti Colloquio interfuisse, constat Act. XV: 4. &c.

XIII.

XIII. Quod Colloquium quando habitum fuerit, varie ab Interpretibus disputatur. Et quandoquidem temporis illius cognitio, saltem ἐν πλάτει, ad institutum nostrum valde facit, non abs re erit paucis de eo agere. Plerique Theologorum & Chronologorum facile consentiunt, iter Pauli Hierosolymitanum ad Colloquium cum Apostolis, quod Lucas describit, Act. xv. idem esse cum eo quod Paulus laudat Gal. II:I. Id autem institutum esse testatur XIV annis a certo temporis termino. Ubi vero figendus sit iste terminus, in incerto est. *Ludovicus Cappellus*, vir præclare de his literis meritus, contendit, XIV istos annos inchoandos esse a Christi passione & initio Ecclesiæ Christianæ. Quod si cui durum videatur, malitque eos annos numerare a fine triennii illius, cujus facta est mentio Gal. I: 18. (quod vocabulum ἔπειτα id videatur omnino suadere, ac veluti exigere) conjectat *Cappellus* forte legendum esse τεσσάρων ἐτῶν, pro δεκατεσσάρων, omisso, δέκα: & tunc putat rem expeditam fore ac planam: quatuor enim revera annos esse ab exacto illo triennio usque ad Concilium Hierosolymitanum. Sic ille in *Append. ad Historiam Apostol.* Verum in ista exputatione paucos sibi consentientes habet: minime omnium in illa lectionis mutatione, nulla codicum, nulla versionum fide; quod profecto sobriæ Critices modum excedit. Diligentissime totam hanc rem excussit ὁ πάνυ *Spanhemius* in *Disquisitione Chronologica de tempore conversionis Pauli.* Res huc redit: Stephani martyrium contigisse quinto fere a cruce Christi anno. Rursum, anni minimum unius decursum, si non verius biennii, (quale & *Ludovicus Cappellus* post *Danæum* aliosque statuit) a cæde Stephani ad Sauli profectionem Damascenam, illiusque conversionem, supponendum esse. Exacto a conversione triennio factum esse iter illud de quo Gal. I:18. Ab eadem conversione (neque enim alia illustrior Paulo epocha est) inchoandos esse XIV illos annos, de quibus Gal. II: I. Ex quibus omnibus, judiciose adstructis, subductis calculis hæc conficitur. A cruce Christi usque ad Stephani martyrium anni V. A martyrio Stephani usque ad conversionem Pauli anni II. A conversione Pauli ad Concilium Hierosolymitanum anni XIV. Habes annos XXI. At non desunt Theologi præstantissimi, in quibus est *Usserius Chron. T. 2. p. 659* qui XIV istos annos inchoant non a conversione Pauli, sed priori itinere Hierosolymitano, quod triennio conversionem consecutum est; & sic Concilium Hierosolymitanum incideret in annum a conversione Pauli septimum decimum, a passione Domini vicesimum quartum. Desino hæc pressius urgere: liber per me suus cuique maneat calculus. Paucorum annorum discrepantia parum ad hanc rem facit.

XIII. Quod multis annis post Christi resurrectionem habitum fuit.

facit. Hoc ſolum nunc attendi velim, credibilene ſit, Apoſtolos, ſi hoc ſibi negotii datum eſſe exiſtimaſſent, ut intra quadraginta plus minus annos, omnes noti ignotique orbis plagas, continentem & inſulas, Evangelii prædicatione percurrerent, tam lente tantam rem inchoaturos, tantamque tantilli temporis partem circa Hieroſolymam vicinaſque regiones hæſuros fuiſſe?

XIV. Interim in longinquas terras profectos Apoſtolos inde Hieroſolymam rediiſſe, ex ſacris non liquet.

XIV. Enimvero non tam hebetata oculorum acie ſum, ut non prævideam obſervationi huic opponi poſſe, Apoſtolos eo quidem temporis articulo Hieroſolymis, forte, aut ob cauſſas nobis incognitas, fuiſſe; at non ex eo conſequi, quod ordinariam ſtatamque rerum ſuarum ſedem ibi habuerint: longe probabilius eſſe, quod mandato Domini obſecuturi quaquaverſum ſe diffuderint: non quidem in ſacra Apoſtolorum hiſtoria a Luca id narrari; ſed in Eccleſiaſticis monumentis plurima illius rei exſtare argumenta. Verum nec mihi deeſt quod reſpondeam. Ex iis quæ modo ſunt memorata liquido conſtat, paſſim Hieroſolymis Apoſtolos fuiſſe: ibi concilia in commune habita, ibi cauſſas Eccleſiarum diſceptatas: inde miſſos qui fideles aut facerent aut firmarent, eo rediiſſe actionum & ſucceſſuum redderituros rationem. Hæc legimus. At tam longinquis ac diuturnis itineribus alio profectos Apoſtolos, ex diſſitis oris Hieroſolyma identidem repetiiſſe, non legimus; neque adeo veri ſimile eſt. Quorſum enim illa frequens in Judæam reditio, hominibus occupatiſſimis, & alibi ſemper invenientibus quod agerent?

XV. Eccleſiaſtica de iſtis temporibus monumenta ſcatens fabulis.

XV. De Eccleſiaſticis monumentis mox pluribus dicendum erit: ſuffecerit nunc id monuiſſe quod res eſt, adeo ea eſſe varia, diſſona, & conſequenter incerta, ut tuto fidem iis adhibere non liceat: addo, adeo quandoque abſurda, ut fidem ſibi ipſa abrogent. Uno exemplo rem clarabo, ex quo de cæteris judicium cordatus Lector ferat. Jacobum Zebedæi filium, fratrem Johannis, cum cæteris Apoſtolis, Hieroſolymis ordinario commoratum eſſe, donec ab Herode interimeretur gladio, evidenter ſatis ſacra Lucæ hiſtoria docet. Quid Eccleſiaſtici ſcriptores? Eundem Jacobum *Hiſpaniæ & Occidentalium locorum populis Evangelium prædicaſſe, & in occaſum mundi lucem prædicationis infudiſſe*, tradit Iſidorus in *libr. de Patrib. utrius. Teſt. cap.* LXXII. Flavius Lucius Dexter, aut qui ejus larvam induit, *in Chron. ad annum Chriſti* XLI. ſic commentatur, an comminiſcitur? *Rediens Jacobus Gallias inviſit, ac Britannias, ac Venetiarum oppida, ubi prædicat: ac Hieroſolymam revertitur, de rebus graviſſimis conſulturus Beatam Virginem.* O jecur hominis! Vincentius Bellovacenſis *in Speculo Hiſtoriali lib.* VIII. *cap.* VII. hæc tradit: *Apoſtolis diverſa Coſmi climata adeun-*

adeuntibus, nutu Dei Jacobus Hiberniæ oris appulsus, verbum Dei prædicavit intrepidus: ubi septem discipulos elegisse fertur... Quumque dies immineret supremus, Hierosolymam cum iis perrexit, ibique martyrium subiit. Est qui addat, *Zebedæum quoque, Jacobi hujus patrem, sub Aristobuli nomine, Anglorum Episcopum fuisse, ibique martyrem occubuisse, secundo anno Imperatoris Neronis sævissimi.* Vide sis Usser. *De Britan. Eccles. Antiq. p.* 5. *&* 9. Imo non vivum solum, sed & mortuum Jacobum, Hierosolymis in Hispaniam exturbant, incredibili portento isthuc devehendum. Quippe, navi post mortem impositus a Ctesiphone sociisque Episcopis, sex dierum spatio, sine Navarcho, sine acu magnetica, sola cadaveris directione eo navigasse dicitur, & corpus quasi sua sponte in terram demissum, mox in aëre sublatum, avectumque in locum duobus milliaribus dissitum, ubi sepultum fuerit; Ctesiphone cum sociis ab Angelo ad illud deductis. Quæ qui vult apud Surium videre potest *ad* xxv. *Jul.* I nunc, Lector, & fidem, si lubet, tuam Ecclesiasticarum rerum scriptoribus mancipa. Mihi, ne quid diffitear, tantum credulitatis domi non est. Sed de his postea latius. Nunc ad Scripturam revertamur.

XVI. Quod cursum istum Apostolorum absolvendum fuisse ante rerum Judaicarum finem, prædixit Dominus, novam iterum observationem nobis suggerit. In eo sane facile Viris Doctissimis assentior, per *finem* Mat. XXIV: 14. non consummationem seculorum, sed Politiæ Judaicæ, intelligendum esse; hoc enim adducta argumenta probant. Verum ea brevitas temporis, si cum iis, quæ modo a nobis annotata sunt, conferatur, satis evincit, cum restrictione aliqua sumendum esse, quod de Evangelio in toto terrarum orbe, ut sit testimonium omnibus gentibus, prædicando testatur Dominus. Obtendi quidem Pauli zelus solet, qui aliquammultis ante mortem annis ab Hierosolyma & circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum implevisse se prædicandi Evangelii Christi munus testatur. Rom. xv: 19. Verum id caussæ isti adversatur potius, quam ut eam juvet. Nam quantula ea portio est respectu universi? Et quum ipse *plus cæteris laboravit*, 1. Cor. xv: 10. si singulis tantundem terrarum assignetur, multum adhuc supererit. Quis ergo horum est sensus verborum? Hoc vult Dominus, non ante exscindendam rebellem nationem Judaicam, quam Evangelii fama, late per orbem sparsa, & Judæos ubivis fere terrarum habitanteis, & genteis ipsas maximo numero (in hos enim duos populos totus terrarum orbis dispesci solet) convicerit de intaminata Dei justitia in tam tremendo dilecti olim populi exitio. Nullum autem tunc temporis terræ angulum super-

XVI. Ante excidium Hierosolymorum nondum Evangelium omnibus & singulis gentibus prædicatum erat.

fuisse quem non perreptaverint Apostoli, quis ulla veri specie asseveraverit? Historiis omnibus multarum gentium vocationem ad longe seriora tempora referentibus.

XVIII. *Quum Marcus Apostolos ubique prædicasse dicit, multa aut quævis loca intelligit sine discrimine, non omnia sine exceptione.*

XVII. Verum, inquiat aliquis, quid tu nunc historias nobis memoras, quum ipsa Apostolorum dicta habeas, historiis omnibus longe potiora? Marcum audi, *Apostoli profecti prædicarunt* UBIQUE. Marc. XVI: 20. Paulum audi, *sermonem Evangelicum pervenisse in* TOTUM MUNDUM: *Evangelium prædicatum esse* OMNI CREATURÆ *quæ sub cælo est*. Col. I: 6, 23. *Fidem Romanorum annunciatum fuisse* TOTO MUNDO. Rom. I: 8. Audio sane: sed & tu sanam interpretationem audi, ex re ipsa petitam. Ubique, tam in communi hominum sermone, quam in sacris literis, quævis sæpe loca notat sine discrimine; non omnia & singula sine exceptione: quandoque etiam ad limitatum aliquem terrarum tractum refertur, non ad orbis totius amplitudinem extenditur. Quando Asiatici illi Judæi turbam adversus Paulum concitantes clamabant: *Viri Israëlitæ, succurrite: hic est ille homo qui adversus populum & legem & locum hunc* OMNES UBIQUE *docet*: Act. XXI: 28. non, opinor, volebant unum Paulum omnes orbis plagas jam tum peragrasse. Quando Lucas narrat, Apostolos, a Christo missos, ut prædicarent regnum Dei, *obivisse singulos vicos, Evangelizantes & sanantes morbos* UBIQUE: Luc. IX: 6. certum est eos pedem Judæa non extulisse: neque peccaturum puto, qui existimet non obligatum se esse ut credat nullum omnino vicum ab Apostolis esse præteritum. Paulus quum Corinthiis scribit, *Timotheum ipsis in memoriam revocaturum quæ sint viæ ipsius in Christo, sicut* UBIQUE *in omnibus Ecclesiis docet* I. Cor. IV: 17. non alias Ecclesias intelligit, nisi quas suæ curæ commiserat Divina Providentia. Idem Paulus Athenis prædicans, *Deum dissimulatis connivendo ignorantiæ temporibus omnibus nunc* UBIQUE *hominibus mandare ut resipiscant*; Act. XVII: 30. non ignorabat utique, nondum tam suum quam reliquorum Apostolorum cursum consummatum esse; sed multas adhuc exstare regiones in quas inferendum ipsis esset Evangelium. Quid itaque proclivius est, quam ut ad eundem modum Marci ῥῆσιν interpretemur, Apostolos *ubique* profectos esse, id est, non ut olim arctis unius terræ limitibus circumscriptos per quasvis sese sine discrimine nationes diffudisse? Nam nullas orbis plagas, nullas insulas fuisse, quas non ipsi adiverint Apostoli, quis a se impetrare potest ut credat? Præsertim quum certum sit, suos Apostolis συνεργὺς fuisse, ea suppleturos quæ a tam paucis absolvi non poterant.

XVIII.

XVIII. Neque urgenda premendave nimis Pauli verba sunt. Non enim quotiescunque *totum orbem* legimus, toties de cunctis ejus partibus singulatim cogitare fas est. Quod adeo ex scripturis est manifestum, ut probatione non indigeat. Expende duntaxat paucula aliquot loca. Act. XI: 28. Agabus significavit per Spiritum *famem magnam futuram in* TOTO TERRARUM ORBE. Et cap. XVII: 6. *Isti qui* ORBIS TERRARUM *statum subverterunt, etiam hic sunt.* Rursus cap. XXIV: 5. movet seditionem *omnibus Judæis per* ORBEM TERRARUM. Denique cap. II: 5. *Erant Hierosolymis habitantes Judæi, viri religiosi ex* OMNI NATIONE EORUM QUI SUB COELO SUNT. Supersedeo exscribere plura. Quis enim finis? Satis hinc liquet, hisce ac similibus locutionibus denotari duntaxat multitudinem aliquam regionum ac populorum, notabilem noti orbis partem. Unde conficitur, eadem significatione exponi posse, quod de Evangelio *per totum mundum*, & *omni quæ sub cælo est creaturæ*, prædicato, Colossensibus scribit Apostolus. Addo, non posse exponi aliter. Quod ut omnibus pateat, attendendum est quo tempore hanc Colossensibus Epistolam Apostolus inscripserit. Roma ex vinculis datam esse constat ex cap. IV: 3. & 18. Vincula Pauli Romana fuere gemina; priora, ex quibus liberatus est; & posteriora, quæ non nisi morte finierunt. Ad priora pertinet hujus Epistolæ scriptio: quam *Ludovicus Cappellus* ad annum Christi LVI. *Neronis* III. *Ligtfootus* ad annum Christi LX. *Neronis* VI refert. Uter rectius, non vacat nunc inquirere; modo id habeamus, quod probat uterque, Paulum, post Epistolæ hujus scriptionem vinculis solutum, præstitutum sibi curriculum alacriter, ut solebat, prosecutum esse. Ad quod ipsi sex admodum annos restitisse sic conficit *Cappellus*. Si verum est quod vulgo traditur, Paulum martyrio affectum fuisse, quum Nero post incensam Romam, ut eam a se amoliretur infamiam, Christianos incendii istius insimulatos exquisitissimis subjecit cruciatibus; certum est ex Tacito incensam fuisse Romam *Lecanio Basso* & *Licinio Crasso Coss.* hoc est, ut ex fastis liquere potest, anno *Neronis* X. Porro vinculis prioribus Romæ solutus est Paulus sub finem anni IV Neronis. Itaque postrema Pauli peragratio fuerit annorum circiter sex: nempe a fine anni IV Neronis usque ad finem X, vel initium XI: annum autem æræ Christi receptæ LXIV, vel LXV. Jam vero si tot anni, & sume, si lubet, duplo pauciores, Paulo adhuc restiterint, credibilene est nullas ipsum adiisse regiones quibus inferenda Evangelii lux erat? Occidentem tunc prædicando Evangelio peragrasse, Veterum plerique tradidere. Quod quidem suo ego loco relinquo; modo id obtineam,

XVIII. Eodem sensu Paulus toto orbe Evangelium annunciatum scribit.

quod res ipsa loquitur, si post scriptam ad Colossenses Epistolam novas regiones Evangelii luce Paulus illustraverit, non posse ea, de quibus agimus dicta, tanta latitudine exponi, nulla ut pars orbis excipiatur.

XIX. *Nec aliter exponi potest quod de celebrata in toto mundo Romanorum fide narrat.*

XIX. Eodem procul dubio sensu intelligendum est quod de *Romanorum* fide *annunciata in toto mundo* scribitur Rom. 1: 8. Cui addi potest simile testimonium de fide *Thessalonicensium*, quæ *in omnem locum dimanaverit*. 1. Thes. 1: 8. Neque enim *Romanorum* nomen, multo minus *Thessalonicensium*, omnibus mundi nationibus cognitum erat, nedum ut de fide eorum quidquam haberent perspectum. Neque ipsi Apostoli, si qui, ut volunt, ad *Tataros* & *Indos* penetraverint, neque *Thomas*, si apud *Malabaras* aut *Mexicanos* prædicaverit, simul iis narravit ut *Romani* fideles, ut *Thessalonicenses* valerent, & quis Ecclesiæ ipsorum status esset. Perspicuum est, *totum mundum* Paulo hic notare eas orbis partes quæ Imperio Romano suberant, uti & Luc. 11: 1. Quum enim Roma tot gentium caput esset, quæ undique eo confluebant, latere non poterat quod illic gerebatur. Et, ut judiciose annotavit *Grotius*, magno cum gaudio Provincialium acceptus fuit ille nuncius, etiam Romæ, in capite Imperii, esse qui eandem fidem profiterentur. Idem de Thessalonicensibus tenendum. Multi ex Thessalonica mercatores per omnem Græciam negotiabantur: dehinc fama latius se spargebat, ut passim & ubique, in illis nimirum Provinciis, celebris istius Ecclesiæ fides esset. Similes locutiones eadem mente apud omnes inveniuntur auctores. Grotius Philonem laudat de Mose dicentem: τῶν νόμων τὸ κλέος ὃς ἀπολέλοιπε διὰ πάσης τῆς οἰκουμένης ἄχρι καὶ τῶν τῆς γῆς τερμάτων ἔφθακεν. *Legum quas reliquit gloria per totum orbem habitabilem, usque ad terræ terminos dimanavit.* Et Clementem de Paulo, δικαιοσύνην διδάξαι ὅλον τὸν κόσμον. Basilium etiam Veteres celebrarunt, ut τὸν τῆς οἰκουμένης διδάσκαλον καὶ φωστῆρα. At quid manifestis immoror?

XX. *Explicatur Rom. x: 17.*

XX. Eo properemus, ubi caussæ suæ arcem viri eruditi collocant: nimirum Rom. x: 17. *In omnem terram exivit sonus eorum* &c. At ne hic quidem tam firmum, quam sperant, præsidium inveniunt. Non dicam nunc præstantissimos Scripturarum Interpretes inveniri, qui probabili ratione contendunt, ea Pauli verba non de Evangelii prædicatione, sed de naturæ institutione, intelligenda esse. Non dicam esse, qui de Evangelii quidem prædicatione exponunt, sed quæ Judæis facta sit, per omnem terram dispersis. Dabo de Evangelio gentibus prædicato agi, & prædicationis istius amplitudinem iis describi verbis, quæ, a Davide de universali cœli institutione dicta,

dicta, suo instituto accommodavit Apostolus. Nego tamen eandem utriusque latitudinem animo suo concepisse, vel verbis istis exprimere voluisse. Non enim ea allegavit ut argumentum quo aliquid probare intendit; sed animi sui sententiam eleganti sermone exposuit. Enimvero Davidis verbis utitur, non citandi animo, sed tanquam suis, ideoque non nisi suo sensu intelligendis. Idcirco non debet hic urgeri quod David de cœlo dixit, ut idem de Evangelio eadem mente dicatur. Sed considerandum unice est, quid res ferat, & quem sensum ea verba Evangelio applicata mentibus Romanorum ingenerare potuerint. Certe, quando hæc ipsis scribebatur Epistola, neque Paulus neque alii Apostoli propositum sibi stadium currendo absolverant: non pauca restabant antequam ad metam pervenissent. Atque hæc sola consideratio sufficit ad probandum, quod quæ de Evangelio ad terminos terræ jam tum prædicato narrantur, non ita citra modum ac mensuram ullam protrahenda sint. Non enim ultra terminos terrarum, extra anni solisque vias, sunt eæ regiones, quas post scriptam hanc Epistolam Apostoli adierunt.

XXI. Respondetur ad Patrum dicta.

XXI. Atque ita nunc iis defuncti sumus testimoniis quæ ex sacris allegari solent voluminibus. Ad Patrum dicta tria hæc observari velim. I. Plerorumpue ex iis stilum, pro genio seculi, declamatorium, grandiloquum, ampullatum, & hyperbolis turgidum esse, quibus in hoc quoque negotio non pepercerunt; & quas iniquum esset sine indulgentia aliqua ad rei veritatem exigere. II. Non præcise iis Patrum rhetoricationibus exponi, quid ab ipsis Apostolis primo nascentis Christianismi seculo, ante casum Hierosolymæ, præstitum sit; sed quæ labentibus temporibus sua ætate Ecclesiæ Christianæ facies fuerit. Quam Apostolis merito imputant: quippe quorum doctrinâ, scriptis comprehensa, & a successoribus prædicata, tanta rerum mutatio inducta sit. III. Quantamcunque regno Christi amplitudinem tribuant, manere tamen semper intra noti tunc orbis terminos: nihilque omnino dicere quod vel suspicionem earum, de quibus nunc disputamus, regionum ingerat: idcirco ex omnibus hisce testimoniis pro isthac caussa inferri nihil posse.

XXII. Ex communi Dei φιλανθρωπίᾳ non licet inferre, quod omnibus simul

XXII. Fateor equidem prædicati tot gentibus Evangelii unicam esse caussam incredibilem illum Dei erga humanum genus amorem; sed nego fas nobis esse ex isthoc Dei amore suffragii nostri prærogativa determinare quid singulis gentibus omni tempore præstare debeat. Suo id relictum arbitrio sibi reservavit Deus, eventu manifestandum: *μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις.* 1. Tim. II: 6. Nimirum totus mundus condemnationi obnoxium suis se criminibus fecit. Ex omnibus criminosis, per

gentibus prædicari debuerit Evangelium: per Christum, & fidem Evangelio habitam, servare Deo placuit, quos ex cunctis nationibus & linguis libro vitæ inscripsit, futuros Christi peculium. Hos quum ubivis habeat sine personarum & gentium discrimine, Evangelium quoque suum prædicari curat ubi & quando eos habet, ut ad destinatam sibi partamque per Christum salutem, comiter, sed & efficaciter, vocentur. Vocationem enim istam dirigi *ex proposito Dei & gratia, quæ data est in Christo Jesu ante tempora seculorum*, Paulus auctor est. 2. Tim. 1:9. Non tam universalis conspiciendus est amor ille Dei erga omnes singulosque homines (quippe quem inefficacem & effectu cassum concipere nefas est) ut omnium salutem ex æquo desideret, & consequenter omnibus semper nationibus, nedum hominibus, ea media concedat sine quibus non est salus. Uti non repugnavit Divinæ philanthropiæ, quod adserto sibi olim populo Israëlitico gentes in viis suis ambulare siverit, sine suæ voluntatis per oracula revelatione: uti nunc eidem philanthropiæ non repugnat, quod tot orbis terrarum populos in tenebris & umbra mortis relinquere ei lubeat, sine vel minima lucis Evangelicæ scintilla: ita caussa dici non potest, cur, salva ista φιλανθρωπίᾳ, primo Christianismi seculo Americanis tacitum manere non potuerit Evangelium. Miseretur Deus quorum vult. Quibus eam impertit gratiam, est quod gratias agant. Quibus negat, non est quod conquerantur: quum non ea solum gratia, sed & ipsis naturæ beneficiis, ingratitudine & abusu, indignos se reddiderint.

XXIII. *An Americanis nominatim prædicatum sit per Apostolos.* XXIII. Non est itaque cur curiose inquiramus in caussas ob quas non prædicatum olim Americanis Evangelium sit: suprema & liberrima Dei voluntas, indebitam omnibus gratiam, pro lubitu dispensantis, unica caussa est; in qua omnes eos acquiescere par est, quotquot Divini Numinis majestatem rite venerantur. Haut equidem cum *Ursino* dixerim, nullos Apostolorum tempore Americæ incolas fuisse: uti nec eos ob maledictionem, qua Chami posteros objurgavit Noachus, Evangelii gratia exclusos arbitror. Sed supplex adoro eam Dei providentiam, quæ tam vasta terrarum spatia frequentati tunc orbis commercio exclusit; donec navigationis beneficio nostri mundi hominibus jungerentur, atque ita transfretandi quoque Evangelii occasio nasceretur. *Unamquamque rem pulchram facit Deus suo tempore.* Eccl. III:11.

XXIV. *Quæ de Apostolis orbem inter se terrarum* XXIV. Verum & cætera excutiamus quæ de Apostolis orbem inter se terrarum partitis, veterum, si modo veterum, tradunt historiarum monumenta. Nimis sane erudito & delicato seculo vivimus, quam ut tam inanium fabularum commentis, quales de Apostolo-

ſtolorum diſperſione confictæ ſunt, uti deliciis quibusdam, animi cordatorum hominum paſcantur. Vulgo creditum eſt, factam eam eſſe paullo poſt quam Herodes Agrippa Jacobum Zebedei gladio ſuſtulit, Petrumque conjecit in vincula, ſcilicet anno Chriſti XLIV. Claudii II. Hinc nata traditio, Apoſtolos, habita Synodo, ut perſecutionem fugerent, provincias orbis peragrandi inter ſe diviſiſſe: cuſo prius Symbolo quod Apoſtolorum dicitur, ad quod ſinguli ſuum contulerint articulum. Sic ut *Petrus* dixerit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Johannes: Creatorem cœli & terræ. Jacobus: Credo in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unicum:* & ſic porro, donec ſingulorum collatione abſolutum eſt univerſum. Cæterum traditio hæc non ſolum incertæ, &, ob Lucæ ſilentium, ſuſpectæ fidei eſt, ſed & ſacris literis & ſanioribus vetuſtatis monumentis contraria. Ex iis enim, quæ modo a nobis allata ſunt, evidenter conſtat, Apoſtolos aliquot poſt annis egiſſe adhuc in Palæſtina, & Hieroſolymis; ubi coiere in Concilium: a quo demum tempore ſeparatos narrat *Chronicum Alexandrinum.* Quæ de Symboli factione adduntur, vanitatis manifeſtæ ſunt: ut poſt *Voſſium* & *Uſſerium* magnis argumentis alibi adſtruximus: adſtipulante *Pinæo Bibliot. Tom.* I. & *in Append. Tom.* VI. *cap.* IV. *partientibus anno Claudii 2. Chriſti 44. narrantur, palam fabuloſa ſunt.*

XXV. Si ipſa partiti inter Apoſtolos orbis traditio tam eſt incerta, vel potius liquido falſa, quid de cæteris dicemus, quæ partitionem iſtam ſecuta feruntur? *Joſephus Scaliger*, emunctæ, ſi quis, naris Criticus, *a fine Actorum Apoſtolicorum ad tempora Plinii Junioris nihil certi haberi in Hiſtoria Eccleſiaſtica* adſerit. *Dionyſius Petavius* in *Rationario*, de eodem intervallo: *Pleraque fabulis & incertis narrationibus adſperſa.* At ipſum audiamus credulum illum *Baronium. Tom.* I. *p.* 323. *E. Quod pertinet ad res ab Apoſtolis geſtas poſtquam ab invicem ſemel ſeparati ſunt, res quidem æque perobſcura eſt. Quum enim Apoſtolorum nomine tam facta quam ſcripta reperiantur eſſe ſuppoſita, nec, ſi quid de illis a veris ſincerisque ſcriptoribus narratum ſit, integrum & incorruptum omnino remanſerit: in deſperationem quandam animum dejiciunt, poſſe unquam aſſequi quod verum certumque ſubſiſtat.* Vide ſis *Spanhemii Introduct. ad Hiſt. T. N. Sec.* I. *cap.* V. Quæ de Jacobi utriuſque itineribus memorant, falſitatis dudum ſunt convicta. Alter enim ante ullam Apoſtolorum diſperſionem gladio ſublatus; alter etiam, ſucceſſor datus, Hieroſolymis ſubſtitit. De quo Baronius: *Jacobus Alphæi, Frater Domini idemque Juſtus dictus, non legitur in externas profectus eſſe provincias: ſed qui Hieroſolymorum creatus eſſet Epiſcopus, ne Judæi, quorum cauſſa munus illud ſuſceperat, omnino derelicti haberentur, loco conſtitit; nec ſicut cæteri ad gentes in diverſas orbis partes abire permiſſus* *XXV. Ubi & ea, quæ a ſingulis patrata dicuntur.*

missus est. Quæ de ipso Nicephorus narrat, *ea nullius prorsus auctoris certo testimonio nixa, sed ex animi arbitrio conficta*, pronunciat Baronius. Idem de aliis Apostolorum profectionibus judicat Magnus *Spanhemius*, verbi gratia, quæ ex *Pseudo-Prochoro* de Johanne; ex *Pseudo-Actis* variis de Thoma, Bartholomæo, Barnaba; ex nugaci *Metaphrasta* cum primis, de Petro; ex *Flavii Dextri Chronico* supposititio, de eodem Petro, Paulo & Jacobo; sic ex *Nicephoro* aliisque id genus, nimium vel credulis, vel ad fingendum audacibus, passim commenti sunt.

XXVI. *Nominatim Thomæ apud Indos prædicatio.*

XXVI. Singula excutere supervacaneæ foret operæ. Quam incerta sint quæ de prima apud *Indos* Evangelii prædicatione narrantur, ex narrantium variationibus perspicuum est. Ac primo quidem *Ruffinum* audire lubet, ex quo sua hauserunt *Socrates lib.* I. *cap.* XIX. *Sozomenus lib.* II. *cap.* XXIV. *Theodoretus lib.* I. *cap.* XXIII. Ruffinus sic habet: *In ea divisione orbis terræ, quæ ad prædicandum verbum Dei sorte per Apostolos celebrata est, quum aliæ aliis provinciæ obvenissent, Thomæ Parthia, & Matthæo Æthiopia, eique adhærens citerior India Bartholomæo* DICITUR *sorte decreta. Inter quam Parthiamque media, sed longo interior tractu, India ulterior jacet, multis variisque linguis & gentibus habitata, quam*, VELUT LONGE REMOTAM, NULLUS APOSTOLICÆ PRÆDICATIONIS VOMERE IMPRESSERAT: *quæ tamen* TEMPORIBUS CONSTANTINI *tali quadam ex caussa semina fidei prima suscepit.* Tum prolixe exponit, quibus quantisque rerum ambagibus, *Frumentius* quidam ab *Athanasio* in Episcopum ordinatus, primus in Indiam perrexerit, infinitumque numerum Barbarorum ad fidem converterit: *Ex quo*, sic pergit Ruffinus, *in Indiæ partibus, & populi Christianorum, & Ecclesiæ factæ sunt, & Sacerdotium cœpit.* In quibus observo. I. Quam hæsitanter Ruffinus loquatur de provinciis, quæ in partitione orbis terrarum singulis obvenerunt Apostolis. II. Quod *Bartholomæo*, non *Thomæ*, Indiam decretam tradat. III. Quod ad provincias longe remotas, nominatim ad ulteriorem Indiam, sonum prædicationis Evangelicæ pervenisse neget. IV. Quod primus Evangelii præco Constantini demum ætate eo accesserit. Quæ tamen de *Abyssinia* intelligenda esse, quam Indiam Ruffinus apellat, quamque immani errore inter citeriorem Indiam & Parthiam sitam esse dicit, post *Jobum Ludolphum* ostenderunt novissimi editores operum Athanasii, in *vita Athanasii* p. 16. 17. Similiter quæ de Thoma disputata vidimus Exercitationis præcedentis Tmemate XIV, ea quam incerta, & falso proxima sint, copiose, ut solet, ostendit *Dallæus, de Relig. cultus objecto. lib.* V. *cap.* VI. Qui asseverate pronunciare non dubitat, id quod

narra-

narratur, *Thomam Apostolum* in *Indias* venisse, atque illic annos complures versatum esse, quin & inde ad *Sinas* usque processisse, & ex Sinis Indos suos denuo invisisse, & apud eos postremo mortuum sepultumque fuisse, id, inquam totum, non modo dubium & incertum, sed & clare liquidoque falsum esse. Neque sane temere hoc asseverasse videtur. Repugnat enim prima vetustissimorum Christianorum traditio, altera de *Indis*, altera de *Thoma* ipso. Secundi seculi Christiani Indis quidem prædicatum Evangelium agnoverunt, verum *Bartholomæi*, non *Thomæ* ore. Cujus indicium fuerit isto seculo dignum, Evangelium Hebræis literis a Matthæo conscriptum, Indisque a Bartholomæo relictum, & ad *Pantæni* ætatem adservatum. De Thoma autem antiqua apud *Origenem* traditio perhibet, eum prædicationis suæ provinciam Parthiam obtinuisse, apud *Euseb. lib.* III. *cap.* I. Quod & *Clementis Recognitionibus* confirmatur *lib.* IX. *cap.* XXIX. ubi Petrus Thomam literas non ex *India*, sed ex *Parthia*, ad se scripsisse memorat. *Denique*, inquit, *apud Parthos*, *sicut nobis Thomas*, *qui apud illos Evangelium prædicat*, *scripsit*, &c. Vide *Cotelerii* notas: quibus abunde doceberis, quantopere hic veterum traditiones varient: Thomæ vero apud Indos prædicantis nullam ante Manichæos exortos in Christianorum libris mentionem esse asserit *Dallæus*, cui si credimus, primus vani rumoris auctor, *Thomas* quidam, *Manetis* discipulus, foret: quem & *Cyrillus Hierosolymitanus* Evangelii Apocryphi secundum Thomam auctorem esse scribit. Quæ vero de sepulcro Thomæ *Maliapore* apud *Malabares* narrantur, a Jesuitis avide arrepta, ea non minus antiquæ dissona traditioni sunt. Hæc enim vult, Thomæ corpus *Edessam*, ex loco quo primum erat conditum, jam pridem fuisse translatum. *Ruffin. Hist. lib.* II. *cap.* V. Recentiores autem Indica nobis fide narrant, idem Thomæ corpus *Maliapore* sepultum, ad ultima hæc tempora eodem loco mansisse, superiori vero seculo *Johannis* Lusitaniæ Regis jussu refossum, inde postea *Goam* a Fratre quodam *Franciscano* fuisse translatum. Quæ quum sibi invicem aperte sint contraria, nullam conciliationis viam invenit *Baronius* præter hanc miseram; unius corporis partes in diversa loca fuisse distributas, quamvis de corpore integro gloriata fuerint singula.

XXVII. Sed & illud apprime notatu dignum est, quod solerter observavit idem *Dallæus* noster, fortasse totam illam de Thomæ Apostoli apud Indos prædicatione, martyrio, sepultura, fabulam, ex alterius cujusdam multoque recentioris *Thomæ* historia ortam esse. Tradunt omnes magno consensu Latini rerum Indicarum scriptores, *Indos Malabares*, quum totum Episcoporum & Sacerdotum genus, varia

XXVII. *Cui originem dedit Thomæ alterius multo recentioris historia.*

ria a persecutoribus peste consumtum, penitus apud eos defecisset, *Babylonem* ad urbis illius Patriarcham misisse, poscentes Episcopum. Hinc missum ipsis quendam Syriacæ nomenclaturæ *Mar Thomam*, id est Dominum Thomam, virum admodum divitem, excellentem, gratiosumque vicinis regibus, qui collapsam apud Indos Ecclesiam restauraverit. At Nestorianis erroribus, & aliis nonnullis malis, quæ Babylone secum attulerat, eandem infecerit. Quod *Semedus* Jesuita *Sinic. Part.* I. *cap.* XXXI. circa annum Domini 800. factum fuisse conjectat: quando in *Patana* civitate Christiana religio renovata, & Ecclesiæ instauratæ sunt. Quin & sagax Jesuita conjectat, eo factum esse, ut, errore ob Thomæ commune utriusque nomen facillimo, Apostoli esse credantur monumenta, quæ hujus *Mar Thomæ* sunt. Et sane quæ de crucis signo & miraculis per illud patratis narrantur, sicut a *Thomæ Apostoli* ætate alienissima sunt, ita nono isti *Mar Thomæ* seculo optime conveniunt.

XXVIII. *Ineptissime Thomas a Malabaribus ad Brasilienses transportatur.*

XXVIII. At si demus *Thomam Apostolum* apud *Malabares*, & *Sinas* etiam, si velis, Evangelium prædicasse; quid hoc ad *Americanos*, de quibus nunc controvertitur: nisi immensi itineris prodigio eundem ad *Brasilienses* quoque transportes. Quod *Lerium* fecisse video, at levibus admodùm argumentis. Neque *Hornii* conjecturam cassa nuce emerim. Qui enim ex *Meyre Human* Sanctum Thomam tam facile facit, næ is eadem facilitate ex quolibet ligno facit Mercurium. Si verum sit Brasilienses ea narrare quæ ipsis adscribit Lerius, & si veri aliquid sit in iis quæ narrare dicuntur, longe proclivius est de isto *Mar Thoma* cogitare, quem modo laudavimus, quam de *Thoma Apostolo*: quippe & nomen propius accedit ad *Meyre Humam*, & quæ de tonsura similibusque tradit *Stadius* (nisi forte ficta sint omnia, vel male intellecta, & aliovorsum tracta) ab homine qualis *Mar Thomas* fuit derivare fortassis quiveris, ab Apostolo nulla ratione quiveris. At longe probabilissimum est, tantundem de *Mar Thoma* ac de *Thoma Apostolo* scivisse *Brasilienses*, omnemque istam narratiunculam febricitantium accensendam esse ineptiis.

XXIX. *Nusquam dicit Nicephorus Matthæum apud Cannibalos prædicasse; & quæ dicit ridicula sunt.*

XXIX. Et vero mirari animum meum subiit, quam supine Viri Docti *Nicephorum*, ingentem illum fabularum hamaxarium, citent. *lib.* II. *cap.* XLI. *p.* 137. quasi *disertis verbis scripsisset*, *Evangelistam Matthæum apud Cannibalos* ἀνθρωποφάγους, *Brasiliensibus conterminos prædicasse: Cannibali autem*, sic porro inferunt, *sunt in India Occidentali.* Quis hæc legens non crediderit, se, si non *Brasiliensium*, ac certe *Cannibalorum* nomen, totidem literis apud *Nicephorum* inventurum esse? At nihil ibi minus exstat. Ipsa *Nicephori* verba dabo, ex ver-

-sione

sione Latina *Langi.* (Græca enim ad manum non sunt.) Ea sic habent: *Is quoque Sanctus Apostolus* (Matthæus) *profectionibus multis ex alia regione atque gente in aliam subinde migrans, Evangelio prædicando præfectus, ad postremum Spiritus Sancti ductu ad Anthropophagorum terram, in civitatem cui nomen est Myrmenæ, pervenit. In qua Platone, sectatore suo, Episcopo declarato, ipse in quendam civitati proximum collem conscendens, ut sibi gentis ejus sensus revelaretur, orat. Hoc ita agenti Apostolo, Dominus Jesus formosi pueri specie assistens, quum pacem illi precatur, tum virgam in manus dat. Eam, quum descendisset, in urbe ad Ecclesiæ, quam ipse & Andreas construxisset, portam plantare jubet, in arborem magnam & excelsam ilico evasuram, fructumque plurimum magnitudine simul & sapore aliis longe superiorem laturam: fontem præterea copiosum & pellucidum, cum leni susurro ex radice ejus erupturum esse pollicitus. In quo quicunque Anthropophagi lavissent, eorum simul & vultus ad formam decentiorem compositum, & corda agresti feritate posita, ad placabilitatem & lenitatem conversum prorsusque in melius mutatum iri. Descendenti igitur civitatis ejus Princeps, una cum conjuge & filio* (*Fulvianorum Patri & Filio, Fulvianæ autem matri nomina erant*) *obvius fit.* Plura describere desino. Dudum piguit ineptiarum. Ubi hic *Brasiliensibus* contermini *Cannibali?* Nulline præter ipsos *Anthropophagi?* An Cannibalis *Fulvianorum* nomen? Denique quæ veri species in tam putida fabula est? I nunc, Clarissime Mœbi, iterumque, si placet, roga: *Quodnam clarius hujus rei possemus habere argumentum?*

XXX. Ad ea, quæ de Veteris Christianismi in America reliquiis a *Lusitanis, Hispanis*, & cujusvis nationis missionariis referuntur, observari multa possunt. Ac primo quidem haut arbitror peccaturum esse in prudentiæ regulas, cui non lubet omnibus id genus narratiunculis fidem suam ἀβασανίστως substringere. Et hic valet; μέμνησο ἀπιστεῖν. Nulla mundi pars est, ubi non obtineant artes Gibeoniticæ: quæ Romanæ Ecclesiæ sectatoribus valde sunt in deliciis. Nihil apud eos vulgatius, quam recenter introductis vetustatis speciem obtendere. **XXX.** *Quæ de veteris Christianismi reliquiis in America narrantur, fortasse ficta sunt.*

XXXI. At demus (neque enim semper mentiuntur Cretes) aliquid ab iis in America repertum Christianis ritibus haut dissimile, nil tamen inde lucri sententia ista reportat. In omni enim religione, quantumvis Idololatrica, ac Diabolica plane, aliquid animadverti potest quod ad Divina instituta accedere quodammodo videatur. Ludit mirabiliter ingenii humani varietas, & in tam immensa cultuum diversitate vix est, ut non aliqua etiam deprehendatur convenientia. Quæ si vel minima sit, ab iis quorum interest ut major habeatur, **XXXI.** *Aut si vera, non sunt argumenta Christianismi.*

 augeri

augeri solet & exornari, eo quandoque tractis, quæ aliovorsum spectant. An quia *Indorum Brachmanes* triplicem funiculum de collo suspensum gerunt, quem trini alicujus numinis fingunt esse symbolum; aut quia *Sinæ* & *Japoni* Deum exhibent effigie monstrosa, in quæ ex uno corpore prodeunt tria capita mutuo sese adspicientia; vel quia *Solonis* lege *Athenienses* jubebantur jurare per tres Deos, Ἱκετήσιον, Καθάρσιον, Ἐξακεστήριον, *Supplicem*, *Expiantem*, *Averruncum*, idcirco hæc mihi ad adorandæ Trinitatis nostræ mysterium trahenda sunt? In Græcorum, aliorumque populorum lustrationibus, in *Mithræ* sacris, quot occurrunt ritus quos cum Baptismo conferre Christiano possis? inde tamen nequaquam derivandi. Quia *Guebri*, *Persarum* soboles, ex *Zoroastris* sui mandato, infantes Baptismo lustrant, & labes animi deleri existimant vaccæ urina, & medicata quadam aqua: ideone mihi in anili superstitione, vel junicis rufæ Israëlitarum, vel nostri Baptismi imago agnoscenda est? Ritum quendam Eucharistiæ nostræ similem in *Mithriacis* sacris *Persas* obivisse, testes sunt *Justinus* & *Tertullianus*; oblato quodam pane, atque aquæ poculo, solennibus verbis ex formula adjectis. Apud *Peruanos* celebrabantur quotannis Paschales quædam ceremoniæ. Certis diebus immolabant Agnum candidum, farinam ejus imbuebant sanguine, populoque comedendam distribuebant, ac Dei sui sanguinem esse, Divinitus ad se missum, affirmabant; ut ita cum *Sole* & *Unca*, sive Rege, novi fœderis societatem contraherent. Et *Mexicani* solennem quotannis diem celebrasse dicuntur, quo simulacrum a puellis Deo sacris, ex farina & melle pistum, & magnis ceremoniis consecratum, populo comedendum distribuebant; ita Dei sui corpus comedere se asseverantes. Vid. *Huetii Alnetan. Quæst. lib.* II. *cap.* XX. §. VII. Falluntur qui ex Eucharistiæ Christianæ sacris similia arcessunt nugamenta; quæ nil nisi superstitione captarum mentium ludibria sunt.

XXXII. *Quædam eorum, aut vera aut ficta, indicia pravæ superstitionis.*

XXXII. Sed & quæ apud *Jucatanos* inventa narrantur, eorum aliquammulta, verbi gratia, XXXV dierum jejunium, summus sacerdos qui *Papa* dicatur; item cultus & ornatus sacerdotum *Peruanorum* ad illum Christianorum Episcoporum accedens; alibi confessio, unctio, cruces, undecunque sint, certe ab Apostolis non sunt. Talia autem sunt, ut cæterorum fidem valde labefactent: & a justo ac prudenti rerum æstimatore pro Apostolici Christianismi reliquiis haberi non debeant. In eo sane sibi placent Romanæ Ecclesiæ Doctores, quod & superstitionum suarum, Veteri Christianismo ignotarum, speciem quandam apud Barbaras istas gentes deprehendisse videantur. Hinc impense jactant, *Brachmanes* aquæ *Gangeticæ* eam vim adtri-

adtribuere, ut si quis eam nec opinus subeat, nec de criminibus abstergendis cogitans, noxis tamen omnibus purgetur ex opere operato: *Gauros*, sive *Guebros*, si culpæ alicujus sint affines, vel ex lethali aliquo morbo decumbant, accersere sacerdotem, quem *Casium* appellant, hoc est *Presbyterum:* cui labes conscientiæ aperiant, ab eoque absolvantur de peccatis, hac lege, ut pia aliqua præstent opera, quibus Deo satisfiat: *Peruanos* die quodam procedere supplicantes, eo prope ordine, quo apud Romanenses festo corporis Christi: sua *Ceilanensibus* monasteria & sacras domos; suos Macassarensibus Patriarchas, suos Presbyteros, suos & inferiorum ordinum Clericos esse; & hos & illos initiari a Patriarchis, Patriarchas autem ab uno supremo legis suæ Antistite. Et quæ id genus sine numero sunt. Dicamus itaque quod res est: non hæc ex Christianismo ad eas gentes derivata esse, multo minus ex Apostolica prædicatione: sed, si quæ narrantur vera sunt, fructus esse ex fertili solo superstitiosarum mentium, quas nulla non terra alit, copiose progerminantes, in infinita cæterorum rituum diversitate, hic forte sibi similes: ex quibus proinde vigentis olim in istis gentibus Christianismi nullum formari possit argumentum.

XXXIII. Hactenus eas excussimus rationes, quibus Viri Doctissimi probare adnisi sunt, per Apostolos Americanis quoque prædicatum esse Evangelium: de quarum valore post observationes nostras æquo Lectori judicium esto. Nunc id videamus, nunquid objectæ difficultates commoda satis solutione e medio sublatæ sint. Qui profectioni Apostolorum in Americam obloquuntur, iis id potissimum nominibus faciunt; I. Quia nulla ejus convincentia argumenta inveniunt, quæ ab adfirmantibus adferri oportuit. II. Quia ad illam profectionem multa supponuntur, quæ cum sacra Apostolorum historia non admodum conveniunt, qualia a nobis non pauca adnotata sunt. III. Quia Americanæ istæ regiones tempore Apostolorum prisci orbis hominibus fuerunt incognitæ, & viæ ad eas, sive mari sive terra, inviæ. Atque hac difficultate valde se premi videntes ii, quibus stat τὸ διαφυλάττειν, multa excogitarunt quæ reponerent. XXXIII. *Incognita veteribus America fuit.*

XXXIV. Et id quidem primo negandum sibi putant, incognitam veteribus Americam fuisse: quum eam *Plato* sub *Atlanticæ insulæ* nomine in *Timæo* descripserit. Mihi quidem non lubet ea, quæ tam simpliciter a *Platone* narrantur, cum *Jamblicho*, & *Proclo*, aliisque *Platonis* interpretibus, in frigidas allegorias vertere. Sed ea quæ *Critias* memorat ex avo suo, avus ex *Solone*, *Solon* ex sacerdote quodam *Saitico*, an veram contineant historiam, an fabulam meram, an XXXIV. *De Atlantide.*

 rem

rem quæ aliquid ex vero trahat, sed cui fabulosa, ut fieri solet, alia adjecta sint, prudentiores anquirant. Mihi profecto postremum illud præ cæteris arridet. Enimvero fabulosa sunt, quæ de Atheniensis civitatis forma, qualis multis retro annorum millibus exstitit, Solonem docet Ægyptius. Fabulosum est, quod tempus hujus facti ultra octo vel novem millium annorum seriem extendat. Quemadmodum illa quoque nugatoria esse ipse credit *Hornius*, *lib.* II. *cap.* VI. quæ de Atheniensium contra Atlanticos bello, de terræ motu, & diluvio quo Atlantis absorpta, & de ejus proxime ad fretum Herculeum situ, traduntur. Omnia autem ista si fabulosa sint, quid tandem certi manet, ubi pedem queas figere? At vera sint, quantum libet, nimis sane generalia esse videntur, quam ut certo argumento Americam monstrent. Potuisset insula olim aliqua vægrandis in Atlantico mari fuisse, cujus reges Asiam & Europam conjunctis viribus occupare instituerint, quibus se Athenienses communi Græcorum nomine opposuerint, ipsosque devicerint: quæque insula subita quadam diluvione & terræ motu absorpta fuerit: ut tamen non fuerit America. Nam quæ de incredibili ipsius magnitudine, qua Libya atque Asia amplior fuerit, addidit Saïticus, ea Ægyptiacæ fortasse, id est, sublestæ admodum fidei sunt. At fuerit Atlantis America: nil aliud ex toto illo Platonis sermone inferri posset, quam vetustissimis temporibus Americanos Asiæ & Africæ fuisse propiores; quod nec ego abnuere velim, ut eo facilius intelligatur, quemadmodum & homines & feræ post Noachicum diluvium eo devenerint. Sed & simul inferendum est, rei tam antiquæ memoriam Platonis ætate fuisse obliteratam, omneque cum gentibus ultra Atlanticum mare commercium prorsus tunc desiisse. Quod & illa verba arguunt: Τότε γὰρ πορεύσιμον ἦν τὸ ἐκεῖ πέλαγος. PERVIUM ENIM TUNC ERAT ATLANTICUM MARE. Ergo Platonis ætate, non. Uti disertius deinceps Critias: διὸ καὶ νῦν ἄπορον καὶ ἀδιερεύνητον γέγονε τἀκεῖ πέλαγος.

XXXV. *De Phœnicum navigationibus ex Bocharto & Salmasio.*

XXXV. Phœnicum navigationes nemo, quod sciam, diligentius *Bocharto* prosecutus est. Tanta autem istius viri, propter diffusam eruditionem & acre in his rebus judicium, apud me auctoritas est, ut plus ei tribuam, quam centum minorum gentium scriptoribus. Is vero negat constare, quod Phœnices orbem terrarum circumnavigaverint. Neque concedit *Plinio*, *Hannonem*, qui, Carthaginiensis Senatus decreto jussus navigare extra Columnas Herculis, a Gadibus in Austrum longissime provectus est, ad Arabiæ finem esse circumvectum: quum contrarium aperte clamet historia navigationis, quam ipse scripto prodidit. Nec multo verius credit, quod ex Heraclide

clide Pontico refert *Strabo lib.* 11. Eudoxum e mari Rubro in Indiam navigantem, & ventis ingruentibus supra Æthiopiam delatum, in piscatoriæ navis fragmenta incidisse, quam ex proræ insignibus Gaditanam esse comperit. Neque enim verisimile esse, in mari tam aspero & concitato potuisse naviculam tantum iter emetiri. Observat, Phœnices ultra *Cernem* nullam deduxisse Coloniam: nonnullos etiam credidisse, ultra *Cernem* mare non posse navigari *Rufus Festus*:

— Æthiopum populos alit ultima Cerne:

Eodem faciunt hæc *Prisciani*:

— Libyes ubi finit litora Cerne
Oceanum.

Acsi ad illam insulam finis esset naturæ rerum, & nautarum meta ultima. Quod & ipsum nomen innuit. Nam *Cherne* Phœnicibus est חר נאת, *postrema habitationis*, vel *ultima habitatio*. Consentit *Salmasius Exerc. Plin. ad Solin. p.* 877. *Hæc constans*, inquit, *inter veteres opinio fuit, mare Occidentale, & Meridianum & Indicum misceri, & conjungi; & tria illa maria accolere populos qui Æthiopes dicerentur: sed navigatio ab Indico ad Occidentale per Meridianum prorsus erat incognita. Quod enim de Eudoxo narratur, qui Ptolomæum fugiens ab Arabico sinu Gades delatus est, una hirundo non facit ver. Nec enim alii eum sequuti. Auctor Peripli, qui vixit ætate Plinii, Oceanum, qui ab India in Occasum continuus est,* ἀνερεύνητον *esse prodit. Qui autem Gadibus exibant Hispani & Phœnices mercatores, ut in Æthiopiam commearent commercii gratia, non ultra eam Æthiopiam velificabant, quæ mari Atlantico adjacet, quæ Hesperia est. Maris illius Occidui* παράπλουν *a Gadibus usque ad Cernem insulam Hesperiæ dierum duodecim navigatione taxat Scylax. Ultra Cernem non amplius navigabile illud esse crediderunt prisci: neque ultra navigabant Phœnices institores & Hispani.* Hæc Salmasius. Ad *Bochartum* redeo, ex Hannone notantem, *Cernem ex adverso Carthaginis sitam esse*, id est, tantum esse a freto Herculis, quantum Carthago. Quæ autem Diodorus Siculus & veterum alii, de Phœnicum insula ultra Gades ad extremum Occidentem narrant, ea vir sagacissimus suspecta sibi esse testatur; quod nullum norit locum in quem ea descriptio cadat. Concludit tandem: *Itaque vel nusquam est hæc insula, vel una est ex insulis novi orbis, aut pars aliqua Brasiliæ: quam litoribus nondum satis peragratis Phœnices acceperunt pro insula. Sed nautica pyxide nondum reperta, parum est verisimile eo navigasse Phœnices, quum hæ terræ, Libya, inquam, & Brasilia, tanta locorum intercapedine sint ab invicem dissitæ, ut de Americanis insulis taceam, Hispaniola scilicet, Cuba, Jamaica, & aliis quæ multo sunt remotiores.* Vid. *Can. lib.* 1. *cap.* XXXVII, XXXVIII,

XXXVI,

XXXVI. *De Ophir, in Orientali potius India quaerenda.*

XXXVI. De *Ophir*, quo profecta Salomonis classis est, variæ sunt doctissimorum hominum sententiæ: nec nostrum est tantas componere lites. Interim, donec certiora dentur, præ cæteris mihi aridet *Bocharti* opinio; geminam in Sacris Ophir laudari, quarum altera in *Arabia* prope Sabæos, altera in *India* est. David obtulisse legitur *mille talenta auri Ophir* 1. Chr. XXIX: 4. Quin imo Jobi ætate nota Ophir fuit. Job. XXII: 24. *Pones aurum super pulverem, aurum Ophir super rupes torrentium.* Et cap. XXVIII: 16. *non confertur cum auro Ophir.* Ubi Indicam Ophir intelligi, non est verisimile. Quia ætate Davidis, nedum Jobi, qui Jacobo Patriarchæ pene æqualis fuisse creditur, ad terras illas tanta terrarum & marium intercapedine a Judæa dissitas, nondum patuerat accessus. Salomon & Hiram primi esse videntur, saltem ex Israëlitis primus Salomon, qui in remotiorem illam Ophir navigationem instituerunt. Ophir itaque, Jobi & Davidis ætate cognita, est *Cassanitis* Ptolomæi & Stephani. Nam & nomina significatione conveniunt: ab opulentia enim locus dicitur אופר, & incolæ *Cassanitæ* vocati sunt, a חסן sive חזן, id est *Gaza*, ob thesauros quos possidebant. Et tanta ibi auri copia est, ut incredibilia de eo tradiderint Veteres, apud *Bochartum* legenda. *Phaleg. lib.* II. *cap.* XXVII. Et contigua Cassanitidi est *Sabæorum* beatissima terra, de quorum auro vide Ps. LXXII: 15. Jes. LX: 6. Ezech. XXVII: 22. 1. Reg. X: 2. Denique Ophir, id est, incolæ terræ Ophir, sunt ex stirpe *Joctan*; ideoque commodior iis sedes adsignari non potest, quam in ea Arabiæ parte, ubi & fratres eorum consederunt. *Indica* vero *Ophir* non in *Occidentali*, sed in *Orientali* India quærenda est: sive ea sit aurea *Chersonesus*, quæ hodie *Malacca* dicitur, ut Josephus & plerique veterum voluere: sive *Tapobrana* veterum, hodie *Zeilan*, ut *Salmasius* contendit in *Exerc. Plin. ad Solin. cap.* LIII. *p.* 781. & *Bochartus* XXI. parallelismis probat. *Canaan. lib.* I. *cap.* XLVI. Sane insulæ *Zeilan* omnia ad amussim quadrant, quæ de Ophir legere est in libris Regum & Paralipomenon. Ibi enim aurum & ebur, gemmasque & margaritas magna copia nasci, nemo est qui nesciat. Scatere etiam pavonibus, scribit *Stuckius* in *Arrianum*. Et in Chersoneso proxima magni pretii Cercopithecos memorat *Ludovicus Vartomannus*. In Tapobrana secundum Ptolomæum, est *Pasi* sinus, & *Phasi* amnis, unde aurum *Paz* vel *Uphaz*, Cant. V: 11. Dan. X: 5. Jer. X: 9. Quod quum alio nomine vocetur aurum *Parvaim* 2. Paral. III: 6. verisimile est Phœnices Syra terminatione hanc insulam vocasse פרון *Parvan*, & oram ad quam appellebant טב־פרון *Taphparvan*, unde Græci & Romani fecerunt *Tapobrane*. Ophiræ nomen

men non ab insulæ incolis, sed a Phœnicibus etiam est: quibus solenne fuit, ut loca nuper a se detecta suæ linguæ vetustis nominibus nuncuparent. Itaque verisimile est, illos auriferæ terræ, quam in India detexerant, *Arabicæ* nomen indidisse.

XXXVII. Multo sane probabilius est Ophir in *Orientali India* quærere, quam in *Occidentali*, sive *America*: vel ob hanc rationem, quia Salomonis & Hirami classis solvebat ex *Asiongaber*, sita ad mare Rubrum, sive ad Sinum Arabicum. 1. Reg. IX: 16. Ex hoc autem facilis, directa, & vicina est navigatio in *Tapobranam*, utpote directe ei objacentem, & Phœnicibus frequentatam. Longissima vero, & plane anfractuosa ac periculosa fuisset navigatio ex mari Rubro in Americam. Oportuisset enim vel per Orientem gyrare totam Indiam Orientalem, Malaccam, Japones & Sinas, ibique reflectere iter in Americam; vel per Occidentem circumnavigare Promontorium Bonæ spei, totamque Africam & Oceanum vastissimum. Quæ omnia efficiunt, ut longe probabilius eos instituere existimem, qui, cum veteribus prope omnibus, Ophir in India Orientali, quam in America collocant. Qui plura desiderat, auctoresque cognoscere avet de Ophir hinc inde disputantes, adeat Venerandum VOETIUM nostrum (cujus incredibilem diligentiam nihil propemodum rei Theologicæ fugit) in eruditissimis *Disputationibus de Creatione*, *T.* 1. *p.* 647. Conf. *Torniel ad An.* 3043. *p.* 26. &c.

XXXVII. *Quam in Occidentali.*

XXXVIII. Cætera quæ Thesi XXII & XXIII. coacervantur minoris sunt momenti. Pleraque meris consistunt narratiunculis, quibus quisque quantum vult tribuat. Atque ipsæ istæ narratiunculæ satis ostendunt, terras istas longinquas ab aliorum hominum commercio prorsus fuisse semotas. *Plinii* de navigationibus sui temporis hyperbolas a *Salmasio* & *Bocharto* erudite castigatas modo vidimus. *Virgilii* Poëticus cothurnus inter seria argumenta vix meretur locum. At *Pindari* verba adpingi merentur ex *Nemeor.* *Ode.* IV. *p. m.* 538.

Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον, ὐ
Περατόν. ἀπότρεπε
Αὖτις Εὐρώπας ποτὶ
Χέρσον ἔντεα ναός.

Gadium pars vergens ad occasum transiri nequit. Converte armamenta navis ad Europæ terram. Senecæ Rhetori Senecam Tragicum oppono, de futura tam longinquarum terrarum repertione quasi vaticinantem:

Venient annis
Secula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens

XXXVIII. *Dicta quædam veterum amplius probare non possunt, quam ipsos de novo orbe aliquid audivisse vel suspicatos esse; quem tamen nemo Europæorum viderit.*

Pateat tellus; Typhisque novos
Detegat orbes; nec sit terris
Ultima Thule.

Quod tamen ille non de nostro hoc novo orbe, sed de Britannicis proprie insulis intellexit, & in Claudii gratiam scripsit. *Clemens Romanus* in priori sua ad Corinthios epistola §. 20. p. 158. editionis nuperrimæ, ὠκέανον ἀνθρώποις ἀπέραντον esse pronunciat, καὶ τὺς μετ' ἀυτὸν κόσμυς. In quem locum operæ pretium erit legisse eruditissimas *Patritii Junii* annotationes. Utut sit, ex ejus generis testimoniis nihil aliud ad summum conficias, nisi illam mundi partem a paucis quibusdam veterum auditione acceptam, vel ratiocinatione stabilitam, at inspectione non usurpatam: non certe ab Europæis: etsi de Afris dubitari fortasse potest.

XXXIX. *Bicipitum Aquilarum signa, & nummus Augusti, commentis accensenda sunt.*

XXXIX. Quæ de *bicipitum Aquilarum* signis in Provincia *Chili* repertis memorantur, an vera sint nescio. Hoc scio, plerumque accidere, ut ex tam dissitis regionibus immensa cavi spirent mendacia folles. Et fuerit repertum aliquid Romanis insignibus quodammodo simile, an non quo modo Romanis in mentem venit, eodem modo Chiliensibus in mentem venire potuit, ut eadem sibi insignia facerent? Ægyptii quam monstrosas in Hieroglyphicis suis formas ex variarum animantium conjunctione excogitarunt; quibus similes nec ipsorum, nec ulla terra gignit? Illud de *nummo aureo* cum effigie *Augusti* in novo orbe reperto, valde mihi suspectum est. Quam facile fuit Hispano alicui nummum secum advectum, ut ibi repertum venditare, vel lucri caussa, vel ut aliorum credulitati illuderet? Artes illiusmodi in re nummaria veteri, ab seculi nostri usu non admodum repulsas esse, quis nescit? *Lipsius* ipse: *Physiol. Stoic. lib.* II. *dissert.* XIX. *O bellum impostorem & ludionem, quisquis nummum ibi abjecit! nam aliter repertum non esse, mihi quidem liquet, nisi si Genius hoc fecit.* Nec abludit *Torniellus ad Annum* 3043. *p.* 26.

XL. *Cur veterum cum Americanis commercium tot seculis interruptum fuerit, caussa dici non potest.*

XL. Denique si post Augusti ætatem Europæi homines cum Americanis habuerint commercium, ut suos eo nummos devexerint, quî factum est, ut non commercium solum illud, sed & omnis illius memoria, per tot secula interciderit? Nam quod regnum civitatumque interdicta prætexant aliqui, ea fortassis e tergo illius chartæ inveniuntur, cui Constantini est inscripta donatio. Bella, vastationes, direptiones nostri hujus orbis, per Gothos, Vandalos, Hunnos, Longobardos, aliasque ex ultimo Borea gentes, quæ alii ut caussam oblitæ Americæ allegant, incitassent potius, vel coegissent homines tot malorum effugium in aliis terris quærere, si eas exstare vel ipsi comperissent, vel a majoribus natu accepissent.

XLI. Porro maximum caussæ huic ex eo nascitur præjudicium, quod tam ingentia vastissimi maris spatia sine magnetis ductu trajici non potuerint, fatentibus propemodum omnibus rei nauticæ peritis: & ex professo probante Fullero *Misc. lib.* IV. *cap.* XIX. Sed & illud a plerisque agnoscitur vix ante quadrigentos annos cognitam *Magnetis* vim ἡγεμονικὴν fuisse. Gilbertus *libr.* I. *de Magnete. cap.* II. refert scientiam nauticæ pyxidulæ traductam videri in Italiam per Paulum Venetum, qui circa annum MCCLX apud Chinas artem pyxidis didicit. Qui unde habuerint, equidem non habeo dicere. Quod enim ad antiquos Tyrios hæc refert *Fullerus*, qui remotissimos Indos potius, quam propinquiores nationes artem docere maluerint, ab omni verisimilitudine alienum est. Ipso *Hornio*, qui cæteroquin Phœnicum res valde amplificat, ingenue fatente, magnetis nullum tunc iis fuisse usum. *lib.* II. *cap.* II.

XLI. Pyxidis nauticæ usus priscis incognitus.

XLII. Quæ enim in contrarium a *Fullero* producuntur rationes, eæ quam debiles sint, nemo non videt. Non enim, quia Salomon incomparabilem rerum naturæ peritiam a Deo consecutus fuit, idcirco ipsum hoc quoque singulatim magnetis arcanum exploratum habuisse necesse est. Quis dubitat, quin multa serioribus sint reperta seculis, societati humanæ utilissima & commodissima, quæ Salomonis ætate prorsus fuere incognita? Nisi quis ex sapientia Salomonis inferre velit, eum artis quoque typographicæ, uti nunc obtinet, peritia valuisse.

XLII. Salomonis sapientiam eo pertinuisse, non liquet.

XLIII. Multum enimvero fallitur Doctissimus *Fullerus* in explicando nomine ἡρακλείας λίθυ. Nam neque ab *Hercule* is lapis dicitur, neque virtus ejus ἡγεμονικὴ cognita priscis fuit. Prius Illustris docuit *Salmasius*, quem operæ pretium erit audire. *Exerc. Plin. p.* 775. ἡράκλειαν λίθον *magnetem vocat Ptolomæus, more antiquissimorum Græcorum qui nunquam sic appellant eum lapidem qui ferrum trahit, eumque a magnete separant. Igitur* ἡράκλεια λίθος *vetustissimis Græcis quæ posterioribus* μαγνῆτις λίθος, *& magnes. Nostri hodie passim vocant Herculeum lapidem. Imperitissime. Nec enim ab Hercule nomen habet, sed ab Heraclea, urbe Lydiæ, ubi plurimus lapis ille. Heraclius itaque Latine dicendus, non Herculeus. Hesychius:* κέκληται δὲ οὗτος ἀπὸ τῆς Ἡρακλείας, τῆς ἐν Λυδίᾳ πόλεως. *Unde &* Ἡρακλεῶτις λίθος *aliis dicta. Idem de eodem lapide:* διὸ καὶ Σοφοκλῆς Λυδίαν αὐτὴν καλεῖ, οἱ δὲ Σιδειρῖτιν, οἱ δὲ Ἡρακλεῶτιν.

XLIII. Ἡράκλεια λίθος non ab Hercule Tyrio, sed ab urbe Heraclea dictus.

XLIV. Cætera doceat *Bochartus*: neque enim Doctissimo Fullero alios nunc opponere lubet, nisi quos ipse, si viveret, doctiores se lubens fateretur, ultro porrecturus herbam. Sic ergo ille:

XLIV. Bocharti ad Fullerum observationes.

Canaan lib. I. *cap.* XXXVIII. *Non ideo sequitur, quod contendit Vir doctus, hunc lapidem traxisse nomen a Phœnicio Hercule, cujus numen nautæ invocaverint, propter vim* ἡγεμονικὴν *qua pollet. Neque enim ignota virtus potuit lapidi nomen facere. Ignotam autem fuisse ex eo patet, quod illius in scriptis Veterum nec vola nec vestigium est. Ait Fullerus Tyrios hoc studiose celasse, & modis omnibus* ἐν ἀπορρήτοις *quam cautissime habuisse. Acsi celari potuerit res, quæ semel inventa, fuisset in omnium usu promiscuo: aut navicularius clavo assidens, & ex pyxide cursum dirigens, latere potuerit epibatas, qui sæpe Græci aut Romani erant. Certe hæc viri docti sententia ne umbram quidem habet veritatis. Præterea, quis credat, rem tam necessariam semel repertam potuisse sic aboleri, ut ne vestigium quidem illius superesset? Periit ars plumaria, ut a Fullero notatum, & ars purpuram conficiendi, quæ Tyrios olim non parum nobilitavit: sed hæ artes ad luxum potius quam ad usum pertinent. Iis certe carere possumus sine ullo insigni damno. At magnetica non item, cujus adminiculo nobis patuere maria clausa hactenus & in remotissima terrarum libera fuit navigatio. Quod videtur beneficium Deus in hac mundi senecta generi humano concessisse, ut Evangelii doctrina citius & facilius per totum orbem promulgaretur.* Quum itaque vastum illud mare, quod inter veterem & novum orbem interjacet, sine acus magneticæ ductu transiri non potuerit; quumque ea magnetis vis incognita fuerit tempore Apostolorum, uti utrumque jam probatum dedimus, consequitur, Apostolos maritimo itinere in Americam non devenisse.

XLV. Non constat Americam orbi nostro vel cohærere, vel proximare.

XLV. Neque constat an terrestri itinere eo devenire potuerint. Magna diligentia Argonautæ Europæi & Doctissimi Geographi inquisivere, an locum aliquem invenire queant ubi America Asiæ vel Europæ connexa sit: sed quidquid periculosissimis etiam ausis investigaverint, hactenus desideratus ille locus repertus non est. Post celeberrimorum hominum de origine gentium Americanarum disputationes, suam edidit *Georgius Hornius.* Is expensis omnibus pronunciat, *evidentibus argumentis deprehendi, Americam undique ab orbe nostro abscissam, ac magnam insulam esse: unde omnes, qui ibi sunt, mari venisse constet, nullos terrestri itinere, nisi forte per concreta glacie freta. ad fin. lib.* I. Fusius eandem rem prosequitur *lib.* II. *cap.* I. asserens, si alicubi America nostro orbi vel proximat vel cohæret, necesse esse, ut id circa Cathajam & extra Arcticum circulum sit. Ibi Isthmo quodam Asiam & Americam connecti *Athanasius Kircherus* in *Copto* suo his verbis tradit: *Cathajam majorem per immensa spatia in extremo septentrionis angulo Americæ Isthmo quodam conjungi ego Mathe-*

maticis rationibus pene convictus existimo. At reponit Hornius, *rationem certe istam neque Mathematicam, neque Historicam esse posse, rebus nondum plene exploratis. Plures cum Strabone Scythiam Septentrionali Oceano terminari statuunt, & consequenter abscindi ab America.* Grotius: *perpetuum intercedere fretum magis credo.* Latius: *Omnino verisimile est ad promontorium Tabin aut Catajam angusto freto continentes dividi. Conspirant Geographi, qui ei etiam nomen Anian imponunt: qua fide & auctoritate incertum. At qui regiones illas cum cura lustrarunt, maris & Oceani, nullius vero freti meminerunt. Ludovicus Hennepin,* Franciscanus Missionarius, in *Nova Detectione Americæ Septentrionalis*: *cap.* LVII. narrat, in Septentrionalem Americam ad Issatios, sitos prope illum tractum ubi collocatur fretum Anian, ex Occidente venisse legatos, qui quatuor mensium terrestre iter emensi erant, nullius freti conscii: asseverantes in immensum se extendere vasti continentis terras. At non ego credulus illi, toties vanitatis comperto. Et sic necdum Apostolis via in Americam inventa est. At, inquias, unde, & qua, post diluvium & arcam illam Noachi, ipsi homines & tot animalia eo venerunt? Fateor me nescire. Nam quod mari dicas? quam vasta ea navigatio, nauticæ rei imperitis? quis etiam tam ingentia animalia, ac quidem noxia multa, transvexerit? ea observatio inclinat, ut finitimam olim Europæ atque Asiæ fuisse suspicer, & facilem in eam transgressum: postea divulsam, & ex parte mersam: & tamen homines ibi atque animalia reliqua, quæ olim ab ea conjunctione illata.

XLVI. De miraculosis Apostolorum itineribus sacræ literæ nihil docent.

XLVI. At de Apostolis, inepta, inquias, cura: si neque mari, neque terra; at cœlo datum iter est. Fidissimi Jehovæ interpretes salutaria jussa per auras ferre potuerunt. Facile Divino spiritui est, vel crinibus arreptos, quacunque & quocunque vult deferre. Vnde autem constare de ea re potest, nisi vel ex verbo Dei, vel eventu? Sed neutrum horum quidquam hujusce docet. Apostolos autem, ita prorsus, uti cæteri viatores, itinera sua tam terra quam mari instituisse, omnesque cum aliis molestias, discrimina omnia communia habuisse, naufragos etiam fuisse, & a prædonibus male habitos, sacræ nos literæ certiores faciunt. Miracula ibi prodita, humili fidei obsequio lubentes suscipimus. At alia, neque memorata, neque promissa, pro arbitrio fingere, nec pietatis nostræ, nec prudentiæ est. Eximia sane promissio illa est, quæ exstat Jes. XI: 15. Sed nec ad Apostolos ea speciatim pertinet, nec de Atlantico mari agit, nec secundum verborum proprietatem intelligenda est. Verum locutione prophetis sueta significatur, Deum omnipotenti sua

providentia effecturum, ut omnia obstacula, ea etiam quæ insuperabilia videri possent, tollantur e medio, & populo suo via plana sit ad liberationem ibi promissam.

XLVII. *Epilogus.*

XLVII. Quum itaque oracula Prophetica de regno Christi & prædicatione Evangelii, per omnes mundi nationes diffundenda, illimitatam universalitatem nec exigant, nec ferant, neque intra Apostolorum ætatem coarctanda sint: Quum Apostoli, qui sine dubio mentem Dominici mandati probe assecuti sunt, non id egisse comperiantur ut omnes sine exceptione terras peragrarent: & tamen ante absolutum ministerii sui curriculum Evangelium omni quæ sub cœlo est creaturæ prædicatum esse asseverent: Quum ex Dei erga genus humanum favore non sequatur, Evangelium omnibus simul gentibus prædicari debere, neque id in hunc usque diem factum esse pateat: Quum ea quæ de Apostolis orbem inter se terrarum partitis Ecclesiastica tradunt monumenta, partim incerta, nonnulla parum probabilia, aliqua etiam aperte falsa sint: Quum Apostolos in Americam profectos, nullus unquam veterum dixerit: Quum nulla certa vestigia Apostolicæ prædicationis in America inventa esse non constet; & quæ ut talia laudantur, vel talia non sint, vel suspectæ fidei, vel evidenter ficta: Quum America ejus ætatis hominibus cognita non fuerit, nisi forte obscura aliqua auditione paucissimis: Quum mari adiri non potuerit ob Atlantici Oceani immensa spatia, & defectum pyxidis nauticæ: Quum terrestre iter omnibus hodie nunc nostri orbis hominibus incognitum sit: Quum Apostolos per aërem raptos, aut alio quovis portentoso modo vectos, nemo nisi sine avibus auguretur: consequitur, longe verisimilius eos disputare, qui Apostolorum in Americam profectionem improbabilem existimant, quam qui confidenter asserunt.

XLVIII. *Solida & pia Voëtii observatio.*

XLVIII. Concludo magni VOETII nostri verbis, quæ quam solida tam pia sunt. *Disput. T.* I. *p. 646. Nusquam in Scriptura tam V. quam N. T. Americanarum gentium mentio fit: (quamvis indefinite nomine insularum Gen.* X: 5. *cum aliis insulanis intelligi possint) ne tum quidem quum prædictiones & historiæ de vocatione gentium recensentur. Nulla antiqua Geographia, nulla historia Politica aut Ecclesiastica, earum meminit. Nullius traditionis, nullius famæ* πατροπαραδότου, *nullorum monumentorum vestigia in alterutro mundo hactenus reperta sunt, quibus de mutua cognitione & commercio, saltem olim habito, edoceremur. Quod sane inter admiranda, Divina, naturalia, humana, mihi semper admodum mirabile visum est: ad quod merito exclamare liceat,* ὦ βάθος πλούτου *&c. Rom.* XI: 33. *Quis satis miretur, jam inde post diluvium*

luvium Noachicum, primos incolas (nam ante diluvium fuisse ibi homines non est negandum) istius mundi cum posteris suis a nostro hoc mundo ita fuisse divisos, ut nulla via tunc reperta & aperta memoria, nedum per eam itio & reditio frequentata & retenta fuerit? Tam exiguam propria salutis curam in incolis novi mundi, tam nullam in incolis veteris mundi, a quibus discesserant, superfuisse? Nullos Prophetas & viros Dei, divulsione & discessione jam recenter facta, eo se contulisse: ne Apostolos quidem, aut eorum successores, quum jam messis illa vocationis gentium advenisset? Gentes illas ultra tria annorum millia in viis suis ambulasse, nullo quidem vel tenuissimo lumine, saltem per reflexionem, illis apparente, quod aliis in hoc orbe evenire poterat?

EXERCITATIO XV.

DE VITA

JOHANNIS BAPTISTÆ,

Observationibus Historicis & Criticis Illustrata.

BREVIARIUM.

I. Ad finem vergente Herodis Ascelonitæ regno conceptus natusque Johannes Baptista est. II. Patre Zacharia; nomine, quo Dei memoria commendatur. III. Non illo, quem Dominus trucidatum memorat inter templum & altare. IV. Neque summo, sed gregario Sacerdote. V. Quales ob multitudinem in XXIV. *sunt tributi Classes. VI. Sive* ἐφημερίας. *VII. Fuit autem Zacharias ex Classe Abiæ. VIII. Uxorem habuit Elisabet, quod incertæ originationis nomen est. IX. Eadem quî ex filiabus Aaronis & simul cognata Messiæ esse potuerit? X. Uterque laudatur ut justus: atque hac occasione examinatur Cameronis sententia, statuentis* צדיק *illustriorem esse titulum quam* חסיד. *XI.* Ἐντολαὶ & δικαιώματα *quid differant. XII. Non sine mysterio est, quod Johannes aliique eximii viri ex sterilibus & effœtis parentibus nati sint. XIII. Non annuum, sed quotidianum suffitum Zacharias fecit; non in sancto*

sancto sanctorum, sed in sancto. XIV. Ut gregarius Sacerdos; forte, uti jus erat, ad id delectus. XV. Contra quam credidit Erasmus. XVI. Ipso intus agente, tota populi multitudo precabatur foris. Quod claratur ex antiquis Hebraeorum ritibus. XVII. Hora suffitus, incertum matutina an vespertina, apparet Zachariae Angelus ad dextram altaris. XVIII. Cui nomen Gabriel, plurima significatione foetum, non appellativum, sed proprium. XIX. Qui quum dicitur adstare coram Deo indicatur functionis eminentia: estque aliquoties adhibitus, ad ea nuncianda, in quibus potentia gratiae Dei elucet. XX. Nunc Zachariae annunciat, exauditas esse preces ipsius, non tam privatas, quam publicas. XXI. Habiturumque filium, cujus nomen Divinitus, quod paucis accidit, praedictum, futurum sit Johannes. XXII. Quamvis admodum similia Zachariae & Abrahami verba sint, hujus tamen laudatur fides, illius increpatur incredulitas. XXIII. Puniturque sic, ut repente mutus & surdus fiat. XXIV. Quo in signo multa concurrunt notabilia. XXV. Patria Johanni fuit in montanis Judae, probabiliter Chebron, urbs antiquissima laudatissimaque: circa quam & Abrahamo promissus Isaacus est. XXVI. Praegnans Elisabeta idoneas ob caussas quinque se menses occultavit. XXVII. Sexto mense invisit eam Beata Virgo; & ipsa e Spiritu S. praegnans. In quo congressu acciderunt aliqua perquam mirabilia. XXVIII. Uti apud alios multos populos, ita & apud Hebraeos, moris fuit, ut qui dies infanti lustricus idem & nominalis esset. Incertum tamen ex quo tempore circumcisioni jungi coeperit impositio nominis. XXIX. Quae conjunctio non ex mandato aliquo Dei, sed congruentia rei, orta esse videtur. XXX. In Johannis circumcisione & nominis impositione, ex impedito in Zacharia linguae usu, multa insolita. XXXI. Cui ad celebrandas Dei laudes repente reddita loquela est. Isidori observatio. XXXII. Pueritia ac juventus Johannis in desertis exacta. XXXIII. Et quae ad eam aetatem pertinent silentio transmissa, usque dum se ostendit Israëli. XXXIV. Quod, quoto aetatis suae anno fecerit, non liquido constat. XXXV. Idcirco abstinere tutius est ab ingeniosis quibusdam, sed parum solidis, parallelismis & synchronismis. XXXVI. In publicum prodire Johannes neque injussus sustinuit, neque jussus tardavit. XXXVII. Praedicavit in deserto, tam literaliter, quam mystice. XXXVIII. Amictus Johannis ex pilis Cameli, nec splendidus fuit, nec plane sordidus, sed vilis ac rudis. XXXIX. An illum, & quatenus, in exemplum trahi oporteat. XL. Ἀκρίδες, *quae Johanni pro cibo erant, non arborum summitates, aut siliquas, sed locustas notant. XLI. Quibus addidit mel sylvestre; circa quod inepte se curiosos aliqui ostenderunt.*

runt. XLII. Credibile non est, tam superstitiose Johannem hoc cibi genus affectavisse, ut nullo unquam alio usus sit. XLIII. At vino omnique potu inebriante, ex mandato Dei, totam vitam abstinuit. XLIV. Ex quibus generatim discendum est, ut imperemus gulæ, nec corpus curemus ad cupiditates. XLV. Docuit Johannes, non ut Sacerdos, sed ut Propheta. XLVI. Nominatim, ut Elias. XLVII. Nam & cor Patrum ad filios, & filiorum ad Patres convertit. XLVIII Et rebelles adduxit ad prudentiam justorum. XLIX. Mirum videri queat, quî Johannes in spiritu & virtute Eliæ veniens, miracula tamen patrandi facultate fuerit destitutus. L. In ejusce rei rationes inquiritur. LI. Quo sensu se Eliam, & Prophetam esse negaverit. LII. Jesaiæ vaticinium de voce clamantis in deserto, an Johanni recte; & si recte, an typice applicandum sit; LIII. an directe & proprie. Hoc præfertur. LIV. Summa doctrinæ Johannis, multum a tunc recepta discrepantis. LV. Baptismus Proselytismi ante Johannem non videtur Divinæ institutionis fuisse. LVI. At Johannis Baptismus e cœlo est, ad similitudinem illius qui tunc erat in usu. LVII. Quum dixit Johannes, Deum ex lapidibus posse Abrahamo excitare liberos, credibile est, eum respexisse ad veterem Historiam vel Prophetiam. LVIII. Et ænigmatice innuisse vocationem gentium. LIX. Quî Johannes indignus Christi soleas portare; & an Christus soleis usus. LX. Quo sensu Christus & pone Johannem venerit, & eodem validior sit. LXI. Christus baptizavit Spiritu Sancto & igne, quando igneum spiritum abunde in suos fecit descendere. LXII. Etiam igne baptizavit, quando immorigeros cremavit igne inextincto. LXIII. Cur placuerit Christo ad Johannem venire, & baptismum ab eo petere. LXIV. Graves rationes Johanni fuere cur baptismum illum deprecaretur. LXV. Optime tamen fecit, quod tandem Christo cesserit. Sic enim utrumque decebat. LXVI. Quî hæc fieri potuerint antequam Johannes Christum cognosceret: quod innui videtur Joh. 1: 33. LXVII. Vera totius illius Historiæ series. LXVIII. Rixa discipulorum Johannis super baptismo Jesu, hominumque ad illum confluxu. LXIX. Præclarum hac occasione Johannis de Jesu testimonium. LXX. Herodes Antipas initio quidem Johannem veneratur: LXXI. attamen in incestuoso Herodiadis, quæ Philippi fratris sui conjux erat, amore & connubio, fœdam vitam transigit. LXXII. Ob eamque rem liberrima Johannis oratione increpitus, LXXIII. in carcerem eum conjicit. LXXIV. Non tam arctum tamen, quin discipulis ad Jesum ablegandis, indeque redeuntibus, liber itus & reditus esset. LXXV. Ut Johannes Jesum, sic & Jesus Johannem, etiam vinctum, honestissimis elogiis ornat. LXXVI. Neci Johannis

occasionem dederunt natalitia Herodis (ubi disputatur, an natalitia quotannis celebrare hominem pium deceat). LXXVII. Et saltatio filiæ Herodiadis: incertum an gentium more, an ex suæ gentis instituto. LXXVIII. Tam impense Herodi placens, ut temeraria pollicitatione ac juramento, maximis se implicuerit difficultatibus. LXXIX. Cujus juramenti obtentu Johannem in carcere decollari jussit. LXXXI. Hebræorum de Johanne, ejusque nece, narrationes. LXXXI. Veterum Christianorum, de Herodiade, & filiæ ipsius exitu, apocryphæ historia.

I. Ad finem vergente Herodis Ascelonitæ regno conceptus natusque Johannes Baptista est.



Atales Herois nostri, qui post natos homines neminem mortalium ante se majorem vidit, inciderunt in tempora HERODIS, *Regis Judææ.* Luc. I: 5. HERODIS, inquam, cognomento ASCELONITÆ, & MAGNI: distinguendi ab altero HERODE ANTIPA, filio suo, Tetrarcha Galilææ, interfectore Johannis, & illusore Domini nostri Luc. III: 1-19. XXIII: 7-11. & tertio HERODE AGRIPPA, nepote suo ex Aristobulo filio, qui Jacobum Apostolum in Judæorum gratiam trucidavit, Petrumque jam captivum pariter neci destinaverat, ipse vero ob superbiam ab Angelo percussus, mirabili & miserabili fato periit. Act. XII. Primus ille Magnusque *Herodes* gente alienigena, patre *Antipatro Idumæo*, matre *Cypro Arabe* professione *Judæus* fuit. Idumæis non ita pridem ab Hyrcano coactis cum circumcisione cunctas Judæorum leges ritusque admittere. Ad regnum autem pervenit, non, ut primi illi verique nominis Reges, Divini Numinis ordinatione, non, quod minimum fieri oportuit, populi electione, vel saltem approbatione atque consensu: sed Senatus Romani Consulto; raro prorsus, & inusitato in eum usque diem exemplo. Postquam enim honoribus omnibus exutus, & ad extremam desperationem adactus, itinere periculosissimo Romam venisset; Antonii commendatione, & Octavii assensu, commemoratis Antipatri patris, & filiorum, fratrum Herodis, in rem Romanam studiis, & officiis, regno Judaico Senatus Consulto, præter omnem omnium expectationem, donatur: & inter Octavium atque Antonium medius in Capitolium adscendit, novusque Rex convivio ab Antonio exceptus fuit, Olympiade CLXXXIV. Cn. Domitio Calvino iterum, & C. Asinio Pollione Coss. Roma redux, post varia prælia, a Sosio Romanorum Præfecto adjutus, urbem Hierosolymam, post acrem septem mensium oppugnationem, tandem expugnat; devictisque hostibus, & e medio sublatis regni æmulis, nullo Assamonæorum, præter miserum senem Hyrcanum, auribus truncatum, apud Parthos tunc

tunc agentem, superstite, regno denique potitus est. Invitis adeo Judæis, ut neque minis, neque tormentis, subigi potuerint, ut Regio Herodem titulo dignarentur: partim propter humilem & plebejam ejus originem, οἰκίας ὄντ☉ δημοτικῆς, καὶ γένυς ἰδιωτικῦ, καὶ ὑπακύοντ☉ τοῖς βασιλεῦσι, quod frequenter ei exprobratum; partim propter crudelem indolem, cujus perquam multa nefandaque inde ab initio præbuit specimina, toto regni sui tempore continuanda. Erat enim, Josepho teste, quavis ex caussa ad sæviendum propensissimus; quam ob rem ne ab intimis quidem amicis sanguinarias manus abstinuit. Quos ex propinquis bellua ista non interemit? Socrus Alexandra; Socer Hyrcanus, suus, ut ipse in epistola ad Persarum Regem fassus est, altor atque servator; Aristobulus affinis, Pontifex Maximus, septendecim annorum juvenis, amor ac deliciæ populi Judaici; ipsaque adeo, ut de aliis nunc taceam, dilectissima conjux Mariamne, formosissima & generosissimi animi Regina, immanis illius truculentiæ miserabiles victimæ fuerunt. Sub hoc tyranno, qui rempublicam, non nisi ab indigenis Principibus hactenus gubernatam, pessum dedit, & ereptum Assamonæorum familiæ Pontificatum, in alios, quos non oportuit, scelerate contulit, vergente ad finem regno, anno fortassis penultimo, conceptus natusque Johannes noster est, veri æternique Regis ac Sacerdotis, secundum Melchisedechi ordinem, proximus futurus anteambulo, In eo enim tunc rerum statu Judæa erat, quem prisca vatum oracula delineaverant, ut Messiæ adventui opportunum: recedente a Juda sceptro, pollutoque nefandis modis Pontificatu.

II. Patre Zacharia; nomine, quo Dei memoria commendatur.

II. *Parentes* Johanni fuerunt ZACHARIAS & ELISABETA, insigni sanctitatis elogio a Divo Luca honestati. Ut emphatica filiis nomina imponantur, talia præsertim quibus ad virtutis studium, Numinisque excitarentur cultum, moris antiqui est. De eo genere est nomen *Zacharias*, זְכַרְיָה, quod Hebraice notat, *Memento Domini.* Nimirum nullum est officium hoc ipso commendatu inculcatuque dignius, quodque plura in se complectitur. Si quis enim Domini, uti par est, meminerit, is tanquam Deo teste ac judice omnia sua peraget, eaque consideratione non reverenter solum Divinas res tractabit, sed & sollicite sibi cavebit ab omni eo quod inhonestum atque illicitum est; & optimis quibusque rebus summa cum sinceritate dabit operam, habebitque quem vel ut mali vindicem revereatur, vel ut boni remuneratorem colat. Nec cassum omine nomen in nostro Zacharia fuit: qui illius meditatione excitatus, pios parentes suos voti damnates fecit, ac sublime illud sanctitatis fastigium assecutus est, de quo mox plura audiemus.

 III. Cæ-

III. *Non illo, quem Dominus trucidatum memorat inter templum & altare.*

III. Cæterum, quum nomen istud cum aliis præclaris viris commune habuerit, quæsitum ab Interpretibus est, an eum fortassis designaverit Dominus Mat. XXIII: 35. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, effusus super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.* Non desunt qui ita opinentur. Vetus exstat traditio, quam habet *Protevangelium Jacobi*, & *Petrus Alexandrinus* in *Canone*, Zachariam hunc nostrum a servis Herodis interfectum, quod filium cum matre latitantem, dum ab Herode ad necem quærebatur, prodere recusaverit. Cui & altera superstruitur, ne miraculo ea res careat, qua dicitur, sanguinem ipsius instar lapidis concretum in limine remansisse. Accedit & tertia, quæ invenitur apud *Origenem Tractat. in Mat.* XXVI. *Basilium Homilia* XXV. *Gregorium Nyssenum, Cyrillum Alexandrinum, Theophylactum*, aliosque, narrantes, locum in Templo fuisse, medium inter Altare & Templum, quo virgines oraturæ secederent: in quem quum pedem quoque penetrare, post salutiferum Filii Dei partum, Maria niteretur, repulsam ab iis tulisse qui peperisse sciebant: Zachariam vero, qui illæsam illius virginitatem tuebatur, ut manifestum legis violatorem, fuisse trucidatum. Alii denique viri docti sunt, qui, quamvis Zachariam hunc nostrum significari putent, neutram ex allatis veram mortis caussam fuisse contendunt; sed prædictionem de instante Urbis & Templi vastatione. Cæterum, si quod res est dicere licet, omnia ista otiosorum hominum commenta sunt, idonea auctoritate, ipsaque adeo verisimilitudine, destituta. Nam & mors violenta Zachariæ nostri ficta est, nulla teste historia: & caussæ mortis vanæ sunt: nam edicto Herodis de trucidandis infantibus non includebatur Johannes, qui non in Bethlehem & confinio ejus, sed in montanis Judæ, in domo paterna, educabatur: & in Templo Hierosolymitano singularem locum virginibus oraturis destinatum fuisse, nec sacri Scriptores, nec Josephus, nec Hebræorum Magistri testantur, quidquid Veterum Christianorum aliqui scriptitaverint. Confer *Isaaci Casauboni Exercit.* I. *ad Apparatum Baronii. cap.* XXII. *ad num.* XLIX. Nuspiam quoque Zachariæ nostri de Templi destructione vaticinium memoratur. Optime *Hieronymus ad Mat.* XXIII. *Alii Zachariam patrem Johannis intelligi volunt: ex quibusdam Apocryphorum somniis approbantes, quod propterea occisus sit, quia Salvatoris prædicaverit adventum. Hoc, quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Longe itaque probabilius est, dictum Domini ad *Zachariam Jojadæ* filium referre, nisi quis de *Zacharia Baruchi* filio, cujus historiam *Josephus* habet, *de Bello Jud.*

lib.

lib. v. *cap.* I. cogitare malit. Qua de re alibi a nobis fusius & accuratius disputatum est. Vide *Miscellanea nostra lib.* I. *cap.* XX. §. XIV. Confer *Hammondum in Mat.* XXIII: 35. *& Baron. Annal. T.* I. *ad An.* I. *num.* LII. *& seq.*

IV. Zachariam hunc officii ratione *ἱερέα Sacerdotem* vocat Lucas. Veterum aliqui, elogio isto non contenti, *Summum fuisse Sacerdotem* tradunt. In his sunt *Ambrosius, Augustinus, Euthymius, Beda,* alii. Præcipua, qua nituntur, ratio est; quod arbitrentur, Zachariam cum suo suffitu introivisse in ipsa Adyta, quo pedem inferre, præter Pontificem, nemini licuisse constat. Hebræis quoque in *Chronico Regum Templi secundi,* & in *Zemach Part.* I. *An.* 3730. Johannes, ejus filius, dicitur *R Jochanan* כהן גדול SACERDOS MAGNUS: quam dignitatem, si habuit, hæreditariam habuisse plus quam probabile est. Cæterum grandior est ista hallucinatio, quam ut patronos hodie inveniat. *Josepho Scaligero Canonum Isagogicorum lib.* III. *p.* 307. ita de hac re scribere lubuit: *Jam Zachariam Summum Pontificem fuisse, qui de plebe Sacerdotum, & de statione Abia fuerit, hoc velle confutare, quo genere scribendi multum vexantur hodie aretalogi, id vero fuerit non de suo otio tantum, sed etiam de aliorum judicio ludere, quum hodie ne levi quidem aura historia sacra afflati hoc credant: non magis quam Johannem ipsum Baptistam Summum Pontificem fuisse.* At non ita mortalium omnium comparata sunt ingenia, ut dictatoriæ istiusmodi auctoritati cedant. Nos sedato animo quid rei sit videamus. Errasse circa Zachariæ Pontificatum Veteres, hinc demonstratur: non solum, quod in laterculo Pontificum, quem ex Josepho summa accuratione confecit *Seldenus, de Success. in Pontif. cap.* XI. nullus circa hæc tempora Zacharias exstet; Joazarus vero Simonis Boethi filius, & Herodis uxoris frater, Pontificatu tunc functus sit, qua de re consuli potest *Petavius, de Doctrina Temporum lib.* x. *cap.* LV. sed vel maxime, quod hypothesis ista Lucæ narrationi manifesté repugnet. Solet Lucas, quoties de Summo Sacerdote loquitur, eum ἀρχιερέα vocare. Luc. III: 2. Act. IV: 6. XXIII: 2. Hic autem simpliciter ait, ἱερεὺς; neque simpliciter, sed & addito pronomine τὶς; qua locutione apud Lucam nusquam, fortasse nec alibi apud probatum aliquem Scriptorem, Summus Sacerdos, cujus tanta fuit præ reliquis eminentia, designatur. Accedit, quod Zacharias referatur ad Classem Sacerdotalem Abiæ: Summus autem Sacerdos Classibus omnibus erat superior, & sacris operabatur, quibus & quotiescunque vellet. Porro nullius efficaciæ allegata pro hac hypothesi ratio est. Neque enim agit Lucas de *suffitu annuo,* die expiationis inferendo in Sanctum Sanctorum, per solum Sacerdotem Summum; sed de *suffitu quotidiano,* adolen-

IV. Neque summo, sed gregario Sacerdote.

adolendo ad aram inauratam, in Sancto, per gregarium Sacerdotem, cui functio ista sortito obtigerat, uti fusius suo loco demonstrabitur. Quæ observatio de sorte, Summi Pontificis figmentum valide refutat. Ei enim, & quidem soli, ex Divina jussione, introitus cum suffitu in locum sanctissimum erat mandatus: & nequaquam super ea re cum aliis Sacerdotibus sortiendum. Hanc inextricabilis argumentationis, uti merito eam nuncupat Baronius, vim eludere conatus Beda, fingit, sortem, cujus meminit Lucas, non referendam esse ad incensum, sed ad ipsam Summi Sacerdotii institutionem, quasi sorte ad istam dignitatem destinatus Zacharias fuerit. Verum invito Luca, cujus verba interpretationem illam minime patiuntur: invita etiam omni historia. Nam neque ex Divino instituto, neque ex moribus Judæorum, neque ex corruptione temporum, in eum usque diem usu venerat, ut Summus Sacerdos sorte unquam designatus fuerit. Josephus, qui omnium istius ætatis Pontificum successionem, cum nefandis quibus aliquoties acquisita est sceleribus, accurate tradit, semel duntaxat tantum nefas contra legem admissum fuisse, paullo ante internecionem Hierosolymæ, testatur. *de Bello Jud. lib.* IV. *cap.* V. Nimirum Vespasiano Judæam exercitu suo affligante, sceleratorum latronum factio, quæ Zelotarum sibi nomen sumserat, vi publica deposito redactoque in ordinem Anania Sacerdote Summo, successorem sorte delegit: sors autem exiit, Phani cuidam, propter rusticitatem, quid Pontificatus esset, penitus nescienti. Quod Sacerdotes procul spectantes, legem tam nefario ausu ludibrio haberi, calidis lacrumis deplorabant. Denique cur Hebræi quidam Scriptores Johannem Zachariæ filium, Sacerdotem Magnum dicant, ipsi viderint. ***Jacobus Altingius***, post ***Drusium***, sic interpretatur, ut fortassis Zacharias caput fuerit τῆς ἐφημερίας Abiæ, eoque nomine ἀρχιερεὺς vocatus, a quo eadem appellationis dignitas ad unicum filium transiverit. Vide ***Schilo.*** *lib.* IV. *cap.* XXIV. Cæterum, quum id quoque prorsus incertum, &, quia indictum Lucæ, non admodum probabile sit; ego Hebræis, quos pessimos historiæ magistros esse scio, sua relinquere, quam quæsita ac parum solida interpretatione juvare eos malo. Suffecerit nobis, Zachariam ordinarium Sacerdotem fuisse.

V. Quales ob multitudinem in XXIV *sunt tributi Classes.*

V. At cujus ordinis? Non sinit nos hoc ignorare Lucas: ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, *Ex classe Abiæ.* Quod ut recte intelligatur, res ab initio quidem, at breviter, repetenda venit. Postquam in ***Aaronis*** familiam omne Israëlitici sacerdotii jus illatum est, fatali calamitate exstinctis ***Nadab*** & ***Abihu***, remanserunt duo filii, ***Eleazar*** & ***Ithamar***, in quorum posteritate continuari Sacerdotium oportuit. Filiis autem ipso-

ipsorum in immensum multiplicatis, usu compertum est, singulis in sacrorum munerum functione inveniri non potuisse locum. Res ipsa itaque suasit, ut in certas dispescerentur Classes, suis singulas vicibus sacris operaturas. Mosen ipsum binas hasce familias in Classes tribuisse, sive VIII, quod quidam volunt, sive XVI, quod alii, Rabbini tradunt, & ex iis *Seldenus, de Succ. in Pontif. cap,* I. Succedente tempore XXIV Sacerdotum Classes constituit David, ut ex Eleasari posteris essent XVI, ex Ithamari VIII. 1. Chron. XXIV. Eamque partitionem confirmavit Salomo 2. Chron. VIII: 14. Classes istæ, per vices singulæ suas, veniebant Hierosolymam, sacrisque per integram dierum hebdomadam operabantur: functione incipiente a Sabbati matutino, & desinente in sequens Sabbatum. Multiplicato numero septenario per XXIV, conficitur ut elapsis 168 diebus uniuscujusque Classis ordo rediret. Attamen per tria celeberrima festa, Paschatis, Pentecostis, & Scenopegias, omnibus Classibus fas fuit simul sacra in Templo obire: illa præscriptione, ut votivas spontaneasque hostias, & jugia sacrificia illi duntaxat curarent, quorum tunc functio recurrebat in orbem. Præcipua hujus instituti ratio, quod & initio monui, incredibilis propemodum Aaronicæ familiæ multitudo fuit, quæ in tantam excrevit frequentiam, ut omnes simul officio fungi non possent. Si Talmudicis, supra fidem res suas amplificantibus, stare libeat liceatve, minima Classium, annotante ex *Taanit Lightfooto,* produxit OCTUAGIES QUINQUIES MILLIA SACERDOTUM. Eam ob rem necesse fuit singulis suas assignare vices: cum ad evitandam confusionem, tum ne pauci totum munus cum honoribus ad se traherent, cæteris neglectis & desidia torpentibus.

VI. Stata ista functionum Sacerdotalium tempore Hebræis dicuntur משמרות, 1. Chr. XXVI: 12. 2. Chr. XXXI: 16. Nehem. XIII: 30. Ubi Græci habent ἐφημερίαν, uti & in aliis locis compluribus. Josephus utitur voce ἐφημερίδος. Cujus appellationis rationem atque originem erudite exposuit *Ludovicus Cappellus.* Summa eorum, quæ prolixius ab eo disputata sunt, huc redit. Attica omnis in decem φυλὰς *tribus* distributa fuit. Ex unaquaque tribu sorte delecti sunt quinquaginta viri, qui Senatum constituentes πρυτάνεις dicebantur, & per vices diem singuli unum imperabant. Et quia ipsorum ἀρχὴ erat ἐφήμερος unius duntaxat diei; hinc tam dies quo unaquæque tribus imperabat, quam quinquaginta illi πρυτάνεις per dies singulos alii aliis succedentes, ἐφημερίαι vocabantur. Quoniam itaque magna fuit similitudo inter illas tribuum Atticarum ἐφημερίας, & Sacerdotum Hebræorum διατάξεις, hinc Græci has quoque ἐφημερίας dixerunt. Quamvis notabile

VI. *Sive* ἐφημερίας.

bile hoc intercederet discrimen, quod πρυτάνεις Attici die tantum uno imperarent (cui rei significandæ aptissimum ἐφημερίας nomen est,) Sacerdotes autem Hebræi integram, ut dixi, hebdomadam ministrarent; quod minus commode ἐφημερίας vocabulo exprimi videtur. Est enim ἐφημερία proprie ἡ τῆς ἡμέρας λειτουργία, *diurnum ministerium.* Usu tamen obtinuit, ut ἐφημερία tam functionem certo & exiguo tempore circumscriptam, atque ordine redeuntem, quam ipsam Familiam sive Classem Sacerdotum, denotaret.

VII. Fuit autem Zacharias ex Classe Abiæ.

VII. Erat autem Zacharias ex Classe ABIÆ; quæ ex Davidis sortitione octava ordine fuit. 1. Chron. XXIV: 10. An ordo iste sine ulla successionis perturbatione, a Davidis ætate ad novissimam Templi per Romanos destructionem, constanter observatus, an sæpius turbatus sit, disputant Viri longe doctissimi. Cum *Josepho Scaligero in fine Appendicis ad Libros de Emendatione Temporum, & Can. Isagog. libr.* III. *p.* 303. inturbatam successionem vehementer propugnat *Grotius,* splendidissima orbis literati sidera. Negant alii, nec suis destituti argumentis. Quam controversiam decidere nec opis nostræ, nec instituti nunc est. Videat qui vult *Selden. de success. in Pontif. cap.* I. *Lightfootum de ministerio Templi. cap.* VI. *Cartwrichti Mellific. lib.* II. *cap.* VII. *Sculteti Exercitationes Evangelicas, lib.* I. *cap.* VII. *Spanhemii Dubia, Par.* II. *p.* 221. *Voetii Disputationes, Tom.* II. *p.* 42.

VIII. Uxorem habuit Elisabet, quod incertæ originationis nomen est.

VIII. Zacharias iste uxorem ELISABETAM habuit, unam ex filiabus Aaronis. Quod Græce scribitur Ἐλισάβετ, id Hebraice scribi אלישבע, post magnos Auctores, secure a plerisque creditum est. Nomen, quod & Aaronis uxori fuit: notatque *Dei juramentum.* Et ne hic quidem nomini deesse omen, æque ac in Zacharia, Viri præstantissimi observarunt. Nam profecto, dum ex Elisabeta filium, Messiæ præcursorem, suscitavit Deus; ostendit se *memorem fuisse juramenti Abrahamo facti. com.* 72. 73. Cæterum dubitare nefas non est, satin hæc sint solida. Non enim temnenda videtur doctissimi *Clerici* κρίσις. Si exprimere Græci voluissent vocem אלישבע, dixissent potius Ἐλισαβαὶ, vel Ἐλισαβὲ. Quid ni itaque existimemus, Hebraice sonuisse אלישבט, *Deus meus Sceptrum,* vel אלישבת, *Deus meus requies.* At si verum dicere volumus, pleræque id genus originationes, earumque rationes, oppido incertæ sunt.

IX. Eadem qui ex filiabus Aaronis & simul cognata Mariæ esse potuerit?

IX. Omisso itaque nomine ipsam attendamus: atque id primum, quod fuisse dicatur *ex filiabus Aaronis,* familia Sacerdotali. Quod additum, ad nobilitatem Johannis ex utroque sanguine commendandam. Cæterum non parvam creat difficultatem. Si enim *ex filiabus Aaronis* fuerit, qui fieri potuit, ut eadem *cognata Mariæ foret:* quod asseritur com.

com. 36. quum constet Mariam ex tribu Judæ, & Davidis familia, fuisse prognatam? si quidem verum sit, quod multi credunt, interdictum Israëlitis Divina lege fuisse Num. XXXVI: 6. ne extra suam quisque tribum uxorem ducat. Ad quam difficultatem tollendam observant multi, exemtos ea lege fuisse Sacerdotes. Certe Levit. XXI: 7. muliere quidem *meretricia*, *profanata*, *& repudiata* iis interdicitur; casta Israëlitide ex alia tribu non interdicitur. Adde, quod talium connubiorum in laudatissimis etiam Sacerdotibus exempla exstent. Aaronem ipsum taceo, qui *Amminadabi filiam*, *sororem Nahessonis* Exod. VI: 22. *principis filiorum Judæ* 1. Chron. II: 10. uxorem duxit. Hoc enim matrimonium lege lata anterius est. At supra exceptionem omnem est, quod *Jojada*, vir sanctissimus, idemque *Sacerdos Maximus*, non existimaverit sibi nefas esse, *filiam Regis Joram*, ex *Judæ* tribu, & *Davidis* domo, in matrimonio habere. 2. Chron. XXII: 11. Quod enim de Pontifice dicitur Levit. XXI: 14. *Virginem e populis suis ducito uxorem;* id *Philo* quidem *lib.* II. *de Monarchia*, adstringit ad eandem tribum, ut sit ἱέρειαν ἐξ ἱερέων, ἵνα ἐκ μιᾶς οἰκίας, καὶ τρόπον τινὰ τοῦ αὐτοῦ αἵματος ὦσιν ὁ νύμφιός τε καὶ νύμφη *puella sacerdos ex sacerdotibus, adeo ut sponsus sponsaque sint ex una domo, & eodem quodammodo sanguine.* At neque Lex Divina id habet, neque Josephus, aut Talmudistæ. Non fuit Pontifex ulli tribui alligatus, modo virginem Israëlitidem duceret: sive, ut apud Ezechielem est XLIV: 22. *virginem e semine domus Israëlis.* Hoc est מעמיו, *e populis suis.* Ex hac hypothesi fieri potuit, ut aliquis majorum Elisabetæ, Aaronides, uxorem sibi ex tribu Judæ sumserit, Mariæ parentibus cognatam. Et sic difficultas evanescit. At pergo ulterius. Legem universalem de matrimoniis extra tribum non contrahendis nuspiam locorum invenio: sed bene contraria sanctissimorum virorum exempla. Certe *David Judæus*, filiam habuit *Saulis Benjaminitæ.* Neque de tribuum distinctione cogitavit Caleb, quum *cuivis percutienti & capienti urbem Sephir* filiam suam *Acsam* in uxorem pollicebatur. Jud. I: 12. Quod autem Num. XXXVI: 6. præcipitur, est determinatio specialis casus in virginibus ἐπικλήροις, ad quas, omni virili stemmate defuncto, tota paterna hæreditas devoluta est, quarum matrimonia non solum suæ tribus, sed & suæ familiæ hominibus adstricta erant. Nihil itaque obstat, quo minus aliquis ex Mariæ majoribus, Davidis domo oriundus, fœminam sibi, ex tribu Levi, & Aaronis familia desponsaverit, quæ Elisabetam propinqua cognatione attingeret. Adeo pugnantia non sunt, esse ex *filiabus Aaronis*, & esse *cognatam Beatæ Virginis.*

X. Uterque laudatur ut justus: atque hac occasione examinatur Cameronis sententia, statuentis צדיק *illustriorem esse titulum quam* חסיד.

X. Illustri encomio tam Zachariam quam Elisabetam ornat Lucas com. 6. *Erant autem justi ambo in conspectu Dei, incedentes in omnibus* ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι *mandatis & constitutionibus Domini inculpate.* Animadversionem suam meretur doctissimi *Cameronis* observatio. Ex cujus mente Hebraice צדיק *sanctum* & *religiosum* significat; estque illustrior titulus quam חסיד, quod simpliciter *pium* & *probum* notat. Et חסיד etiam *plebejis*, modo probi sint, tribuitur; at צדיק non nisi *eminentioribus.* At pace Viri eximii dicere liceat, in hac observatione eum tam a Scriptura, quam a Rabbinis destitui. Scriptura an multum distinguat inter צדיק & חסיד vix dixero. Vi vocis צדיק *δίκαιος* eum notare videtur qui est innocens, habens jus standi in judicio, immunis a condemnatione, & qui operam dat virtuti, sincere & serio recta faciens. Sic Noachus fuit איש צדיק תמים *vir justus integer.* Gen. VI: 9. חסיד est ὅσιος, ἀγαθὸς, studiosus boni ex boni amore, religiosus, zelans pro lege. Et profecto præstantissimis hominibus, ad designandam eorum præstantiam, tribuitur Psal. LXXXVI: 2. *Custodi animam meam,* כי חסיד אני *quia pius sum.* Ps. IV: 4. *Scitote quod separaverit sibi Jehova* חסיד *τὸν ὅσιον.* Sic & Moses de Levi Deut. XXXIII: 8. *Tummim tui & Urim tui* לאיש חסידך *viro studioso tui.* Denique hoc titulo ipse se honestari Christus credidit Ps. XVI: 10. Nec ullo, quod sciam, ex sacris exemplo probari potest, vocem צדיק *δίκαιον* illustrioris significationis esse. Ad Rabbinos ubi deventum erit, patebit clarissime *τὸν* חסיד *τῷ* צדיק præferri. צדיק ipsis est העושק בתורה *qui studet legi.* חסיד autem העושק ברבית לתורה, *qui studet auctario legis.* Vide sis prolixe hæc deducentem *Scaligerum in Elencho cap.* XXII. Adde *Drusium de Trib. Sect. lib.* I. *cap.* XI. Ubi hæc ex Hebræis habet: *Non vocatur* חסיד *nisi qui non peccavit cunctis diebus suis* מעקרו *a radice sua.* Et, *dignitas* חסיד *sancti est supra timentem Dei.* Eodem recidit *Cocceji* observatio ad Deut. XXXIII. §. 1613. *Dicunt Hebræi per* חסד *significari* תוספת הטובה לפנים משורת הדין accessionem vel cumulum boni intra lineam judicii. *Omne enim quod fas, quod purum, quod decorum conscientia proponit, hoc amare, hoc conari, & alteri velle, & enixe procurare est* Chesed: *& qui hoc agit* Chasid *dicitur: & ad Deum* Chasid Jehova, *qui quod est rectum in oculis Dei id enixe vult, & facit: non qui propter iram hoc & illud malum omittit, & a lege præceptum facit.* Notissima etiam hominum in tres classes tributio est. I. רשעים *Impiorum,* qui dicunt proximo, *Tua mea sunt, mea autem sunt mei solius.* II. צדיקים *Justorum,* quorum hæc est oratio, *Tua tua sunt, & mea mea sunt.* III. חסידים, ὁσίων, ἀγαθῶν, *Sanctorum*, qui sic loquun-

loquuntur, *Mea tua quoque sunt, at tua tui solius* Et sunt majorum gentium Interpretes, qui eo respexisse Paulum credunt Rom. v: 6, 7. ubi distinguere videtur ἀσεβεῖς, δικαίους & ἀγαθούς. Cæterum ita hæc a me annotata sunto, ut nihil derogetur laudibus Cameronis, nihil deteratur virtutibus Zachariæ & Elisabetæ.

XI. De quibus vix quidquam præstantius testari Divus Lucas potuit, quam quod justi fuerint *in conspectu Dei*, hoc est, sine ulla simulatione ac fuco. Quum enim Deus corda & scrutetur & libret, placere ipsi nil potest quod non sincerum sit ac solidum. Quod additur, fuisse ἀμέμπτους *inculpatos*, facile largior *Grotio* ad homines commode referri; ut indicetur, non conscientiam tantum puram illis fuisse, sed & famam integram. Prorsus sicut Paulus, προνοούμενοι καλὰ οὐ μόνον ἐνώπιον κυρίου, ἀλλὰ ἐνώπιον ἀνθρώπων. 2. Cor. VIII: 21. Confer Phil. III: 6. Sed non æque expeditum est, an & qua ratione distinguantur αἱ ἐντολαὶ, & τὰ δικαιώματα τοῦ κυρίου, in quibus incessisse narrantur. *Grotius*, quem modo laudavi, attendi jubet ad Deut. IV: 40. Ubi in Hebræo est ושמרת את חקיו את מצותיו. LXX habent, καὶ φυλάξῃ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ καὶ τὰ δικαιώματα αὐτοῦ. Assentitur autem Hebræis, existimantibus voce מצות quam δικαιώματα vertunt Hellenistæ, indicari ea, quæ generaliter Lex præscribit, qualia sunt quæ æquitatem in se naturalem continent. Nam & ita Paulus loquitur, ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ. Rom. II: 26. Proinde חקים ἐντολὰς, aut, ut alibi vertunt LXX, νόμιμα, cum eisdem Hebræis interpretatur speciales illas determinationes quæ *jus positivum* vocari solent, quippe quum & Paulus idem jus vocet νόμον ἐντολῶν. Eph. II: 15. Fatetur interim non observari perpetuo hoc discrimen. Nam & ἐντολὰς vocari præcepta morum, uti Mat. XIX: 17, 18. XXII: 36, 37, 38. & δικαιώματα quædam quæ ad ritus pertinent, uti Hebr. IX: 1. Hanc tamen, quam dicit, maxime receptam & propriam putat esse vocum interpretationem. At longe aliter instituit Venerabilis *Beza*: notans, vocibus Hebraicis מצות, חקים, ומשפטים respondere has Græcas, ἐντολὰς, δικαιώματα, κρίματα. Unde colligit, probabilem sibi videri eorum opinionem, qui, quoties ista conjunguntur, τὰς ἐντολὰς exponunt eam legis partem, quam *Moralem* vocant: δικαιώματα vero sacros ritus, totamque adeo *Ceremonialem* Legem: κρίματα denique eam partem, quæ ad civilem politiam & forenses controversias pertinet, quam *Judicialem* appellant. Atque hac distinctione posita, subjungit, manifestam esse caussam, cur Lucas non solum mentionem fecerit τῶν ἐντολῶν, sed & τῶν δικαιωμάτων; quia nimirum Zacharias unus erat ex

XI. Ἐντολαὶ & δικαιώματα quid differant.

Sacerdotum principibus: item cur tertiam Legis speciem præterierit; quia videlicet judicia, maxima ex parte, penes Romanos erant. Ab utroque dissentit *Ligtfootus*, in *Horis ad hunc locum*, qui, quamvis observet חקים & חקות frequentissime a Græcis reddi δικαιώματα, quod, vice plurium exemplorum, satis patet ex Psalmo CXIX. ubi plus vicies id usu venit: attamen æquo forsan curiosius esse credit, ἐντολὰς ad Decalogum referre, δικαιώματα ad præcepta Cerimonialia. Quod mihi non improbatur. Vix enim ex sacris literis trium istarum, tam Hebræarum quam Græcarum vocum, determinata distinctio demonstrari potest; quum promiscue sæpe usurpentur. Fortassis omnia Dei mandata & מצות ἐντολαὶ dici possunt propter *præcipientis auctoritatem*, & חקים propter *definitionem* & *determinationem*, quippe quibus nihil addere aut demere liceat, & משפטים κρίματα, quod sint *regula judicii*; & δικαιώματα quod sint certa omnis *justitiæ norma*. Omissa itaque scrupulosiori vocabulorum distinctione, ad Zachariæ & Elisabetæ laudem sufficiat, quod in quibuscunque legis Divinæ mandatis, sine ulla ullorum exceptione, constanter ambulaverint. In *omnibus*, dico: qui enim in aliquibus tantum morem Deo gerere instituit, aliqua vero eximit, quæ suo sibi arbitratu agat, is non Deo paret, sed sibi placet. Veræ obedientiæ fundamentum est præcipientis auctoritas: quæ quum in omnibus præceptis eadem sit, cuncta etiam ex æquo obligare censendum est. Quibus tamen ex verbis ab omni illos peccato immunes fuisse concludere non licet. Nam & ipse Evangelista incredulitatis ἁμάρτημα in Zacharia notat. Certe magni Ecclesiæ soles, eclipses suas, & vel fidei, vel sanctitatis, vel patientiæ deliquia quandoque passi sunt: ut omnes in perpetuo lucentem justitiæ solem Christum intenti, inde luminis sui constantiam quotidie petant.

XII. Non sine mysterio est, quod Johannes aliique eximii viri ex sterilibus & effœtis parentibus nati sint.

XII. Tales quum essent Zacharias & Elisabet, prole tamen diu caruerunt: nam & *Elisabeta sterilis erat, & ambo jam provecti ætate.* com. 7. Pollicitus quidem cultoribus suis in lege per Mosen lata Deus est, quum aliarum rerum felicitatem, tum & lætam florentemque sobolem. Exod. XXIII: 26. Deut. VII: 14. & alibi. Neque tamen, ut eleganter commentatur *Grotius*, id impediit, quo minus Deus, legis suæ dispensator & arbiter, interdum piorum patientiam, ut aliis adversitatibus, ita & infæcunditate experiretur; majora interim illis bona præstans intra animum, quam externa erant quæ negabantur. Nota sunt sterilium fœminarum exempla, Sara, Manoæ uxor, Anna uxor Elcanæ, aliaque. Quod probro ipsis verti solebat. Populus enim ex rebus externis cuncta dijudicans, quamvis in vita ipsarum

ipsarum nihil haberet quod reprehenderet, facile in eam suspicionem ex negata sobole incidit, latentem aliquam culpam hærere. Cæterum id præcipue nostra nunc observatione dignum esse videtur, quod aliquoties Deus ex parentibus natura atque ætate sterilibus eos nasci voluerit, quos in eximios Messiæ, ex virgine proditури, typos destinaverat. Hujus enim rei, quum non nisi unicum in Christo deberet esse exemplum, vix melior cogitari potest præfiguratio, quam nativitas ex parentibus sterilibus & effœtis. Notetur illud in Isaaco, Simsone, Samuele, nostroque Johanne.

XIII. At quantum humanis Divina sæpe distant consilia! Omnem suscipiendæ prolis spem dudum animo exuerat Zacharias. Verum vice sua sacris operanti, inopinato apparet Angelus Gabriel, pio seni, præter exspectationem, & supra vota, mirabilis filii nativitatem promissurus. Accidit id, *quo tempore secundum ritum functionis sacerdotalis sortitus fuerat suffitum faciendi munus, & ingressus erat in templum Domini*, Jusserat Deus ex variis aromatibus fragrantissimis suffitum confici Exod. xxx: 34. rite sibi adolendum: *semel quotannis* in sacrario intimo, per Sacerdotem Summum, illiusve, si pollui ipsum contingeret, vicarium; *bisque quotidie*, in sacrario exteriore, semel mane, vesperique semel, per Sacerdotem sorte delectum. Ad quotidianam suffitionem, si qua sit Judæis fides, tres adhibiti fuere Sacerdotes. Primo id negotii datum ferunt, ut cineres aræ inauratæ, in sanctuario positæ, in aureum quoddam vas congereret. Alteri ut candentes prunas, ex ara victimaria petitas, & batillo cuidam inditas, aræ auratæ admoveret. Quibus duobus sancto egressis, tertius, jam aræ adstans, a Præside foris stante monitus, suffitum e thuribulo manu sumtum in aræ focum porriciebat. Quo facto & ipse exibat templo. Ita tamen, ut prius corpore versus intimum adytum summa cum reverentia inclinato, Dei nomen adoraret. Vide *Outramum de Sacrific. lib.* I. *cap.* VIII.

XIII. *Non annum, sed quotidianum suffitum Zacharias fecit, non in sancto sanctorum, sed in sancto.*

XIV. Ea nunc provincia Zachariæ obtigisse videtur: & quidem *sorte*. Quæ ita intelligenda sunt, non ut sors respiceret familiam sive Classem alteri successuram, (de eo enim jam erat constitutum) sed Sacerdotes cujusque familiæ, ut singuli scirent, quænam sibi partes forent demandatæ. Omnia enim in ministerio quotidiano sorte distributa sunt, tum Sacerdotibus, tum Levitis: quis holocaustum offerret, quis pacifica, quis mane, quis vesperi, quis sacrificium jugularet, quis sanguinem effunderet, quis altare excineraret, quis suffitum faceret. Quod illi præ cæteris sorte experiebantur, qui nunquam thymiama obtulerant; ut excluderetur nemo. De quibus rebus

XIV. *Ut gregarius Sacerdos, sorte, uti jus erat, ad id delectus.*

prolixe & docte agit *Ligtfotus de Minist. Templ. cap.* IX. Valde autem expetebant Sacerdotes, ut suffitum sibi facere liceret, quod compertum esse crederent omnia iis bene & ex animi sententia succedere quibus id contigerat. Itaque ut plures ejus felicitatis fierent participes, sorte delecti sunt. Quæ quum ita sese habeant, palam est in manifesto eos errore cubare, qui de annuo suffitu, in die Expiationis faciendo cogitant; indeque colligunt Zachariam vel Pontificem fuisse vel saltem illius vicarium.

XV. *Contra quam credidit Erasmus.*

XV. In iis est, quod nollem, magnus *Erasmus* noster; cui in Paraphrasi sua ita commentari lubuit. *Quum Zacharias sacerdotii munere fungeretur, jamque, ex more, sorte deligendus esset, qui introiret in secretissimum Templi secessum (quo nemini fas erat ingredi præter Pontificem, aut hujus loco designatum) ex præscriptis odoribus, stacte, onyche, galbano ac thure pellucido, sacrum suffitum poneret in altari quod erat in secreto Templi recessu.* Profecto si nostra ætate vixisset Erasmus, non in eum commentatus esset modum. Plurimi enim hic occurrunt & concurrunt errores. Error est, vel Pontificem, vel illius vicarium, sorte ad obeunda sibi munera esse electum. Error est, altare suffituum in secretissimo fuisse templi recessu. Error est, Pontificem expiationis die sacrum suffitum, isti diei proprium, posuisse in altari. Nam sinistra thuribulum suffitus pugillo, dextra batillum prunis candentibus refertum tenens, in adytum intimum penetrabat, batilloque de manu posito, suffitum in prunas porriciebat, adyto densa nube replendo. Denique nullo prorsus argumento vel constat, vel probabile saltem sit, diem, quo hæc acciderunt, magnum illum expiationis diem fuisse: quod credibile est, Lucam aliquo saltem indicio fuisse moniturum. Contrarium vero sic conficit *Ligtfootus*, in *Harmonia* IV *Evangelistarum*: Sacerdotum Classes, vel a tempore quo primum cultus in Templo celebrari occœpit, vel ab initio anni Ecclesiastici, vel Civilis, vel ab aliquo trium festorum maxime solennium, vices suas obire inceperunt. At vero a quocunque horum exorsæ fuerint, plane impossibile est ut octava Classis circa diem Expiationis ministraret. Considera sis Kalendarium Ephemeriarum quod Vir doctissimus exhibet.

XVI. *Ipso intus agente, tota populi multitudo precabatur foris. Quod claratur ex antiquis*

XVI. Dum sacris in Templo operabatur Zacharias, *tota populi multitudo foris precabatur tempore suffitus.* com. 10. Hora precationis semper in Templo erant *Sacerdotes* Classis tunc ministrantis, & *Levitarum* iis servientium Classis integra, cum *viris Stationariis* totum Israëlem repræsentantibus, & denique cujuscunque generis *Israelitæ*, quos spontanea eo trahebat devotio. Ea multitudo, suis singuli locis, sed omnes foris, sub dio, precabantur. Incipiente oblatione

Holo-

Holocausti, tubicines tubis clangere, & cantores voce modulari cœperunt, populo interea se incurvante, & preces fundente, usque dum holocaustum esset absolutum. 2. Chron. XXIX: 27, 28. Tunc fiebat suffitus: cujus tempus indicabatur pulsatione nescio cujus vasis aut instrumenti, quod Talmudici מגרפה *Migrepha* appellant: quod pulsatum tantum edidisse sonitum hyperbolice, ex more suo, jactant, ut eo durante neminem quis loquentem Hierosolymis audire potuerit. Eo signo dato, quotquot in atrio erant, apud aram holocaustorum, illi recesserunt ex eo loco qui est inter templum & altare, & subduxerunt se exterius. Qui in aliis atriis erant, non mutabant locum, sed contulerunt se ad orationes silenter habendas. Prudenti sane instituto. Quum enim suffimenta sacra ita populi preces adumbrarent, ut Sacerdos altera Deo adolens alteras etiam ritu symbolico illi comendare censeretur; par erat ut eodem tempore utraque illa sacra fierent. Orationum autem quatuor habebant formulas, quarum ultimam adscribere lubet. Ea concepta in hæc verba fuit: *Da pacem, & benignitatem, & benedictionem, gratiam, misericordiam & commiserationem nobis & universo populo tuo Israelis. Benedicito nobis, o Pater noster, immo nobis omnibus instar unius viri, luce vultus tui. Nam in luce vultus tui, Tu, o Domine Deus noster, dedisti nobis Legem vitæ, & misericordiam amoris, & justitiam, & benedictionem, & commiserationem, & vitam, & pacem. Placeat tibi benedicere populo tuo Israeli omni tempore. In libro vitæ cum benedictione & pace, & sustentatione, fac ut memoremur ac scribamur coram te, nos & omnis populus tuus, domus Israelis.* Vide sis *Ligtf. Minist. Temp. cap.* IX. *sect.* VI. Non est improbabile ad hos ritus alludi Apoc. VIII: 1, 2, 3. *Hebræorum ritibus.*

XVII. Hoc ipso tempore, *hora suffitus, visus est Zachariæ Angelus Domini, stans ad dextram altaris suffitus.* com. 11. Quoniam duæ horæ suffitus erant, altera *matutina*, quando purgabantur & parabantur lucernæ, altera *vespertina*, quando accendebantur Exod. XXX: 8. quæritur utra heic loci intelligenda veniat. Illustris *Grotius* verbo respondet, *Mane*: nullo addito argumento. *Scultetus* credit, *Vespera.* Quia & Danieli Angelus apparuisse scribitur *circa tempus vespertinæ oblationis.* Dan. IX: 21. hoc est, inquit, inter mediam tertiam & mediam quartam pomeridianam. Mihi equidem *Non Liquet.* Deus enim tempora sive oportunitates in sua ipsius auctoritate statuit. De quibus nihil nobis judicare fas est, nisi quatenus ipse revelavit. A longo tempore rara tunc fuisse videtur Angelorum apparitio. Verum instante Messiæ nativitate, qui cœlum terræ juncturus, & utriusque commercia renovaturus erat, eædem incipiunt esse crebriores. Stabat

XVII. Hora suffitus, incertum matutina an vespertina, apparet Zachariæ Angelus ad dextram altaris.

bat Angelus Zachariæ apparens *ad dextram altaris*. Quod boni ominis signum ab omnibus fere gentibus habitum fuit. Hinc notissima illa: *Dexter ades*, & *Dexter adi pede sacra secundo*. Ibi locorum Angelum cuiquam cum nuncio apparuisse, nunquam, quantum memini, visum auditumve est. In desuetudinem nunc abierat usus Urim & Tummim; qui prisci erant Divinæ voluntatis Interpretes. Silebat nunc Arcæ, quæ nulla erat, oraculum. Quoniam tamen magni res momenti indicanda homini sacris operanti erat, in sancto ipso, novo more, Angelus apparet, illum prænunciaturus Angelum, qui mox venturo Angelo fœderis viam sterneret.

XVIII. *Cui nomen Gabriel, plurima significatione factum: non appellativum, sed proprium.*

XVIII. Denique GABRIELI sibi nomen esse testatur com. 19. Non lubet nunc in prolixam de Angelorum nominibus disputationem excurrere. Duo duntaxat in iis quæ indubitatæ auctoritatis sunt voluminibus inveniuntur, *Michael* nimirum & *Gabriel*. De illo integra Exercitatione non indiligenter nuper disputavimus. De hoc paucula nunc sunt monenda. גבריאל varie reddi solet. Verti potest *Vir Dei*, sic ut Jod sit litera paragogica, ut in מלכיצדק *Melchizedek*, quo significatur *Rex justitiæ*. Vel etiam, *Herus meus est Deus*; denique, *virtus mea est Deus*. Quocunque interpreteris sensu, notatur semper aliquid quod Angelo dignum est. *Vir* enim *Dei* dici potest, quia sub *viri* specie apparens *Dei* res apud homines agebat. Et quamvis dignitate potestateque esset præstantissimus, lubens tamen se non nisi servum, *Deum* autem *Herum* suum esse fatetur: *eique soli* omnem quam habet *virtutem* ac potentiam *acceptam fert*. Improbum superbumque tam priscæ quam recentioris Babelis molimen est, ex suo sibi robore Deum suum facere. זו כחו לאלהו Hab. 1: 11. At digna res valentissimi est Angeli modestia, in solius Dei, non ulla sua potentia, gloriari. Haut equidem assensum impetrat Celeberrimus Interpres, qui nomen hoc *non unius Angeli proprium* esse disputat, sed *omnibus myriadibus sanctis commune*, ex quibus unus loquitur nomine Dei ad homines, quod ad glorificandum Deum facit. Nam sane apud Danielem *vir ille Gabriel*, uti persona singularis, nomine isthoc suo ab aliis distinguitur. Uti hic quoque: *Ego sum Gabriel*.

XIX. *Qui quum dicitur adstare coram Deo indicatur functionis eminentia: estque aliquoties ad-*

XIX. Præsertim quum addat, ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *qui adsto coram Deo*. Quam locutionem ex Orientalium aulis desumtam esse, norunt nunc omnes, ut significetur præcipuorum & principum aliquis, אחד השרים הראשנים, uti apud Danielem est cap. x: 13. Hic est ille Angelus, qui bis ad Danielem missus, primo ipsi Antichristi, sub persona Antiochi, mysterium, dein de Messiæ adventu, morte, beneficiisque inde in electos redundaturis, revelavit. cap. VIII:

VIII: 16. & IX: 21. Hic idem nunciavit Zachariæ, conceptionem & nativitatem Johannis; Mariæ, conceptionem & nativitatem Messiæ. Ad ea hominibus indicanda a Deo adhibitus, in quibus potentia gloriosæ gratiæ singulari ratione elucet. Ut hic quoque sapientissima inter nuncios quos defert, & nunciantis nomen, convenientia cerneretur. Quum enim Angeli nominibus inter se non indigeant, prorsus credibile est, nomina ipsis a ministeriis quibus adhibentur imposita esse. Gabriel itaque dicatur is, quo ad summam potentiam suam indicandam utitur Deus. Sed & aliud subesse callide monuit Illustris *Grotius*: *hujus nominis recitatione Zachariam ad Danielis librum revocari: quasi dicat Angelus, Mirari noli, si quid nunc eximium & quod naturam superat Deum effecturum esse prænunciem. Instant enim illa tempora Danieli indicata, quibus potentiam suam amplissime exserturus est Deus.*

...hibitus, ad ea nuncianda, in quibus potentia gratiæ Dei elucet.

XX. At quantumvis læti nuncii lator Angelus iste foret, ad conspectum tamen rei tam augustæ, tamque inopinæ, terrore ac timore, ut fieri in talibus assolet, turbatus est Zacharias. Qua importuna nimiaque consternatione valere jussa, mox quas quantasque res adferret blanda oratione Angelus exponit. Harum summa erat: *exaudita deprecatione ipsius*, futurum esse ut uxor Elisabet gigneret ipsi filium cujus nomen vocandum sit Johannes. Quamvis dubitandum non sit, quin frequentibus a Deo precibus filium petierit Zacharias, non tamen de isthac nunc oratione agi existimo. Ea res grandævis conjugibus pro desperata & conclamata habebatur. Tantumque abest, ut ob eam nunc supplicaverit Zacharias, ut vix Angelo, sponte eam promittenti, habuerit fidem. Neque id nunc sibi operæ datum esse credebat sanctus Sacerdos, ut, communi populi nomine in Sanctuarium ingressus, suam privatim caussam ageret: sed publicas Israëlis preces, quarum formulam nuper exhibui, una cum suffitu offerebat, & commendabat Deo. Vel igitur ad veteres Zachariæ pro filio preces respexerit Angelus, ut, quamvis sero admodum, tandem tamen exauditas esse moneat: vel, quod malim, ad præsentes publicasque. Has dicit esse exauditas: instare enim tempus illud pacis, benignitatis, gratiæ, & lucis ex facie Dei splendentis, & in Messia conspiciendæ, cujus anteambulo destinatus sit is, qui Zachariæ nasciturus esse prænunciatur filius. Qui non ipsi solum, sed & permultis aliis, ingens gaudii atque exsultationis futurus erat materies.

XX. Nunc Zachariæ annunciat, exauditas esse preces ipsius, non tam privatas, quam publicas.

XXI. Hunc JOHANNEM vocari jubet. Pauci quidam sunt, sed non nisi insigniores viri, quorum ante nativitatem nomina, om-

XXI. Nasciturumque filium.

cujus nomen Divinitus, quod paucis accidit, prædictum, futurum sit Johannes.

nia valde notabilia, plurimaque significatione gravida, ab ipso prædicta sunt Deo. Primus eorum, quantum memini, ISMAEL est, Abrahami ex Agare filius Gen. XVI : 11. ab *exauditione Dei* sic dictus, quod audiverit Deus afflictionem Agaris; sicut & audivit pro ipso deprecationem Abrahami; hactenus ut promiserit ipsi benedictionem, & insigne incrementum, ut duodecim ex eo proditurí sint principes, ipséque pater futurus gentis magnæ. Gen. XVII: 20. Alter est frater ejus, ætate quidem minor, sed cæteris rebus omnibus major, ISAACUS, Gen. XVII: 19. a *ridendo* denominandus; partim propter matris Saræ risum, cujus nomine ab Angelo objurgata est; XVIII: 12, 13. partim propter gaudium quod allaturus matri suæ erat. *Dixit Sara: risum fecit mihi Deus, quisquis audiet, arridebit mihi.* cap. XXI : 6. Tertius est JOSIAS יאשיאהו 1. Reg. XIII: 2. quod vertunt *ignem Domini*, vel *ardentem Domini*, qualem se revera monstravit incomparabili isto in reformanda religione zelo, & exustione ossium super altari idololatrico, ipsiusque denique excelsi & luci combustione & in pulverem redactione. 2. Reg. XXIII: 15, 16. Quartus est CORES, pro quo CYRUM dicunt. Jes. XLIV: 23. XLV : 1, 3. quo nomine, si *Ctesiæ* & *Plutarcho* fides, *Solem* designabant Persæ. Quod & vere fuit, non suæ solum gentis splendidissimum jubar; sed qui, ex Dei destinatione, libertatem & in patriam reditum populo Israëlitico promulgans, lætiores iis sereonioresque dies affulgere fecit. Quintus noster JOHANNES est, quem sequitur JESUS. Johannes autem, יוחנן, nomen habet *a gratia Jehovæ*, quæ se in illius nativitate, vita ac ministerio exsertura erat luculentissime: secundum Jesaiæ illud cap. XXX: 19. חנון יחנך לקול זעקך, *omnino præstabit tibi gratiam, ad vocem clamoris tui.* Ratio nominis in sequentibus est: *erit tibi gaudio & exsultationi, multique super ejus nativitate gaudebunt.* Merito ergo, suo loco & ordine, *Charilaus* dici posset. Hinc pergit Angelus narrare, quantus qualisque sit futurus, & quo functurus officio; de quibus commodior dicendi locus erit, ubi eorum omnium complementum in vitæ ipsius cursu expendemus. Id solum hic observasse suffecerit: quibus verbis *Angelus Jehovæ* (hoc enim notat *Malachias*) prophetias Veteris Testamenti claudit; iisdem Angelus Gabriel instantis Testamenti Novi præconium inchoat. Mal. IV: 5, 6. coll. cum Luc. I : 17. Idem lapis, *Jaspis*, qui *ultimus* erat in *Pectorali veteris Pontificis* Exod. XXVIII: 20. *primus* est in *fundamentis Novæ Hierosolymæ*. Apoc. XXI: 9.

XXII. *Quamvis admodum similia Za-*

XXII. Ad Zachariam nostrum redeamus: cui tam grandia, tamque insperata eveniebant hæc omnia, ut fidem superare viderentur: κατὰ τί, inquit, γνώσομαι τῦτο; *Quo argumento cognoscam illud? ego*

enim

enim senex sum, & uxor mea provecta est ætate. com. 18. Nimirum hoc est quod Paulus dicit 1.Cor. 1: 22. *Judæi signum petunt.* Iisdem verbis usus Pater credentium Abrahamus est Gen. xv: 8. ארני יהוה במה ארע *Domine Jehovi, quo cognoscam?* Et non modo increpationem effugit, sed & laudem consequitur. com. 6. *Credidit Deo, & imputatum ipsi est in justitiam.* Imo in simili promissione non absimilis fuit ejus oratio. Ridens enim in animo suo dixit: *An nato centum annos nascetur proles? an etiam Saræ? an nata nonaginta annos pariet?* Petiitque ut in Ismaële promissa Dei verificarentur. Gen. xvii: 17. Et tamen non solum blanda ei oratione respondet Numinis benignitas; sed Paulus in hoc ipso negotio, quæsitissimis elogiis fidem ejus prædicat Rom. iv: 18, 19. *Contra spem, sub spe credidit — ac minime infirmus fide non consideravit suum ipsius corpus jam emortuum, quum centum circiter natus esset annos, nec emortuum uterum Saræ.* Mirari subit, cur tam indulgenter Deus (qui utique προσωπολήπτης non est) Abrahamum habuerit, ut vix ei tam notabilia fidei deliquia imputasse videatur; quum tamen eadem tam severe increpari voluerit in Zacharia. Verum opportune in mentem venit, quod commodissime huic rei applicatur, vetus dictum: *Duo quum faciunt aut dicunt idem, non est idem.* Deus non scrutatur solum & explorat, sed & *expendit corda lancibus justitiæ.* Job. xxxi: 6. Novitque accuratissime quantum in cujusque animo fidei sit, non solum quoad sinceritatem, sed & quoad soliditatem & pondus. Unde fit, ut quamvis verba & facta externa eadem sint, aliter tamen & diversimode de eadem dicentium & facientium animo arbitretur. Cognovit itaque, quod nobis hominibus datum non est cognoscere, minus incredulitatis, plus fidei in corde Abrahami quam Zachariæ fuisse, licet eodem propemodum sermone uteretur. In Abrahamo, repentina incredulitatis motio, mox superata per fidem, ignoscibilior fuisse videtur, quam Zachariæ incredulitas; quoniam Abrahamus nulla ante se similis rei exempla habebat, Zacharias autem Abrahami & Manoæ historiam ignorare non poterat; ad quam, rei magnitudine perculsum, parum attendisse liquet. Porro quod signum Zacharias petat, eo tempore quo miracula dudum desierant, majorem indicare videtur diffidentiam: quum tamen propter Angeli apparitionem, minus isthac ætate usitatam, minus etiam dubitare oportuisset. Præsertim si recte attendisset ad locum & tempus hujus annunciationis; quæ eo loci facta est, ubi audiri sueverunt Divina oracula, & mox post effusas preces, quibus respondebatur appositissime. Quibus observationibus incredulitatis crimen haut parum gravatur.

chariæ & Abrahami verba sint, hujus tamen laudatur fides, illius increpatur incredulitas.

XXIII. Puniturque sic, ut repente mutus & surdus fiat.

XXIII. Quod ita redarguit Angelus, ut simul signum petenti indulgeat. *Ecce*, ait, ἔσῃ σιωπῶν *silebis, nec loqui poteris, ad eum usque diem, quo hæc fiant; eo quod non credidisti sermonibus meis, qui implebuntur suo tempore*, 20. Facile assentior Viris eruditissimis, qui non oris solum sed & aurium usum Zachariæ ademtum esse opinantur. Non ob eam modo caussam, quod utramque partium mira inter se χέσις arctusque nexus sit: sed magis, quia com. 22. dicitur, καὶ διέμενε κωφός. Quæ vox ambigua tam *mutum* quam *surdum* Græce, attamen & apud LXX. & in Evangeliis sæpius hunc quam illum notat. At maxime, quia amici non sermone aliquo, sed nutibus cum Zacharia locuti esse narrantur com. 62. quod surdo quidem fieri necesse fuit, muto autem aurium usum habenti nequaquam. Apposite in hanc rem laudavit *Lightfootus* Talmudicorum illud ex codice Gittim, חרש רומז ונרמז, quod Græce diceretur, κωφὸς διανεύει αὐτοῖς, καὶ διανεύεσιν αὐτῷ, *Surdomutus nutat, & nutatur ei.* Porro mutum eum esse factum, mox ab egressu ex Sancto, ubi diuturniorem solito moram fecerat, sive prolixiori Angeli sermone, sive suo stupore, aut utraque simul caussa detentus, toti populo deprehensum est. Sacerdotis enim erat, finito in Templo cultu, populo, antequam dimitteretur, solenni carmine benedicere. Quod ex more facturus Zacharias hæret, non faciente officium lingua. *Agnovit autem populus eum visionem in Templo vidisse*: non ex mera conjectura, quæ perquam exigua, aut nulla potius, probabilitatis suæ habuisset argumenta; sed ex ipsius Zachariæ nutibus, quibus, quid sibi evenisset, quo poterat modo indicabat.

XXIV. Quo in signo multa concurrunt notabilia.

XXIV. Multa in hoc signo concurrunt observatu dignissima. Atque illud quidem primo, quod insignem & admirabilem prorsus Divinæ *severitatis* & *lenitatis* mixturam præ se ferebat. *Severitatis* erat, ad plures menses linguæ atque aurium usu esse privatum. *Lenitatis*, quod eadem illa res & pro signo dabatur ad firmandam promissionem, & nec amplius duratura, quam ad eum usque diem, quo promissionum visurus erat complementum. Sed & prædicanda hic *Sapientia* Dei venit; tum quod in ipso Sacerdote signum exstare voluerit, quippe qui ex nimia sui ipsius consideratione de Angelici sermonis certitudine dubitaverat; tum quod in pœna exacte appareat criminis ratio, quum surdus factus sit, quod voci Angelicæ non auscultaverit, mutus, quod ei contradixerit. Denique conticescere paullatim oportuit omne Levitici apparatus Choragium, quod ominoso hoc Sacerdotis silentio præfiguratum est, ut sola Messiæ docentis ac benedicentis vox in Ecclesia audiretur. Lubet hic Lectori exhibere *Isidori Pelusiotæ Epistolam*

257.

257. lib. I. cujus hæc est Inscriptio: περὶ τῆς τοῦ Ζαχαρίου κωφεύσεως. Ea vero sic habet. Ἀνατέλλοντος φωτὸς, ὁ ὄρθρος ὑποχωρεῖ. ἡλίου ἀνίσκοντος λαμπρῶς, τὰ τῶν ἀστέρων ἀμαυροῦται χορεύματα. ὅτε αἴθριος ἡμέρα ἐπιφανῇ, τὰ τῆς ἕω ἀπολήγει σκιάσματα. ὅτε ἡ τοῦ Εὐαγγελίου σοφία ἐξέλαμψεν, ἡ τοῦ νόμου παιδαγωγία ἐσχόλασεν. οὕτως κωφεύει Ζαχαρίας, τὰ τοῦ νέου καὶ παραδόξου ἀσπασμοῦ ἀκηκοὼς εὐαγγέλια. *Exoriente luce matutina diluculum abscedit. Claro sole oriente siderum chorus obscuratur. Quum purus ac liquidus dies illuxit, auroræ umbræ finem accipiunt. Quum Evangelii sapientia effulsit, legis puerilis institutio munus suum exercere desiit. Sic nempe vocis usum amittit Zacharias, posteaquam novæ atque admirandæ salutationis lætum nuncium audivit.* An mutus surdusque Sacerdos in munere sibi destinato ad ephemeriæ suæ finem perrexerit, pro certo non affirmavero. Dubitandi caussam suggerit com. 23. quo, non mox ab hac Angeli allocutione, sed impletis demum ταῖς ἡμέραις τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, domum ad uxorem abiisse dicitur. Saltem neutra harum imperfectionum inter eas numeratur, quæ ex Lege Sacerdotem muneris sui functione excludunt. Quandoquidem in plerisque illius partibus manuum præcipue usus erat; ut tolerabilior linguæ defectus esset. Cæterum Evangelii ministerium, quum potissimum in verbi prædicatione consistat, per mutos peragi non potest: quamobrem principes illius præcones, patriam solum linguam primitus edocti, & aliarum gentium respectu muti, extraordinario multarum linguarum dono munifice & mirifice locupletati sunt, nullis ut gentibus muti essent. Quam observationem *Lightfooto* me debere, candide, ut par est, fateor.

XXV. Patria Johanni fuit in montanis Judæ, probabiliter Chebron, urbs antiquissima laudatissimaque: circa quam & Abrahamo promissus Isaacus est.

XXV. Non defuit Angeli promissis fides. Exacto enim ministerii tempore abiit Zacharias domum, quam habuit *in montana regione in urbe Judæ.* com. 39, 40. Ibi imprægnata Elisabeta est. Oppido credibile est, fuisse *Chebron*, urbem sitam in montanis, Jos. XIV: 12, 13, 14. & olim a Josua filiis Aaronis datam. Jos. XXI: 11. Mira sunt quæ de urbis hujus antiquitate & celebritate *Josephus* narrat *de Bel. Jud. lib.* V. *cap.* VII. *Chebron*, inquit, *indigenæ ferunt non ejus modo terræ civitatibus, verum etiam Ægypti Memphi antiquiorem: denique bis mille & trecenti ejus connumerantur anni: hoc autem narrant Abrahamum quoque, parenti Judæorum, fuisse domicilium, posteaquam Mesopotamiæ sedes reliquit: ejusque posteros hinc ad Ægyptum esse profectos. Quorum etiam nunc monumenta exstant in eadem civitate peroptimo marmore liberaliter ædificata. Cernitur autem sexto ab oppido stadio maxima terebinthus, eamque memorant ab initio mundi creati nunc usque durare.* Ejusdem terebinthi *Hieronymus de locis Hebraicis* sic meminit: *Est quercus Mambre juxta Chebron, in qua, usque ad ætatem infantiæ meæ, &* Con-

Constantii Regis Imperium, terebinthus monstratur pervetus, & annos magnitudine indicans, sub qua habitavit Abraham: miro enim cultu ab Ethnicis habita est, & velut quodam insigni nomine consecrata. Plura de eadem hac urbe collegit *Eusebius, in libro* περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, quæ hic adscribere non pigebit. Ἀρβὼ αὕτη ἐστὶ Χεβρὼμ, κώμα νῦν μεγίστη, μητρόπολις οὖσα τὸ παλαιὸν τῶν ἀλλοφύλων, καὶ γιγάντων οἰκητήριον. καὶ βασίλεια μετὰ ταῦτα Δαβίδ. κεκλήρωτο δὲ φυλῇ Ἰούδα, καὶ πόλις ἦν ἱερατικὴ, μία τῶν φυγαδευτηρίων, Αἰλίας ἐκ νότου διεστῶσα σημείοις β πρὸς εἴκοσιν. ἡ δρῦς Ἀβραὰμ καὶ τὸ μνῆμα αὐτόθι θεωρεῖται, καὶ θρησκεύεται ἐπιφανῶς πρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡ τερέβινθος, καὶ οἱ τῷ Ἀβραὰμ ἐπιξενωθέντες ἄγγελοι. πρότερον δὲ Ἀρβὼ καλουμένη, ὕστερον ἐκλήθη Χεβρὼμ, ἀπὸ Χεβρὼμ ἑνὸς τῶν υἱῶν Χαλὲβ, ὡς ἐν Παραλειπομένοις. *Arbo, hæc est Chebron, vicus nunc maximus, metropolis olim populorum diversi generis, & Gigantum habitaculum, postea regia Sedes Davidis. Sorte autem obtigit tribui Judæ, & fuit urbs Sacerdotalis, una ex civitatibus refugii. Ælia* (sive Hierosolyma) *distat versus austrum milliaribus viginti duobus. Quercus Abrahæ & monumentum ibi cernitur; & colitur illustrem in modum ab inimicis terebinthus, item ab Abrahamo hospitio excepti Angeli. Quum autem prius vocaretur Arbo, postea vocata est Chebron, a Chebrone, qui fuit unus ex filiis Chaleb, ut legitur in Paralipomenis.* Unum hoc solummodo addamus, quod ex Talmudistis adduxit *Ligtfootus* in *Centuria Geographica præmissa Matthæo* cap. XLIX. *Non est terra aliqua excellentior quam Ægyptus, quam ob rem dicitur, sicut hortus Domini, sicut Ægyptus: nec est in Ægypto locus aliquis excellentior Zoane, sicut dicitur, Principes ejus erant in Zoan; & tamen septem vicibus nobilior erat Hebron, utcunque saxosa, quam Zoan.* Quorum ego quædam suis relinquens auctoribus, observare malo, hoc ipso olim loco promissum Abrahamo Isaacum esse, Gen. XVIII: I. Divina sic dispensante Providentia, ut hactenus saltem utrique promissionis filio communis esset patria, dum alter eodem loci promittitur, ubi alter conceptus & natus est.

XXVI. **Prægnans Elisabeta idoneas ob caussas quinque se menses occultavit.**

XXVI. Prægnans Elisabeta felicitatisque sibi suæ conscia, ex *verecundia, pietate, prudentia*que, occultavit se menses quinque. *Verecundiæ* fuit, quod declinaverit rumores; *pietatis*, quod secessum quæreret, quo in sacra ista solitudine Deum ardentius veneraretur, & pro tanto beneficio gratias ageret; *prudentiæ*, quod ab humano semota consortio omnes inquinamenti occasiones evitaret; ne forsan, quem utero gerebat, filius pollutionis aliquid contraheret, severissimus olim futurus Nasiræus. Accessit arcana Dei dispensatio, qua factum est, ne quid de Johanne dispalesceret, antequam certis testimoniis constaret de ejus conceptione, propter quem Johannes nascebatur.

XXVII. Sexto a mirabili hac Johannis conceptione menſe accidit res multo mirabilior. Miſſus a Deo idem Angelus Gabriel ad Mariam virginem eſt, annunciaturus futurum eſſe, ut extraordinaria quadam Spiritus Sancti virtute, illæſa virginitate, utero conciperet, pareretque filium, qui evaſurus eſſet magnus, & vocandus Filius Altiſſimi, & ſeſſurus in throno patris ſui Davidis, & impleturus omnem vim nominis Jeſu. Ad cujus incredibilis nuncii confirmationem exemplum Eliſabetæ ab Angelo allegatum eſt. Quibus rebus auditis creditisque, Beata Virgo, jam & ipſa prægnans, profecta eſt Chebronem, ſalutatura cognatam ſibi Eliſabetam, viſura ſignum augendæ fiduciæ a Deo ſibi conceſſum, gaviſura cognatæ ſuæ felicitate, ipſique majoris impartitura lætitiæ materiam, ipſam excitatura, & ab ipſa excitanda, ad concentum Divinarum laudum. Accidit autem, o rem omni prædicatione digniſſimam! ut ad primam accedentis Mariæ ſalutationem, *ſubſilierit in utero Eliſabetæ exſultans fœtus; ipſaque Spiritu Sancto impleta*, agnoverit ac celebraverit advenientem ad ſe ſui filiique ſui Domini matrem. Hic initium ejus rei videmus quam de Johanne prænunciaverat Angelus, *impletum ipſum iri Spiritu Sancto etiam a ventre matris ſuæ com.* 15. Fœtus enim dum in utero eſt, non Philoſophis ſolum, ſed & Juriſconſultis, pro parte matris cenſetur. Dum itaque Eliſabet Spiritu Sancto impletur, & latentem in Mariæ viſceribus Dominum agnoſcit, ad fœtus ſui ſubſultationem, & ipſi fœtus communicatum ſibi Dei Spiritum eſſe prodit. An tamen idcirco dicendum ſit, vaticinatum fuiſſe Johannem antequam natus ſit, ipſum non modo tunc agnoviſſe Jeſum, ſed & eum matrem ſuam docuiſſe, non abs ratione dubitatur. Neque enim illud in ſacris uſpiam literis exſtat. Habuit certe illa ſubſultatio infantis in utero Eliſabetæ ſingulare aliquid: quod ipſa, non a ſuo embryone, ſed a Spiritu Sancto edocta, ſcivit quo pertineret. Nec ſane proprium infanti ſenſum tribuit Lucas, ſed magis ſignificat, ſubſultationem illius Divinæ in matre ipſa operationis fuiſſe partem. Acute *Auguſtinus Epiſt.* LVII. *Ideo hæc exſultatio, & tanquam matri Domini reddita reſalutatio, ſicut ſolent miraculoſa fieri, facta eſt Divinitus in infante, non humanitus ab infante.*

XXVII. *Sexto menſe inviſit ad eam Beata Virgo; & ipſa e Spiritu S. prægnans. In quo congreſſu acciderunt aliqua perquam mirabilia.*

XXVIII. Priſci apud Græcos, Romanos, aliaſque gentes moris fuit, ut infantes recens natos, convocatis amicorum proximis, certis quibuſdam cerimoniis luſtrarent, eodemque die inter cognatorum vota nomen iis imponerent. Quod apud Athenienſes decimo poſt partum die fieri ſolebat: & apud Romanos, qui dies infantium *luſtricus*, octavus nimirum puellarum, nonus puerorum, idem

XXVIII. *Uti apud alios multos populos, ita & apud Hebræos, moris fuit,*

ut qui dies infanti lustricus idem & nominalis esset. Incertum: tamen ex quo tempore circumcisioni jungi ceperit impositio nominis.

idem & *nominalis*, ab eodem more, dicebatur: de quibus solennitatibus erudite multa observaverunt *Isaacus Casaubonus ad Satyr.* II. *Persii. Stuckius Antiq. Conviv. lib.* I. *cap.* XVI. & *Dougtæus in Analectis Sacris Part.* II. *Excurs.* XXX. Similia a Judæis factitata post Elisabetæ partum Lucas memorat. Mox enim ei gratulatum venere accolæ & cognati: octavo autem die redierunt ad circumcidendum ex lege puerulum. Eodemque tempore de imponendo ipsi nomine actum est. Nullo quidem Divino jussu circumcisio nominisque datio juncta fuerunt; attamen more id obtinuit. Quam antiquo, & unde petito, disputant eruditi. *Grotius*, post alios, arcessit ab exemplo Abrahami Gen. XXI: 3, 4. *Spencerus de Leg. Hebr. Rit. lib.* I. *cap.* IV. *sect.* V. suo more, a veteri gentium usu derivat, conjectantque sub Maccabæorum demum tempora apud Judæos inolevisse: nulla tamen conjecturæ istius addita ratione. *Ligtfootus* in *Harm.* IV. *Evang.* distinctionibus quibusdam rem expedit. Nomen, inquit, aliquando a *matre* fuit inditum; illud vero semper *in ipso pariendi instanti*, caussa aliqua extraordinaria impellente; ut Gen. XXIX: 32, 33, 34, 35, & XXX: 6, 7. I. Sam. IV: 21. I. Chr. IV: 9. nonnunquam ab *iis quæ puerperio intererant*. Gen. XXV: 25. XXXVIII: 29. Ruth. IV: 17. Semper autem *Patris* judicio erat reservatum, ut vel prius comprobare, vel novum constituere pro lubitu posset, die circumcisionis: quod exemplum Jacobi, *Ben-oni* in *Benjamin* mutantis, luculenter ostendit. Gen. XXXV: 18. Hæc *Ligtfootus*. Ego nihil me certi videre profiteor. Nam ex Abrahami historia invicte colligi non potest, utrum circumcisionis die, an mox a partu, Isaaco nomen dederit. Multo minus illud de Benjamine constat, de cujus circumcisione ne verbum quidem invenitur.

XXIX. *Quæ conjunctio non ex mandato aliquo Dei, sed congruentia rei, orta videtur.*

XXIX. Non abnuerim interim, morem istum antiquum fuisse. Nam ipsa rei convenientia sua veluti sponte animos huc duxit. *Nec aliud*, inquit, *Grotius*, *ea in re spectatum arbitror, quam quod cum multi ad circumcisionem aut lustrationem advocarentur, iidem meminisse possent impositi nominis, si qua olim controversia oriretur.* Non male, si hanc unam ex caussis dixisset. Nam unicam fuisse non puto. Solebant enim in isto amicorum conventu preces & vota concipi, omnia ut prospere infanti evenirent; tum etiam circumcisionis ritu solenniter initiabatur infans sanctissimo fœderi. Ejus rei memoriam in ipso volebant exstare nomine, ut adultior factus nomine suo pronunciato, audito, scripto, rediret in recordationem & precum pro ipso conceptarum, & fœderis, in cujus constantia omnis ipsius sita est felicitas. Atque eandem hanc existimo esse rationem, cur Christiani deinceps baptismo ὀνομαθεσίαν junxerint.

XXX. In hac filii sui circumcisione commodissimus Zachariæ linguæ usus fuisset: ut, circumcisore dicente, *Benedictus sit Dominus Deus noster, qui sanctificavit nos præceptis suis, & mandavit nobis circumcisionem*; ipse pater ex more responderet: *Qui sanctificavit nos præceptis suis, mandavitque nobis ut introducamus puerum hunc in fœdus Abrahami Patris nostri.* Verum mutus quum esset, defungi hoc officio nequivit. Indidem & aliæ ortæ difficultates sunt. Rixæ enim super infantis nomine fuerunt. Plerisque *Zachariam* dici volentibus, ex nomine *Patris*. Multarum gentium moribus usurpatum est, parentum & avorum nomina posteris imponere, ut ipsa nominis recordatione ad imitandas ipsorum virtutes accenderentur. Docent id, ut multa omittam alia, *Lucianus*, in Χαρῶν. Ἐκεῖνος μὲν ὁ χαίρων ὅτι ἄῤῥενα παῖδα ἔτεκεν αὐτῷ ἡ γυνὴ, καὶ φίλους διὰ τοῦτο ἑστιῶν, καὶ τοὔνομα πατρὸς τιθέμενος. *Ille vero gavisus valde quod uxor sibi filium peperisset, convivio amicos excipit, & puero nomen a patre desumptum imponit.* Et *Ovidius*, *Metamor. lib.* IX. *Fab.* XII.

XXX. In Johannis circumcisione & nominis impositione, ex impedito in Zacharia linguæ usu, multa insolita.

Vota Pater solvit, nomenque imponit avitum,
Iphis avus fuerat.

At apud Judæos rarum esse exemplum, & cui in S. Scripturis vix par invenias, ut puer ex patre nomen accipiat, notavit *Ligtfootus*. Nescio an in mentem tunc venerit Viro Doctissimo, aliquem ex Herodis Magni filiis Herodem dictum esse. Luc. III: I. Certe hoc dari voluerunt amici insignibus Zachariæ virtutibus & meritis, ut parentis nomen in filium transiret. Verum intercessit mater, & Johannem vocari jussit. Unde hanc voluntatem Dei edocta? An a Spiritu, quo ob filium plena erat, qui & Messiæ conceptionem docuerat? An a marito, qui quæ sibi acciderant, ea omnia scripto indicare dilectissimæ conjugi potuit? Non est hoc improbabile. Nam eodem modo nunc quoque Zacharias mentem suam explicuit. Postulata tabella scripsit, Johannes est nomen ejus. Breviter & emphatice. Grotius observat, quod ἐστὶ scribit, non ἔσται. Quasi dicat, nullam superesse consultationem in re quam Deus jam definiisset. Acute: si Evangelista Græce scripsisset Hebraice יוחנן שמו (uti & Syrus habet, יוחנן הו שמה) sine ullo verbo præsentis futurive temporis.

XXXI. His peractis mox redditus Sacerdoti linguæ usus est: quæ, Spiritu Sancto mota, Divino prorsus carmine immensam Numinis bonitatem laudavit. De silentio Zachariæ mysticum nuper aliquid ex *Isidoro Pelusiota* audivimus: nunc vocis post ruptum silentium prodeuntis mysterium ex eodem audiamus. *lib.* I. *Epist.* 131. Τῷ τύπῳ τῆς ἐκείνου σιγῆς, ἡ τοῦ νόμου ἐδηλοῦτο σιωπή. τὸ δὲ ἀπὸ τῆς σιγῆς. καὶ

XXXI. Cui ad celebrandas Dei laudes repente reddita loquela est. Isidori observatio.

στειρώσεως, καὶ γήρως τεχθῆναι τὴν φωνὴν, τοῦτο οἶμαι δηλοῦν, τὸ ἐκ τοῦ παλαιωθέντος, καὶ καταγηράσαντος, στειρωθέντος τῇ ἀνηκοΐα τῶν δεξαμένων νόμου τοῦ γραπτοῦ, τὰς περὶ Χριστοῦ προῤῥήσεις προελθεῖν, καὶ τὴν αὐτοῦ μητέρα ἐκ τούτου συνελθεῖν. *Silentii ipsius typo legis silentium indicabatur. Quid autem quod ex silentio, & sterilitate, & senectute vox procreata sit; Hinc videlicet illud significari arbitror, ex scripta lege, ob eorum qui eam acceperant inobedientiam & contumaciam, senio ac vetustate confecta, vaticinia de Christo prodiisse, hincque etiam ipsius matrem una venisse.* Sic *Isidorus*. At vereor, ne nimis arguta sint.

XXXII. *Pueritia ac juventus Johannis in desertis exacta.*

XXXII. Natus cum tot prodigiis faustisque ominibus infans, admirationi fuit omnibus; cum stupore non exiguo, quo tandem evasurus esset, inter se quærentibus. Deprehensumque fuit jam inde a cunabulis, *manum Dei cum ipso fuisse.* com. 66. Quod de singulari Dei favore & potenti auxilio interpretari malim, quam de Spiritu Prophetico. Quamvis enim illius afflatus, & in homines illapsus, *manus Domini* quandoque in Sacris vocetur, non tamen *cum*, sed *super* hominibus esse constanter dicitur. Ezech. I: 3. XXXVII: I. XL: I. In eo autem Divini se favoris opulentia luculentissime demonstravit, quod *puerulus crescebat & corroborabatur spiritu.* com. 80. qui in ipso quoque spiritus sapientiæ, prudentiæ ac timoris Domini erat: virtutibus illis illustri splendore, pro ætatis ratione, micantibus, &, pro annorum incremento, novi jubaris accessione auctis. Cui rei, sub Divina benedictione, inserviebat, exacta ac sollicita pueri educatio, prudensque semotio ab immundi mundi contagione, & corruptorum ac corrumpentium hominum commercio. Fuit enim in *desertis*, hoc est ruri, procul publicis Scholis, procul aula, procul Hierosolyma, procul seducentium in frequentibus urbibus voluptatum lenociniis. Sita quidem in *montanis Judææ*, atque hactenus in *deserto*, patria Johanni urbs erat: non tamen ibi juventutem suam omnem exegisse arbitror, idve indicatum istis verbis voluisse Evangelistam; *fuitque in desertis usque ad eum diem, quo se ostenderet apud Israëlem.* Sed quemadmodum in Spiritu Eliæ venit, ita credibile est hac quoque in parte similem Eliæ fuisse, quod ab ineunte ætate severiorem vitam sectatus, locum habitationis elegerit severitati isti convenientem. Non tamen ita eum ruri semper hæsisse, & ab hominibus separatum vixisse arbitror, ut ea religionis exercitia omiserit, ad quæ vel communi lege obligabantur Israëlitæ, vel speciali lege Sacerdotum filii. Ob quam enim probabilem rationem abstinuisset quotidiano in Synagogis cultu, iisque Hierosolymam ad Templum profectionibus; quæ ternis festivitatibus annuatim suscipiendæ cunctis Israëlitis erant? Sed in *eremis*

mis vixisse dicitur, quod hominum in urbibus frequentiam, & superba civium potentiorum limina vitaret, & solitudine delectaretur, quantum per pietatis atque humanitatis officia licebat. Nugæ enim sunt quæ *Nicephorus*, *Cedrenus*, aliique fabularum hamaxarii de spelunca tradunt, in quam se cum infante suo, ad effugiendas sanguinarias Herodis manus, abdiderit Elisabeta: qua post quadraginta dies fato functa, Angelus venerit infantis suscepturus curam. Unde factum sit, ut Johannes in locis solitariis versari amaverit, Angeloque duce in remotiores silvarum recessus abiverit: quasi exuta humanitate cum feris quam cum hominibus degere maluisset.

XXXIII. Hoc omne est quod de Johannis pueritia & juventute in Sacris traditur; neque aliunde quidquam hauseris, quod ulla se veri specie commendet. Non visum Spiritui Sancto est, curiositatem nostram pascere, narrationibus, ad eum quem sibi proposuerat scopum, qui est Evangelii patefactio, minus necessariis. Ipsius Christi Domini pueritiam atque adolescentiam silentio transmisit. Et quis miretur idem ejus contigisse Præcursori? Uterque totidem fere annos latuit. Eam ob rem conveniens fuit, ut lateret quoque annorum illorum historia. Satis fuit, illa memorari tempora, quæ publico impensa, quæ in munere transmissa, quæ ad fidei nostræ firmamen sufficere visa. Eo igitur Sacra festinat Historia, ut describat τὴν ἀνάδειξιν Ἰωάννου πρὸς τὸν Ἰσραήλ; quando nimirum incipiebat in publicum prodire, capessendo & exercendo munus, ad quod Divinitus erat vocatus. Quum Sacerdotis filius esset, Sacerdotalis dignitatis jus, ex more, & lege, ei competebat. Solebant autem Sacerdotum filii, rite præparati, circa vicesimum, alii trigesimum statuunt, ætatis annum, in conclavi *Gazith*, magno Synedrio sese explorandos sistere: unde is qui labis inveniebatur expers, albis indutus vestibus, lætusque discedebat, ad publicam Sacerdotii functionem dehinc admittendus. At Johannes noster eo destinatus erat, ut non tam *Sacerdotem*, quam *Prophetam Altissimi* ageret. Ideoque de Sacerdotio ipsius nusquam legitur. Quam ob rem hic quoque intelligenda publica Prophetici muneris functio est.

XXXIII. Et quæ ad eam ætatem pertinent silentio transmissa, usque dum se ostendit Israëli.

XXXIV. Eam, Deo jubente, auspicatus est *anno* XV. *imperii Tiberii Cæsaris, Pontio Pilato procurante Judæam, Tetrarcha Galilææ Herode, Philippo autem ejus fratre Tetrarcha Ituræa & Trachonitidis regionis, & Lysania Abylenes Tetrarcha, sub Pontificibus Maximis Anna & Cajapha, Luc.* III: 1, 2. Quæ profecto accurata satis temporis est descriptio. Post Israëlitici regni divisionem, Prophetarum tempora notari solent annis Regum, tum Judæ, tum Israëlis, qui tunc terram

XXXIV. Quod, quoto ætatis suæ anno fecerit, non liquido constat.

promissam inter se partiebantur. Ad eundem modum Lucas in designatione temporis quo prædicare Johannes cœpit, omnes illos nominat, qui tunc ullam promissæ terræ partem, vel suo, vel alieno nomine, obtinebant. Non lubet nunc de singulis agere, quod longum, & ab instituto nostro alienum foret. Solummodo animus est anquirere, an ex omnium horum temporum notatione determinari certo queat, quo ætatis anno in publicum Johannes prodierit, & in quem præcise annum incidat, Johannis & Christi natalis. Sunt qui putant vix quidquam esse factu facilius. Hoc modo. Erat Christus ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, *incipiebat esse quasi annorum triginta*, quando baptizabatur. Luc. III:23. Baptizatus est eopse quo Johannes ministerium suum inchoavit anno, quod omnis propemodum credidit antiquitas. Major Christo erat Johannes sex mensibus. Ponamus, quod pro certo fere habet *Ligtfootus*, baptizatum esse Christum sexto ministerii Johannis mense; tum Johannes ministerium suum trigesimo ætatis anno inchoaverit. Trigesimus iste annus incidit in decimum quintum Tiberii; inde si triginta annos retrogrediaris, facile collectu est quoto Augusti anno natus sit Johannes, & consequenter Christus. Hæc primò quidem confusoque intuitu pulcre procedere videntur; at, si curatius attendas, incertis omnia ac precariis niti hypothesibus deprehendas. Primo verum non est, quod supponunt multi Chronologi, non probant, designationem ætatis Christi connecti cum anno XV Tiberii. Quocum connectitur initium prædicationis Johannis, at non vel baptismus, vel ætas Christi. Intervallum ingens interjectum est a vers. 1. ad 23. inter commemorationem anni XV Tiberii, & designationem ætatis Christi. Deinde quum Viri docti duplex initium Principatui Tiberii adsignent; alterum, quo *Collega Imperii & consors Tribunitiæ potestatis adsumtus est* ab Augusto, ut *Tacitus* loquitur *Ann. lib.* 1. *cap.* 1. alterum, quum mortuo Augusto rerum habenas solus moderatus est: non admodum in liquido est, cujus principii intuitu XV annum Lucas memoret. Porro incertum est, quo præcise ætatis suæ anno baptizatus sit Christus. Lucas enim non nisi ἐν πλάτει, non ἀκριβῶς, & ἀποτόμως illud notat, ὡσεὶ, *quasi*. Unde nonnulli infra trigesimum annum descendunt, alii ultra adscendunt. Quidam arbitrantur annum undetrigesimum designari, quidam trigesimum sive inchoatum sive impletum, quidam trigesimum primum, quidam contendunt Lucam numero rotundo in latitudine usum, illiusque verba etiam XXVII, vel XXVIII convenire posse, vel etiam ad XXXII aut XXXIII extendi. Neque quidquam pro hac re determinati est in voce ἀρχόμενος. De qua merito dubitatur an ad ætatem referri

referri debeat, præsertim quum vix Græce dici soleat, ἄρχεται τριάκοντα ἐτῶν, *incipit annos triginta*, sed potius ἄρχεται τοῦ τριακοστοῦ ἔτους, *incipit annum trigesimum*. Unde præferenda eorum videtur esse interpretatio, qui τὸ ἀρχόμενος ad ministerium Christi referunt. Confer. Luc. XXIII: 5. Act. I: 22. & X: 37. Vide sis *Friderici Spanhemii Dubia Evangelica. Part.* II. *Dub.* XI. Magis adhuc incertum est, an primo ministerii Johannis anno baptizatus sit Christus. Hoc enim Scriptura nusquam determinat. Neque desunt rationes, quæ suadent contrarium. Quas confertim, more suo, exposuit ὁ πάνυ *Spanhemius noster*, magno Patri par Filius, *Disquisit. de anno Convers. Pauli. Sect.* XIV. Prædicaverat Prodromus ille, donec Christum digito commonstraret, universo populo; diffuderat sese fama Johannitici nominis in Judæam omnem; præparaverat jam Christo populum instructum, conversione plurimorum; impleverat tum δρόμον ministerii sui Act. XIII: 25. seu prope erat ut impleret: induxerat jam adeo, opinione sanctitatis, Pharisæorum principes, ut per legatos exquirerent, num is Christus esset. Quæ præcesserant omnia publicum Christi munus: certe antequam illo viso exclamaret Johannes, *hic est agnus ille Dei.* Joh. I: 24, 29. Unde nec diu post, certe anno secundo Christi manifestati, compactus est in carcerem. Hæc *Spanhemius*. Quandoquidem ergo incertum & ἄδηλον nobis tempus Christi baptizati est, & propter allegatas rationes probabile, haut intervallum minus, si non majus, unius anni decursu, inter initium prædicationis Johannis & Baptismi Christi, debere concipi: incertum quoque manet, quot annos habuerint tam Johannes quam Christus, anno XV Tiberii.

XXXV. Quæ eo a me lubentius annotata, in usum creditæ mihi juventutis, sunt, ne temere caperentur ingeniosis quibusdam, sed parum solidis, observationibus, quibus Veteris Novæque Oeconomiæ primordia inter se contenduntur. Qualis, exempli gratia, illa Doctissimi *Ligtfooti*, in *Harmonia Evangelistarum*, est. *Tantus erat*, inquit, *Tabernaculi in eremo apparatus, ut sextus fere mensis excurrerit, priusquam absolutum & solenniter erectum esset. Pari temporis intervallo perfectum est Evangelii opus: sex etenim menses prius natus est Johannes quam Christus, totidemque, prædicando baptizando, Christo prævivit, Evangelicæ structuræ quasi prima ponens fundamenta, totumque opus ut feliciter deinde procederet, sedulo prospiciens. Quemadmodum enim Servator muneri suo, trigesimo ætatis anno inauguratus est, idque ex Legis præscripto; haut aliter Baptista, quum trigesimum attigisset annum, prædicare incepit, sexto nempe qui excurrebat mense citius quam ipse Christus.* Mirum profecto non est, si hæc, aliaque his similia, ingeniose

XXXV. Idcirco abstinere tutius est ab ingeniosis quibusdam, sed parum solidis, parallelismis & synchronismis.

inventa, faventibus auribus excipiantur: quoniam tamen precariis tantum, nunquam demonstratis, nunquam demonstrandis, nituntur hypothesibus, nemini auctor sim ut populi Christiani animos talibus cupediis pascat.

XXXVI. *In publicum prodire Johannes neque injussus sustinuit, neque jussus tardavit.*

XXXVI. Credibile interim est, non procul a trigesimo anno abfuisse Johannem, quando ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπ' αὐτὸν, *factum est verbum Dei ad ipsum.* Eadem locutione utuntur LXX Jer. I: 1. τὸ ῥῆμα τοῦ Θεοῦ ὃ ἐγένετο ἐπὶ Ἱερεμίαν, quamvis Hebræa aliter ibi sonent. Notatur mandatum Dei de capessendo munere Prophetico. Non incommode conferemus Jes. XL: 6. *Vox dixit, Clama;* nam vaticinium illud ad Johannem nostrum pertinet, eique applicatur Luc. III: 4. Scilicet, non suopte instinctu, propriove consilio, pravaque ambitione, in tantæ se dignitatis munus intrusit: sed in sua solitudine, sanctoque otio, & placida cum Deo familiaritate, tranquillam vitam degens, jussum Dei exspectavit, antequam in publicum prodire sustinuit. Non cucurrit, nisi vocatus. Non venit, nisi missus. *Exstitit homo, missus a Deo. Joh.* I: 6. *Ecce ego mitto Angelum meum.* Mal. III: 3. At nec subduxit se Divinæ missioni ac vocationi. Quam secure, Deo sic permittente, latuerat; tam cordate ac animose, Deo mandante, prodit ex latebris: quamvis non ignarus molestiarum atque discriminum quibus exponendus esset. Sic decet fidum Dei servum: neque ultro se ingerere, sed exspectare vocantem Deum; neque laborum fuga, fictave modestia, eludere vocantem. Qua in re nimii mihi fuisse videntur veterum Episcoporum aliquot, artibus quibusdam & effugiis non probandis usi.

XXXVII. *Prædicavit in deserto, tam literaliter, quam mystice.*

XXXVII. At nos Johannem nostrum propius contemplemur; & primo quidem in VIVENDI RATIONE, tum IN MINISTERII FUNCTIONE. In *vivendi ratione* considerari merentur. I. LOCUS commorationis. II. AMICTUS. III. VICTUS. Fuit in DESERTO, quando verbum Domini ad ipsum factum est; & *prædicavit in* DESERTO JUDÆÆ. Mat. III: I. venitque *in omnem regionem circumjacentem Jordani.* Inepti sunt, qui per deserta intelligi jubent vastas solitudines, hominibus inaccessas. Non enim certe, quod de Francisco suo nugantur Legendarii, arboribus prædicavit Johannes, & fratribus asinis, & sororibus aviculis; sed ingenti concurrentium ad se hominum multitudini. Habebant deserta Judæ suas urbes, vicos, & pagos, & incolarum frequentiam. Vero prorsus consentaneum est, Johannem prædicationem suam exorsum esse in natali solo, nimirum in civitatibus deserti, non procul Hebrone dissitis: exindeque, prout occasio obtulit, vel Spiritus impulit, in alias demigrasse regiones; donec

nec ad circumjacentia Jordani loca venit: ubi, fluminis ad baptismum opportunitate invitatus, longiores moras traxit. Prædictum utique erat, futurum esse Johannem *vocem clamantis in deserto*. Jes. XL: 3. Quod impleri debuit, tam quoad *literam*, quam quoad *mysterium*. De litera nunc vidimus. Mysterium autem multiplex subest. In eremo vixit, habitavit, didicit, docuit Johannes: ut jam tum palam fieret, gratiam Dei non esse alligatam Hierosolymæ, aut Zioni, aut manufacto Sanctuario. In deserto prædicavit; ut doceretur, desertum aliquando a Deo esse habitandum, illosque homines, qui hactenus deserti instar fuerant, inculti, horridi, atque omnis bonæ frugis expertes, quales erant gentiles, fore locum & habitationem Dei. Jes. XXXV: 1. Dei, inquam, חרוכב בערבות, *qui equitat in campestribus*. Ps. LXVIII: 5. Docebatur item, Judæos ipsos deserti nunc speciem habere, quippe in quibus, pro veræ pietatis, & sinceræ virtutis, ac vivæ fidei in Messiam, cum propriæ justitiæ abnegatione, & non fucatæ devotionis fructibus, infelix hypocrisios lolium, & steriles humanorum institutorum avenæ dominabantur: nulla admodum semente doctrinæ Evangelicæ, nulla Deo placentis religionis fruge. Enimvero multo utilius hæc, & quæ his sunt similia, a Theologis nostris observantur, quam quæ de antro in quo Johannes habitaverit, quodque post multa tempora fidelibus innotuerit, ex sincera, ut ait, attestatione *Sophronii*, quam ego anilem fabulam esse non dubito, retulit *Baronius Annal. T.* I. *ad An.* XXXI. *Sect.* XI. Febriculosi hominis somnium apud ipsum qui vult Auctorem quærat. Mihi quidem describere non lubet.

XXXVIII. *Amictus Johannis ex pilis Cameli, nec splendidus fuit, nec plane sordidus, sed vilis ac rudis.*

XXXVIII. AMICTUS Johannis, si gentis suæ secutus fuisset morem, debuisset esse lineus, purus nitidusque; qualis Sacerdotem decet. Verum, ut in plerisque, ita & in hac re, aliquid sibi singulare habuisse, Evangelistæ notant. Mat. III: 4. εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου. Marc. I: 6. Ἦν δὲ Ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου. De Camelorum pilis hæc habet *Ælianus in Historia Animalium lib.* XVII. *cap.* XXXIV. *Cameli (apud Caspios) plures numerantur, quorum maximi maximis equis sunt magnitudine pares*, εὔτριχες ἄγαν· ἁπαλαὶ γάρ εἰσι σφόδρα αἱ τούτων τρίχες, ὡς καὶ τοῖς Μιλησίοις ἐρίοις ἀντικρίνεσθαι τὴν μαλακότητα. οὐκοῦν ἐκ τούτων οἱ ἱερεῖς ἐσθῆτα ἀμφιέννυνται. *Pilis magni pretii: ii enim ita molles sunt, ut cum Milesiis lanis mollitie comparari possint. Ex illis porro Sacerdotes induuntur.* Illudne igitur egerit Johannes, ut Caspiis potius, quam Leviticis, in amictu similis esset Sacerdotibus? Nihil minus. Vestis ejusmodi nec deserto Johannis, nec instituto convenit; quippe culta magis & polita, quam ut tribui debeat incolæ

τῆς

τῆς ἐρήμου, cui Christus opponit homines ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένους. Quid ergo? an per ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλου intelligenda unius cameli pilosa pellis est, qua Fauni cujusdam & Satyri instar, cutem suam corpusque texerit? Hoc nostrûm quoque quosdam voluisse video: eo adductos argumento, quod uterque Evangelista pilos non camelorum, sed *Cameli* laudet: unde concludunt, vestimentum Johannis non constitisse e pilis multorum camelorum, in unum quasi pannum contextis, sed unius cameli fuisse vellus. Ut quemadmodum multi Sanctorum circumivisse dicuntur ἐν μηλωταῖς καὶ αἰγείοις δέρμασι *in pellibus ovinis atque caprinis*, Heb. XI: 37. in signum innocentiæ, pœnitentiæ, & austeræ vitæ; ita & Johannes corpori suo circumjecisse putandus sit δέρμα καμήλου, *pellem cameli*, incultam horridamque. Cæterum nec hoc animo meo satisfacit: non enim περὶ τοῦ δέρματος de *pelle*, sed περὶ τῶν τριχῶν de *pilis* cameli, qui utique a pelle distinguendi sunt, Evangelistæ loquuntur. Malo itaque intelligere χιτῶνα τρίχινον *pallium ex hirtis camelinis pilis contextis*, asperum & vile. Quod an corpori immediate applicuerit, an alteri cuidam vesti interiori superinduerit, Scriptura tacente, determinandum nobis non est. Idem sensisse videtur *Clemens Alexandrinus lib.* II. *Pædag. c.* X. in hæc verba scribens: ὁ δὲ μακάριος Ἰωάννης καὶ τῶν προβάτων ὑπεριδὼν τὰς τρίχας, ὄζούσας τρυφῆς, τὰς τῶν καμήλων εἵλετο τρίχας, καὶ ταύτας ἠμπίσχετο, τὸ εὐτελὲς καὶ ἄδολον τοῦ βίου ὑποτυπούμενος. *Beatus Johannes despectis quoque ovium pilis, qui delicias redolent, pilos camelorum elegit, & iis se vestiit, simplicem vitam, & a dolo alienam repræsentans.* Quum ovium pilos delicias redolere dicit, non sane id intelligit de vellere ovino cum sua lana; talis enim velleris usum, ut austeritatis symbolum, a Paulo laudatum esse, modo audivimus: sed intelligit Clemens pannum ex ovilla lana contextum. Unde consequitur, ex lege oppositorum, quod per pilos camelorum pariter intelligat confectum inde cilicium. Clarius eandem rem enunciavit alter *Clemens Romanus*: qui in epistola ad Corinthios de Prophetis, quos inter Johannem Baptistam numerat, sic loquitur: ἐν δέρμασιν αἰγείοις, καὶ μηλωταῖς, καὶ ΤΡΙΧΩΝ ΚΑΜΗΛΕΙΩΝ ΠΛΕΓΜΑΣΙ περιεπάτησαν. Qualem Prophetarum quoque vestem aliquando fuisse, ex κακοζηλίᾳ Pseudo-prophetarum liquet: qui verorum simiæ, vestire solebant אדרת שער δέρριν τριχίνην *pallium hirtum aut pilosum*. Zach. XIII: 4. Hinc illi בעלי שער dicti, *hirsuti*, quasi *heri setæ*, si verbum verbo reddas. 2. Reg. I: 8. Sufficiet ergo hic agnoscere vestitum Johannis fuisse, non splendidum certe, at nec sordidum prorsus, sed vilem, rudem, accommodatum tam loco, ubi, quam argumento, quod docebat: amictum εὔπορον ἐν τῇ ἐρημίᾳ,

ubi,

ubi camelorum multitudo, alienum a mollitie, deliciis & splendore, sive aulico, sive urbano, qualis Prophetam & pœnitentiæ doctorem decebat, adde & Eliæ successorem. *Amictui* conveniebat *cingulum, coriaceum* nimirum. Hoc quoque ad Eliæ exemplum.

XXXIX. Perperam sane faciunt, qui illuviem pro virtute habent, & in cilicio sanctitatem collocant. Per lacerum aliquando pallium animi transparet superbia. *Quidam qui inauratis vestibus placere desierunt, placere conantur in sordidis. Et ut nec paludamentum, nec baltheus, nec apparitorum caterva, animo religioso nocent; ita nec quidquam prodest vile palliolum, fulva tunica, corporis illuvies homini vel profano, vel hypocritæ*; uti ipse ad *Salvinam* monuit *Hieronymus*. Docemur interim Johannis exemplo, rem hæredibus regni cœlorum indignam esse; quod in corporis cultu multum sibi indulgeant; quod pecuniam, tempus, animum vestibus impendant, dedecorum pretiosi emptores; quod in rebus externis, *in capillorum nodis, & circumposito auro, simílique apparatu*, quo non nisi viles animæ & cœlestium inanes capiuntur, *ornatum suum* quærant; neglecto interim *occulto illo cordis homine, sito in incorruptione lenis ac quieti spiritus, qui pretiosus est in conspectu Dei*. I. Pet. III: 3, 4. Infra curam tuam hæc sunto, Christiane; tuam imprimis, Vir Dei: cujus generosum animum sublimior sollicitudo decet; ut & ipse amiciaris, & alios amicias, *vestibus salutis, pallio justitiæ, quemadmodum sponsus Sacerdotalem adhibet ornatum, & sponsa suo se ornat mundo*. Jes. LXI: 10. utque stes *lumbos accinctus veritate* Eph. VI: 14. ad omne opus Domini paratissimus.

XXXIX. An illum, & quatenus, in exemplum trahi oporteat.

XL. Amictui respondit VICTUS: de quo sic exstat. Mat. III:4. ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον. Mirum mihi semper visum est, quî inducere animum suum potuerit *Isidorus Pelusiota*, ut tanta cum fidentia scriberet *Epist.* 132. *lib.* I. Αἱ ἀκρίδες, αἷς Ἰωάννης ἐτρέφετο, οὐ ζῶά εἰσιν, ὥς τινες οἴονται ἀμαθῶς, κανθάροις ἀπεοικότα. μὴ γένοιτο. ἀλλ᾽ ἀκρέμονες βοτανῶν, ἢ φυτῶν. *Illæ Acrides, quibus Johannes vescebatur, non sunt animalia scarabæis similia, ut quidam imperite existimant. absit. sed herbarum, aut arborum extrema.* Enimvero nullam idoneam caussam invenio, ob quam a sueta verborum interpretatione recedendum esse videatur. Certum enim est, quod ἀκρίδες ordinarie Græcis LOCUSTAS notent: arborum autem summitates, quas ἀκρόδρυα, vel ἀκρέμονας vocant, Scriptoribus vere Græcis ἀκρίδας dici, probatum nondum vidi. Certum item est, multis populis locustas fuisse pro cibo. Et exinde quosdam *Acridophagos* a locustarum esu dictos; quod post *Stuckium Antiquit. Conviv. lib.* II. *cap.* IX. aliosque, magno exemplorum testimoniorumque numero confirmavit ὁ πάνυ *Bochartus Hierozoici Part.* II.

XL. Ἀκρίδες, quæ Johanni pro cibo erant, non arborum summitates, aut siliquas, sed locustas notant.

lib. IV. *cap.* VII. Porro certum est, Judæis etiam locustarum esum incognitum non fuisse. Testatur id Lex Mosaica Levit. XI: 21, 22. ubi mundæ & edules declarantur quatuor locustarum species. Et Talmudici Doctores, qui tractatus *Cholin* cap. III. multis disputant, quibus notis locustæ mundæ ab immundis distinguantur. Accedunt recentiorum, qui in Palæstina peregrinati sunt, relationes, uno ore narrantium, notissimas ibi locustas, earumque manducationem esse: quamvis in deliciis, ut alibi, non sint; sed gravis odoris, malique gustus; ideoque non nisi pro tenuium pauperumque cibo habeantur. Non mirum itaque & insolitum plane, Johannem locustis usum, obvio & parabili cibo, domestico, non exotico, inemptis dapibus, quas natura dabat, & tractus montanus, non ars, aut structa ad palatum culina. Vel si quid hic mirum ac singulare fuit, hoc fuit, quod in deserto *solum* locustis & agresti melle vescebatur, iisque forte oblatis, nec aliunde comparatis: ut virum illum Judæi scirent extraordinario fungi munere, essentque ad conciones ejus frequentiores atque attentiores. Caussa itaque non fuit, cur *Isidorus* imperitiæ accusaret eos, qui locustas hic intelligunt: quum in illorum numero multi fuerint ipso longe celebriores. At nec ipsum ideo imperitiæ condemnare velim. Nam nec illi qui foliorum, arborum, vel plantarum summitates significari contendunt, suis prorsus destituuntur probabilitatibus. Quas cum judicio nuper congessit *Nortonus Knatchbul*, in suis ad hunc Matthæi locum *Animadversionibus*. Supponit ex Isidoro, quod ἀκρίδες aliquando significent arborum summitates, quales erant τὰ κεράτια, *siliquæ*, quibus implere ventrem suum cupiebat filius prodigus. Luc. XV: 16. qui cibus erat & tenuissimus, multoque magis parabilis, quam locustæ. Non enim usquam se legisse, locustas omnino crudas escam fuisse alicujus populi; paratas autem fuisse semper arte aliqua coquinaria. Nam vel ad ignem fuisse coctas, assasve, vel ad solem arefactas, vel fumo duratas, vel sale conditas; quarum artium ulla vix credere est usum fuisse Baptistam in deserto: uti vix probabile videtur, quod laboris tædium in venando aut aucupando subire voluerit. Quum contra, τὰ κεράτια, *siliquæ*, sive *summitates frondium*, sine ullo laboris tædio ad manum essent. Accedit, quod hæc κεράτια etiamnum apud Germanos vocentur *sancti Johannis panis*: quasi constans foret inter ipsos opinio, Baptistam iis vesci solitum. Adde etiam περὶ πάντων, quod oculatus testis *Sandys*, fidus & nobilis Historicus, in relatione peregrinationis suæ per Judæam circa annum MDCXI. hanc ipsissimam montanam regionem, in qua Baptista vesci solitus, depinxit in Tabula sparsim arboribus refertam, inscripto nomine, *Desertum*

tum

tum Johannis Baptistæ, paullo inferius addens, *soli locustæ devinctum arbori.* Unde infert Vir nobilissimus, *eam ipsissimam fuisse arborem, de qua Johannes ederit; quam etiam hodie locustam vocant.* Equidem patior suo quemque uti frui arbitrio. Verum in universo hoc Viri eruditissimi discursu unum mihi potissimum deesse videtur, quod probandum erat ante omnia; nimirum, ἀκρίδας Græcis aliquando idem notare quod τὰ κεράτια. Id si verum sit, dandum aliquid argumentis illis putem. Si non sit, frustra disputantur reliqua.

XLI. Præter ἀκρίδας edit Johannes μέλι ἄγριον MEL SILVESTRE; quod nescio cur quidam in μελαγρίαν mutare voluerint, *herbæ*, si credimus, *genus*, in deserto crescentis: aut cur alii, a recepta vocum significatione temere recedentes, *arbores* hic fingant *latis* & *rotundis foliis, lactei coloris*, & *mellei saporis*, quæ natura fragilia manibus confricentur atque edantur: aut quid illi in mentem venerit, cui mel silvestre est *ipsum illud manna*, quo pasti sunt Israëlitæ in deserto integros quadraginta annos. Res enim manifesta est; duplex Israëlitis *mel* fuisse, *domesticum* unum, ex apibus quæ domi aluntur, arte præparatum; alterum *silvestre*, quod in agris passim reperiebatur: quod apes vel in nudo solo, vel in cavis arborum, vel in fissuris rupium, confecerant. Qualis rupes Hebraice vocatur צור דבש *rupes mellis*. Ps. LXXXI: 17. & mel inde manans, דבש מסלע *mel ex petra*. Deut. XXXII: 13. Conf. Jud. XIV: 14. & I. Sam. XIV: 29. Unde etiam dicta Palæstina est *terra lacte & melle fluens*. Nihil hoc melle communius est in vastissimis Sarmatiæ regionibus, Polonia, Lithuania, Moscovia, & conterminis aliis. Tali itaque melle, quod sine cura ipsum suppeditabat desertum, cum locustis usus Johannes est: cibis forte oblatis contentus, fretus Dei providentia, certusque non defutura sibi quæ ad vitam sustentandam essent idonea. Frustra sunt, quibus mel vulgare lautior esse cibus videtur, quam ut Johanni in tam severa abstinentia convenerit, ideoque finxerunt *mel* quod *amarissimum* & *gustui* plane *ingratum* sit. Sic *Isidorus Pelusiota Epist.* 132. *lib.* I. Μέλι ἄγριον, ὑπὸ μελισσῶν ἀγρίων γενόμενον, πικρότατον, καὶ πάσῃ γεύσει πολέμιον. Nugæ. Agreste mel non secus ac domesticum, dulcedinis nomine laudatur, iis Scripturæ dictis quæ supra allegata sunt. Magnæ satis abstinentiæ in Baptista fuit, quod locustis, & melle vixerit; quia, ut in locustis, sic & in melle, parum est nutrimenti, quum seorsim sumitur. Hinc *Pythagoras* laudibus accensetur, quod εὐτελέστατα διαβιὼς, πολλάκις μέλιτι μόνῳ ἠρκεῖται, *tam frugaliter viveret, ut solo sæpe melle contentus esset.* Quod ex *Eustathio* observavit *Bochartus Hieroz. Part.* II. *lib.* IV. *cap.* XII.

XLI. Quibus addidit mel silvestre; circa quod inepte se curiosos aliqui ostenderunt.

 Adde

Adde *Clementem Alexandrinum Pædag. lib.* II. *cap.* I. *pag.* 148. Ματθαῖος μὲν οὖν ὁ Ἀπόστολος σπερμάτων καὶ ἀκροδρύων καὶ λαχάνων ἄνευ κρεῶν μετελάμβανεν. Ἰωάννης δὲ ὑπερτείνας τὴν ἐγκράτειαν, ἀκρίδας καὶ μέλι ἤσθιεν ἄγριον. *Matthæus itaque Apostolus seminibus, baccis & oleribus sine carnibus vescebatur. Johannes autem continentiam ulterius extendens, locustas & mel agreste comedebat.*

XLII. Credibile non est, tam superstitiose Johannem hoc cibi genus affectavisse, ut nullo unquam alio usus sit.

XLII. Interim credibile non est hoc cibi genus tam superstitiose Johannem affectavisse, ut ab omni alio semper abstinendum sibi esse censuerit. Opinor enim quum apud cives, aut regem ageret, aut Hierosolymis festa celebraret, non anxie locustas requisivisse, aut maluisse eas secum portare, quam obviis cibis vesci: aut quum in carcerem ab Herode compactus fuit, famem ac tabem ex locustarum defectu pati maluisse, quam apposito pane latrantem placare stomachum. Non temnendam censeo Magni Theologi observationem, quamvis ἀκρίδες & μέλι ἄγριον proprio & stricto significatu exponenda sint, nihil tamen obstare quo minus illi interpretationi addatur & alia, dicaturque in horum ciborum designatione speciem pro genere poni, non quod locustis & melle vescens omni alia dape religiose abstinuerit, sed quod cibis usus sit tenuissimis quos dabat desertum & tractus asper, sine cura, sine pretio. Nihil enim aliud a pueris ad mortem Johanni comestum esse, affirmari potest: probari non potest. Danielem a præfecto pro cibis regiis poposcisse legimus זרעים vel זרענים, σπέρματα, legumina, iisque cum sociis victitasse. Ideone statuendum, nihil ipsis præterea esse comestum? ne panem quidem? Plura id genus in Sacris nostris exempla sunt. Quæ ergo de locustis & melle silvestri narrantur, non ita anxie sumenda esse videntur, quasi his duntaxat cibis tota se vita obstrinxerit Vir Sanctus: sed quod his ordinarie uti consueverit, vel aliis id genus, tenuibus, non lautis, domesticis, non exoticis. Neque pressius quam par est urgeri debet Christi dictum Luc. VII: 33. *Venit Johannes Baptista neque edens panem, neque bibens vinum.* Notum enim, panem pro cibo Hebræis consueto sumi. Dum itaque Johannem panem comedisse negat, negat eum consueto vixisse modo, uti solent qui hominum frequentant commercia, & se patiuntur invitari. Si enim litera vexanda foret, eo quod Mat. XI: 18. *nec edisse, nec bibisse* dicatur, inferendum esset, Johannem omni cibo & potu prorsus abstinuisse. Sensus ergo sit, non ea vivendi ratione usum esse, qua honestiores solebant Judæi, & qualem sibi Sacerdotis filius in domo paterna, nec abjecta, nec sordida, vindicare poterat: sed cibo & potu usque adeo tenui usum, ut nullo uti videretur.

XLIII.

XLIII. Nam quam in cibo parsimoniam, eandem & in POTU ostendit: idque ex diserto Angeli præscripto. Luc. I: 15. *Vinum siceramque non bibet.* *Sicera* sine dubio est ab Hebræo שכר, notatque omnem *potum inebriantem;* ut *zythum* Ægyptiorum, nostræ non absimile cerevisiæ, unde *Æschylus* Grotio citatus, ἐκ κριθῶν μέθυ; & Babyloniorum potus *e palma.* Optime *Hieronymus* ad *Nepotianum*: *Sicera Hebræo sermone appellatur omnis potio quæ inebriare potest; sive illa quæ frumento conficitur, sive pomorum succo, aut quum favi decoquuntur in dulcem & Barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua colatur.* Ejus, ut & vini usu, & quidquid vite venit, interdictum antiquitus *Nasiræis* erat. Num. VI: 3, 4. Et nominatim *Simsoni* Jud. XIII: 14. qui similiter parentibus non sine miraculo & Angeli annunciatione concessus est. Cur autem abstemios eos esse Deus voluit? Ratio in mundo est. Vino, si paullo liberalius sumatur, turbari cerebrum, & gravari mentem, omnium temporum experientia constat. Ejus rei ne ullum esset periculum, jubebat Deus Sacerdotes omnes λειτουργίας tempore prorsus a vino abstinere. Lev. X: 9. Quod mandatum quum infelici filiorum Aaronis temeritati proxime subjungatur, colligunt Hebræorum magistri; inde natum esse crimen, quod incauti juvenes plusculum se paullo ante invitavissent. Sicut autem hi qui ad tempus Deo consecrabantur, durante isthoc tempore ab omni ea re abstinere se habebant, quæ perturbationem inducit: ita hi qui in perpetuum Deo sepositi, & in hoc nati erant, totam vitam abstemiam agere jubentur. Eadem abstinentia indicabatur domatio affectuum, in lubenti ac spontanea rerum, cæteroquin dulcissimarum ac jucundissimarum, carentia, & assuefactio sui ipsius, ad ea sustinendum incommoda, quæ severioris religionis professio secum trahit.

XLIII. A vino omnique potu inebriante, ex mandato Dei, totam vitam abstinuit.

XLIV. Enimvero singularis ista abstinentia Johannis in cibo potuque, non quidem hactenus in exemplum trahenda est, ut vel omnes obliget Christianos, vel in ea magna collocetur sanctitatis perfectio. *Non enim est regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium per Spiritum Sanctum.* Rom. XIV: 17. *Nec esca nos commendat Deo.* I. Cor. VIII: 8. Ipse Dominus Jesus, qui perfectissimum nobis reliquit sanctitatis exemplar, non existimavit premenda sibi in hac austeritate anteambulonis sui esse vestigia. *Venit enim filius hominis edens & bibens,* Luc. VII: 34. Sed omnibus hinc discendum est, ut imperemus gulæ, nec sub ullius nos cibi potusve potestatem redigi patiamur, neve corpus curemus ad cupiditates. Præclare *Clemens Alexandrinus Pædagog. lib.* II. *cap.* I. *pag.* 144. Οὐ χρὴ

XLIV. Ex quibus generatim discendum est, ut imperemus gulæ, nec corpus curemus ad cupiditates.

χρὴ οὖν, καθάπερ ἀσωτευομένους ἡμᾶς, κατὰ τὴν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ πλουσίου παιδὸς εἰκόνα, παραχρῆσθαι τοῖς τοῦ πατρὸς δωρήμασι· χρῆσθαι δὲ αὐτοῖς, ὡς ἄρχοντας, ἀπροσκλινῶς. Καὶ γὰρ βασιλεύειν ἐτάχθημεν καὶ κατακυριεύειν, οὐχὶ δουλεύειν τοῖς βρώμασι. ἀγαστὸν μὲν οὖν πρὸς τὸ ἀληθὲς ἀναθρήσαντας, τῆς ἄνω τροφῆς ἐξέχεσθαι, τῆς θείας, καὶ τῆς τοῦ ὄντως ὄντος ἀπληρώτου ἐμπίμπλασθαι θέας, τῆς βεβαίου, καὶ μονίμου, καὶ καθαρᾶς γευομένους ἡδονῆς. Non oportet nos, veluti prodige & profuse viventes, quemadmodum est in Evangelio similitudo filii divitis, abuti donis patris; sed eis uti, ut qui ipsis constanter imperemus. Ut in cibos enim regnum & dominatum obtineamus, non ut eis serviamus, ordinati fuimus. Res est ergo præclara & maxime expetenda, sublatis ad veritatem oculis, divino illi & qui in alto est adhærere cibo, & illius qui revera est contemplatione, quæ nunquam satietatem affert, sese implere: atque ita gustare firmam ac permanentem puramque voluptatem.

XLV. *Docuit Johannes non ut Sacerdos, sed ut Propheta.*

XLV. Talem ergo se Johannes in vitæ instituto gessit: nunc muneris sibi a Deo demandati functionem expendamus. Ubi distincte consideranda veniunt. I. DOCTRINA ipsius. II. BAPTISMUS, ad doctrinæ confirmationem, penitioremque in auditorum animis impressionem, adhibitus. Omnibus quidem *Sacerdotibus* id officii datum fuit, ut populum salutaris doctrinæ elementis imbuerent. Sic enim apud Malachiam exstat cap. II: 7. *Labia Sacerdotis observabunt scientiam, & ex ore ipsius requiretur Lex: nam Angelus Jehovæ exercituum est.* Et de iisdem Moses dixit Deut. XXXIII: 10. *Docent judicia tua Jacobum, & Legem tuam Israëlem.* Vel eo itaque nomine quod *Sacerdotis filius* & *Sacerdos* esset Johannes, docendi officium ei incubuisse credendum est. Cæterum augustiori titulo ad docendum est vocatus. Non enim Sacerdos modo, sed & *Propheta* fuit: immediata veritatis patefactione a Deo rebus arcanissimis eruditus; & singulari jussione ad ea populo prædicanda missus. Sic enim Zacharias pater, repletus & ipse Spiritu Sancto, de eo recens nato prophetavit Luc. I: 76. *Tu vero puerule* PROPHETA ALTISSIMI *vocaberis.* Neque auspicatus ministerium est, nisi *facto* prius *ad ipsum*, adhuc in deserto commorantem, & solitariis vacantem meditationibus, *verbo Domini.* Luc. III: I. Qua formula priscos olim vates missos esse liquet ex Jer. I: 2. Ezech. VI: I.

XLVI. *Nominatim, ut Elias.*

XLVI. At neque ex plebe Prophetarum aliquis, si ita loqui fas sit, Johannes noster fuit; sed præstantissimis & celebratissimis accenseri meretur. Talis enim indubie *Elias* fuit, cui datum est cum Mose in sacro monte glorificationi Domini nostri interesse, eidemque perhibere testimonium, Mat. XVII: 3. Johannes autem *in spiritu & virtute*

virtute Eliæ venit. Luc. I: 17. Eliæ in dotibus, officio, vitæ ratione, simillimus: ideoque & ELIAS nuncupatus. Mal. IV: 5, 6. *Ecce ego missurus sum vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehovæ maximus ac reverendus.* Quod de die adventus Messiæ intelligendum esse, vix ipsi negaverint Judæi. Mat. XVII: 10. Ut autem de *Elia Thisbite* illo, qui turbine in cœlum raptus est, interpretemur, nulla jubet ratio. Nam uti in omni sermone, ita & in Sacro, sæpe usu venit, ut qui alteri alicui multis in rebus similis est, ejus cui similis est nomine designetur. Notum est *Virgilii* istud,

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Eam ob caussam, ut alia nunc exempla prætermittam, *Jehu* a Jezabele *Zimri* vocatur. 2. Reg. IX: 31. Neque est quod dubitemus ob eandem prorsus rationem *Eliæ* nomine designatum a Malachia *Johannem* nostrum esse. Nam & certissimm interpretationis istius auctorem habemus Dominum Mat. XI: 14. XVII: 12. & omnia consentiunt exactissime. Elias corruptissimis temporibus nullo periculo absterritus est, quo minus regi totique populo peccata ipsorum ob oculos poneret. Idem spiritus, eadem vis animi, sanctaque παῤῥησία, luculentissime in Johanne emicuit.

XLVII. De Elia Malachias vaticinatus est, *conversurum esse cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres.* De Johanne eadem prædixit Gabriel. Luc. I: 17. Et respondit eventus. Ita enim Johannis temporibus comparatæ res erant in populo Israëlitico, ut dissidiis distraherentur omnia. Judæi in tres præcipuas, pluresque minores sectas, opinionibus ritibusque discrepantes, divisi erant. Sadducæi & Pharisæi acribus inter se odiis agitabantur. Legis quoque Interpretibus inter ipsos non conveniebat. Dissidia ista ex scholis & Synagogis, ut fieri amat, transibant in familias. Hinc rixæ, inter parentes quoque & liberos, dum hi hunc, alii alium Doctorem præferunt. Confer Mat. X: 35. Cujus rei, utinam & nostris temporibus nulla exstarent exempla! Eo autem inserviebat Johannis ministerium, ut animos auditorum suorum a tot sectarum auctoribus, humani duntaxat nominis auctoritate, sub ementita Veterum ipsiusque Mosis traditione, plerumque munitis, abstraheret, & allegaret ad unum supremum cœlestis veritatis Doctorem, Jesum, atque ita dissidentes recomponeret, ipsosque ἀπειθεῖς, Hebræis מורים rebelles, nisi malis immorigeros, Deo nec audientes, quod *Scultetus* urget, ad unitatem redigeret, ἐν φρονήσει δικαίων.

XLVII. Nam & cor Patrum ad filios, & filiorum ad Patres convertit.

XLVIII. Quæsitissima locutio. Etenim φρόνησις tam *sententiam* aliquam *mentis*, cum *animi adfectu* conjunctam, quam *prudentiam*, sive

XLVIII. Et rebelles adduxit

ad prudentiam justorum. ve rerum sapienter agendarum peritiam, & profutura a nocituris distinguendi callidatem, notat. Illius significationis multa exempla in Sacris, saltem quoad voces conjugatas, exstant. Phil. II: 2. τὸ ἓν φρονοῦντες. & com. 5. Τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. rursus cap. III. com. 19. οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. Adde Col. III: 2. τὰ ἄνω φρονεῖτε. Rom. VIII: 5. τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσι. & com. 6. τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, & τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος. & sic alibi passim. Altera autem, prudentiæ notatio, ubique receptissima est. Eph. I: 8. ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει. In quem locum appingere lubet solidam, me judice, Doctissimi Interpretis explanationem: *In Exerc. de Princip. Epist. ad Ephes. §. 14. Respondent duo ista vocabula duobus Hebræis* חכמה ותבונה. *Sapientia* (ὡς τύπῳ καὶ παχυλῶς λέγειν) *est rerum optimarum maximarumque exacta cognitio. In sacris literis autem non nudam cognitionem notat, sed una certum sive confirmatum affectum erga id quod optimum est, & per quod illud ipsum conciliatur. Nam qui bonum videt & non concupiscit vere, ac serio prosequitur, is profecto non sapiens, sed stultus dicendus est.* φρόνησις *autem versatur* ἐν τῷ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα *in exploratione meliorum. Quapropter prudentiam recte verti putamus.* Unde frequentissime in Evangelio φρόνιμοι illi dicuntur, qui rerum gerendarum & eligendi id quod optimum est, callidi sunt. Mat. VII: 24. X: 16. XXIV: 45. XXV: 2. I. Cor. IV: 10. Luc. XVI: 8. Porro altera vox δικαίων, vel uti *neutrius generis* sumi potest, ut *res* notet, vel uti *masculini generis*, ut designentur *personæ*. Si prius eligas, φρόνησις δικαίων, significabit peritiam in dignoscendis & prosequendis ea quæ justa sunt, sive cogitationes & studia circa justitiam & sanctitatem. Sin posterius, quo ego me magis inclinare profiteor; tum notabit eam mentis sententiam, eum animi adfectum, eam prudentiam, quæ justorum est, in quam conspirant homines sancti, quæque a sententia & affectu hominum carnalium, & versutia hujus seculi plurimum est remota. Denique ἐν φρονήσει tantundem valet, ac si scriptum esset εἰς φρόνησιν. Nam & alibi duæ istæ præpositiones sine sensus variatione alternantur. Quod & a Syro observatum est, qui transtulit לידעתא דכאנא, eodem quo Latinus, & nos, sensu. Eo igitur directum fuit Johannis ministerium, ut homines a discrepantibus litigantium doctorum sententiis avocatos, ad sanctam in fide ac justitiæ veræ prosecutione conjunctionem adduceret: quod, quamvis in notabili, etiam pessimorum cæteroquin hominum, numero, non tamen in plerisque, nedum in populi universitate, optatum successum habuit. Ut hac quoque parte similis Eliæ fuerit.

XLIX. Cæterum dissimulanda non est difficultas insignis, quæ partim ex rei ipsius consideratione oritur, partim ex sermone Gabrielis, prænuntiantis adventum Johannis ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Eliæ. Res ipsa loquitur, disparem Eliæ, imo & minorem, fuisse Johannem; quod non modo miraculorum multitudine & magnitudine insignis fuerit Elias; sed & virtutem miracula patrandi communicaverit cum discipulo suo Elisæo: Johannes autem nullum unquam ipse signum ediderit; tantum abest ut virtutem prodigia faciendi ullis discipulorum suorum impetraverit, vel impertierit. Hi enim a Paulo rogati, num post fidei suæ professionem, & susceptum Johannis baptismum, Spiritum Sanctum, cum extraordinariis istis prodigiosisque donis accepissent, respondere coacti sunt, se *ne quidem sitne Spiritus Sanctus audivisse*. Act. XIX: 2. Porro non videtur debuisse Johannem in hac quoque re disparem Eliæ esse, siquidem in *spiritu* & *virtute Eliæ* venit. Nam & *spiritus Eliæ* facultatem miracula patrandi complectitur: ut colligere est invicto isthoc argumento, quod Elisæus dupla portione *spiritus* istius locupletatus, uti filius Eliæ primogenitus, extemplo facultatem istam exseruisse legatur. 2. Reg. II: 14, 20. Et δύναμις πνεύματος, prorsus *mirificam istam vim* notare videtur: præsertim quum prodigia nullo frequentius quam δυνάμεων nomine in Novi Instrumenti Libris veniant. Accedit, quod indignum videatur, eum qui functionis dignitate & Eliam & cæteros Prophetas omnes longis spatiis superasse creditur, ea destitutus comperiatur facultate, quæ maximam semper Prophetis auctoritatem conciliavit. Quo muneris a Deo demandati præstantia communem ordinem magis egreditur, & quo momentosior est Propheticæ prædicationis materies, eo missionem & prædicationem hominis usque adeo extraordinarii, confirmatiorem esse oportet. Nihil vero confirmat validius, quam miracula. Præcipue apud gentem præ cæteris omnibus miraculorum avidam. Vidit difficultatem istam Erasmus, sed levi admodum brachio eandem expedire se posse putavit. Sic enim commentatur: *δυνάμει, ut intelligas vim miraculorum, non solum probitatem; ut crebro jam admonuimus. Licet non exstet in S. literis, Johannem edidisse miracula, aderat tamen fidei robur usque ad vitæ contemtum.* Enimvero admodum facilem esse oportet, qui tam exigua sibi observatiuncula satisfieri sinit. Nos paullo ulterius enitamur.

XLIX. Mirum videri queat, qui Johannes in spiritu & virtute Eliæ veniens, miracula tamen patrandi facultate fuerit destitutus.

L. Ultro largimur, non modo non exstare in S. literis, quod Johannes ulla ediderit miracula, uti Erasmus loquitur; sed & expressis verbis exstare, quod nulla ediderit. Sic enim Johannes Apostolus loquitur Evangelii cap. X: 41. *Johannes quidem signum nullum edidit.*

L. In ejusce rei rationes inquiritur.

edidit. Atque adeo ſatemur diſparem hac quidem in re Eliæ fuiſſe Johannem. Quæ tamen diſparitas aliis dotibus, multo majoribus, abunde fuit compenſata. Neque certe vel perſonæ, vel muneris dignitas, a ſolis æſtimanda miraculis eſt: Chriſto ipſo declarante, *eum qui credit in ipſum non ſolum opera facturum eſſe quæ Chriſtus fecit, ſed & majora iis facturum.* Joh. XIV: 12. Nec conſequitur, eo quod Elias miracula patraverit, idcirco ei qui in ſpiritu & virtute Eliæ venit pariter præſtanda eſſe miracula. Quia ſimilitudo iſta conſiſtere poteſt, conſiſtitque revera, in paritate ſapientiæ, ſanctitudinis, zeli, & efficacitate præconii, vehementique ſpiritus ad generoſitatem atque invictam fortitudinem impulſu. Hoc ſenſu *ſpiritus*, *virtus*, ſive כֹּחַ, & *potentia*, ſive גְּבוּרָה, junguntur Mich. III: 8. *Verumtamen ego repletus ſum virtute a Spiritu Jehovæ judicioque & potentia, ad indicandum Jacobo defectionem ipſius, & Iſraëli peccatum ipſius.* Ubi non tam de prodigiorum edendorum poteſtate, quam de ſapientiæ ubertate, invictaque generoſi animi firmitudine, ac παῤῥησίᾳ cogitandum eſt. In quibus rebus Johannem Eliæ non ceſſiſſe ex Evangelio liquet. Non etiam, quia per δυνάμεις frequentiſſime miracula intelliguntur, eam miraculorum ſignificationem ubique urgere convenit. Nam & alibi vehementem ſpiritus ad rem aliquam agendam impulſum ſignificat. Luc. IV: 14. Alibi eam, de qua aliquoties nunc, Prophetici ſpiritus generoſitatem notat. Quo refero illud Luc. XXIV: 49. Ἕως ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους. Alibi denique ſermonis Sacri efficacitatem ad animorum convictionem deſignat. I. Cor. II: 4. I. Theſſ. I: 5. Quarum notationum nulla eſt, quæ non commodum hic locum inveniat. Neque enim vel debilior ſacri Spiritus impulſus, vel minor animi firmitas, vel imbecillior prædicationis valentia, in Johanne quam Elia argui poteſt. Denique, nec indignum Johanne cenſeri debet nullum portentificæ virtutis exercitium; quippe quo ad functioni ſuæ fidem faciendam non indiguit. Cœleſtem ipſius miſſionem ſatis comprobant miracula, quæ conceptionem & nativitatem ipſius antegreſſa & conſecuta ſunt; non in obſcuro angulo, ſed partim in ipſo Templo, partim in hominum fide digniſſimorum præſentia, cum ſpectantium ſtupore animadverſa. Doctrina ipſius nihil habebat novi, quod extraordinariam confirmationem requireret; ſed erat teſtificatio rei, vel inſtantis, vel præſentis, quam unanimi voce omnes Prophetæ prænunciaverant. Adde, quod miraculorum a Johannis miniſterio abſentia neceſſaria propemodum fuerit, ne forte, ſi ſimilia præſtitiſſet iis quæ Meſſiam præſtare oportebat, præcipiti judiciorum temeritate a multis pro Meſſia haberetur, qui non niſi Meſſiæ prodromus erat. Nam ne hac quidem

dem ratione prorsus præveniri & impediri error iste potuit. Non enim defuere qui ipsum Messiam esse vel crederent, vel suspicarentur. Luc. III: 15. Patet id ex decreta ad eum ipsius Synedrii Magni Legatione, qua serio sciscitatum veniebant, quis tandem esset. Joh. I: 19.

LI. *Quo sensu se Eliam, & Prophetam esse negaverit.*

LI. Valde notabilis est historia ista, suggeritque novas difficultates, pari diligentia solvendas. Videtur enim responsionibus suis Johannes negare id quod modo adstruximus; nimirum, ipsum *Prophetam*, & *Eliam* esse. Rogantibus Sacerdotibus ac Levitis, *Elias es tu? Dixit, Non sum. Rursus rogantibus, Propheta es tu? Respondit, Non.* com. 21. Magni nominis, magnæque auctoritatis erant hi interrogantes: missi a *Synedrio Hierosolymitano*, totum populi Israëlitici corpus repræsentante; cui soli de Propheta judicare fas esse credebatur. Erant autem ex isto corpore missi *Sacerdotes* aliquot ac *Levitæ*; qui legis peritissimi, ideoque ad disquisitionem ac disceptationem hanc aptissimi, habebantur. Quæstio vero ipsa maximi erat ad universam Israëlitarum rempublicam momenti. Quum enim Johannis ministerium multa haberet prorsus singularia, atque insueta, frequentissimusque ad eum populi, summa cum veneratione, concursus esset; plurimum Magni istius Concilii intererat, ut accurate cognoscerent, quid statui de eo oporteret: an relinquendus esset sibi, an approbandus ac sectandus, an tantæ innovationi in tempore eundum obviam. Quandoquidem etiam Dei ac Messiæ gloria, populique salus in hoc cardine vertebatur, dubium non est, quin magno serio totum hoc negotium Johannes tractaverit. Rogatus itaque a tantis viris, tantaque auctoritate præditis, quis esset, ante omnia profitendum sibi esse existimavit, *non esse se Christum.* Hoc sine ulla dissimulatione aperte professus est, ne debitum Domino honorem minister interverteret. De cæteris autem respondit ad interrogantium mentem: qui plurima laborantes cæcitate, neque de Messiæ prodromo, neque de Messia ipso, recte sentiebant; sed scripturæ dicta, de utroque agentia, pravis interpretationibus trahebant aliorsum. Credebant præcursurum Messiæ *Eliam* esse, ipsum illum *Thisbiten*, qui sive in cœlum, sive in Paradisum raptus, ibidemque in vivis conservatus, inde reversurus sit; sive, ut alii malunt, ex mortuis suscitandus, & redonandus Israëli. Hac mente rogabant Johannem, an *Elias* esset. Respondit, quod verum erat, non esse se eum quem ipsi sibi figurabant Eliam. Porro credebant, *Prophetam* Mosi promissum Deut. XVIII: 15. non ipsum Messiam esse, quod tamen est, sed alium aliquem a Messia diversum. Hoc sensu quærunt, ὁ προφήτης εἶ σύ; sive emphasis sit in articulo, quod mihi verisimilius videtur, sive non sit, quod cum aliis *Ligtfootus* ma-

 vult.

vult. Tune es ille Propheta de quo Moses? Vel, Tune es antiquorum Prophetarum aliquis ex mortuis suscitatus, Jeremias fortassis, eive similis? Vel, ecquid in Te prophetarum, diu jam desitorum, ordo instauratur? Ad hæc omnia respondit, uti debuit, *Non*. Non enim erat, vel *Propheta* ille Mosi promissus, vel *Jeremias* aut *veterum* aliquis, vel novus Propheta veteribus in ministerio suo similis; sed *plus quam Propheta*. Neque tamen, dum, ad mentem interrogantium, Eliam, vel Prophetam, se esse negavit; utrumque absolute negasse censendus est. Erat enim & Elias, & Propheta; eo, quem nuper explanavimus, sensu.

LII. Jesaiæ vaticinium de voce clamantis in deserto, an Johanni recte; & si recte, an typice applicandum sit;

LII. Tandem rogatus, quis denique esset, dixit, *Ego, vox clamantis in deserto, Dirigite vias Domini; quemadmodum dixit Jesaias Propheta*. Bene est, quod existimaverint legati, non satis esse quod negaret se esse *Christum*, aut *Eliam*, aut *Prophetam* illum: oportere autem, ut ostendat, quid de ipso dictum sit, ut possit agnosci & recipi, tanquam missus a Deo. Ideoque non aliter respondet nisi ex Scripturis: at βραχυλογία ista quæ Hebræis familiaris est. Perinde enim est ac si dixisset, Ego ille sum, de quo Jesaias his verbis prophetavit, *Vox Clamantis in deserto*—. Verum hinc quoque nova exsurgit difficultas. Et mirum videri potest, quî huic responso acquieverint Pharisæi; quoniam Jesaiæ vaticinium alio spectare non sine ratione credi potest. Quid illius ætatis homines de eo arbitrari sint, pro certo non dixerim. Non recentiores modo Judæi, sed & Christianorum Interpretum aliquammulti, docent, Prophetam loqui de revelatione gloriæ Dei in liberatione populi ex servitute Babylonica. Id enim probari ex nexu capitis XL cum XXXIX. Nam horrendæ illi ruinæ Hierosolymæ, & thesaurorum omnium transportationi denunciatæ capite antecedenti, subjici hoc capite consolationem, facta spe miraculosæ liberationis: Deum enim acquiescere in pœna quam pro iniquitate sua Hierosolyma pependit. Itaque קול קורא *esse vocem omnium Prophetarum*, liberationem illam prædicentium, Jeremiæ nimirum, Ezechielis, & Danielis, nisi quis malit intelligere *vocem Sacerdotum*, populum ad exitum e Babylone hortantium: aut *vocem præconum* a Cyro quaquaversum missorum. Porro, illam vocem auditam esse in *deserto*, sive in *Judæa*, tunc revera deserta: sive in *Babylone*, quam pro deserto sibi habebant Judæi: sive in *via deserta*, qua eundum revertentibus erat. *Parandam* ergo fuisse *viam Jehovæ*, omniaque impedimenta amovenda, quibus prohibeatur Dei populus, quo minus faustis ominibus in patriam remearet. Omnia hæc fieri *Jehovæ, Deo Israëlis*; qui veluti Rex cum populo suo prodit, Ps. LXVIII: 8. Hab.

Hab. III: 13. Denique ita *gloriam Dei* insigni ista liberatione esse *revelatam*, ut omnibus circumquaque nationibus incusserit stuporem. Ps. CXXVI: 1, 3. Tam probabiliter ista dicuntur, ut non desint summates Theologi, qui tutissimum esse existiment, ita oraculum hoc exponere, ut ex eorum genere esse statuatur, quæ *typica* vocantur & composita, adeoque tum de *liberatione* populi per *Cyrum* ex *captivitate Babylonica*, tum de *liberatione* Ecclesiæ per *Christum* e *captivitate Diaboli*, intelligendum esse. Addita hac observatione, absurdum fore, Prophetam prædictioni captivitatis imminentis tantum subjicere consolationem multis post seculis demum exstituram. Fatentur interim, imo & probant sollicite, augustiora Prophetæ verba esse, quam ut ad unius populi temporale beneficium restringi debeant; & transitu a typo ad antitypum facto, consummationem vaticinii in Johanne & Christo ostendunt. Quod admirabili dexteritate præstitum est a Principe Theologorum *Friderico Spanhemio, Patre. Dubiorum Part.* III. *Dubio* XXII.

LIII. Equidem intercedere nolim ingenuo huic Doctissimorum Interpretum candori; sique explicatio ista animo alicujus satisfaciat, per me certe licebit in ea acquiescere. Modo & mihi liceat simplicius verba interpretari; uti directe, & sine typi ambagibus, ad Christum, & Johannem, ejus præcursorem, pertinentia. Pro qua sententia hæ militant rationes. Primo, a Viris eruditissimis notatum est, nullo evidenti nexu caput hoc XL Jesaiæ cum antecedente XXXIX jungi. Neque enim præfationem ullam habet, qua doceatur designatio temporis, aut occasionis, qua revelatio hæc Prophetæ facta sit. Sed post narrationem historicam subjungitur concio prophetica; cujus argumentum ex ipsa re, verborumque ἐμφάσει, non ex ea, quæ gratis supponitur, cum antecedentibus connexione, colligi debet. Qua observatione cadit speciosum illud pro typo argumentum, quasi scilicet vaticinium hoc continere necesse sit consolationem adversus mala præcedenti capite prænunciata. Concesso tamen nexu qui postulatur, certe ea quam nos daturi sumus explicatio, validissimam suppeditat adversus prædictas calamitates consolationem. Nam si ingentem ex prænunciatione captivitatis Babylonicæ terrorem in Hezechiæ regis totiusque populi animis oriri oportuit: pariter oportuit magnam ipsis lætitiæ materiem esse, quod intelligant, in ipsa illa terra a Babyloniis nunc vastanda, labentibus seculis prædicatum iri regnum Dei, cum *pace* & *veritate* longe luculentiori quam suis diebus optare Hezechias potuit: ibidem conspectum atque auditum iri primo clarissimum Messiæ Regis præcursorem, tum & Regem ipsum cum regni sui gloria, & inæsti-

LIII. *an directe & proprie. Hoc præfertur.*

inæstimabilibus bonis. Hæc enim omnia Dei acceptationem gratiosam, reditum populi in suam terram, Reipublicæ restitutionem, populi præ majoribus suis multiplicationem, collationemque beneficiorum multo quam unquam ampliorum, involvunt; jucundissimamque lugentibus Zionis consolationem præbent. Nihil ergo hactenus est quod a prima Johannis & Christi cogitatione nos abducat. Adducit autem character temporis vaticinio hoc descripti. Nimirum illud hic tempus designatur, quo dicetur Ecclesiæ כִּי מָלְאָה צְבָאָהּ *quod impletum sit tempus ei prædefinitum.* Hoc est, quod alibi vocatur, ἡ προθεσμία Gal. IV: 2. & πλήρωμα τοῦ χρόνου vers. 4. & מוֹעֵד Hab. II: 3. Quando נִרְצָה עֲוֹנָהּ *absoluta erit iniquitas ipsorum ad gratiosam acceptationem:* hanc enim vim Hebræa verba habent. Consequenter agitur hic de שְׁנַת רָצוֹן לַיהוָה *anno acceptationis Jehovæ.* Jes. LXI: 2. eaque *peccati expiatione*, & justitiæ æternæ adductione, quæ per Christum facta est. Conf. Dan. IX: 24. Zach. III: 9. Porro, omnia fere totius Prophetiæ verba ad Christum ducunt, & augustiora sunt, quam ut alteri cuicunque applicari possunt. Quis enim est *Jehova*, cui præparari viam oportuit, nisi Dominus ille qui ad Templum se suum venturum pollicitus erat, quem quærebant pii Israëlitæ, Angelus ille fœderis quo delectabantur, & cui per mittendum a Deo Angelum expedienda erat via? Mal. III: 1. Quando omnium maxime *revelata est gloria Jehovæ*, nisi quo tempore manifestatus est Messias, & conspecta *gloria ipsius veluti unigeniti a Patre*? Conf. Joh. XII: 28, 29. Quando *omnis caro vidit, os Jehovæ esse locutum*, nisi quum Filium Dei, æternæ vitæ præconem, & oculis conspexerunt, & auribus audiverunt, & reipsa experti sunt, omnes quotquot sunt Dei promissiones in ipso esse Etiam & Amen? Quando civitatibus Judæ in emphasi dictum est, *Ecce Deus vester: Ecce Dominus Jehova cum fortitudine veniet; ecce merces ipsius penes ipsum est, & opera pretium ejus coram ipso. Ut pastor gregem suum pascet, &c.* Cæterum esse oportet, qui Messiam hic cum Evangelio suo non deprehendit, Denique, uti antecedentia & sequentia ad Christum ducunt, ita verba versus 3. nulli melius ac plenius quam Johanni conveniunt. Ipse est VOX, præco, non nisi sermones Dei referens, *totus vox;* sermone, vita, victu, amictu, omnibusque actionibus suis docens. CLAMANTIS, Dei, qui contentius nunc quam per ullos olim Prophetas loquebatur, & validissime quosvis hortabatur ad pœnitentiam ac fidem, & jam jam per Evangelium audiendus erat ad terminos orbis habitabilis. Non dicitur Johannes *vox clamans*, quamvis Hebræa verba קוֹל קוֹרֵא eum sensum patiantur; sed φωνὴ βοῶντος, *vox clamantis*; ut clamor primo Dei sit;

ſit; Johannes autem non niſi Echo, repercuſſio illius clamoris. Conf. verſ. 6. In deserto: tam *literali*, quam *myſtico*, uti nuper fuſius eſt expoſitum. *Parate viam Domino, & rectificate in ſolitudine aggerem Deo noſtro.* Ut populi ſæpe jubentur præconis voce, Regibus & Principibus urbem aliquam cum pompa ingreſſuris, præparare vias, complanare ſemitas, aſpera, ſordida, indecora removere: ita præconis vice functus eſt Johannes, Iſraëlitas quanta potuit contentione officii ſui commonefaciens, ut adventanti Meſſiæ vias complanarent, quibus in ædes ipſorum animoſque poſſet illabi, immo & corda per pœnitentiam omni illuvie expurgarent, quæ introitum illius vel arcere vel morari poſſet. Merito itaque ſibi applicuit Johannes id quod revera præſtitit.

LIV. Prolixum eſſet, & ab inſtituto noſtro alienum ire per ſingula doctrinæ Johannis capita; obſervaſſe ſuffecerit, præcipuam officii ipſius partem in eo conſtitiſſe, ut prædicaret *reſipiſcentiam ad remiſſionem peccatorum*, & auditores ſuos hortaretur ad *receptionem regni cælorum*, quod jam præ foribus erat, & denique *monſtraret præſentem Meſſiam*, omniumque ad eum animos converteret. Omnes fere qui tunc erant religionis Doctores, de cibo, potu, lotionibus, primitiis, decimis, ſacrificiis, & id genus externis ritibus diſceptabant; haut aliter ac ſi totius religionis prora, quod ajunt, & puppis in minutiis iſtis ſitæ forent: immo clariſſima Numinis præcepta ſuis ſæpenumero pravis interpretationibus enervabant, aut humanis ac hypocriticis inſtitutis corrumpebant: interimque ſuperbiebant, arroganti propriæ juſtitiæ opinione temere inflati. Johannes autem longe aliter inſtituens ab externis ad animum, a ceremonialibus ad moralia, ab humanis inſtitutis ad Divina mandata, a ſuperba perfectionis gloriatione ad humilem peccatorum confeſſionem, & reſipiſcentiæ ſtudium auditores ſuos avocavit. Hebræorum magiſtri Templo ſuo, illiuſque ſuperbis ſubſtructionibus, & externo apparatu, inſanum in modum ſe efferebant. Johannes procul Hieroſolymis, in eremo, *regnum cælorum* prædicavit, hoc eſt, feliciorem Eccleſiæ ſtatum, ſub Meſſiæ imperio; per Evangelium patefaciendo, & per quaſcunque gentes, a Solis ortu ad Heſperium cubile, longe lateque propagando. Quod regnum origine, forma, fine, *cælorum regnum* eſt: diverſiſſimum a *quatuor magnis illis Imperiis* Nebucadnetzari & Danieli memoratis, magna plerumque crudelitate & injuſtitia dominantibus, & ad oppreſſionem populi Dei. Diverſum item a *regno Dei* quod olim ſub *Oeconomia Teſtamenti Veteris* in populo Iſraëlitico habuit. Quippe quod tunc *Civile* erat, unius populi genio, & terræ in qua populus iſte habitabat condi-

LIV. Summa doctrinæ Johannis: multum a tunc recepta diſcrepantis.

conditioni accommodatum; & *Cærimoniale*, figuris constans; ac *Spirituale* quidem, sed sub involucro elementorum mundi: nunc autem nihil habet humanum, nullos Principes ac Seniores qui Ecclesiæ, qua tali, cum imperio præsint, nihil mundanum, nullum ἅγιον κοσμικὸν, sed omni modo regnum Dei, & regnum cœlorum est, cujus insignia privilegia sunt *justitia, pax & gaudium per Spiritum Sanctum.* Eum statum, quem toties cecinerunt prisca vatum oracula Psal. XXII: 29. XCIII: 1. XCVII: 1. Jes. LII: 7. Dan. II: 44. VII: 18, 22. Zach. XIV: 9. jam instare proclamat, futurumque ut brevi reveletur. Venit etiam ut *testaretur de luce;* jubet *ut crederent in eum qui post se venturus erat:* & quum præsentem conspicaretur digito commonstravit, dicens: *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Hunc supra se immensum extulit: indignum se fassus *qui ipsi portaret calceos, aut solveret corrigias.* Totum denique ministerium suum eo comparatum esse professus est, *ut ipse imminueretur crescente Christo;* sicuti stellas omnes præstringit æthereus Sol.

LV. Baptismus Proselytismi ante Johannem non videtur Divinæ institutionis fuisse.

LV. Omnibus hisce confirmandis inserviebat ejus BAPTISMUS; tam præclara atque eximia officii ipsius pars, ut inde BAPTISTÆ nomen reportaverit. Frequens sane in prisco Israële Baptismi usus fuit, ejusque potissimum gemini: quorum alter טבילת נדה, *baptismus immunditiei*, impuritati legali abluendæ destinatus, alter טבילת גרות, *baptismus Proselytismi*, Magistris dicitur, quo qui gentilem religionem Mosaica commutabant, Israëliticæ Ecclesiæ magno cum apparatu initiabantur: qua de re alibi fuse me egisse memini. Hujus Baptismi initium ab antiquissimis arcessunt temporibus. Sunt qui Patriarchæ Jacobo adscribant, Sichemitidas puellas, aliosque quos in familia habebat Ethnicos, in Ecclesiam suam domesticam ista, ut volunt, cerimonia, cooptanti. Gen. XXXV: 2. Alii elicere conantur ex Exod. XIX: 10, 14. Sed fortasse congruentius fuissent locuti, si cum Paulo nostro observassent, Israëlitas *nube & mari baptizatos esse in Mosen.* 1. Cor. X: 1, 2. In quem locum non illustriorem unquam commentationem vidi, quam est illa *Gatakeri Advers. Miscel. Posthum. cap.* V. Descensum illum in intima infimaque *maris*, indidemque adscensum in aridam, magnam docet habuisse convenientiam cum antiquo Baptismi ritu. De *nube* hæc suspicatur: transivisse Israëlitas sub nube, quum nubes, quæ præire consueverat, supra capita eorundem transitu facto, a tergo illis constitit, quo Ægyptiorum copias ab exercitu Israëlitico arceret. Porro existimat, nubem illam, dum per populi capita ferebatur, quum is viæ tædio ac fatigatione & hostis metu langueret, Deo in populi refocillationem id procurante, *pluviam copiosam* in turmas

mas subjectas demisisse. Idque doceri Ps. lxviii: 7, 8, 9. Ubi Lyrodus sacer strictim tangit, tam quæ ad mare Erythræum, quam quæ ad montem Sinæum gesta sunt. Nimis enim longe eos abire credit, qui ad terram Cananiticam, pluviis tempestivis rigatam, referunt. Tam erudite ista mihi observata esse videntur, ut cum voluptate hic adscripserim. Cæterum, quamvis in hisce species quædam Baptismi fuerit, Baptismo Christiano respondens: non tamen memini in Sacris monumentis Divinum aliquod mandatum exstare de Proselytis per Baptismum Ecclesiæ Israëliticæ initiandis. Sed more obtinuit, nescio quam antiquo, aut unde primum orto; certe Johannis ætate receptissimo.

LVI. Sufficit nobis Johannis Baptismum *e cœlo*, hoc est, Divina auctoritate institutum *esse; ipsum missum esse ad baptizandum.* Joh. 1: 33. *facto ad eum verbo Domini.* Luc. iii: 2. Et sane prædicanda nobis Summi Numinis quum Sapientia tum Bonitas est, quod receptos ritus, in quibus nihil superstitionis & criminis erat, retinens, auctoritate eos sua firmatum ire, & augustissima rerum mysticarum significatione, quæ unice ab institutione sua dependet, illustriores reddere voluerit, ne innovatione haut necessaria infirmos suorum animos turbaret. Videbant quotidie Israëlitæ, eos qui ex gentibus Mosis religionem amplectebantur, Baptismo sibi uniri, participesque fieri Divinorum fœderum. Et videbant illud summa cum animi voluptate. Placuit igitur Deo per Johannem ostendere, magnam Israëlitarum partem ipsos quoque salutari fœderis communione excidisse; interimque instare novi fœderis, melioribus promissionibus sanciendi, tempus. Cujus spei ut per fidem ac pœnitentiam, & Baptismi susceptionem, uti proselyti regni cœlorum, initiari vellent, magna eos clementia invitabat. Atque hinc deducendum esse arbitror, quod Scribæ ac Pharisæi non legantur Johanni litem de Baptismo suo intendisse; tantummodo quærentes, qua, & cujus auctoritate baptizaret. Indidem factum est, quod tantus hominum ad illius Baptismum fuerit confluxus. Nam & sanctimoniæ & doctrinæ fama celebris erat, neque novum ritum usurpabat, & regnum cœlorum, quod omnium eo tempore votis avide expectabatur, instare docebat; cui, jam præ foribus stanti, ut se Baptismi sui susceptione, initiari paterentur, quosvis accedentes hortabatur. Quæ grata multis accidere, pronisque animis excipi debuerunt.

LVI. At Johannis Baptismus e cœlo est, ad similitudinem illius qui tunc erat in usu.

LVII. Non lubet nunc in Theologorum super Johannis Baptismo controversias digredi. Magis juvat partem sermonis istius exponere quo Pharisæos & Sadducæos ad Baptismum suum accedentes compellavit,

LVII. Quum dixit Johannes, Deum ex

Lapidibus posse Abrahamo excitare liberos, credibile est, eum respexisse ad veterem Historiam vel Prophetiam.

lavit. Mat. III: 9. *Ne putate dicendum apud vos ipsos, Patrem habemus Abrahamum: dico enim vobis, Deum posse etiam ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo.* Admodum superbiebant Judæi sua ex Abrahamo origine. Joh. VIII: 33. Quam sibi non modo in hoc seculo gloriosam, sed & in futuro, & ad æternam salutem, profuturam arbitrabantur. Existimabant, Israëlitas rejici non posse; jactabant cuivis Israëlitæ partem futuram esse in futuro seculo. Idque tribuebant non solum promissioni Dei Abrahamo factæ, sed & ipsius Abrahami merito. Vanam istam cordis ipsorum cogitationem serio redarguit Johannes, uti nullo idoneo nixam fundamento. Addita notabili admodum ratione, quod ipsis rejectis, neque Deo tamen neque Abrahamo defuturi forent filii: quippe cui facile esset *vel ex lapidibus istis filios excitare Abrahamo.* Non est improbabile, Johannem hisce verbis ad *Historiam*, vel *Prophetiam* aliquam veterem respexisse. Is qui olim *Loti* uxorem, *Abrahami neptem*, in *statuam salis* convertit, quid ni, verso rerum ordine, lapides in *Abrahami nepotes* transformare posset? Lapides in *Jordane* erectos fuisse, in memoriam transitus Israëlitarum, constat ex Jos. IV: 9. Baptizavit autem Johannes in *Jordane*, quum hæc verba faceret. Mat. III: 6. Et quidem in *Bethabara* Joh. I: 28. id est, *domo transitus*: quo nomine credibile est eum locum innui, ubi primum Israëlitæ cum Arca transiverunt. Porro suo adhuc tempore priscos illos lapides in Jordane superstites fuisse, scribit *Hieronymus*. Potuit ergo fieri ut eos ante oculos habuerit, & auditoribus suis monstraverit Johannes. Quasi diceret, sicuti olim lapides hi, in memoriam miraculi a Deo in gentis vestræ gloriam facti, hic erecti sunt: ita eidem Deo in promtu foret, ingrata posteritate repudiata, ad eorum confusionem, ex ipsis istis lapidibus, novos Abrahamo filios creare. Sed imprimis probabile est, Johannem allusisse ad Jes. LI: I. Ubi corpus Abrahami effœtum *rupi* comparatur, ex qua tamen prodiit cum posteritate sua Isaacus. Quid obstat quo minus simile nunc facere possit Deus, & ad eundem modum, carnalibus rejectis, spirituales Abrahamo filios miraculose suscitare? Non incommode hæc hactenus observata esse, quis negaverit?

LVIII. *Et ænigmatice innuisse vocationem Gentium.*

LVIII. Sed & ænigma aliud verbis istis subesse videtur: ut non de eo duntaxat loquatur Johannes, quod Deus possit, etiamsi nolit; sed de eo quod revera effectum daturus erat. *Lapides* ænigmatice *Gentiles* notare possunt. I. Propter *cor lapideum* ac cedere nescium. Ezech. XI: 17. II. Quia *lapides dum colunt, lapidibus similes* esse existimabantur. Psal. CXV: 8. III. Quia non magis ad pietatem & veri Numinis cultum idonei censebantur, quam lapides. Hæc tamen ipsæ

Gentes

Gentes Abrahamo in semen spirituale promissæ erant. Gen. XXII: 18. Rom. IV: 16, 17. Et valide veritas ista ad Baptistæ mentem facit. Si enim tempus illud instaret quo Deus Gentes quoque filios Abrahami facturus erat, frustraneam ac ratione cassam esse apparet illam de naturali ex Adamo genitura gloriationem. Neque nova est hæc observatio: sed *Clementi Alexandrino* olim annotata, *in Admonitione ad Gentes p. 3.* λίθοι δὲ καὶ ξύλα οἱ ἄφρονες. πρὸς δὲ καὶ λίθων ἀναισθητότερος ἄνθρωπος, ἀγνοίᾳ βεβαπτισμένος. Μάρτυς ἡμῖν προφητικὴ παρίτω φωνὴ, συνῳδὸς ἀληθείας τοὺς ἐν ἀγνοίᾳ καὶ ἀνοίᾳ κατατετριμμένους οἰκτείρουσα. δυνατὸς γὰρ ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ. ὅς κατελεήσας τὴν ἀμαθίαν τὴν πολλὴν, καὶ τὴν σκληροκαρδίαν τῶν εἰς τὴν ἀλήθειαν λελιθωμένων, ἤγειρε θεοσεβείας σπέρμα, ἀρετῆς αἰσθόμενον, ἐκ λίθων ἐκείνων, τῶν λίθοις πεπιστευκότων ἐθνῶν. *Lapides autem & ligna sunt insipientes. Præterea lapidibus quoque est insensibilior homo, qui est tinctus ignorantia. Testis nobis accedat vox prophetica, veritati concinens, quæ miseretur eorum qui sunt contriti in ignorantia & amentia. Potens enim est Deus ex his lapidibus suscitare filios Abrahæ. Qui miseratus multam inscitiam, & cordis duritiem eorum qui lapidaverunt adversus veritatem, excitavit semen pietatis in Deum, quod virtutem sentiret, ex lapididus istis, nempe gentibus, quæ crediderunt lapidibus.*

LIX. Quòd Johannes indignus Christi soleas portare; & an Christus soleis usus.

LIX. Non minore attentione digna est & altera ejusdem orationis pericopa Mat. III: 11. *Ego quidem baptizo vos aqua ad resipiscentiam; is vero qui pone me venit validior me est, cujus non sum dignus qui soleas portem: ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igne.* Totum, quod & antea monui, Johannis ministerium ad Christi gloriam unice comparatum fuit. Hinc est quod eam, sui depretiatione, illustratum iverit. De ministerio suo fatetur, *se non nisi aqua baptizare* posse, non nisi symbolum externum dare: rem autem ipsam, symbolo significatam, conferre non posse. De persona vero sua sic loquitur, ut *dignum se Christi soleas portare*, aut, ut cæteris Evangeliis exprimitur, *solearum ejus corrigiam solvere*, neget. Quæ proverbialis vilissimi ministerii designatio est. Ita enim apud omnes fere gentes censebatur: Conf. Ps. LX: 10. Hinc pueruli in comœdia *Sandaliogeruli*, puellæ *sandaliogerulæ* dicebantur. Et apud Terentium in Heautontimorumeno: *Accurrunt servi, soccos detrahunt.* Vult ergo dicere, dignum se non esse qui calceorum Christi curam gerat, eos mundet, reponat, mutet, reddat, tollat, pro Domini, modo induentis, modo exuentis, lubitu, eoque foras prodeunte portet, si illos ponere aliquando, loci sacri, aliave de caussa, velit. At quid, inquiat aliquis, Johannes de calceamentis Christi loquitur, quum colligi posse videa-

videatur, Christum calceis usum non esse, ex eo quod discipulis suis eorum usu interdixerit. Mat. x: 10. Parum enim verisimile est, Christum aliis præcepisse quod ipse non observaret. Sed notandum est, tam hic quam illic ῥῆσιν esse παροιμιώδη· in qua putidum sit urgere literam. Non absolute Christus suis ὑποδημάτων usu interdixit; sed monere duntaxat voluit, ut abstinerent a nimio apparatu quasi prolixioris itineris, qualem illi facere solent, qui in sarcinis alias soleas ponunt, deficientibus prioribus sufficiendas. Nam & brevi revocandi tunc erant Apostoli, & singularis Dei cura prospectura iis erat de necessariis. Ita & in Johannis dicto, certum vilissimi ministerii genus proverbialiter ponitur pro quovis.

LX. *Quo sensu Christus & pone Johannem venerit, & eodem validior sit.*

LX. Cæterum, quam *humiliter* de *semetipso*, tam *magnifice* de *Christo* loquitur; tam *personæ* quam *officii* intuitu. De *persona* ait, *at qui pone me venit, validior me est.* Post Johannem venit Christus, tam temporis quam loci ratione: nam & post Johannem publice prædicare cœpit; & Johannes præcurrens venienti Regi præparavit viam. Quomodocunque interpreteris, indicatur Christi præcellentia. *Johannes testatus est de eo, & clamavit, dicens, Hic est de quo dicebam, Is qui pone me venit* ἔμπροσθεν μου γέγονε *antepositus est mihi: quia prior me erat.* Joh. 1: 15. Quasi diceret, non debetis in me figere oculos, quasi ego essem ille in quo sit expletio promissionum, & saturatio desiderii Israëlis. Omnis officii mei dignitas in eo sita est, quod prodromus sim Domini majoris. Qui post me, non veniet, sed *venit*, jam in via est, פתאום *derepente* apparituras, immensum mihi est anteponendus, πλείονος δόξης παρ' ἐμὲ ἠξίωται, & ἐπάνω πάντων ἐστὶ, quià πρῶτός μου ἦν, hoc est, πολὺ πρότερος, quippe ἐν ἀρχῇ. Idem me *validior* est, qui infinities plura præstare potest quam ego: adeoque rem ipsam conferre, cujus ego non nisi symbola exhibeo: quippe אל גבור *Deus ille fortis*, cui dictum a Patre est, אך ביי צרקות ועון, *Certe in Jehova sunt justitiæ & robur.* Jes. xlv: 24.

LXI. *Christus baptizavit Spiritu Sancto & igne, quando igneum spiritum abunde in suos fecit descendere.*

LXI. De *officio* autem & opere Christi sic testatur: *Is baptizabit vos* Spiritu Sancto et igne. Quod plerique Interpretes sic exponunt, ut per Spiritum Sanctum & per ignem unam eandemque rem intelligi jubeant; quasi posterius illud sit ἐξηγητικὸν prioris, eoque symbolice declarentur Spiritus Sancti in operationibus suis qualitates. Neque desunt interpretationi isti idonea argumenta. I. Quia Marc. 1: 8. & Joh. 1: 33. ubi eadem hæc oratio Johannis memoratur, solius *Spiritus*, nulla *ignis* mentio est. Quod non videtur fuisse faciendum, si *ignis* a *Spiritu* res diversa sit. II. Quia & alibi *Spiritus Sanctus* in operationibus suis *igni* comparatur Jes. vi: 6. & imprimis

Jes.

Jes. IV: 4. Ad quæ loca credibile est hac locutione alludi. III. Quia revera Spiritus Sanctus *vim igneam* in cordibus fidelium exserit, illuminando, penetrando, accendendo, purgando, emolliendo, exurendo sordes, & objectum suo igne in se transformando. IV. Denique, quia respondit eventus. Tunc enim maxime vaticinio huic sua constitit veritas, quando Jesus ad dexteram Patris sui cœlestis exaltatus, & promissionem Spiritus nactus, eum in Apostolos suos tam copiose, die Pentecostes, sub specie *ignitarum linguarum*, effudit. Act. II: 3. Huc manifesto nos ducit ipse Dominus Act. I: 5. *Nam Johannes quidem baptizavit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu Sancto istis non multo post diebus.* Intelligitur ergo *spiritus igneus*, aut *ignis spiritualis*, tam quoad dona extraordinaria, quam ordinaria ac salutaria. Communicatio larga Spiritus istius ignei *Baptismus* vocatur, propter ubertatem: quo pertinet Joëlis illud, allegatum Act. II: 17. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Nisi malis respici ad victimas legales quas ignis cœlitus illapsus sanctificabat & consumebat: ut innuatur, eos quidem homines viva esse sacrificia, Deoque accepta, qui Spiritu Sancto desuper irruente ardent & accendunduntur. Quæ acuta *Ligtfooti* observatio est *in Harm.* IV. *Evang.* Quis neget expositionem hanc eruditam ac piam esse, & verbis & rei consentaneam, ideoque nullo modo repudiandam?

LXII. Sed & alia datur consideratu dignissima. Sunt qui Baptismum *Spiritus*, & Baptismum *ignis* sic distinguunt, ut per illum intelligatur collatio donorum præstantissimorum, tam ordinariorum quam extraordinariorum, quibus, ex abundantia bonitatis Christi, potissimum locupletentur amici ipsius, electi ac fideles: per hunc vero, *demonstratio iræ Divinæ* in Judæos rebelles & Evangelio refractarios. Nimirum duum generum auditores habebat Johannes; alios dicto obedientes ac morigeros; alios pervicaces & incredulos. Utriusque Baptismum prædicit, singulis convenientem: illis *Baptismum Gratiæ & Spiritus*, his *Baptismum iræ & ignis.* Quæ explicatio istis firmatur rationibus. I. Quia *ignis* alibi quoque *iram Dei*, & excidium nationis Judaicæ ob spretum Evangelium significat. Deut. XXXII: 22. Mal. IV: 1. II. *Afflictiones* etiam *Baptismi* nomine veniunt. Luc. XII: 5. Mat. XX: 22. III. Dubitari posset an hic locum habeat ἓν διὰ δυοῖν: quia in id genus locutionibus præponenda esse videtur vox figurata, propria vero postponenda ad figuratæ explicationem. Quod & fit Joh. III: 5. *ex aqua & Spiritu.* IV. Ipse Johannes explicationi isti videtur favere, dum orationem suam sic prosequitur: com. 12. *Cujus ventilabrum est in manu sua, & perpurgabit aream suam; & coget triticum suum in horreum, paleam autem exuret igni inexstincto.* V. Denique, respon-

LXII. *Etiam igne baptizavit, quando immorigeros cremavit igne inextincto.*

respondit eventus: uti enim fideles Spiritus sui donis liberalissime ditavit Christus, ita rebelles æstu iræ suæ, & urbis templique flammis implicitos, justa severitate delevit. Et hanc quoque expositionem tam concinnam esse arbitror, ut solo novitatis præjudicio exsibilanda non sit. Liberum per me cuique atque integrum eligendi jus esto.

LXIII. *Cur placuerit Christo ad Johannem venire, & Baptismum ab eo petere.*

LXIII. In omni ministerio Johannis nihil ei videtur contigisse gloriosius, quam quod baptizari ab ipso Dominus voluerit. Eam enim rem, tanquam oppido memorabilem tres Evangelistæ unanimi consensu tradidere, quartus factam non quidem narrat, sed tamen innuit. *Venit Jesus e Galilæa, ex oppido Nazarethæ, ad Jordanem, ad Johannem, ut baptizaretur ab eo.* Mira enimvero res, & quod *venerit* ad Johannem, & quod *baptizari* ab eo voluerit. Videri sane potest, Johannis potius fuisse, ad Christum venire, quam Christi, ad Johannem; servi, ad Dominum, quam Domini, ad servum. Et quid Christo, qui ipsa puritas & sanctitas est, cum Baptismo, quod est Sacramentum pœnitentiæ & remissionis peccatorum? Cæterum prædicanda hic nobis est Jesu Christi comitas & συγκατάβασις, quod libere, non coacte; sponte, non ex officio; ex dispensatione voluntaria, non ex obligatione; nostri caussa, non sui; venire ad Johannem voluerit: ut ministerio Johannis honorem conciliaret, illudque Judæis commendaret, ipsoque facto comprobaret, ad illos se venire ac se præsentem sistere qui strenue officio suo defunguntur, & pœnitentiæ ac fidei promovendæ operam dant. Baptizari autem voluit, ut auctoritatem conciliaret Baptismo Johannis: ut ostenderet, se caput baptizatorum esse, æque ac circumcisorum, & communionem habere cum utrisque, qui venit ut ex utrisque faceret unum: ut exemplo suo & commendaret & sanctificaret Baptismum nostrum, æque ac Sacramenta alia, quibus se subjecit, ne homines gravarentur venire ad Baptismum Domini, quum Dominus gravatus non fuerit venire ad Baptismum servi: ut Baptismo suo adumbraret, qualis esset futura & suorum conditio, humilis primo, mox gloriosa; antecedente exinanitione, succedente glorificatione, illa adumbranda per immersionem, hac per emersionem: ut Sacramenti hujus usu ipsi confirmarentur promissiones pacti, quod inter Patrem & ipsum erat, de abolitione peccatorum quæ in se susceperat, & justificatione ac sanctificatione eorum quorum personam gerebat, & de resurrectione gloriosa, qua emersurus erat ex aquis tribulationum. Ps. cx: 7. denique, ut ipse quoque spontanea hac Baptismi subitione profiteretur, in se moram non fore, quo minus mergendum se torrentibus inferni traderet, cum certa tamen fide ac spe emergendi.

LXIV.

LXIV. Quæ quum in inexſpectato iſto adventu ac petitione Chriſti non mox in mentem venire potuerint Johanni, mirum non eſt, quod obnixe eum prohibuerit; profeſſus ſibi potius opus eſſe a Chriſto baptizari. Cujus rei graves oppido rationes habere ſibi viſus eſt, ſive *Chriſtum* ſpectaret, ſive *populum*, ſive *ſemetipſum*. *Chriſto* per Baptiſmum detrahi videbatur, referendo per eum in ordinem pœnitentium, & abluendorum. *Populo* occaſio dari, ſiniſtras de eo formandi ac fovendi cogitationes, quaſi merus homo eſſet, & peccator, & indigus luſtrationis; & minor Johanne, denique nihil minus quam Meſſias. *Johanni* nota inconſtantiæ pariter ac ſuperbiæ inuri, quod quum hactenus Chriſtum infinities ſe majorem digniоremque eſſe profeſſus fuerit, ſuumque Baptiſmum Baptiſmo Chriſti longe poſtponendum eſſe monuerit, nunc eundem Chriſtum, veluti ſe minorem, baptizatum eat. Quæ cognitiones, quoniam ex ταπεινοφροσύνῃ Johannis, & mera qua Chriſtum proſequebatur veneratione proceſſerunt; nihil fuit in iſta Johannis prohibitione quo Chriſtum offenderet: nihil quod imperium aut inobedientiam argueret. Fuit enim prohibitio non imperantis, ſed orantis; non ex faſtu, ſed ex indignitatis ſuæ conſcientia; non ex contumelia, ſed ex reverentia; non detrectantis obedientiam, ſed deprecantis nimium honorem. Nec ſine Numine blanda iſta contentio fuit. Nam per hanc ipſam σύῤῥαξιν inclaruit Chriſtus, qui alioquin in turba accedentium latere poterat: Johanne vero intercedente, & verbis quidem ſummam illius dignitatem teſtantibus, gloria Domini adſtantibus & nota facta eſt & commendata.

LXIV. Graves rationes Johanni fuere cur Baptiſmum illum deprecaretur.

LXV. Sed ut alibi, ita hic quoque vincere oportuit Dominum. Qui idcirco Johanni reſpondet: *Omitte me nunc: ita enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Fatetur quidem ſibi opus non eſſe Johannis Baptiſmo, Johannem potius indigere ſuo: ſed non permittit Johannem iſti nunc conſiderationi nimis inſiſtere: monet habere ſe potiores alias facti ſui rationes, quas ſingulatim enarrare iſtius nec temporis nec loci ſit; quidquid Johanni ἀνάξιον καὶ ἀπρεπὲς videatur, Dominum baptizari a ſervo, ſibi tamen, cui omnis decori ratio perſpectiſſima eſt, πρέπον cenſeri, & ſe & Johannem iis omnibus defungi, quæ muneris ab utroque ſuſcepti conditio exigeret. Non temnenda mihi videtur *Ligtfooti* obſervatio emphaſim aliquam latere in adverbio NUNC. Omitte me NUNC. q. d. Verum quidem eſt, me, qui te ſequor ordine temporis, Spiritu Sancto baptizare, & tibi magis opus eſſe meo Baptiſmo, quam mihi tuo: attamen nondum venit hora Baptiſmi mei; prius implenda eſt omnis quæ a me exigitur juſtitia: & tum demum Spiritum Sanctum meo illo Baptiſmo liberaliter aliis impertiar. NUNC igitur

LXV. Optime tamen fecit, quod tandem Chriſto ceſſerit. Sic enim utrumque decebat.

igitur omitte me, sine a te baptizer, quia nondum tempus est ut spiritualis Baptismus meus exhibeatur. Addit Dominus rationem: *ita enim decet nos omnem justitiam implere.* Ubi *justitiæ* nomine intelligo quidquid æquum, honestum, in laude positum, muneri suo conveniens, Deoque acceptum est. In quarum rerum censu erat, Jesum baptizari, Johannem baptizare, illud ob formam servi, qui legi subjectus esset, a se susceptam, istud ob munus baptizandi Johanni demandatum. Uti Christus circumcisus fuit, quamvis labis omnis, quæ præputium cordis vocatur, expers, ut cerimonia defungeretur quæ Deum auctorem habuit, quæque omnes eos institutionis suæ majestate obstrinxit qui Oeconomia Legali censebantur: sic & baptizari ipsum a Johanne oportuit, quamvis nullius ablutionis indigus, ne quidquam eorum omitteret quæ in dispensatione, quæ Evangelium proxime antecessit, Deum auctorem habuere. Christi itaque officium erat, Johanni se baptizandum sistere; Johannis partes, Christum a Baptismo suo non repellere. Id πρέπον utrique. Quibus auditis acquievit Johannes, nil sibi præter parendi gloriam relictum esse credens. Cætera quæ in hoc Baptismo contigerunt, quum ad Jesu magis quam Johannis historiam pertineant, non desiderant hic nostram ἐπιμονήν.

LXVI. *Qui hæc fieri potuerint antequam Johannes Christum cognosceret: quod innui videtur Joh. 1: 33.*

LXVI. Patet ex omnibus hisce, jam probe Johanni cognitum fuisse Jesum, dum hos invicem sermones reciprocabant. Id tamen negare videtur Baptista, Joh. 1: 33. *Ego non noveram ipsum: sed qui misit me ut baptizarem aqua, ille mihi dixerat, super quem videris Spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu Sancto.* Cui difficultati tollendæ multam operam tam Veteres quam Recentes impenderunt. Ex omnium quos legi cogitatis hæc mihi facillima ac planissima visa sunt. Si non antea, certe initio muneris sui, docente Deo, clarissime scivit Johannes, præ foribus esse, & cis exigui temporis spatium apparriturum Messiam, de cujus ut jam instantis revelatione certiores auditores suos facere muneris sui lege tenebatur. At persona Messiæ quænam esset, atque ubi lateret, nondum habebat exploratum. Cum Jesu nulla ipsi hactenus intercesserat familiaritas; quem neque de facie, neque de officii dignitate noverat. Sic dispensante admirabili Divinæ Providentiæ sapientia, ut uterque proprio lare, in locis dissitis, privatam & obscuram vitam, sine ulla famæ celebritate, degeret; ne deinceps quum alter alterum commendaturus esset, ex compacto agere, ulla cum veri specie fingeret calumnia. Tandem Deo placuit signum aliquod Johanni indicare ex quo personam Messiæ quiret dignoscere: nimirum, ut super quem

visurus

visurus esset descendere & manere Spiritum, hunc sciret esse Christum. Id dum nondum factum esset, in vago fluctuabat. At quum accessit Jesus Baptismum petens, tunc repente instinctu Spiritus cognoscere ipsum cœpit: & ex ista infusa tunc sibi notitia, ita cum Jesu egit uti egit, & mox plenissime de tota re persuasus palamque convictus fuit, quum, adscendente ex aqua Jesu, cœlum aperiri, & Spiritum S. veluti columbam super eum descendere, conspicatus est. Sic observata distinctione temporum, & graduum cognitionis, apparens contradictio tollitur.

LXVII. Hæc ergo vera rerum series est: Jesus a Johanne baptizatus, Spiritu Sancto locupletatus, & illustre Patris testimonium nactus, continuo Spiritus adflatu a Jordane in solitudinem profectus est, ut tentaretur a Cacodæmone, superatisque illius insidiis, omnibus suis exemplo ac consolationi esset. Illic dum quadraginta dies absque ullo cibo mansit, quot diebus Moses olim, Legem a Deo accepturus, in monte Sinai jejunus commoratus est; Johannes Baptista, magnarum de Jesu cogitationum plenus, prolixo sermone ea auditoribus suis exposuit quæ initio Evangelii sui Johannes Apostolus usque ad vers. 19. memorat. Interea temporis ad Johannem legati isti a Synedrio veniunt; de quorum negotiatione nuper diximus. Paulo post Jesus ex monte, in quo postremum a Cacodæmone tentatus fuerat, sed frustra, tanquam triumphator Satanæ, ad Jordanem & Johannem rediit. A quo conspectus postridie ejus diei, quo testimonium ei apud Hierosolymitarum legatos perhibuerat, novis ab eo laudibus ilico ornatus est, ut significaret eundem illum esse de quo pridie cum legatis egerat. Hic est, inquit, Agnus ille Dei, labis omnis expers, qui se Deo, ad expianda hominum peccata victimam offeret. Hic est quem dicebam, quamvis pone me veniret, multo tamen me esse potiorem. Hunc quidem antea non noram, quamvis abluere cœpissem pœnitentes, & prædicare regnum cœlorum mox adfuturum: sed initio missionis meæ a Deo monitus sum, in quem viderem Spiritum descendentem & manentem, eum esse qui Spiritu Sancto discipulos suos baptizaturus sit. Quum igitur ad me accessit, Baptismum meum petens, Divino aliquo instinctu agnoscere ipsum cœpi. At mox quum vidi cœlos findi, & in eum a me baptizatum Spiritum Sanctum sub columbæ specie descendere, & ei aliquamdiu insidere, plenissime persuasus sum, quod dehinc aperte testor, hunc esse Filium Dei, & promissum mundo Sospitatorem. Postero die Johannes iterum conspicatus Jesum non procul ambulantem, duobus qui forte ipsi aderant discipulis, idem repetiit testimonium; ecce, inquiens

LXVII. Vera totius illius historia series.

Agnum Dei, de quo hesterno die dicebam. Quod eam in ipsorum animis vim habuit, ut ilico Jesum sint secuti, & bihorium cum ipso ad Solis occasum manserint: sermonibus ipsius tam præclare instructi, ut nullum ipsis dubium restiterit, quin in Jesu invenissent Messiam. Alter autem ex illis erat Andreas, Simonis, cui postea Petri nomen datum est, frater. Hic & fratri, ut ad Christum accederet, in eumque crederet, auctor fuit. Primusque adeo omnium discipulorum Jesu est, quem suo Sacra Historia nomine designat, qui ex Johannis disciplina in illam Jesu, felici permutatione transivit.

LXVIII. *Rixa discipulorum Johannis super baptismo Jesu, hominumque ad illum confluxu.*

LXVIII. Inter hæc a Johanne dicta gestaque, & incarcerationem ipsius, exigui temporis mora intercessit. Paulus enim auctor est. Act. XIII: 25. *Johannem explevisse*, hoc est, propemodum explevisse, sive in eo fuisse ut expleret, *cursum suum*, quando ea quæ explicuimus testimonia Jesu perhibuit. Atque unica solummodo actio intermedio tempore gesta legitut, quam posteritatis memoria dignam Spiritus Sanctus censuit. Nimirum Jesus confectis itineribus aliquot cum discipulis suis in Judææ territorium rediit, ubi ad Baptismum, ipsius jussu a discipulis administratum, frequentissimus hominum confluxus fuit. Johannes interea, relicto Jordane, baptizabat in *Ænon* prope *Salim;* quæ obscura & fere ignota nunc Interpretibus loca sunt. Non improbabilis *Ligtfooti* conjectura est; sita fuisse in Galilæa, cis Jordanem, in ditione Herodis Tetrarchæ: & *Ænon* non tam oppidi alicujus nomen esse, quam amplissimi & spatiosissimi campi, scaturiginibus vivarum aquarum abundantis. Ibi ergo more suo accedentes ad se abluebat Johannes: at pauciores nunc quam olim, pauciores multo quam Jesus. Ejus rei fama quum ad discipulos Johannis dimanasset, excitavit inter illos ac Judæos rixas de purificatione. Discipuli Johannis indignabantur, alium a Magistro suo esse qui baptizandi provinciam sibi arrogaret: neque ægritudinem animi sui dissimulabant, ex eo ortam, quod novus iste Doctor plures inveniret sectatores. Judæi vero magis adhuc indignabantur, alienos ritus, tam a Christo, quam Johanne, invehi, & utrumque criminabantur, uti novarum rerum auctores: contendentes, satius esse, ut solitis, & a Mose institutis, purificationibus contenti, recentes has, ut noxiarum litium materiem, missas facerent. Quum vero dirimi inter ipsos controversia nequiret, Johannis discipuli rem ad Magistrum detulere, gloriæ ejus, uti fieri solet, ultra modi modestiæque terminos, studiosi. *Rabbi,* inquiunt, *is qui tecum erat ad trajectum Jordanis,* quem tu baptizasti, cui tu testimonium perhibuisti, honori ejus tam sollicite consulens, *is ipse*, nulla tui, nulla Baptismi tui habita ratione, per discipulos suos nunc

baptizat, & ecce, quod animum nostrum urit, quippe cum famæ tuæ dispendio junctum, *omnes veniunt ad eum*. Eundem hic mihi animum in ferventis sanguinis juvenibus videre videor, qui olim in Josua eluxit, quum Eldadum & Medadum in castris injussu Mosis prophetantes cerneret, illudque tanquam rem non ferendam Mosi renunciaret. Num. XI: 27, 28.

LXIX. At qua æquitate Moses Josuæ, eadem Johannes discipulis respondit suis. Negavit virum religiosum decere, ut plus sibi arroget, quam cœlitus datum est. In omnibus acquiescendum esse Divinæ Providentiæ, & procul invidia obsequendum Deo. Vos ipsi, inquit, testes mihi estis, ingenue me professum esse, quod Messias non sim, sed omnem officii mei rationem in eo consistere, ut viam ipsi complanarem, & Judæorum animos ad eum excipiendum pararem. Ipse sponsus est: sponsam igitur sibi collocatam solus habeat. Ego non nisi amicus sponsi: quem vehementer lætari oportet, si sponsum in sponsæ amore ac blanditiis oppido sibi placere animadvertat. Tantum abest, ut ulla tangi liceat invidia. Tali ego nunc commoveor adfectu, quum intelligo eum, cui testimonium perhibui, tanto cum confluxu alacriter munere suo defungi. Ita res comparata est, ut ipsum crescere, me minui oporteat; uti procedente Sole Phosphori hebescit jubar. Ipse immensum quantum in omnibus me major est: cœlestis quippe originis; ideoque supra omnium mortalium sortem positus; ego qui e terra sum, merus homo, eodemque quo cæteri homines modo natus, ea tantum proferre possum, quæ terræ hujus incolis dicere fas est. Ille quæ vidit atque audivit apud Patrem cœlestem commemorandi facultatem habet: quæ non ideo minus vera ac certa sunt, quod a paucioribus quam par est admittantur. Quisquis autem doctrinam ejus amplectitur, is adstipulatur Deo, & profitetur se verum existimare, quidquid a Deo, qui suprema veritas est, proficiscitur. Vir enim ille, quem Deus singulari instructum potestate, qualis nulli unquam concessa mortali est, aut concedi etiam potest, ad homines misit, quotiescunque de rebus Divinis loquitur, non tam humani animi sui sensa, quam Divina fundit oracula; quippe qui, non ut alii homines, vel Prophetæ etiam, secundum mensuram gratiæ singulis destinatæ, sed supra mensuram omnem, Spiritu Dei locupletatus est. Pater enim inusitato prorsus amore eum prosequitur, omniaque potestati ipsius subdidit. Quisquis igitur huic uti Filio Dei credit, is vitam consequetur æternam, cujus, ab initio fidei suæ, gaudebit primitiis. Quicunque vero eum repudiaverit, is vitæ æternæ possessione exclusus, meritas atque æternas incredulitatis suæ pœnas

LXIX. Præclarum hac occasione Johannis de Jesu testimonium.

Deo dabit. Hæc est pulcherrima ista, & novissima quam legimus, Johannis de Christo oratio, Joh. III: 23. & seq. brevi potius ac perspicua paraphrasi, pro ratione instituti nostri, quam prolixo commentario, illustranda.

LXX. Herodes Antipas initio quidem Johannem veneratur:

LXX. Dum in ditione *Herodis Tetrarchæ*, qui *Antipas* dictus est, versatus est, fama doctrinæ & baptismi ejus permanavit in aulam, & innotuit Principi; qui eum, uti videtur frequenter ad se accersitum, in pretio habuit, sciens virum justum ac sanctum esse, & libenter audivit, & monitionibus ac consiliis ejus multis in rebus morem gessit. Marc. VI: 20. Habet hoc candida minimeque fucata virtus, ut insita sibi pulchritudine atque amabilitate, admirationem atque æstimationem sui ac reverentiam, invitis etiam improborum pectoribus extorqueat. Habent hoc eloquia Dei, ex viri gravis & sancti ore prodeuntia, ut sapientia, æquitate ac sanctimonia sua facile se conscientiis approbent; & efferatorum sæpe hominum animos ad venerationem & obsequium aliquod subigant. Si modo obsequium dicendum est, quod aliquibus duntaxat, non omnibus ex æquo, Dei mandatis præstatur. Certe in Herode quasi in speculo ostendit nobis Spiritus Sanctus, contingere aliquando, ut qui Deum sincere non colunt, aliqua tamen parte mandatis ejus morem gerere parati sint, modo eis per indulgentiam alia relaxat. Sed ubi rigidius urgentur, excusso jugo, non modo in contumaciam, sed & rabiem prosiliunt. Non est igitur quod quisquam sibi placeat, eo quod multis sanis consiliis obtemperet, donec se in solidum Deo addicere, & subjicere didicerit.

LXXI. Attamen in incestuoso Herodiadis, quæ Philippi fratris sui conjux erat, amore & connubio, fœdam vitam transigit.

LXXI. Neque enim impediebat hæc qualiscunque sancti & divini viri veneratio quo minus Herodes vitam ageret omni criminum genere fœdissimam. Nam & cæteris sceleribus suis hoc addiderat, quod *Herodiadem, Philippi fratris sui uxorem*, vivo marito, viva etiam legitima conjuge sua, Aretæ Regis Arabiæ filia, sibi rapuerit. Erat ista *Herodias filia* fratris sui *Aristobuli, soror Herodis Agrippæ*, de quo legimus Act. XII. Ea nupserat non *Herodi* alteri, fratri Tetrarchæ, sed nato alia genitrice, Simonis Pontificis filia, quod *Josephus* male tradidit, hic ex Evangelio corrigendus; sed *Philippo, Tetrarchæ Ituraæ & Trachonitidis regionis*, alii fratri Herodis nostri, de quo Luc. III:1. Quidquid Josephus scripserit, bene monuit Illustris *Grotius*, non esse hic sollicitandam sacrorum codicum lectionem. Neque errare hic potuisse eos Auctores, facile vel a non Christiano evinci posse. Primum enim consentiunt tres Scriptores, Matthæus, Marcus, Lucas, qui illis ipsis temporibus, vel certe propius ea tempora quam quisquam alius, rem istam non obscuram, neque ignobilem, sed, ut res sunt

Regum,

Regum, omnibus notissimam, memoriæ mandarunt. Adde, quod Judæorum non unus hujus feminæ maritum Philippum nominet, quorum testimonia mox exhibebimus §. LXXX. Ab altera tamen parte, summa fides & diligentia Josephi, & quæ passim in ipso apparet intima cognitio rerum familiæ istius, tanti Grotio momenti est, ne quid temere contra Josephum pronunciandum esse censeat. Quare verissimum credit, inter Herodis Magni filios, qui novem fuere, duos appellatos fuisse *Philippos*, sed horum alterum, qui natus erat ex Simonis Pontificis filia, dictum fuisse *Philippum Herodem*, istoque additamento *Philippum* hunc *minorem*, distinctum ab altero *majore*, qui Trachonitidis fuit Tetrarcha. Ingeniose profecto. Vellem & ipse sic credere, ut in concordiam cum Evangelistis reduceretur Josephus; modo ullum ita credendi haberem fundamentum. Cæterum quum neque Josephus ullibi tradat, *Herodem* istum suum *Philippum* quoque dictum esse, neque Evangelistæ moneant, *Philippum* suum dictum etiam fuisse *Herodem*, neque ullus, quod sciam, Veterum Scriptorum eam nominis geminationem agnoscat; neque prudens neque tutum factum mihi esse videtur, meræ cassæque fundamento conjecturæ tantum tribuere, ut verissimum esse credamus, quod a nullo proditum est Historico. Salva igitur in aliis Josephi auctoritate, vicerint hic Evangelistæ. Herodes itaque Tetrarcha, captus amore Herodiadis, quæ fratri suo Philippo nupserat, ausus est de impetrando ejus conjugio mentionem facere. Qua assentiente, inter eos convenit, ut mulier migraret in ejus domicilium: utque ipse Aretæ filiam, legitimam conjugem suam, ejiciat. Quæ res magnum Herodi tam apud Aretam socerum, quam apud populares suos, conflavit odium.

LXXII. Ob eamque rem liberrima Johannis oratione increpitus.

LXXII. Neque indicta manere potuit Johanni. Quippe qui nulla circuitione usus, intrepide Tyranno dixit, *non licet tibi habere uxorem fratris tui.* In abducenda Herodiade duplex ab Herode commissum est crimen. Nam viventi marito, non dimissam ab ipso uxorem, malis artibus, &, uti hic factum Josephus memorat, violata hospitii religione, abducere, *raptus* atque *adulterium* erat: hoc insigniore injuria, quod in fratrem committeretur. Accedebat adulterio & raptui, crimen *incesti* ex lege Mosis Lev. XVIII: 16. *Nuditatem fratriæ tuæ ne retegito: nuditas fratris tui est.* Nam ea lex unicam solum habebat exceptionem, si frater mortuus esset illiberis. Herodiadis autem maritus, & vivebat eo tempore, & filiam ex ipsa habebat, cujus meminerunt Evangelistæ. Ut taceam nunc de indigna in legitimam conjugem injuria, in incestuosæ adulteræ gratiam, turpiter mariti thoro ac domo ejiciendam, nisi ipsa immeritum dedecus callide

præveniſſet. Vid. *Joſeph. Antiq.* XVIII:VII. Neque ferenda hæc, neque diſſimulanda Johanni erant, ſi illibatam Deo & hominibus præſtare vellet fidem. Non neſciebat ſane, quid ob iſtam ſibi dicendi libertatem expectandum foret: at nihil tam grave perpeſſu evenire poterat, quod non officii bene præſtiti conſcientiæ ac religioni poſtponeret. Expertus quidem erat, multis modis utile publico fuiſſe, quod gratia apud Tetrarcham polleret; non tamen animum ejus alienare veritus eſt, quum aliter favorem illum tueri non poſſet, quam perfide ad notum & infame ſcelus connivendo. Non defuiſſet quidem tacenti prætextus, privatis ſe commodis minime conſulere; nec alium quam publicæ utilitatis habere reſpectum. Prudentiæ eſſe, ferre quæ corrigere nequeas; nec irritandam eſſe potentiam, quæ irata non minus nocere, quam æqua prodeſſe queat. Verum quia hoc compenſationis genus ſibi licitum eſſe non videt, ut veritatem prodendo quædam officia eliciat, hoſtem ex amico ſibi facere mavult, quam adulatione vel ſilentio fovere malum, in cujus ſeveram reprehenſionem aditum ipſi ad Tetrarcham Divina Providentia conciliaverat.

LXXIII. *In carcerem eum conjicit;*

LXXIII. Indigne iſtam ſancti viri libertatem Tyrannus tulit, adeo ut carceri mancipandum crediderit, donec certi aliquid de ipſius pœna ſtatueretur. Vetus verbum eſt, *veritas odium parit.* Id uti paſſim apud homines obtinet, ita præcipue apud magnates & principes; tum maxime ubi veritas iſta charis, neque omittendis, libidinibus adverſatur, & ſtertentem conſcientiam excitat, pravamque animi ſecuritatem turbat. Tempeſtive hic Grotio laudatum eſt Joſephi veriverbium: Βαρὺ τοῖς ἀδικεῖν ἐθέλουσι τὸ συνεχῶς νουθετεῖν. Minime quidem dubium eſt, quin flagitium tam immane vulgo fuerit traductum; ſed alii ſuis maledictis abſentem, nec audientem Herodem procul inceſſebant; ſolus Johannes in ejus conſpectum prodit, & libere coram objurgat, voluptateſque principis in ipſa aula, & quaſi thalamo, interpellat. Peccatum corrigere non ſinebat Herodi libido: vincto autem Dei Propheta, tranquillam ſibi licentiam promittit. Fortaſſis etiam metus aliquis ſeditionis anxium reddidit Tyranni animum. Nam per ſe jam ſatis odioſa erat facti atrocitas, quod non modo alienam uxorem, a legitimo thoro abductam, domi ſuæ aleret, ſed quod hanc injuriam germano fratri intulerat. Quod facinus omnes cogitationibus ſuis prædamnabant, vel clam muſſitabant, id Johannes quantopere legi Divinæ adverſum eſſet prædicabat palam. Atque hinc oriri novarum rerum ſtudium in pervicaci populo facile potuiſſet. Vel certe id metuendi cauſſam Herodes habebat. Oderunt enim & metuunt mali principes quidquid eſt vitiis inimicum. *Boni*, inquit ille,

ille, *quam mali suspectiores sunt; semperque aliena virtus formidolosa est.* Accessit quotidiana impuræ ac libidinosæ Herodiadis importunitas, continuis principem querelis vexans, donec vinctum cerneret, cujus non molesta modo, sed & intolerabilis, ipsi visa fuerat libertas.

LXXIV. In qua parte ditionis suæ vinctum Johannem tenuerit Herodes, ex Sacris nostris non liquet. Idcirco nihil vetat quo minus credamus Josepho, sanctissimi viri carcerem, in *Machærunte* collocanti. Erat autem *Machærus*, extremus *Peræa*, sive regionis trans Jordanem sitæ, limes: terminus regni Herodis, & Aretæ Arabis. Nam, quamvis de Galilæa duntaxat loquantur Evangelia, Peræam etiam ad ditionem Herodis pertinuisse, auctor Josephus est. At ubicunque fuerit, initio quidem non admodum arctam fuisse vincti Prophetæ custodiam, hinc patet, quod discipulis ipsius liber concessus videatur fuisse itus & exitus. Qui magistro renunciabant grandia atque admiranda prorsus, quibus inclarescebat Jesus, opera. Unde occasionem sumsit duos ex iis ad Jesum mittendi, sciscitaturos, *ecquid ipse esset venturus ille, an exspectandum haberent alium.* Quod utique non sua, sed unice discipulorum suorum caussa ab ipso factum esse credo. Quia enim videbat non procul se a stadii sui meta abesse, & discipulos suos, quamvis multum laboris in iis bene de Christo informandis sumsisset, tamen adhuc ancipites hærere, extremum hoc sanandæ ipsorum infirmitati quæsivit remedium. Nulla enim meliori ratione convictum eos iri autumavit, quam si Jesum præsentem audirent viderentque. Commodum vero accidit, ut tum ad Jesum accederent quando variis morbis solo verbo ac nutu suo curandis operam dabat Luc. VII: 21. Eam ob rem nihil aliud iis respondit Jesus, nisi hoc unicum: *Profecti annunciate Johanni, quæ vidistis & audistis; cæcos visum recipere, claudos ambulare, leprosos purificari, surdos audire, mortuos suscitari, pauperibus Evangelizari.* Ut in omnibus, ita & hic profecto, admiranda Domini nostri sapientia est. Nihil directe de se ipso respondet, partim quia satius arbitrabatur, rem ipsam loqui, partim ut Johanni copiosius super suis miraculis, & quid ex iis confici deberet, disserendi argumentum suppeditaret. Et plus ista agendi ratio ad ipsorum convictionem valuit, quam si clarum prorsus & nullis ambagibus implicitum responsum retulissent. Opera enim quæ faciebat, testimonium de cœlesti missione ipsius erant, omni testimonio Johannis majus atque augustius. Joh. V: 36. X: 25, 37, 38.

LXXIV. non tam arctum tamen, quin discipulis ad Jesum ablegandis, indeque redeuntibus, liber itus & reditus esset.

LXXV. Cæterum, uti Johannes ad vitæ suæ finem Christi gloriæ promovendæ omnem impendebat operam; ita vicissim Christus captivum Dei servum eo honestavit elogio quo nihil dici potuit excellentius.

LXXV. Ut Johannes Jesum, sic & Je-

sus Johannem, etiam vinctum, honestissimis elogiis ornat.

lentius. Exspectavit autem donec abiissent discipuli ejus, ne ex compacto agere viderentur, & ut procul esset species adulationis. Mat. XI: 8. Iis igitur digressis, sic affatus est turbas: Quid exiistis in desertum spectaturi? Neque enim frustra, opinor, tanto numero tantoque eo cucurristis studio. Nec credibile est, vos coivisse ut arundines videretis vento quassatas, quales deserta facile tellus alit. Quæsivistis hominem, auditu visuque dignum. At qualem hominem? An opulentum aliquem, fastuosum, mollibus ac sericis amictum vestibus? Non sane. Is enim non in incultis illis locis, sed in regum potius principumque aulis quærendus fuerat. Nec est quod amplius rogem: exiistis certe Prophetam visuri. Optime. Talis est Johannes: at videre non sufficit, & stupere ad insolitum amictum. Audire oportuit, & attendere, & proficere ex ipsius institutione, & pœnitentiam agere, & agnoscere regnum cœlorum cum rege suo, & relictis rebus omnibus admittere in animis venientem, & præsentem, quem monstrabat, Messiam. Eo enim comparatum erat totum ipsius ministerium: quod ne hilum quidem vobis proderit, nisi eò quò oportet referatis. Hæc enimvero rara vestræ ætatis felicitas est, quod in Johanne non Prophetam solum, sed & plus quam Prophetam habueritis. Quotquot enim ante ipsum agitante Spiritu docuerunt, illi eminus, sub umbris, obscure, de Messia vaticinati sunt: hic vero proximus fuit Messiæ anteambulo, ipse ille Angelus quem per Malachiam promisit Deus, præcessurum ante faciem suam, & præparaturum viam Domino, ad templum suum venturo. Denique, iste est qui præsentis, & in medio populi sui ambulantis, Messiæ, index fuit. Atque hoc intuitu magna cum asseveratione dico: *Non est suscitatus quisquam inter genitos ex mulieribus major Johanne Baptista.* Post natos homines nemo tam præclaro hactenus munere in Ecclesia functus est. Potuitne quidquam dici magnificentius. Quod vero subjungit Dominus: *Sed qui est minimus in regno cœlorum, major est eo*, id quo sensu intelligi queat, alibi non indiligenter a me est explicatum. Vide *Oeconom. Fœd. Dei. lib.* IV. *cap.* XIII. *sect.* XXV. *& seq.*

LXXVI. *Neci Johannis occasionem dederunt natalitia Herodis (ubi disputatur, an natalitia quotannis*

LXXVI. Dubium non est, quin Johannes reduces a Jesu discipulos suos, & quoscunque compellare dabatur, ex vinculis erudierit, & officii sui diligentiam non nisi cum vita posuerit. Appropinquabat interim nefandæ necis tempus. Et magni viri letho, toti Ecclesiæ tristissimo, hilaris festivusque dies occasionem dedit. *Natalitia* agebat Herodes, sive *vitæ*, sive *regni* intuitu, ex more regum Orientis, & cœnam faciebat proceribus suis ac chiliarchis, & primariis Galilææ. Non ea profecto austeritate & tetricitate præditus sum, damnare

damnare ut velim vetustissimum morem quotannis natalem suum diem solenni gaudio, & amico epulo prosequendi. Potest enim illud pie & sancte fieri, ad summi Numinis gloriam, eorumque qui præsto sunt ædificationem. Admonet enim ille dies, quoties recurrit, ut Domino gratias agamus, a quo in hanc vitam producti, complures jam annos ejusdem beneficio transegimus. Admonet etiam ut præteriti temporis recolentes memoriam, cum sancto quodam pudore ad animum revocemus, quam inutiliter, vel aliud, vel nihil, vel male agendo, concessos nobis divinitus dies, menses, annos elabi siverimus. Admonet denique, ut non modo in reliquum vitæ tempus Deo nos commendemus, sed & quod superest majore diligentia redimamus, quo beatam nobis lucrifaciamus æternitatem. Et quid ni læti isthac occasione domesticis, cognatis, familiaribus & amicis nostris commemoremus, quam ingentibus nos sibi beneficiis Divina obstrinxerit benignitas, eosque ad agendas nobiscum Deo gratias invitemus? Quid ni & epulum instituamus, dapsile etiam, si facultates nostræ ferant, at intra modestiæ terminos, ad fovendam familiæ totius concordiam, animosque jucundo amicitiæ vinculo sociandos? Facile equidem *Stuckio* adsentior, erudite & prolixe de hac re disputanti *Antiquit. Conviv. lib.* I. *cap.* XVI. Unde hæc solum verba describere nunc lubet: *Quum ingens sit Dei donum hominem nasci, vitæ lucisque hujus jucundæ atque salutaris participem fieri, non alienum, meo judicio, est a pii honestique viri officio, de eo Deo gratias agere, & animi hilaritatem in gratiis agendis, modesti alicujus convivii quasi externo symbolo testificari.* At nihil tam purum est quod non vitiis suis homines mundani corrumpant. Diem enim natalem, quem sacrum esse oportebat, nulla plerumque servata temperie, ebrietate, gula, libidine & inverecundis sermonibus profanant, pessimeque dilapidant. Unde plurima sæpe oriuntur mala. Quod & in luxurioso hoc Herodis epulo deprehendimus.

celebrare hominem pium deceat.)

LXXVII. *Saltatum* enim eo venit Herodiadis filia; an ex suæ gentis instituto, an Gentilium more, discrepant Interpretes. *Grotius* sic commentatur: ὠρχήσατο, *motibus Ionicis, ut inquit Horatius: non rudi illo atque incomposito saltandi genere, quod in publicis gaudiis matronis virginibusque Judæis antiquitus usurpatum fuit. A finitimis regnis mos iste in aulam Judaïcam pervaserat. Sic in Ægyptii Regis convivium introductam* ὀρχήστριδα εὐπρεπῆ *saltatricem decoram, narrat Josephus Originum* XII. *Dion de Rege Edessæ Trajani temporibus;* Καὶ εἰσίασιν αὐτὸν ἐν ᾧ τῷ δείπνῳ παῖδα ἑαυτοῦ ὀρχησάμενον βαρβαρικῶς πῶς παρήγαγεν. Sic *Grotius*. At longe aliter *Ligtfootus*: ὠρχήσατο ἡ θυγάτηρ. *Non tam ex levitate, quam ex more gentis; in demonstrationem scilicet lætitiæ, atque ob celebri-*

LXXVII. *Et saltatio filiæ Herodiadis: incertum an Gentium more, an ex suæ gentis instituto.*

tatem diei. Soliti sunt Judæi in gaudiis exuberantioribus publicis, atque etiam in solennitatibus quibusdam sacris, hilaritatem suam saltatione & tripudiis exprimere. Omissis quæ in pagina sacra occurrunt exemplis, refertur a Patribus traditionum, præcipuam partem festivitatis in festo Scenopegiæ fuisse ejusmodi saltationes: viris primariis, grandævis, & maxime religiosis in atrio mulierum tripudiantibus; idque quo vehementius, eo laudabilius, Sotah. cap. v. Non ergo Herodem tam captavit gestus, aut motus puellæ saltantis, quam animus & affectus: quod scilicet ea honorem istum erga diem ejus natalem, amoremque ac venerationem erga ipsum ita demonstraret. lætitiamque de ejus vita & salute: a qua talia quidem minime meruerat Herodes, quum patrem puellæ Philippum conjuge sua orbasset, matremque illegitimo thoro, incestuque continuo pollueret. Ego, ut in re ancipiti, nihil determino.

LXXVIII. *Tam impense Herodi placens, ut temeraria pollicitatione ac juramento, maximis se implicuerit difficultatibus.*

Certum est, insanum in modum saltatricem puellam Herodi placuisse; adeo ut cujuscunque vellet rei optionem ei concederet, ad dimidium usque regni sui; ac temerariam promissionem juramento plusquam temerario sanciret. Quod mox, præter animi sui sententiam insperatum habens exitum, multarum ei caussa fuit curarum. Puella enim, matris consilio & auctoritate impulsa, præ cæteris rebus omnibus amputatum Baptistæ caput in disco sibi dari petiit; gratissimum futurum offensæ matri spectaculum. Multa sine dubio concurrerunt, quibus ad immanem sævitiam concitatus Herodiadis animus est. Primum vindictæ cupiditas: quod malum ipsa vita jucundius est multis. Deinde credibile est, excruciatam quoque fuisse repudii metu: sicut aliquando, ubi fastidium obrepsit scortatoribus, suæ eos libidinis pudet. Præterea speravit, hoc scelere magis sibi devinctum fore Herodem, si fœdus adulterini conjugii sanguine Prophetæ sancitum fuisset. Ut ergo secure in posterum dominaretur, eum extinctum cupivit, quem unum maxime adversarium sibi senserat. Videre hinc est, quam misera anxietas malam semper conscientiam torqueat: nihilque tam esse sceleratum, quod adultera, semelque oblita pudoris femina, non ausit. Quid Herodes nunc, cum stulta sua promissione, & nefario jurejurando? Undique se constrictum deprehendit, ac serio dolet. Inhærebat animo castissimi Vatis, cui non parum nuper tribuerat, sanctitudo: & quantumvis invito, attestabatur tamen conscientia, justam fuisse divini istius hominis reprehensionem. Verebatur etiam infamiam apud subditos, si non seditionem, si virum, toti populo reverendum, absque ulla probabili caussa, in gratiam saltatricis puellæ, neci daret. Hinc factum est, ut suæ eum levitatis pœniteret. Ab altera parte memoria liberæ castigationis instigabat iram. Accedebat amor,

amor, hoc fervidior, quod vetitus. Illa inimicum ulcisci, hic uxori morem gerere imperabat.

LXXIX. Rei inhonestæ honesti speciem aliquam conciliabat in- LXXIX.
definiti jurisjurandi religio. Ita animus, dudum adsuetus sequi pe- *Cujus ju-*
jora, ejecto rationis freno, permisit se raptandum concitatis affectibus. *ramenti*
Nescio an vere tactus fuerit juramenti religione, an eam solummodo *obtentu Jo-* *hannem in*
obtentui habuerit. Nam alioquin, uti optime argumentatur *Gro-* *carcere de-*
tius, quid facilius dictu, quam juramenti verba, generaliter enun- *collari*
ciata, ita esse interpretanda ut illiciti nihil comprehendant. Deinde *jussit.*
vero, quid si totidem verbis pollicitus esset insontis cædem; nonne cogitare debuit, id quod per se illicitum est, interposito jurejurando licitum fieri non posse? Vide sodes quæ præclare de hac re disputavit Vir illustris *de Jure Belli ac Pacis lib.* II. *cap.* XIII. §. VI. Sed & convivæ, qui mos aularum est, captantes Herodiadis gratiam, labantem principis animum ad sceleris patrationem impulerunt. Nisi cum *Pricæo* malimus illud διὰ τοὺς συνανακειμένους sic exponere, quod indignum se duxerit Herodes, si post tam liberam ac spontaneam pollicitationem levitatis & inconstantiæ suæ arbitros tot tamque honorabiles convivas haberet. Utcunque se res habeat, magnum corruptissimæ aulæ indicium est, quod in tot convivis nemo unus repertus sit, qui vel verbulo Regem a tam detestando facinore absterreret. Cui tamen rei, si quidquam in ullo ipsorum honesti superfuisset, commodam occasionem Regis tristitia suppeditabat. Missa igitur ulteriore deliberatione, confestim Johannem in carcere decollari jubet. Qui si *Machærunte* fuit, ut supra ex *Josepho* jecimus; multo probabilius videtur, convivium hoc eodem fuisse celebratum castello, quam *Tiberiade*: ubi cæteroquin Herodis erat regia. Hinc enim carnifici, ad Machæruntem usque, bidui conficiendum fuisset iter: & vix quarto demum a natalitiis die, horrendum puellæ offerri potuisset ferculum. Venerandum nimirum sanctissimi Prophetæ caput; quod ipsa, supra ætatem & sexum sæva, in lance ad matrem detulit, gratissimum furiosæ Herodiadi munus. O scelestum profani hominis facinus; O nequissimam omnis Divini humanique juris violationem! Sontes populo omni inspectante plecti leges jubent; ut pœna in exemplum sit. Flaminium olim Romani imminuti magistratus crimine accusarunt, quod hominem haud dubie nocentem, non more majorum, sed in convivio, jussisset interfici. Quod uti semper inhonestum censebatur, ita imprimis indignissimum erat, si natalitio fieret convivio. Nam, *Varrone* teste, *id moris institutique majores tenuerunt, ut quum die natali munus annale genio solverent, manum a cæde & san-*

guine abstinerent : ne die qua ipsi lucem accepissent, aliis demeretur. At hic Tyrannus, sanctissimum hominem, ipsa judicis conscientia innocentissimum; non pro tribunali, sed in convivio, indicta caussa, condemnatum; non palam, populum veritus, sed in carcere; non ut publicæ tranquillitati consuleret, sed ut procaci feminæ obsequeretur, necari jussit. Hunc exitum habuit vir omnium quotquot ante ipsum exstiterunt mortalium maximus : vix biennio in præstantissimi muneris functione absoluto : certe si tempus demas quod in carcere exegit.

LXXX. *Hebræorum de Johanne, ejusque nece, narrationes.*

LXXX. Iis, quæ ex Evangelica deduximus historia, Hebræorum narrationes plus minus consentaneæ sunt: quas, licet alibi a nobis exhibitas, ne quid historiæ desit, hic quoque reponendas esse censui. *Josephus Antiq. lib.* XVIII. *cap.* VII. hæc habet : *Johannem, qui Baptista cognominatus est, Tetrarcha necavit, virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum studia, & imprimis pietatis ac justitiæ, simulque ad Baptismi lavacrum : quod ita demum Deo gratum fore ajebat, si non ab uno tantum alterove peccato abstineant, sed animis per justitiam prius mundatis addant & puritatem corporis. Quumque magni concursus ad eum fierent, plebe talis doctrinæ avida, Herodes veritus ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex ejus consilio, judicavit satius esse, priusquam novi quid exoriretur, illum tollere, quam rebus turbatis seram pœnitentiam agere : itaque vinctum missum in Macharuntum illic occidi imperat : quod factum secuta est Judæorum existimatio ab irato Deo perditum esse Herodis exercitum. In Chronico Regum Templi secundi fol.* 54. *col.* 4. hæc exstant : גם אנטיפוס הרשיע והתעיב מכל אשר היו לפניו ויקח אשת פוליפוס אחיו מתחתיו והיא כבר הולידה והוכיחהו על התועבה הזאת רבי יוחנן כהן גדול ויכהו אנטיפוס וימיתהו: *Antipas etiam impie egit & abominanda patravit præ omnibus qui ante ipsum fuerant, & accepit uxorem Philippi fratris sui a sub potestate ejus, quæ jam ante pepererat : redarguit autem ipsum ob hanc abominationem R. Jochanan Sacerdos magnus, & percussit eum Antipas, ac morte affecit eum. Zemach parte* I. *anno* 1770 similia habet: הורדוס אנטיפטר ויש קורין לו טיטרקי הוא בנו של הורדוס הראשון ואחיו של ארקילוס והיה המלך השלישי לבית הורדוס גם הוא היה רשע רע ואיש משחית רבים מחכמי ישראל הרג בחרב ולקח את אשת אחיו פוליפוס בעודנו חי לו לאשה ויוחנן כ״ג בעבור הוכיחו על זה הרגו בחרב עם רבים מחכמי ישראל: *Herodes Antipater, quem nonnulli Tetrarcham appellant, fuit filius Herodis primi, & frater Archelai, fuitque rex tertius de familia Herodis. Etiam iste fuit impius pessimus, & vir perditor, plurimos Sapientum Israëlis occidit gladio; & accepit uxorem fratris sui Philippi, hoc adhuc vivente, sibi in uxorem. Jocha-*

Jochanan vero Sacerdotem magnum, propterea quod ipsum redarguisset ob hoc facinus, interemit gladio, cum plurimis ex Sapientibus Israëlis.

LXXXI. De cadavere Johannis, Evangelistæ simpliciter, ut solent, hæc tantum tradiderunt. *Et quum accessissent discipuli ejus, sustulerunt corpus illius, illudque sepelierunt.* At nimio fabularum studio ducta posteritas, nec contenta Evangelii simplicitate, multa de suo confinxit, vel, ab aliis facta, nimia credulitate arripuit. In hunc censum refero, quod *Hieronymus*, contra *Ruffinum* scribens, de Herodiade narrat, illam, ubi caput Johannis ad ipsam apportabatur, linguam, qua se læsam credebat, acu discriminali perforasse. *Nec magnopere glorieris*, verba Hieronymi sunt, *si facias quod faciunt scorpiones atque cantharides. Fecerunt hoc & Fulvia in Ciceronem, & Herodias in Johannem: quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam discriminali acu confoderunt.* Ejusdem ponderis esse credo, quod *Nicephorus* de eadem Herodiade tradidit. *Ipsa*, inquit, *Johannis reprehensionem verita, caput conjungere rursus reliquo corpori timens, apud se, remotis arbitris, in abstrusiore Regiæ loco sepeliendum dedit.* Miror tantum credulitatis domi habuisse *Montacutium*, ut rationes se videre dixerit, cur Nicephoro hæc narranti adhibeatur fides, cur detrahatur, nullas. Uti & exitum Herodiadis, & filiæ ipsius, eundem *Nicephorum ex antiquioribus Historicis fide dignis*, in hæc verba descripsisse opinatur *lib.* 1. *cap.* XX. *Furibunda sed enim, & adultera, incestaque adeo illa, quæ quidem Herodis habebatur, revera autem erat Philippi conjux, vita longius acta, quum prius filiam saltatricem acerbo fato sublatam vidisset, deinde ipsa quoque discessit, futuri seculi judicio & supplicio reservata, meras ibi quam citissime divinæ iræ faces, intolerabilisque indignationis Domini calicem haustura. Filiæ autem ejus, dignus qui memoriæ mandetur, talis erat obitus. Eundum ei quodam brumali tempore erat, & fluvius trajiciendus, qui quum glacie constrictus esset, pedes eum transire voluit. Glacie autem rupta, idque non sine Dei numine, demergitur illa statim capite tenus, & inferioribus corporis partibus lasciviens, molliusque se movens, saltat, non jam in terra, sed in undis. Caput vero scelestum, frigore & glacie concretum, deinde etiam convulneratum, & a reliquo corpore, non ferro, sed glaciei crustis resectum, in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet, spectaculoque ejus omnibus præbito, in memoriam ea quæ fecerat spectantibus revocat.* Hæc *Nicephorus*. Credat qui vult. Mihi cum *Baronio* hic facere libet, ad Nicephorianam narrationem hæc adnotante: *At quoniam ejusmodi Historiæ haud constans habetur veritas, esto fides apud Auctorem.* Ad *Annum Chr.* XXXIII. *Num.* VI.

LXXXI. *Veterum Christianorum, de Herodiade, & filiæ ipsius exitu, apocrypha historia.*

EXERCITATIO XVI.

DE VITA

TIMOTHEI.

BREVIARIUM.

I. Timothei patria, & parentes. II. Nomen. III. Pueritia. IV. Pauli germanus filius fuit. V. Patri suo spirituali simillimus: tam doctrina; VI. quam agendi ratione. VII. Plurimum enim magni viri valet contubernium. VIII. Quo fruitus Timotheus a prima juventute est. IX. Mox in Evangelistam a Paulo consecratus. X. Dignitas ejus muneris. XI. Ad quod electus est Timotheus secundum Prophetias. XII. Ordinatusque impositione manuum. XIII. Ritus illius Ecclesiastici mysterium. XIV. Manus Timotheo impositæ sunt a Paulo & a Collegio Presbyterorum. XV. Simulque nactus est magnum gratiæ incrementum. XVI. Quæ ipsi valde juveni contigerunt. XVII. Ætas eorum qui olim admoti fuerunt sacris; In Ecclesia Israëlitica. XVIII. In prisca Christiana. XIX. Juventutis apud antiquos termini. XX. In Timothei ætatem inquiritur. XXI. Ingenia non annis, sed virtute censenda sunt. XXII. Timotheus cur circumcisus. XXIII. Timotheus Pauli multorum itinerum comes: & in Evangelio συνεργός. XXIV. A Paulo Thessalonicam missus. XXV. Deinde in Macedoniam: atque iterum. XXVI. Denique relictus Ephesi. An ut Episcopus, aut Archiepiscopus? XXVII. Nihil de eo tale Sacræ Literæ. XXVIII. Ex quibus colligitur, non perpetuo ipsum Ephesi habitasse. XXIX. Ecclesiastica monumenta parum certi hic suppeditant. XXX. Timotheum illum Ecclesiæ Ephesinæ Angelum esse, de quo Apoc. II: I. non est simile veri. XXXI. Alius a nostro Timotheus. XXXII. Timothei ex Metaphraste martyrium. XXXIII. Icon corporis & animi.

PROLOGUS.

Accipite nunc, LECTISSIMI JUVENES, *oculis subjectam fidelibus, quam avidis nuper auribus hausistis, Dissertationem de* VITA TIMOTHEI. *Non piguit eam calami delineare penicillo, ut accuratius intuentes tantarum exardescatis amore virtutum; easque, quantum potestis, imitando*

tando exprimere omni ope nitamini. Ipse vos generis humani Sospitator Jesus vere Timotheos faxit: ut viridi floridaque juventa maturioris ætatis uberrimas fruges, ne cana quidem senectute defecturas, certis ominibus promittatis. Valete, Mei Juvenes, complete gaudium meum, & crescite in Viros Dei.



ATRIA Timotheo LYSTRA fuisse videtur; Lycaoniæ oppidum, nulla, quod comperi, laude incultum: sed tanto nobilitatum cive, quo majorem melioremve nunquam tulit. Ibi certe eum cum parentibus suis primum invenit Paulus. Act. XVI: I. PATRE genitus est natione Græco, religione Gentili: aut, si proselyto; non nisi גר תושב inquilino, qui circumcisionem reliquosque legis Mosaicæ ritus nequaquam susceperat. MATRE Judæa, cui EUNICE nomen; fœmina pia, sancta, religiosa. Quæ quum patriorum rituum observantissima fuerit, mirum videri potest, quî nupserit Gentili. Inexspectati consilii veram rimari caussam difficile foret. Sunt qui arcanum Divinæ Providentiæ ductum laudant, qua dirigente ejusmodi contractum sit matrimonium, ut diruendæ modo maceriei, tollendæque Judæorum a Græcis discretionis, in hac quoque re præludium quoddam foret. *Chrysostomus in 2. Tim. Homil.* I. ὅρας πῶς ἤρχετο ὁ νόμος καταλύεσθαι, τῶν ἐπιμίξεων τούτων γινομένων. *Vides quomodo solvi incipiat Lex, dum ejusmodi fiunt connubia.* Consentaneum sane fuit, ut ex Græco & Judæa nasceretur, qui utrique nationi in unam Christi fidem jungendæ tam eximius Christo futurus erat minister. Utut sit, si incaute egerit Eunice gentili se socians thoro; laudem certe constantissimæ meretur pietatis, quod ab omni superstitione, nedum idololatria gentili, tam sollicite sibi caverit, Divinæ legis religiosissima observatrix. Videmusque in filio ejus re ipsa completum Pauli observationem I. Cor. VII: 14. *I. Timothei patria, & parentes.*

II. NOMINIS impositio quamvis ad patriam præcipue potestatem pertineret; Luc. II: 62, 63. a matribus tamen sæpe usurpata est. Gen. IV: I. Quod & Jacobi uxores sibi sumserunt. Gen. XXIX. & XXX. Credibile etiam potissimas in TIMOTHEI nomenclatura matris fuisse partes: sive hanc ei potestatem ultro ex adfectu indulserit conjux, sive ipsa sua pietate morumque sanctitudine maritum impulerit, ut ista ei in re gratificaretur. Voluit certe in filii nomine suæ erga Deum observantiæ exstare monumentum. Quo & ipse filius ætatis progressu officii sui commonefieret. Hac quoque parte priscam imitata pietatem. *II. Nomen.*

III. PUE-

III. *Pueritia.*

III. PUERITIAM exegit Timotheus ſub aviæ & matris ſanctiſſima inſtitutione & exemplis. 2. Tim. I: 5. III: 15. Profectu tam inſigni, ut ipſius Pauli meruerit encomia. Adeo utile eſt, generoſa ſemina in ortus ſurrectura ſuos, eoſdemve ſuperatura, teneris puerorum mentibus inſeri. Eandem ſibi felicitatem prolixe gratulatus eſt Salomon. Prov. IV: 3, 4, 5. Et parentibus omnibus tantæ pietatis officium accurate commendavit. Prov. XXII: 6. At hæc Judaicæ ſpectabant elementa religionis: Chriſtiana nondum publicata. Saltem non iis in oris, ubi Timothei degebant parentes. Paulus enim cum Barnaba primus Lyſtræ prædicavit Evangelium, parato ei introitu per prodigioſam claudi nati curationem. Act. XIV: 7—. Ex primis qui inſigni fidei alacritate Evangelium ſuſceperunt, Timothei noſtri parentes fuiſſe videntur. Qui, ſi Metaphraſti credere fas eſt, ſuis Paulum ædibus exceptum comiter habuerunt, demandata ei chariſſimi pignoris cura. Quem ſane Paulus Chriſtianæ myſteriis fidei tam diligenter imbuit, ut, ex æterni Evangelii ſemine Deo Chriſtoque a ſe genitum, FILII deinceps loco habuerit. Quamvis enim ἀπὸ βρέφους *a prima pueritia* vitæ ſpiritualis principio donatum fuiſſe Timotheum conſtet: Chriſti tamen diſciplinæ quum, Paulo miniſtro, initiaretur, novæ cujuſdam genituræ participationem nactus fuit.

IV. *Pauli germanus filius fuit.*

IV. Atque hæc eſt ratio cur Paulus eum appellet γνήσιον τέκνον ἐν πίστει, GERMANUM IN FIDE FILIUM. I. Tim. I: 2. Γνησίου vocabulum Latino ſermone explicari poſſe negat *Hieronymus.* Γνήσιος *enim,* inquit, *hoc potius ſonat, quum quis fidelis & proprius, & (ut ita dicam) legitimus, ſive germanus, abſque comparatione alterius, appellatur. Ex quo intelligimus fuiſſe & in filiis Pauli plurimam differentiam, quod alios haberet* γνησίους, *id eſt germaniſſimos, ſibique conjunctos, & de vero matrimonio ac de libera procreatos, alios vero quaſi ex ancilla & ex Agar, qui non poſſent hæreditatem accipere cum libero filio Iſaac.* Quam *Hieronymi* ſententiam abſurditatis arguit *Scultetus. Neque enim Apoſtolus alios, quos* γνησίους *non appellavit, pro ſpuriis habuit. Sic enim Epheſios, ſic Corinthios omnes, ſic alios quos filios vocat, inter illegitimos ac nothos numeraret.* Vult igitur γνήσιον nihil aliud eſſe quam ἀγαπητὸν, *quemadmodum*, inquit, *Apoſtolus ſemetipſum explicat 2. Tim.* I: 2. *ſcribens* Τιμοθέῳ ἀγαπητῷ τέκνῳ. *Nimirum dum* γνησίους *appellavit Timotheum ac Titum, veriſſimi ſui erga liberos amoris gradus quoſdam facit: quemadmodum Jacobi Patriarchæ effuſior fuit in Benjaminum & Joſephum quam in reliquos filios ardor.* Cæterum nec hæc *Sculteti* obſervatio omnibus modis ſatisfacit. Quamvis enim qui γνήσιος filius eſt, idem ſic ἀγαπητὸς, non tamen idcirco eadem vocis γνησίου quæ ἀγαπητοῦ ſignificatio eſt.

Γνήσιος notat germanum, sincerum, minime degenerem, æmulum paternæ indolis, patri quam simillimum. Quod *Martialis* dixit: *Soboles sincera parentis*. Ita Platonis & Aristotelis γνήσιοι χορευταὶ apud Julianum Imperatorem; quæ huc referuntur a *Pricæo*. At magis conferri meretur ipsius Pauli ῥῆσις Phil. II: 20. Οὐδένα γὰρ ἔχω ἰσόψυχον, ὅστις γνησίως τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσει. Sensus est: neminem habeo PARITER UT EGO ANIMATUM; qui parili sinceritate atque alacritate res vestras accuraturus sit. Γνήσιος ergo filius erat, quia ἰσόψυχος, prorsus ita ut Paulus animatus, sive in quo animi sui imaginem Paulus cerneret.

V. Et sane quam-SIMILLIMUS Pauli fuit Timotheus, sive DOCTRINAM spectes & animi sensa, sive MORES & agendi rationem. Tradiderat ei Paulus ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων. 2. Tim. I: 13. *Camerarius*, multique alii, per ὑποτύπωσιν intelligunt brevem ac rudem designationem, sive formulam quandam ac σκιαγραφίαν, quam in conspectu habeat; & cujus ductum in docendo sequatur: quomodo dicuntur ὑποτυπώσεις doctrinæ Astronomicæ Procli. Voluntque metaphoram esse a pictoribus desumtam; qui imaginem picturi primo ruditer eam delineant; dein vivos inducturi colores, lineamentorum istorum ductum sequuntur. Sed nescio an non aliquanto commodius *Coccejus* ita interpretetur, ut Paulus ipsos sermones suos Timotheo pro ὑποτυπώσει sive exemplari commendaverit: quasi scriptum esset, λόγους ἔχε ὑποτύπωσιν. Sanos sermones, quos a me audivisti, habe exemplar in fide & charitate. Ut sensus sit, sermones meos habe ut exemplar loquendi & cogitandi & faciendi. Quod eleganti παραφράσει ex *Chrysostomo* illustravit *Theophylactus*. Ὥσπερ ζωγράφος ἔγραψά σοι, καὶ ὑπετυπωσάμην εἰκόνα καὶ ἀρχέτυπον, ἵνα πρὸς τοῦτο ἀφορῶν καὶ αὐτὸς ζωγραφῇς ταύτην τὴν ὑποτύπωσιν τῶν λόγων· τουτέστι τὸ ἀρχέτυπον ἔχε, κἄντι δέῃ ζωγραφῆσαι, ἀπ' αὐτῆς λάμβανε καὶ ζωγράφει· πάντα γὰρ ἐκεῖ ἐναπόκεινται. *Pictoris instar depinxi atque expressi imaginem & archetypum, ad quem ipse respiciens, hanc sermonum meorum formam depingere possis: hoc est, archetypum habe, ac si quid pingendum fuerit, ab illa imagine sume ac pinge: illic enim omnia reposita sunt.* Dubium vero non est, quin, ut jussus erat, sic fecerit Timotheus; omniaque animi sui sensa ad Pauli doctrinam & informationem composuerit; sic ut in Paulo fuerit exemplar, in Timotheo imago exemplari simillima, illudque exacte referens. Hoc enim suo illo elogio Paulus vult quo Timotheum condecorat Epist. I. cap. IV: 6. *Innutritus sermonibus fidei & præclaræ doctrinæ*, ᾗ παρηκολούθηκας, *quam assectatus es.*

V. Patri suo spirituali similimus: tam Doctrina;

VI. *quam agendi ratione.*

VI. At non doctrinam solum Pauli assectatus erat; sed & MORES ac *vivendi rationem.* Nam & hoc additur II. Epist. III: 10. Σὺ δὲ παρηκολούθηκάς μου τῇ διδασκαλίᾳ, τῇ ἀγωγῇ. *Tu vero assectatus es doctrinam meam*, VITÆ MEÆ RATIONEM, *propositum*, *fidem*, *iræ cohibitionem*, *charitatem*, *tolerantiam &c.* Multæ significationis est vox παρακολουθεῖν, qua utroque hoc loco utitur Apostolus: notatque ad minimum, eorum quæ dicuntur agunturve *intelligentiam* ex *diligenti observatione* consequi. Quod multorum inductione exemplorum probat *Gatakerus*, suis *in Marcum Antoninum Annotationibus pag.* 61. & 188. *edit Lond.* Et sane sic exponendum est Luc. I: 3. Ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν ἀκριβῶς, *visum est & mihi omnia ab initio usque accurate intelligentia assecuto.* Sed & aliquanto amplius notare videtur: accuratam nimirum rerum intelligentiam, quam quis *experiundo* assecutus est, quippe quibus *præsens* interfuerit. Huc pertinent loca a *Grotio* ex *Demosthene* allegata. Παρηκολουθηκὼς ἅπασι κατηγορῶ. *Ideo accuso quia omnibus istis præsens adfui.* Rursus: ὅσα τυγχάνω δι' ἐμπειρίαν καὶ τῷ παρηκολουθηκέναι τοῖς πράγμασιν εἰδώς. *Quæ novi experiendo, & ideo quod rebus adfui.* Atque ita vocem heic loci accipiunt *Chrysostomus*, *Oecumenius*, *Theophylactus.* Denique & ea quandoque vis voci isti inest, ut significet talem sive dictorum sive factorum intelligentiam, ut ea probes, ac *secteris*, atque imitando exprimas. Nihil istorum est quod non huic conveniat loco. Vult enim Timotheum non solum diligenti observatione intellexisse doctrinam suam, sed & coram vidisse, experiundoque cognovisse, totam vitæ Paulinæ rationem; quippe cujus rebus præsens interfuerit. Omnium ergo optime sciebat, quid ageret Paulus, quis victus ipsius, quis amictus esset, quibus se rebus oblectaret, quibus esset deditus, quid moliretur publice privatimve, quid spectaret, quid intenderet, quid quæreret denique. Ita autem hæc cognoscebat Timotheus, ut & probaret ac sectaretur, avidus assequendi.

VII. *Plurimum enim magni viri valet contubernium.*

VII. Tantum in animo bene morato magni viri convictus valet: *cujus & sermo & incessus & habitus doctrina virtutum est;* uti *Hieronymus* olim de *Eustochio* ad *Lætam* scribebat. Hæc me in memoriam revocarunt eorum quæ ad Lucilium suum scripsit *Seneca* Epistola VI. neque tempero mihi quin & hic adscribam. *Plus tibi & viva vox & convictus, quam oratio, proderit. In rem præsentem venias oportet. Primum quia homines amplius oculis quam auribus credunt: deinde quia longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audiisset. Vitæ ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum an ex formula sua viveret. Plato & Aristo-*

Aristoteles, & omnis in diversum itura sapientium turba, plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum, & Hermachum, & Polyænum, magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit. Hactenus Seneca. Quæ si ad nostrum transferantur Timotheum, mirum utique non est, tantum eum virum sanctissimo maximi Pauli convictu & contubernio factum esse.

VIII. Præsertim quum a prima ipsi lanugine adfuerit. Quod optime hic a *Grotio* observatum. *Timotheus a matre, credo, & avia commendatus, a puero sectatus erat Paulum, ut vitam ejus spectaret, & ad eam se componeret. Lucas quidem primam Timothei mentionem facit, ubi Paulus Lystra venit.* Act. xvi: 1. *quia tunc in Evangelistam ordinatus fuit Timotheus. At ante id tempus Paulo adfuisse Timotheum, etiam inde apparet, quod* 2. Tim. iii: 11. *interfuisse dicatur iis perpessionibus quæ Paulo acciderant Antiochiæ, Iconii, Lystris. Antiochiæ autem fuerat Paulus antea quam Iconii; & Iconii, antea quam Lystris. Lystris etiam perpessiones illas sustinuerat, quarum testem laudat Timotheum; antèaquam Paulus secundo Lystram veniret, Timotheum consecraturus in Evangelistam.* Act. xiii: 51. xiv: 6, 19. Unde concluditur, ea quæ de contubernio Pauli hic narrantur, ad prima Timothei tempora referenda esse. *VIII. Quo fruitus Timotheus a prima juventute est.*

IX. Biennio circiter exacto Lystram Paulus revertitur; ac Timotheum non civium modo suorum, sed & Iconiensium elogiis commendatum, comitem sibi sumsit, ut Evangelistæ munere fungeretur. Act. xvi: 2. Notissimus jam ex longo contubernio Paulo erat Timotheus. Voluit tamen Paulus, præire bonæ vitæ testimonium, ab aliis etiam, & publice satis ei exhibitum, priusquam in Evangelistam adsciseeret. Exemplum dans Episcopis, ne quid in Presbyterorum electione faciant, suis ducti affectibus; sed sequantur normam. *IX. Mox in Evangelistam a Paulo consecratus.*

X. Porro Evangelistarum munus extraordinarium erat, distinctum a munere *Apostolorum, Prophetarum, Doctorum* & *Pastorum.* Eph. iv: 11. in eo consistens, ut Apostolorum in prædicando, vel scribendo etiam Evangelio, & constituendis regendisque Ecclesiis, socii atque adjutores essent. Eam in rem donis etiam extraordinariis instructos fuisse, credere par est. Ac primo quidem tanta vi & copia Spiritus, ut eos ab omni errore prohiberet, & ut quocunque mentem suam in rerum Theologicarum meditatione appellerent, veritatem perspicerent absque ullo errandi periculo. Qua in re *Pastorum* & *Doctorum* conditionem superabant. Dein & prudentia singulari in rebus gerendis, quæ ad prudentiam Apostolorum quam proxime accederet. Utramque illam facultatem Spiritui Dei acceptam tulerunt; attamen & ipsos studium, industriam, lectionis assiduitatem, animique *X. Dignitas ejus muneris.*

que contentionem conferre ad utriusque adquisitionem oportuit; quem laborem Dei gratia mirifice prosperavit. 1. Tim. IV: 14. Atque hac parte distinguebantur a *Prophetis*, que ex ἐνθουσιασμῷ quodam sapiebant.

XI. Ad quod electus est Timotheus secundum Prophetias.

XI. Digna consideratu est Timothei ad Evangelistæ munus ELECTIO primum, tum & ORDINATIO. ELECTIO facta est. 1. Tim. I: 18. *secundum prægressas de ipso Prophetias.* Nimirum eximia illa dona tam Naturæ quam Gratiæ, ab ineunte ætate tam diligenter exculta, spem non fallacem suggerebant, unde prudens quisque facile ominabatur in quantum virum cresceret, & quam præclara sibi de ipso polliceri possent Ecclesiæ. Neque id tantum; sed & ipse Deus Prophetis illius seculi revelaverat, quantarum rerum executioni, quanto cum successu, juvenem hunc destinavisset. Taliumque prophetiarum crebrum tunc in Ecclesia fuisse usum, vero perquam consentaneum est. Quum enim Apostoli orbem terrarum circumeuntes in singulis raro locis longas moras necterent, fieri vix potuit ut humanis mediis cognoscerent, quinam ex Neophytis idonei essent, quibus Ecclesiæ cura committeretur. Huic difficultati succurrebat *donum discretionis spirituum* 1. Cor. XII: 10. quæ erat facultas miraculosa, Præsidibus Ecclesiarum potissimum concessa, qua dignoscebant & detegebant, quo quis ageretur spiritu, an humano solum, an & fanatico ac diabolico; an vere Divino. Accedebant quandoque Prophetarum admonitiones, de certis quibusdam hominibus testantium, fideles eos esse futuros, Sic per Spiritum in Prophetis loquentem Timotheus Evangelista creatus est. 1. Tim. V: 14.

XII. Ordinatusque impositione manuum.

XII. Electionem proxime secuta est ORDINATIO, facta μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. MANUUM IMPOSITIO, uti N. T. pleraque, ex veteri Israëlitarum ritu est. Fuitque potissimum adhibita in Ordinationibus & Consecrationibus ad munus aliquod, sive Politicum, sive Ecclesiasticum. Sic a Mose consecratus Josua. Num. XXVII: 18. Deut. XXXIV: 1. Itemque Levitæ, Num. VIII: 10. Eodem deinceps ritu auctorati Judæorum Magistri & Judices. Hinc receptissimum nomen סמיכה. de quo nos *de Syned.* §. XLVI. Inde ritus ille in Ecclesiam Apostolicam profluxit. Sic consecrati sunt Diaconi. Act. VI: 6. aliique postea qualescunque Ecclesiæ ministri. Impositioni autem manuum conjuncta erat oratio & benedictio, qua conceptis precibus invocabatur Spiritus Sancti gratia super ordinando. Act. VI: 6. XIII: 3. eamque comitabatur aut sequebatur larga plerumque spiritualis gratiæ mensura. Act. VIII: 17. XIX: 6. Quod si in privatis obtinuit fidelibus, quanto magis in futuris Ecclesiæ præsidibus?

XIII. Im-

XIII. Ritus illius Ecclesiastici mysterium.

XIII. Impositio ista manuum, quamvis non fuerit Sacramentum, stricte dictum, significans & obsignans ex institutione Divina; ut gratis contendunt Romanenses: habuit tamen in sese multarum magnarumque rerum mysteria. I. Eo ritu ordinandus præsentabatur Deo juxta & Ecclesiæ, ut sisteretur, & quasi desponsaretur utrique. Quomodo & Levitæ sisti coram Domino dicebantur, quando imponebantur iis manus. Num. VIII: 10. II. Erat signum Benedictionis, ab hominibus optatæ, a Deo conferendæ. Gen. XLVIII: 14. Marc. X: 16. III. Ac Symbolum illabentis Spiritus Sancti cum donis suis. Deut. XXXIV: 9. IV. Pertinere etiam potuit ad instructionem ordinandi, fore deinceps super illum peccata populi. Qua ratione victimis imponi manus, & simul in eas iniquitates transferri suetæ. Lev. I. IV. XVI. Ut ordinatus ita moneretur, sibi incubitura Ecclesiæ peccata, nisi precibus, cura, vigilantia, exemplo, ea, quantum pote, impediret. Hinc Angelis Ecclesiarum Asiaticarum adscribuntur earundem vitia. Ap. II. & III. Vide plura apud *Spanhem. Dissert. de Impos. Man. Part.* II. §. XIV.

XIV. Manus Timotheo impositæ sunt a Paulo & a Collegio Presbyterorum.

XIV. Quibus de Manuum Impositione generatim disputatis, ad Timotheum nostrum revertamur. Cui manus ab ipso *Paulo* impositæ. 2. Tim. I: 6. Hoc enim dari solebat Apostolis, ut omnium honoratissimis, quotiescunque aderant. At non soli id faciebant Apostoli. Etiam reliqui Ecclesiarum præstites. Act. XIII: 1, 3. Qui πρεσβύτεροι vocabantur, eorumque cœtus πρεσβυτέριον. Et sic eam vocem interpretor, 1. Tim. IV: 14. cum impositione manuum Presbyterii; hoc est, a Collegio Presbyterorum facta. Nunquam Presbyterium enim in Sacris Literis munus: semper collegium seniorum notat. Confer. Luc. XXII: 66. Act. XXII: 5. Sic & *Ignatius* in *Epistola ad Trallianos.* τὶ δὲ πρεσβυτέριόν ἐστι; ἀλλ' ἢ σύστημα ἱερὸν, σύμβουλοι καὶ συνεδρευταὶ τοῦ Ἐπισκόπου. Et *Theodoretus ad hunc locum*: πρεσβυτέριον ἐνταῦθα τοὺς τῆς Ἀποστολικῆς χάριτος ἠξιωμένους ἐκάλει. Unde apparet Apostolorum ætate non fuisse notam eam Episcopi a Presbytero discretionem, ut illi, non huic jus ordinandi competierit. Nimium sibi sumit *Chrysostomus*, dictans non loqui hic Paulum de Presbyteris, sed de Episcopis; οὐ γὰρ πρεσβύτεροι τὸν Ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν. Scilicet ex suæ ætatis consuetudine de Apostolica simplicitate perperam judicat; nec sine vi Apostoli verbis illata; qui sane de Presbyteris heic agit, nulla Episcopi mentione. Erudite, ut solet, observavit *Grotius*, moris fuisse antiquissimi, ut qui adessent Presbyteri una cum cœtus sui principe manus imponerent. Quod postquam ex Clementis Constitutionibus probavisset, notat diu istum in Africa servatum fuisse morem. In Synodi

enim Carthaginensis actis legimus: *Presbyter, quum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente; etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput ejus teneant.* Ordinatio itaque Timothei facta a Paulo est, adstantibus, & manus post Paulum imponentibus cæteris Presbyteris.

XV. Simulque nactus est magnum gratiæ incrementum. XV. Neque fuit ista inanis & cassa rerum cærimonia. Cum ea enim manuum impositione nactus est Timotheus insigne Divinæ gratiæ incrementum. Huc faciunt Pauli admonitiones 1. Tim. IV: 14. *Ne negligito donum quod in te est, quod datum est tibi per prophetiam cum impositione manuum.* Et 2. Tim. I: 6. *Quam ob caussam in memoriam revoco tibi ut exsuscites donum quod in te est per impositionem manuum mearum.* *Grotius* putat agi de dono linguarum; quod vicinum vero est. At non video cur adeo arctemus. Quidni cogitemus de notabili augmento sapientiæ, prudentiæ, sanctitudinis, fortitudinis ac generositatis? eo enim ipse nos ducit Apostolus com. 6. *Quippe non dedit nobis Deus Spiritum formidinis, sed roboris, & charitatis, & sanitatis animi.* Donum autem hoc datum esse dicitur διὰ προφητείας: quia per aliorum prophetias præsignificatum erat, id ipsi datum iri. Prophetæ enim facere dicuntur, quod prædicunt. Jer. I: 20.

XVI. Quæ ipsi valde juveni contigerunt. XVI. Id etiam notatu apprime dignum est; tam honestum in Ecclesia locum, tantæque gravitatis munus, Timotheo valde adhuc *juveni* contigisse; unde factum est ut præterlapsis ab initio sacræ functionis annis aliquot, commonefecerit eum Paulus, *ne quis juventutem ipsius despicatui haberet.* 1. Tim. IV: 12. utque *juveniles cupiditates fugeret.* 2. Tim. II: 22.

XVII. Ætas eorum qui olim admoti fuerunt sacris; In Ecclesia Israëlitica. XVII. Non abs re erit, ut de ætate eorum qui sacris olim admoti fuerunt, paucula disseramus. LEVITARUM ætatem definivit Deus, ut ad custodiam Tabernaculi vocarentur ab anno vigesimo quinto exacto: sed ad onera bajulanda, vel plaustris imponenda, adhiberentur ab anno trigesimo usque ad quinquagesimum. Sic enim optime in consensum redigi existimo leges in speciem pugnantes Num. IV: 3. & VIII: 24. Davidi, conscio, indubie, & approbante Numine, placuit ut ad ministerium vocarentur qui annos nati erant viginti. 1. Paralip. XXIII: 27. SACERDOTIBUS nulla lex annaria constituta est. Quamvis enim Sacerdotum filii sacra facere non solerent ante vicesimum ætatis annum, nulla tamen Dei lex obstabat qua id facere prohiberentur. Quænam ergo ætas per Dei legem ad sacerdotium fungendum legitima? *Eadem*, inquit *Abarbanel*, *cui Divinarum incumbit observatio legum.* Sic enim commentatur *ad Num.* VIII.
הבחן שהיה חייב במצוות כשר לעבודה אבל אחיו הכהנים לא היו
מניחין

מניחין אותו לעבור עד חיותו בן עשרים שנה: *Sacerdos simul ac ea ætate est qua legis jussa observare tenetur revera aptus est ad ministerium. At fratres ejus Sacerdotes sacris operari non permittunt, donec annos viginti habeat.* Constans est Hebræorum traditio, Sacerdotem functioni idoneum esse anno ætatis decimo tertio, post prima pubertatis indicia; licet obligatione ad vices cum cæteris præstandas non teneretur ante annum vicesimum. Citius tamen quandoque Sacerdotio functum esse, patet exemplo Aristobuli, regnante Herode. De quo *Josephus Antiq.* XV. III. in hunc modum scribit: *Postquam adolescens annum tunc egressus decimum septimum, sacris juxta legem operaturus, ad altare adscendit, ornatu pontificali, cerimoniasque decenter tractabat, ipse eximia forma, & statura quam pro ætate procerior, tota facie generis dignitatem præ se ferens, convertit in se multitudinis oculos simul & studia.* Plura qui vult *Seldenum* videat *De Succes. in Pontif. lib.* II. *cap.* IV. *& Outram. de Sacrif. lib.* I. *cap.* VII. Multo minus PROPHETÆ ulla annali lege constricti fuere: quippe quorum functio ab immediato Divini Numinis impulsu penderet: quem pro liberrimo & absoluto suo dominio dispensabat quibuscunque & quandocunque lubitum fuit. Etiam, ubi ita visum, oppido juvenibus. Quod Samuelis & Jeremiæ notissima probant exempla. Confer Amos. II: II. *Excitavi ex filiis vestris prophetas, & ex* JUVENIBUS VESTRIS *Naziræos.*

XVIII. In prisca Ecclesia Christiana nulla ætas Ministris definita est. Christus Dominus tricesimo fere anno publice se pro Propheta gessit. Apostolorum ætas admodum fuit inæqualis. Johannes Christo non videtur major fuisse. Plerumque tamen presbyteri erant id quod dicebantur, id est, multum provectæ ætatis. Labentibus seculis determinatus est annorum numerus. *Synodus Neocæsareensis* habita Anno CCCXIV. *Canone* XI. Πρεσβύτερος πρὸ τῶν τριάκοντα ἐτῶν μὴ χειροτονείσθω, ἐὰν καὶ πάνυ ᾖ ἄνθρωπος ἄξιος. ἀλλὰ ἀποτηρείσθω. ὁ γὰρ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν τῷ τριακοστῷ ἔτει ἐφωτίσθη (alias ἐβαπτίσθη) καὶ ἤρξατο διδάσκειν. *Presbyter ante triginta annos non ordinetur; etiamsi valde dignus fuerit: sed in hoc tempus reservetur. Dominus enim Jesus Christus tricesimo anno baptizatus est, & docere cœpit.* Hæc *perfecti viri ætas* dicitur a *Concilio Agathensi Can.* XVII. *Presbyterum vero vel Episcopum ante triginta annos, id est, antequam ad viri perfecti ætatem venerit, nullus Metropolitanorum ordinare præsumat: ne, quod aliquoties evenit, aliquo errore culpentur. Justinianus* Imperator *Novella* CXXIII. *cap.* XIII. quinquennium adjecit. *Presbyterum autem minorem triginta quinque annis fieri non permittimus.* Quod forsan frustra jussit. Nam non multo post Synodus in *Trullo* Canonem Neocæsareensem, veluti τῶν ἁγίων

XVIII. *In prisca Christiana.*

καὶ

καὶ θεοφόρων πατέρων legem, totidem verbis inſtauravit. Confer Iſaaci *Haberti Obſervationes ad librum Pontificalem Eccleſiæ Græcæ pag.* 416. Adde *Conſt. Apoſt. lib.* II. *cap.* I. *cum notis Cotelerii.* Quibus locis ex profeſſo & prolixe de hac materie agitur, multaque congeſta ſunt, doctiſſimorum hominum eruditione digna.

XIX. *Juventutis apud antiquos termini.*

XIX. Ante talem ætatem digniſſimum Evangeliſtæ munus in Timotheum collatum erat: quippe quem eximia dona, & Prophetarum prædictiones ſingularie commendabant. Prævertebat ætatem incredibili prudentia, ſpectatiſſimaque morum gravitate:

Ante annos animumque gerens curaſque viriles.

Obſervatum tamen a Viris Doctiſſimis, non exinde conſequi, plane juvenem fuiſſe Timotheum, quum hæc ei Paulus ſcriberet. Nam בחורת Hebræis, νεότης Græcis Interpretibus, eſt ætas militaris, & civilem ætatem comprehendit, ac ſoli ſenectuti opponitur, notante *Grotio.* Veteres non tam arctis limitibus Adoleſcentiam ac Juventutem circumſcripſerunt, uti hodie apud nos ſolet. *Adoleſcentulum* ſe fuiſſe narrat Cicero quum pro Roſcio diceret; quod ſeptimo eum & viceſimo ætatis anno feciſſe probat *A. Gellius lib.* XV. *cap.* XXVIII. Alexandrum Ariſtobuli filium, quum ſupplicio afficeretur, νεανίσκον vocat *Joſephus*, quamvis viceſimum ſuperaſſet annum. *Antiq. lib.* XIV. *cap.* XIII. *Polybius* Hieronem κομιδῇ νέον ADMODUM JUVENEM fuiſſe teſtatur *lib.* I. *pag.* II. qui annum XXX exceſſerat: uti demonſtrat in *notis Caſaubonus.* Plane ut Romani, qui juventutem definiebant ab anno triceſimo ad quadrageſimum. Idem *Polybius lib.* XVII. de Flaminio: Καὶ τοι νέος ἦν κομιδῇ· πλέω γὰρ τῶν τριάκοντα ἐτῶν οὐκ εἶχε. OPPIDO JUVENIS ERAT: PLURES ENIM TRIGINTA ANNIS NON HABEBAT. Vide ſis *Caſaubonum, ad Appar. Baronii Num.* 99. At præ omnibus hiſce memorabile eſt quod de ſe in Oratione de ſui conſecratione *Chryſoſtomus* habet. Καὶ τίς ἂν ταῦτα πιστεύσειεν, ὅτι ἡμέρας οὔσας, νηφόντων ἀνθρώπων καὶ ἐγρηγορότων, μειρακίσκος εὐτελὴς καὶ ἀπεῤῥιμμένος, πρὸς ὕψος ἀρχῆς ἀνηνέχθη τοσοῦτον; *Quis hoc autem credat, ut dum dies eſt, hominibus ſobriis ac vigilantibus, adoleſcentulus vilis atque abjectus, ad tantum culmen dignitatis evectus ſit?* Μειρακίσκον *adoleſcentulum* ſe fuiſſe dicit, quum in Presbyterum ordinaretur: atqui *triceſimum ſecundum* ætatis annum expleverat. Saltem ſi *Palladii* Helepolitani Epiſcopi, qui Chryſoſtomi diſcipulus fuit, cum Theodoro, Romano Diacono, Dialogum audiamus. *Octavo* enim *decimo* ætatis anno Chryſoſtomum arti Oratoriæ operam dediſſe teſtatur, Antiochiæ primum ſub Libanio, mox Athenis; dein Meletio Epiſcopo Antiocheno familiarem factum, ſacris noſtris imbutum, exactoque *triennio* Lectorem ordinatum

tum esse. Quod quidem munus quum præ modestia detrectaret, montes & solitudinem petiisse, ac Syro cuidam seni per annos *quatuor* se commisisse: tum in speluncam sese *biennium* ferme inclusisse: a qua, ob morbum ex austeritate Ascetica contractum, exire compulsus in Urbem rediit; ubi a Meletio Diaconus ordinatus, sacris altaribus per annos *quinque* ministravit; tandemque inter Presbyteros, invitus licet ac plurimum reluctans, a Flaviano cooptatus est: quum, uti ex numerorum istorum collectione conficitur, alterum supra tricesimum secundum annum ageret. Confer *Isaaci Haberti Observationes ad Archieraticon Ecclesiæ Græcæ pag.* 416.

XX. Quæ quamvis erudite a Maximis Viris observata, dubito an huic negotio commode applicentur. Utut enim de Timothei annis nihil temere definire velim; non tamen veri mihi simile fit, ad triginta eum numerasse, quum sacro Evangelistarum ordini initiaretur. Ejus ætatis, ut modo dixi, Christus fuit, quum pro Propheta se palam gerere inciperet: nec multo majoris, si modo majoris, Johannes, quum in Apostolorum cooptaretur collegium: quibus tamen ætatis defectum objectum unquam esse, eove nomine visos esse despicabiliores, nullæ, quod sciam, tradunt historiæ. In ætate itaque Timothei singulare aliquid fuit; & juvenile adeo, ut contemtum effugere difficulter potuerit, nisi quod annis deerat sapientia & gravitate abunde pensasset. Facile accedo *Danæo*, juventutem constituenti ab anno XVII. usque ad XXV. unde incipit ætas virilis: intra quos annos Timotheum fuisse puto. XX. *In Timothei ætatem inquiritur.*

XXI. Ingenia hominum non ab annis, sed a prudentia & virtute censenda sunt. Juvenes muneribus quum Ecclesiasticis, tum Politicis cum fructu, & bono publico, admoveri posse, adductis exemplis demonstravit *Lorinus*, in *Commentariis ad Sap.* IV: 8. Vide sis venerandum *Voetium* nostrum *Pol. Ecc. Tom.* III. *pag.* 720. *& seq.* Ubi ex quamplurimis ANTONIUM SADEELEM laudat, qui haut multum viginti annos egressus, doctrina tamen & virtute veteranus, in Pastorem Ecclesiæ Parisiensis electus, docendo, consulendo, rebusque Ecclesiasticis quammaxime arduis agendis, juventutem suam sic ornabat, ut in prima Synodo Ecclesiarum Gallicarum clam Parisiis celebrata (a qua Confessio conscripta, & per Illustrissimum Colignium Regi oblata) præses constitueretur. Adde notabile exemplum *Thomæ Buirette* ex *Drelincurtii* Dedicatoria ad novem Dialogos contra Missionarios. Nisi vivorum parcendum esset modestiæ, possem & ego memorare aliquem, qui eadem non modo qua Sadeel ætate, sed & minori, anno ætatis XIX, Philosophiæ ac Theologiæ Doctor multa XXI. *Ingenia non annis, sed virtute censenda sunt.*

cum laude renunciatus, mox anno XX Theologicæ Cathedræ in Celebri Academia admotus, dignitatem Professoriam omnibus suis numeris ita tuitus est, ut juvenes prudentia & gravitate anteiret, senibus & qui artis nostræ veteres erant, ingenii promtitudine ac solertia, judicii soliditate atque acrimonia, multarumque tam linguarum quam rerum diffusa eruditione, par esset; omnibus denique admirationi. Quæ eo a me referuntur, ut & Dei in sublimibus ejusmodi ingeniis liberam liberalitatem grati prædicemus, & nostri temporis juventutem excitemus ad æmulationem. Ita, mei juvenes, talibus stimulati exemplis ad grandia quæque enitimini. Diligentia ac studio annos prævertite. Si in primis consistere non liceat, quod paucis datum; ad secunda vel tertia contendite. Quis scit, quousque? Favente Deo, nil volentibus arduum.

XXII. *Timotheus cur circumcisus.* XXII. Sed ad Timotheum nostrum revertamur: quem Evangelistam creatum, secum proficisci Paulus voluit, *& assumtum* CIRCUMCIDIT, *propter Judæos, qui in illis locis erant: sciebant enim omnes patrem ipsius Græcum esse.* Act. XVI: 3. Hactenus in præputio manserat Timotheus, ita jubente patre, religioni Judaicæ non addicto. Constans enim Hebræorum traditio est, jus non esse matri filium circumcidere patre invito: cujus potestas, ut alibi, ita & hic prævalebat. Nunc autem in sua eum potestate habebat Paulus; cui ex usu Evangelii fore videbatur, si circumcidi curaret. Sperabat ipsius opera multos ex Judæis, nondum conversos, ad Christum conversum iri: quorum nonnulli, rigidioribus illis de cerimoniarum necessitate sententiis occupati, consuetudinem sermonemque ejus declinaturi fuissent, si scivissent incircumcisum. Judiciose notavit *Grotius*, Paulum circumcisionis & usum & omissionem ex temporum locorumque utilitate metiri novisse: & in hisce rebus dijudicandis, lumine perfusum fuisse majori, quam alii Apostoli. Sapientiam prudentiamque Pauli in hoc negotio meritis deprædicat elogiis *Chrysostomus*. Περιέτεμεν, ἵνα περιτομὴν καθέλῃ. *Circumcidit*, inquit, *ut circumcisionem tolleret.* Nimirum ut Timotheus ea ratione acceptior Judæis factus, præjudicium illud de durante adhuc, nedum perpetua, circumcisionis necessitate animis ipsorum evelleret. Quod & a *Clemente Alexandrino* observatum. *Strom. lib.* VII. *pag.* 730 Αὐτίκα Τιμόθεον ὁ γενναῖος περιέτεμεν Ἀπόστολος, κεκραγὼς καὶ γράφων, περιτομὴν τὴν χειροποίητον μηδὲν ὠφελεῖν· ἀλλ' ἵνα μὴ ἀθρόως ἀποσπῶν τοῦ νόμου πρὸς τὴν ἐκ πίστεως τῆς καρδίας περιτομὴν, ἀφηνιάζοντας ἔτι τοὺς ἀκροωμένους τῶν Ἑβραίων ἀποῤῥῆξαι τῆς Συναγωγῆς ἀναγκάσῃ, συμπεριφερόμενος Ἰουδαίοις Ἰουδαῖος ἐγένετο, ἵνα πάντας κερδήσῃ. *Ecce enim Timotheum præclarus circumcidit Apostolus; quum vociferaretur & scriberet,*

beret, circumcisionem manu factam nihil prodesse: sed ne repente a lege avellens ad eam quæ est ex fide cordis circumcisionem adhuc reluctantes eos qui audiebant Hebræos, a Synagoga se cogeret distrahere, se Judæis accommodans factus est Judæus, ut omnes lucrifaceret.

XXIII. Fuit autem Timotheus Paulo itinerum suorum comes. De quibus itineribus non est ut prolixe nunc & ex professo agamus. Magis enim id ad Pauli quam Timothei historiam pertinet. Ea solum attingemus, in quibus partem aliquam Timotheus facit. Id enim semel statutum esse oportet, non modo comitem eum Pauli fuisse, & auditorem, & ministrum honorarium; sed & συνεργὸν, qui una cum ipso Evangelium prædicaverit, qui opus Dei pariter ac ipse fecerit, suo tamen singuli gradu atque ordine: quocum etiam Paulus in rebus gravissimis consilia sua miscuerit: quem ut filium quidem, sed & ut fratrem, habuerit: cujus denique nomen Divinis aliquando Epistolis suis præfixerit, ut hominis eodem secum Spiritu agitati. Hac itaque semel præmissa observatione, ea nunc itinera mente prosequamur, quæ cum Paulo emensus Timotheus est. Lystris egressi, Phrygiam & Galatiam petierunt, ubi percupide exceptus a Galatis Paulus, quasi Angelus de cœlo fuisset, magno cum fructu Evangelium prædicavit. Inde quum venissent in Mysiam, frustra tentato per Bithyniam itinere, quum non sineret Spiritus, prætérita Mysia descenderunt Troada. Illinc solverunt in Macedoniam, & Samothracem primum, inde Neapolim, postea Philippos (quæ Macedoniæ urbs ex Asia venientibus prima occurrit) delati sunt. Ibi conversa ad fidem Lydia, ejecto spiritu Pythonis, a Dominis ancillulæ Pythonissæ, & Magistratibus, Paulus & Silas male habiti, atque in carcerem conjecti, nocturnis hymnis suis admirationi captivis cæteris fuere, baptizato cum tota familia sua commentariensi. Carcere soluti Philippis, per Amphipolim & Apolloniam, Thessalonicam venerunt. Isthic complures tum ex Judæis, tum ex Græcis piis ac religiosis, item ex primariis nobilioribusque fœminas nonnullas ad fidem convertit Paulus. Ringentibus incredulis Judæis; qui tumultu excitato, criminationibus suis apud magistratum effecere, ut Paulo cum comitibus urbe excedendum fuerit. Inde Berœam venere, atque isthic prædicato feliciter Evangelio, Judæi rebelles Thessalonica venientes, novas adversus Paulum turbas excitant: qui inde Athenas abire cogitur, Sila & Timotheo, qui semper hactenus Paulo adfuerant, relictis Berœæ: quibus in mandatis dedit, ut quantocyus ad se Athenas excurrerent.

XXIII. Timotheus Paulo multorum itinerum comes: & in Evangelio συνεργὸς.

XXIV. *A Paulo Thessalonicam missus.*

XXIV. Quo postquam appulissent, Paulus magno Thessalonicenses invisendi desiderio tenebatur, at voto satisfacere non poterat, præpeditus a Satana. Quamobrem, quum amplius se continere non posset, libuit ipsi ut solus Athenis relinqueretur, Timotheo ad ipsos amandato, ut in fidem ac constantiam ipsorum inquireret, suisque porro exhortationibus eos stabiliret. Inde cum bono nuncio, de constanti Ecclesiæ Thessalonicensis fide ac charitate, ad Paulum rediit Timotheus. I. Thess. II: 18. III: I. & seq.

XXV. *Deinde in Macedoniam. Semel, atque iterum.*

XXV. Qui ea re vehementer exhilaratus; priusquam Athenis excederet & Corinthum peteret, rursus in Macedoniam Silam & Timotheum misit Act. XVIII: 5. eorumque reditum Corinthi præstolatus est. Ubi exactis octodecim mensibus, enavigavit in Syriam, ac devenit Ephesum. Inde adscendit Hierosolymam, ac salutata ibi Ecclesia, Antiochiam venit. Visitatisque aliis urbibus Ephesum rediit: ubi qualia quantaque ab ipso gesta sint exponitur Act. XIX. Adeo autem se negotiis in urbe ista implicitum animadvertit, ut, quum Macedoniam peragrare animum induxisset, Timotheum atque Erastum eo mittere coactus fuerit, ipse ad tempus in Asia subsistens. ibid. 21, 22. Exacto ibi circiter triennio, tandem abiit profecturus in Macedoniam. Act. XX: I.

XXVI. *Denique relictus Ephesi. An ut Episcopus, aut Archiepiscopus?*

XXVI, Eo tempore creditur rogasse Timotheum ut PERMANERET EPHESI. I. Tim. I: 3. Hinc collegerunt, post Veteres, Recentiorum non pauci, Timotheum a Paulo tunc constitutum esse primum EPHESINÆ ECCLESIÆ EPISCOPUM; imo ARCHIEPISCOPUM, ait Jesuita *a Lapide*. Jubet enim illi Apostolus, ut per alias urbes Episcopos constituat, & ordinet; quod est Archiepiscopi. At nec intra hos terminos Hierarchica Timothei dignitas consistit. Quum Ephesus omnium Asiæ minoris Ecclesiarum Metropolis fuerit, concluditur, earundem PRIMATEM fuisse Timotheum. Atque hunc esse volunt ANGELUM illum ECCLESIÆ EPHESINÆ, cui Epistolarum Apocalypticarum prima inscripta sit. Quod ex eo patere dicunt, quia Timotheus Ephesi sederit post scriptam Apocalypsin: uti passim docent Veteres, & satis convincit *Dionysius Areopagita*, qui post Johannem scripsit, & plerosque suos libros huic Timotheo inscripsit. Quæ narrationes quo nitantur fundamento operæ pretium erit paullo diligentius anquirere.

XXVII. *Nihil de eo tale Sacræ Literæ.*

XXVII. Et Sacras quidem Literas quod attinet, si eas, uti par est, primo consulamus loco, nihil profecto inveniemus quod ad hanc rem pertineat; imo nonnulla quæ eam apertæ arguant falsitatis. Pauli verba simplicia sunt. I. Tim. I: 3. Παρεκάλεσά σε προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν. Quisquamne ex iis extundat ordinationem

Timo-

Timothei in Ephesinæ Ecclesiæ ordinarium Episcopum, imo Archiepiscopum, imo Primatem? Palam est, hactenus Paulo fuisse Timotheum itinerum comitem, operisque in propagando Evangelio socium, qui, nisi jussus, & ad exiguum temporis spatium, a Pauli latere nunquam secesserat. Nunc abeundum Paulo in Macedoniam erat, relicta Epheso, ubi tuto amplius esse vix licebat. Interim eximia messis erat Ephesi. Oportebat itaque insignem virum relinqui, qui absentis Pauli vicem aliquamdiu subiret. Ei rei destinatus Timotheus est: rogatus a Paulo, non ut Episcopalem admitteret dignitatem, & cum nescio quo Hierarchico splendore inthronizatus in Metropolitana Ecclesia sederet; sed simpliciter ut aliquantulum Ephesi permaneret. Sane aliud erat Apostolorum tempore Episcopum esse, aliud serioribus seculis, aliud denique nunc. Pessime de Apostolica simplicitate judicatur ex recentioris ævi consuetudine. Ephesinos quidem Episcopos, quos ab ejusdem Ecclesiæ Presbyteris non distinguit sacra historia; tales, inquam, Ephesiorum Episcopos legimus Act. xx: 17, 28. Timotheum in Episcopali throno Ephesi sedentem nullibi legimus. Archiepiscoporum & Primatum ignota isthoc seculo nomina; æque ac res superbis istis nominibus designata.

XXVIII. Ex quibus colligitur, non perpetuo ipsum Ephesi habitasse.

XXVIII. Imo ne hoc quidem certum est, Timotheum Ephesi, quocunque nomine, quacunque dignitate, ab eo tempore rerum suarum sedem perpetuam habuisse. Postquam enim aliquantulum ibi esset commoratus, interim dum Macedoniam Paulus peragraret, & fortassis in Illyricum excurreret, peractis mensibus tribus ad Paulum rediit, quem cum Sopatro, Aristarcho, Secundo & Gajo comitatus est in Asiam. Act. xx: 4. An inde Ephesum reverterit, quod quidam opinantur, an perpetuus Paulo συνέκδημος fuerit, donec Paulus vinctus Romam duceretur, quod *Cappellus* mavult, pro certo non dixerim. Hoc certum, quod Romæ cum Aristarcho & Tychico Paulo adfuerit. Testantur id Epistolæ, a Paulo in vinculis Romæ scriptæ, Timothei nomen præferentes: nimirum ad Philippenses, Colossenses & Philemonem. Neque συνέκδημος solum Pauli, sed & συναιχμάλωτος in prima captivitate Romana fuit. Hoc enim innuitur Heb. XIII:23. *Scitote fratrem nostrum Timotheum solutum esse: cum quo, si mox venerit, videbo vos.* Ubi vero locorum, postquam a Paulo discesserat, commoratus sit, sacra historia non docet. Ephesi fuisse, quum secunda ad ipsum mitteretur, multi ex subscriptione colligunt. At neque id habet subscriptio, & constat, eam, ut cæteras omnes, authenticam non esse. Ex ipsa Epistola quædam in hanc rem argumenta profert *Ligtfootus in Chronico temporum & ordine textuum T. N. ad Annum*

Christi LIX. I. Ex eo quod Paulus ſalutem dicat domui Oneſiphori, cap. IV: 19. quæ Epheſi erat cap. I: 16. II. Ex eo quod jubeat, eum ad ſe venientem Troadem petere. cap. IV; 13. Troadem petebat Paulus Epheſo digreſſus, 2. Cor. II: 12. & denuo Epheſum rediens. Act. XX: 5. III. Ex eo quod eum de Alexandro præmoneat. cap. IV: 14. Epheſio ſcilicet. I. Tim. I: 20. Act. XIX: 33. *Ludovicus Cappellus in hiſtoria Apoſtolica* contra diſputat, non fuiſſe tunc Epheſi Timotheum. Etenim cap. IV: 12. ſcribit Apoſtolus: *Porro Tychicum miſi Epheſum.* Quod non neceſſe habuiſſet monere, ſi ipſe tunc ibi Timotheus fuiſſet. Et quorſum eo Tychicum miſiſſet? An ut Epiſtolæ hujus lator eſſet? At tunc alio fuiſſet uſus ſermone. Dixiſſet: miſi ad te Tychicum, aut ſimili formula. An ut commodo Eccleſiæ Epheſinæ conſuleret? At qua neceſſitate, ſi præſens fuerit Timotheus, quo nemo vigilantior? Quibus utrinque perpenſis, nihil mihi dictu tutius videtur, quam NON LIQUET. Quando autem Epheſum redierit Timotheus; quamdiu remanſerit; an cum Johanne Epheſinam Eccleſiam vicinaſque rexerit, ſi verum fateri volumus, pariter in obſcuro eſt.

XXIX. *Eccleſiaſtica monumenta parum certi hic ſuppeditant.*

XXIX. Quæ ex Eccleſiaſticis allegantur Scriptoribus parum certitudinis habere, res ipſa loquitur. Laudatur imprimis IGNATII ad Epheſios Epiſtola: ubi hoc ipſius votum exſtat: ἵνα ἐν κλήρῳ Ἐφεσίων εὑρεθῶ τῶν χριστιανῶν, οἱ καὶ τοῖς Ἀποστόλοις πάντοτε συνῆσαν, ἐν δυνάμει Ἰησοῦ Χριστοῦ, Παύλῳ, Ἰωάννῃ, Τιμοθέῳ τῷ πιστοτάτῳ. *Ut in ſorte Epheſiorum Chriſtianorum inveniar, qui & cum Apoſtolis ſemper converſati ſunt, in virtute Jeſu Chriſti, Paulo, Johanne & Timotheo fideliſſimo.* At hinc, ſi genuinam demus eſſe Ignatii Epiſtolam, confici nil poteſt, niſi Timotheum unum ex fidelibus Epheſinæ Eccleſiæ Doctoribus fuiſſe. De quo Apoſtolica hiſtoria non ſinit ut dubitemus. Porro provocatur ad EUSEBIUM, *Hiſt. Eccl. lib.* III. *cap.* IV. Sed & ipſe non admodum aſſeveranter loquitur. Τιμόθεός γε μὴν τῆς ἐν Ἐφέσῳ παροικίας ἱστορεῖται πρῶτος τὴν ἐπισκοπὴν εἰληχέναι. *Ex his Timotheus quidem Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopatum primus* ACCEPISSE DICITUR. In Concilio CHALCEDONENSI, XXVII Epiſcopi eam ſedem occupaſſe narrantur, quorum primus fuerit Timotheus. At quæritur, qua hiſtoriæ certitudine. PHOTIUS *Bibliotheca Codice* CCLIV. ex ſcripto aliquo de martyrio Timothei hæc habet: Ὅτι ὁ Ἀπόστολος Τιμόθεος ὑπὸ τοῦ μεγάλου Παύλου καὶ χειροτονεῖται τῆς Ἐφεσίων μητροπόλεως ἐπίσκοπος, καὶ ἐνθρονίζεται. *Timotheum Apoſtolum a magno Paulo ordinatum eſſe Eccleſiæ Epheſiorum Metropolitanæ Epiſcopum, & throno impoſitum.* Cæterum ſcriptorem eum, quicunque tandem fuerit, de rebus antiquiſſimis, ita loqui

quaſi

quasi suo gestæ essent seculo, verborum ampullæ docent, quas Apostolicæ Ecclesiæ non intellexisset simplicitas. *Metaphrastes* apud *Surium ad* XXIV. *Jan. p.* 412. narrat, Timotheum, loco Johannis Apostoli in Pathmum relegati, Episcopatum Ephesiorum suscepisse: Johannem vero in reditu, Timotheo e vivis sublato, Ecclesiam præsule defectam invenisse, eamque rursus suscepisse. Sic ut idem & sedem Timotheo præbuerit, & ei successerit. Adeo incerta omnia. Interim negare nolim, post Paulum, principem in Ephesinæ Ecclesiæ Doctoribus locum Timotheo assignari posse: qui postquam Pauli ἀκόλουθος esse desiit, CREDITUR RELIQUUM VITÆ TEMPUS EPHESI EGISSE, ait *Grotius ad* 1. *Tim.* 1: 3.

XXX. At permansisse in functione Episcopali usque ad scriptam Apocalypsin, atque ipsum illum Angelum esse, cui prima Apocalypticarum Epistolarum inscribitur, non incertum modo, sed ab omni veri similitudine repulsum est. Si indignum Baronio & Lapideo Jesuita non sit Dyonysii Areopagitæ scripta huc allegare: indignum sane hominibus eruditis & candidis est, postquam Erasmus, Valla, Magdeburgenses, Perkinsius, Scultetus, Robertus Cocus, Willetus, Johannes Gerhardi, aliique sine numero, & novissime Dallæus, rationibus ἀναντιῤῥήτοις ea tam apertæ convicerunt νοθείας; adstipulantibus nunc in Romanæ communione Ecclesiæ, quotquot ingenuitatis affectant laudem. Videatur nuperrimus Bibliothecæ Ecclesiasticæ conditor LUDOVICUS ELLIES DU PIN, Parisiensis Theologus. At ne ex ipso quidem Pseudo-Dionysio id evinci posse quod *a Lapide* pugnat, contendit *Baronius* ad *Annum* CIX. Num. LVI. *Quis nos compellit,* inquit, *ut affirmemus auctorem ea scripsisse ad Timotheum Pauli discipulum? Quum auctor ipse in exordio commentarii de Ecclesiastica Hierarchia dicat:* SACERDOTII QUIDEM NOSTRI FUNCTIONEM, SANCTISSIME FILI TIMOTHEE: *alium quempiam juniorem Timotheum significare visus est. Nam quod Episcopus Coëpiscopum nominare consueverit Fratrem, non Filium, mille exemplis esset facile demonstrare. Quam ob rem quum Dionysius appellet Timotheum, Filium, evidens est alium quempiam quam Timotheum Ephesinum Episcopum intellexisse.* Hæc Baronius.

XXX. Timotheum illum Ecclesiæ Ephesinæ Angelum esse, de quo Apoc. II: 1. *non est simile veri.*

XXXI. Nam & alium fuisse eo seculo Timotheum, Pauli æque ac noster iste discipulum, Pudentis ac Priscillæ filium, qui ad Antonini Imperatoris, & Pii Episcopi Romani ævum, vitam produxit, multi ex Veteribus tradiderunt. At incerta fama, ut ejus ævi pleraque.

XXXI. Alius a nostro Timotheus.

XXXII. Vitam finiisse creditur martyrio, quod brevius perstringit *Photius loco mox laudato*, fusius exsequitur *Metaphrastes*; hoc ferme modo,

XXXII. Timothei ex Meta-

phraste martyrium. modo. Erat apud Ephesios festus quidam dies, καταγώγιον dictus. In eo clavos tollentes, & simulacra manibus gestantes, & insuetas quasdam sibi imponentes personas, insigniores civitatis partes circumibant. Atque inter ineptarum cantiuncularum, atque insanarum vociferationum strepitus, furentium more in obvios irruebant; ingenti quandoque, tam virorum quam fœminarum, edita strage. Ea enim ratione putabant exsecrandi, sua a se numina optime coli. Isti se rabiei cordate opposuit divinus Timotheus, iis usus argumentis, quæ confundendæ insaniæ, etiam apud pervicacissimos, erat idonea. Cæterum ea est superstitionis indoles, ut non dimoveatur ab instituto, quantumvis stulto, & adverso lumini rationis, qua homines sumus. Nihil admonitionibus suis profecit Timotheus. Idcirco zelo Dei excandescens, ipso festo tumultuantibus per compita animose procedit obviam; rursus admonens, increpans, docens, nihil non agens, quo istius tandem eos insaniæ puderet, pigeretque. Adeo vero hanc ejus dicendi libertatem ægre tulerunt, ut veluti intemperiis agitati impetum in eum fecerint, & quidquid suggesserat ira pro armis utentes, quanta maxima dici potest inhumanitate atque crudelitate, ferierint, straverint, traxerint, & plus quam seminecem humi jacentem, & cum extremo luctantem spiritu reliquerint. Unde Christiani quidam sublatum extra civitatis portam deposuerunt. Ubi postquam religiosum Deo commendasset spiritum, pretiosas defuncti exuvias, pie sancteque eo condiderunt loco qui apud ipsos PION, id est Pinguis, dicebatur. Longo autem post tempore, Constantii in eum amores, ejus, inquam, Constantii, qui filius Constantini Magni fuit, illinc exportarunt reliquias: ministro usi Artemio, qui quum egregiæ illius Timothei in dicendo libertatis fuisset imitator, ei quoque postea mortis similitudine conformis fuit, martyrii corona propter Christum decoratus. Atque ita repositus fuit, in Æde quæ Apostolorum dicitur, apud Constantinopolim, sub ipsa mensa mystica, suppeditator miraculorum, dispensator gratiarum, thesaurus qui non potest exinaniri, divitiæ quæ non consumuntur, Lucæ & Andreæ junctus. Deo fortassis admirabili sua providentia ita gubernante, ut sicut eis omnia fuere communia, mores, disciplina, prædicatio; commune quoque esset sepulcrum. Incidisse autem Timothei martyrium in extremum *Domitiani*, pugnat *Metaphrastes*; repugnante *Baronio*, qui ad *Trajani* imperium refert, & Annum CVIII. Sed profecto obesæ admodum naris esse oportet, qui fabulam hic non olfaciat, ex recentioribus, & supposititiis descriptam actis, quæ Græcanica solertia & fabulandi lubido, pro more istorum seculorum, cudit.

XXXIII. Satius erit, ut, haut illubentes de reliqua Timothei vita, & mortis genere, tempore, loco, ignorantes, quæ non docere nos Divinæ visum fuit Providentiæ; Iconem corporis & animi ipsius ex iis nobis libris formemus quos communis Christianorum omnium fides asseruit cœlo. Corpore quidem debilis fuit, stomachi frequenter vitio laborans, & crebris expositus infirmitatibus; quod non tam naturæ imputat *Chrysostomus*, quam asceticæ vitæ austeritati. *Homil.* I. *ad populum Antiochenum.* Τὶ δὲ τῆς ἀρετῆς ἴσον τοῦ Τιμοθέου; οὕτως ὑπερεώρα τρυφῆς, καὶ κατεγέλα πολυτελοῦς τραπέζης, ὡς καὶ εἰς ἀσθένειαν ἐμπεσεῖν ἐκ τῆς ἄγαν σκληραγωγίας, καὶ ἐπιτεταμένης νηστείας. *Quid autem virtuti Timothei par censeri potest? Adeo contemnebat delicias, ac pretiosam ridebat mensam, ut ex nimia vivendi austeritate, contentioneque jejuniorum, in varias inciderit infirmitates.* At quamvis continua corpus imbecillitate langueret, generoso tamen animo nil difficile aut arduum videbatur. Præpetibus veluti alis in omnem pervolabat partem, non Judææ solum urbes aliquas, sed & Corinthum, Ephesum, Asiam pleramque, ipsam etiam Italiam, cum magistro Paulo, Evangelii prædicatione complexus. Ingenio præditus erat solerti, judicio solido, prudentia exquisita, animo candido & generoso, zelo fervente, affectu erga Ecclesias tenerrimo; quod ex gravissimis illis negotiis patet, quæ a Paulo sibi commissa felicissime expedivit. Cui etiam ob egregias animi dotes, & ingenii morumque similitudinem, eousque charum fuisse deprehendimus, ut nunquam illius sine elogio meminerit. Unde non dubitamus in omnibus Evangelii ministris principem Timotheo post Apostolos locum assignare. XXXIII. *Icon corporis & animi.*

EXERCITATIO XVII.

DE USU ET ABUSU RATIONIS *circa Mysteria Fidei.*

BREVIARIUM.

I. Circa rationis usum in rebus fidei aliqui in excessu peccant, alii in defectu. II. Quum media via tutissima sit. III. Præcognita, ad rite forman-

formandum statum controversiæ. IV. Verus controversiæ status. V. Ratio humana, si pro facultate sumatur, in nemine mortalium prorsus recta est. VI. Nec, quantumvis nitatur, eo pervenire potest ut ab omni sibi errore caveat. VII. Maxime errare solet circa res Divinas, quamvis alioqui solertissima. VIII. Nulla externa veritatum Divinarum propositio corruptioni illi tollendæ sufficit. IX. Unde consicitur, rationem, ita comparatam, non esse idoneam rerum Divinarum arbitram. X. Nulla tamen alia facultas, præter rationem, est, quæ res Divinas cognoscat. XI. Ex residua sibi luce ratio format axiomata quædam incontestatæ veritatis. XII. Atque ex iis deducit conclusiones quasdam liquidissimas: quæ recta ratio dici possunt. XIII. Imo & Dei, per rationem docentis, dictamina. XIV. Non sic tamen, ut par veritatis certitudo iis competat ac Divinis Scripturis. XV. Hactenus vero valent, ut credatur Deum supernaturali revelatione nihil docere, quod principiis naturæ notis contrarium sit. XVI. Cavendum ne pro aperta veritate habeamus id in quo latet error. XVII. Contra quam fecit Socinus. XVIII. Cavendum item, ne existimemus claræ veritati repugnare, quod cum ea amice consentit: in quo peccavit Smalcius. XIX. Nefas est rationi vim facere in exponendis Dei eloquiis, ut ei gratificemur in tuendis ipsius axiomatibus. XX. Mysteria Religionis transcendunt Axiomata Rationis. XXI. In inquirendo Divinorum verborum sensu, non est consulenda primum ratio, quid ex se de iis rebus norit; sed unice attendendum, quid ipsa verba significent. XXII. Quod exemplo claratur. XXIII. Pulcra Verulamii observatio. XXIV. Et Heidani. XXV. Denique Coccejі. XXVI. Fides Christiana non est stupentis animi cæca obstinatio, sed convictio rationalis: XXVII. per lucem Divinæ revelationis, qua animus undique illustratur. XXVIII. Habet & fides suos λογισμὺς; in quibus singulari utitur sagacitate. XXIX. Pro exemplo sit Nathanael Job. 1: 45—. XXX. Ex tenui indicio multa solertia maximas res colligens. XXXI. In qua collectione attendendum rationi est, ut omnes artis suæ regulas observet. XXXII. Alioqui facile incidit in errorem. XXXIII. Non tam ratiocinationum subtilitate, quam Divinæ illustrationis valentia, plerumque gignitur fides. XXXIV. Epilogus.

I. Circa rationis usum in rebus fidei aliqui in excessu peccant, alii in defectu.



Uem usum humana sibi Ratio in exponendis Fidei Misteriis merito deposcat, anceps & difficilis quæstio est: olim, & Augustini potissimum ætate, acriter disputata, nunc vero, in tanta superbientium ingeniorum prurigine, vel aliorum etiam socordi credulitate, accuratius terminanda. Magnus hodie est eorum hominum proventus, qui rectam semper

semper rationem crepantes, ejus scita omnia pro cœlestibus ac Divinis habent oraculis; ad quorum normam cuncta exigenda sint, ne iis quidem exceptis quæ de arcana sua voluntate, cæterisque tremendis Christianæ religionis mysteriis, in humani generis gratiam, sacris voluminibus, miranda potius quam rimanda, exponere summo Numini visum est. Atque hæc quidem Rationis, omnia suo subjicientis examini, imperiositas magnam creat credendi difficultatem: unde videas hoc hominum genus passim tanquam in salebris quibusdam hærere; & haut multo pauciora in sacris literis carpere, arrodere, & quæsitis interpretationibus aliovorsum flectere, quam humili fidei obsequio, ita uti dicuntur, admittere. Tantos sibi animos sumentes, sive ex subtilioris ac sublimioris Philosophiæ, sive ex eruditioris atque reconditioris Critices, temeraria fiducia. At nec desunt alii tam abjecto præditi ingenio, ut tum demum certam sibi ad securitatem viam sapere arbitrentur, si abdicato eorum quæ ad religionem pertinent molesto nimis examine, credulitatem suam vel majorum placitis, vel nescio quorum demagogorum auctoritati, serviliter mancipent. Utrique errore periculosissimo; quibus merito Hesiodeum illud applices:

Πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

Credulitas pariter atque incredulitas perdiderunt homines.

II. Nobis, uti in plerisque omnibus, ita & hic, media via tutissima esse videtur; ut neque nihil rationi in explicandis fidei mysteriis deferatur, neque omnia. Justum autem illud medium tenere, hoc arduum opus, hic difficilis labor est. Enitamur tamen. Disertissimus Vir, Petrus Daniel Huetius, Abrincensis in Gallia Episcopus, incultum hoc ævo in republica literaria nomen, in nupero opere *de Concordia Rationis & Fidei*, viam hic nobis quodammodo præivit: verum iis copiosi sermonis anfractibus, qui Lectoris animum valde lassaturi essent, nisi mellitis verborum globulis mirifice interim deliniretur. Ego scholastica brevitate summa tantum sequar fastigia rerum: sermone neque anxie comto, neque neglecto prorsus & barbaro, sed proprio atque perspicuo. Eo autem incedam tramite, ut primo quædam Præcognoscenda exponam, tum Statum controversiæ rite figam, denique Thesibus quibusdam, naturali ordine altera alteri superstructis, quid de toto hoc negotio statuendum sit modo atque ordine definiam. *II. Quum media via tutissima sit.*

III. Præcognita hæc sunto. I. Ratio significat vel *Facultatem* hominis qua percipit & judicat, verumque a falso dignoscit, vel *placita, scita, axiomata;* quæ vel per se evidentia sunt; vel ex evidentibus certa consecutione deducta creduntur. II. Recta ratio, si de *III. Præcognita, ad rite formandum statum controversiæ.*

Facultate agatur, illa est, quæ sufficienti lumine instructa non aliter res concipit aut de iis judicat quam revera sunt, & opponitur *Corrupta*, *Vitiosæ*, *Cæcæ*, quæ frequenter conceptus & judicia format rebus dissona. Si de *Axiomatis* sermo sit, Recta ratio notat certissima & evidentissima principia, aut conclusiones evidenti & nusquam hiante consecutione inde deductas. Et opponitur *assertionibus temerariis*, sine justo rerum examine dictatis. III. RECTE SE JUDICARE RATIO FIRMITER CREDIT, quando conceptus sive ideæ rerum clare sibi ac distincte obversantur. Attamen in eo se deceptam esse sæpenumero deprehendit, quod putaverit se aliquid clare ac distincte percipere, quum secus esset. IV. Quatenus Ratio *Facultatem* notat, est CAUSSA efficiens proxima perceptionis & judicii: non norma. At quatenus evidentia certaque *axiomata* significat, hactenus NORMÆ rationem habere potest, ut pro falso rejiciatur quidquid manifestæ veritatis axiomati palam repugnat, aut quod non legitima consecutione deducitur. V. FIDES hic notat assensum veritati alicui præbitum, non propter rei evidentiam, sed propter testimonium Dei; qui quum suprema veritas sit, eo ipso est αὐτόπιστος. Joh. III:23. I. Joh. V:9, 10. VI. MYSTERIA FIDEI illa dicuntur, quæ nemo mortalium suis ratiociniis invenire potuisset; sed quæ per solam Dei revelationem cognoscuntur. Et opponuntur τῷ γνωστῷ τοῦ Θεοῦ. Conf. Rom. I: 19. I. Cor. II: 7. Eph. III: 3. VII. Ea Revelatio sacris VETERIS ET N. T. LIBRIS continetur, qui suis se indiciis & insitis Divinitatis argumentis conscientiæ attendenti approbant: quibusque ullo unquam prætextu obloqui piaculum est, quotiescunque liquido constat aliquid ibi doceri.

IV. *Verus controversiæ status.*

IV. His suppositis; non est Quæstio, *An Scriptura doceat aliqua mysteria Rectæ Rationi contraria?* Neque, *An Rationi liceat unquam se Scripturæ doctrinæ opponere, sub prætextu suæ Rectitudinis?* Neque, *An Rationis in investigando Scripturæ sensu magnus usus sit?* Hæc enim utrimque sunt ἀναμφισβήτητα. Sed, *Quando in Divinorum verborum sensum inquiritur, an tunc primum consulenda sint Rationis quæ se pro recta gerit dictamina ut ea primum de rebus arbitretur, an earum revelatio Deo digna sit; an vero simpliciter attendendum, quid verba in omnibus circumstantiis suis significare apta sint, ut quod significare comperiuntur mox pro vero recipiatur, sine ulteriori rerum examine ad prætensa rationis axiomata?* Sive, *Utrum satius sit Scripturæ verba flectere ut cum Rationis axiomatibus conveniant, an Rationis axiomata ad eum sensum corrigere quem Scripturæ verba fundunt?* Prius contendunt, suaque praxi probant Sociniani, atque utinam hi soli! Posterius adfirmant Orthodoxi.

V. Qui

V. Qui sententiæ suæ veritatem hoc modo exponunt atque adstruunt. *Ratio humana*, si pro *facultate* sumatur, uti nunc sunt homines, in nemine mortalium *Recta*, sed multum cæca, vitiosa, & ad errorem proclivis est, sic ut facilius plerumque male quam bene arbitretur. Eaque corruptio non oritur solum ex infantiæ præjudiciis, aut affectibus, aut consuetudine male judicandi, sed ipsi facultati mentis a primo sui ortu intime inhæret; vitio Adami, qui mente, quam rectam a Deo acceperat, turpiter abusus, rectitudinem eam sibi & posteris perdidit: qui omnes in eo peccaverunt. Rom. v: 12. *Ut pullus onagri homo nascitur*. Job. xi: 12.

V. Ratio humana, si pro facultate sumatur, in nemine mortalium prorsus recta est.

VI. Ea rationis corruptio, uti male judicandi consuetudine plurimum augetur, ita attentione studioque quadantenus corrigi potest; præsertim si se assuefaciat homo non judicare nisi de rebus clare perceptis. Attamen ea clara perceptio rerum, itemque ea judicii præcipitantis suspensio, tam est difficilis, ut impossibile homini sit difficultates illas omnes superare, atque ita sibi ab omni errore cavere. *In multis impingimus omnes*. Jac. III: 2.

VI. Nec, quantumvis nitatur, eo pervenire potest ut ab omni sibi errore caveat.

VII. Maxime ea rationis nostræ corruptio se ostendit circa res Divinas. Circa quas est *cæca*. 2. Cor. IV: 4. *obscurata*. Eph. IV: 18. *tenebræ*. Eph. V: 8. οὐ δύναται γνῶναι. 1. Cor. II: 14. Imo & ἀνόητος est. Tit. III: 3. & ἀσύνετος. Rom. I: 21. Multa sibi formare solet circa res Divinas axiomata quæ a veritate longissime sunt repulsa. Idque non illi solum faciunt qui præ cæteris stupidi censentur; sed hi maxime qui longa studiorum assuetudine sapientiæ laudem consecuti sunt. Rom. I: 22. 1. Cor. I: 19, 20. & II: 8.

VII. Maxime errare solet circa res Divinas, quamvis alioqui solertissima.

VIII. Verum quidem est, eos qui Evangelii institutione utuntur, non parum de ista ingenii rubigine deponere, ac sanioribus cogitationibus imbui. Attamen nulla externa Divinarum veritatum propositio, quantumvis clara, distincta, efficax, cæcitati huic & corruptioni prorsus tollendæ sufficit. Petro, qui jam aliquamdiu in Schola Christi versatus erat, dicebatur, Οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ. Mat. XVI: 23. Atque aliis discipulis, *o amentes & tardi corde ad credendum*. Luc. XXIV: 25. Remanent semper præjudicia adversus ea quæ Dei sunt, nulla unquam vi rationis prorsus exuenda.

VIII. Nulla externa veritatum Divinarum propositio corruptioni illi tollendæ sufficit.

IX. Ex quibus omnibus patet, Rationem hominis, uti est in statu suo naturali, adeo proclivis ad errorem, adeo obtenebrata, cæca, stulta circa res Divinas, non esse idoneam earundem arbitram, ut secundum sua de iis scita atque axiomata arbitretur: verum fidei esse, rationem ita constitutam (neque alia nunc naturaliter datur) *captivare ad suum obsequium*. 2. Cor. X: 5.

IX. Unde conficitur, rationem ita comparatam, non esse idoneam rerum Divinarum arbitram.

X. Nulla tamen alia facultas, præter rationem, est, quæ res Divinas cognoscat.

X. Cæterum Ratio, quantumvis corrupta, Ratio tamen manet, id est, ea facultas qua homo cognoscit & judicat. Adeo quidem ut homo nihil omnino, quale illud cunque sit, cognoscere & judicare valeat, nisi per rationem suam, tanquam proximum cognitionis & judicii principium & caussam. Idcirco si Divinæ res, si mysteria Religionis cognoscenda sint, non aliter id fieri potest nisi per Rationem. Ipsa fides, quum cognitio, & νόησις sit, & assensus, rationis sive mentis est operatio. Idque tam est liquidum, ut pro rationali non sit habendus qui in dubium id revocat.

XI. Ex residua sibi luce Ratio format axiomata quædam incontestatæ veritatis.

XI. Porro, non obstante ea quam adstruximus Rationis corruptione, Dei clementia ac tolerantia multas adhuc luminis sui scintillas residuas in mente fecit; quarum ope Ratio sibi format scita quædam sive axiomata, tam evidentis veritatis, ut sua luce quemvis attendentem cogant ad assensum, neque possit homo a se impetrare ut assentiatur contrario. Adeo quidem ut non tam a ratione formata, quam rationi innata esse videantur: quandoquidem homo quotiescunque de iis cogitat, semper in ea eodem modo relabitur. Atque hæc sunt quas κοινὰς ἐννοίας vocant.

XII. Atque ex iis deducit conclusiones quasdam liquidissimas: quæ recta ratio dici possunt.

XII. Sed & ea adhuc Rationi vis inest, ut ex principiis illis per se claris conclusiones quasdam ratiocinando colligat, collectione tam liquida, tam sibi semper simili, tam nusquam hiante, ut per evidentiam deductionis necessario eliciatur assensus. Atque hæc, tam principia, quam conclusiones rite ex iis deductæ, *Recta Ratio* merito dici possunt, sive Rationis, modo atque ordine agentis, vera ac certa dictamina.

XIII. Imo & Dei, per rationem docentis, dictamina.

XIII. Porro, quum Deus Rationis nostræ; omnisque, quod in ea splendet luminis, auctor sit, ipsamque Rationem ad lumine isto utendum excitet, & in recto luminis usu dirigat, quod Ratio, ita a Deo recta ac directa, secundum illud lumen docet, id ipse Deus docere censendus est. *Anima hominis lucerna, Jehovæ est.* Prov. xx: 27. Qui etiam *gentes erudit.* Psal. xciv: 10. & *agricolam docet.* Jes. xxviii: 26. Sic ut ea Rationis dictamina hactenus quoque Dei dictamina quodammodo dici possint.

XIV. Non sic tamen, ut par veritatis certitudo iis competat ac Divinis Scripturis.

XIV. Non tamen, quia Deus per communem suam providentiam Rationem hominis in veri cognitione dirigit, idcirco Rationis dictamina *sacra* dici debent *oracula*, *quibus par veritatis certitudo competat atque articulis fidei prout in Divinis exstant Scripturis.* Ratio disparitatis est evidens. Nam in hisce nihil intercedit humani: tota ea revelatio soli transcribenda Deo est, id est supremæ veritati, falli ac fallere nesciæ. In illis autem intervenit hominis ratiocinatio, quæ a Deo quidem regitur, at non ita, quin & sibi in aliquibus relinqui

&

& permitti possit. Quod a Deo est, quatenus est a Deo, non potest non esse verum. Sed in actionibus mixtis non accurate semper distinguitur, id quod proxime a Deo est, ab eo quod de nostro admiscetur. Agricolam docet Deus, ut modo ex Jesaja audivimus, modum arandi, sulcandi, occandi, triturandi; non tamen idcirco illa agriculturæ præcepta oracula sunt paris certitudinis cum articulis fidei.

XV. At supposito, ista de quibus disseruimus Rationis axiomata pro veris ac certis comperta esse, & ab ipso Deo, nobis per Rationem præformata; quum verum vero non possit esse contrarium, uti nec Deus sibi ipsi, consequens est, nunquam Deum supernaturali revelatione aliquid homini patefacere, quod repugnet veritatibus per se notis, sive rectæ rationis dictamini. Atque hactenus illa axiomata valere quodammodo pro norma possunt, ut nihil recipiatur tanquam a Deo revelatum, quod principiis natura cognitis revera contrarium sit.

XV. Hactenus vero valent, ut credatur Deum supernaturali revelatione nihil docere, quod Principiis natura notis contrarium sit.

XVI. Cæterum duo hic apprime notanda veniunt. I. Fieri sæpenumero ut homo per mentis suæ imbecillitatem aliquid pro clara & aperta veritate habeat, in quo tamen error latet & falsitas. II. Ut putet aliquid cum perspicua aliqua veritate adversa fronte pugnare, quod tamen ei amice conspirat. Observationes hasce duobus claremus exemplis.

XVI. Cavendum ne pro aperta veritate habeamus id in quo latet error.

XVII. Pro clara atque indubia veritate Socinus habet, inimicum Divinæ veritati, sanctitati atque justitiæ esse, ut ulla unquam occasione innocens pœnam nocentis ferat, & ferendo pro nocente Divinæ justitiæ satisfaciat. Ideoque quidquid universus Christianismus de Christi pro nobis satisfactione credit, pro absurdo commento habet. Adeo quidem ut scribere non erubescat: *De Servat. Part. III. cap.* VI. *Ego quidem, etiamsi non* SEMEL *sed* SÆPE *id in sacris monumentis scriptum exstaret, non idcirco tamen rem ita prorsus se habere crederem, ut vos opinamini. Quum ea quæ fieri non posse aperte constat, Divinis etiam oraculis ea fuisse in speciem attestantibus, nequaquam admittantur; & idcirco* SACRA VERBA IN ALIUM SENSUM QUAM IPSA SONANT PER INUSITATOS ETIAM TROPOS *quandoque explicantur.* Tantum valuit apud miserum mortalem præsumtus clarus ac distinctus conceptus de Divina justitia, quem tamen nos falsum esse scimus, ut maluerit arte quadam eludere Divinorum oraculorum vim, quam aliquid admittere isti suo conceptui contrarium.

XVII. Contra quam fecit Socinus.

XVIII. Porro certum apud omnes omnino Christianos est, Jesum Christum verum hominem esse, in tempore ex Maria Virgine na-

XVIII. Cavendum item, ne exi-

stimemus clara veritati repugnare, quod cum ea amice consentit: in quo peccavit Smalcius.

natum. Cum hac veritate existimat Smalcius adversa fronte pugnare assertum de vera atque æterna ejusdem Christi Deitate; atque hanc pugnam tam liquido se cum omnibus suis partiariis cernere jactat, ut in hæc verba erumpere non dubitaverit: *Homilia* VIII. *ad cap.* I. *Job. Credimus, etiamsi non* SEMEL *atque* ITERUM, *sed* SATIS CREBRO & DISERTISSIME SCRIPTUM *exstaret, Deum esse hominem factum, multo satius esse, quia hac res sit* ABSURDA, ET SANÆ RATIONI PLANE CONTRARIA, *& in Deum blasphema*, MODUM ALIQUEM DICENDI COMMINISCI, *quo ista de Deo dici possint, quam ista simpliciter ita ut verba sonant intelligere.*

XIX. *Nefas est rationi vim facere in exponendis Dei eloquiis, ut ei gratificemur in tuendis ipsius axiomatibus.*

XIX. Duo ergo hi scopuli caute atque sollicite fugiendi sunt, ut neque festinanter aliquid pro certo vel liquido habeamus, quod tale non est; neque pugnam temere statuamus ubi non invenitur. Quibus recte observatis pro certo manet, non posse aliquid Rationi obtrudi uti a Deo revelatum, quod cum manifestæ veritatis axiomatibus revera pugnet. Sed & illud non minus sollicite cavendum, ne dum videri volumus Rationi gratificari in tuendis illius axiomatis; eidem rationi revera vim faciamus in verbis Dei contra Logices, Grammatices & Rhetorices canones explicandis.

XX. *Mysteria Religionis transcendunt Axiomata Rationis.*

XX. At quem porro usum hæc Rationis axiomata circa res revelatas & sublimia Religionis mysteria habent? Id primo tenendum, Axiomata Rationis certis quibusdam circumscripta esse limitibus, ultra quos eniti non valeant; Mysteria autem fidei eos limites plurimum transcendere. Sic ut nequaquam Rationi liceat mysteria isthæc eo nomine rejicere, quod nihil unquam iis simile in suis ideis ac notionibus invenerit. I. Cor. II: 9. Certe & id Ratio docet, multa in Dei infinitate & consilio ejus latere, quæ ipsa per se assequi non possit: Deoque dignum esse ea de se revelare quæ captum nostrum superant.

XXI. *In inquirendo Divinorum verborum sensu, non est consulenda primum ratio, quid ex se de iis rebus norit; sed unice attendendum*

XXI. Supposito igitur, exstare Revelationem de mysteriis, at inquiri in sensum verborum quibus ista Revelatio mihi exponitur: non est in ista inquisitione ita procedendum, ut primo Rationem meam consulam quid ea in idearum ac notionum suarum scriniis rei de qua agitur simile aut adversum habeat, ut secundum eas quas ibi invenio notiones verba revelationis exponam, id unice operam dans, ut sensum tandem aliquem quanta maxima possum commoditate iisdem, qui istis meis prænotionibus optime conveniat. Sed attendendum est ad ipsa verba, quid in omnibus suis circumstantiis significare apta nata sint, quidque secundum Scripturæ stilum significare soleant: atque hac via reperto sensu quem verba sine torsione per se fundunt,

fundunt, secure in eo acquiescendum est, omniaque rationis scita subjicienda sunt isti sensui quem iis me verbis docet Deos. *dum, quid ipsa verba significent.*

XXII. Sumamus exemplum. Fatemur Christiani omnes, mysterium aliquod Divinum revelari Joh. 1: 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Quæritur de verborum sensu investigando. Socinus ita procedit: nihil invenit in toto rationis suæ penu quod ipsi repræsentet æternum Deum ita humanæ unitum naturæ ut ea unam cum ipso constituat personam, sic ut iste homo Deus sit, & iste Deus homo: ideoque talem conceptum absurdum Deoque injuriosum esse sciscit. Id supponit ad horum verborum explicationem se accingens: idcirco omnes ingenii sui nervos intendit, ut sensum aliquem iis applicet, qui ab isthac assertione remotissimus sit. Sollicitat verba singula, sollicitat nexum eorum, flectit, torquet, omnia agit, ne id dicere videantur quod dicunt. Nos longe aliter procedendum existimamus. Accedimus ad hanc pericopam simplici atque humili mente, audituri atque accepturi quidquid Deo nos placeat docere. Consideramus verba in nativo suo significatu, & prout passim in sacris literis usurpantur, expendimus quid λόγος notet secundum phrasim Johannis, quid γίνεσθαι, quid σὰρξ: consideramus quomodo alibi de hac re sacræ literæ loquantur. Ex his omnibus formamus sensum, quem recipimus humili fidei obsequio, firmiterque apud animum nostrum statuimus, Filium Dei humanam naturam tam arcte sibi junxisse, ut idem & Deus & homo sit: & quamvis nostra ratio nihil unquam huic rei simile invenerit, tamen eam verissimam esse, quia verba Dei hoc docent. Qui ita, uti Socinus, instituunt, eos ex suo penu multa in verbum Dei inferre necesse est: qua re ei insignis fit injuria. Qui uti nos, illi cogitationes suas ex verbo Dei hauriunt, quibus rationis suæ penum locupletent, quod Deo gloriosum est. *XXII. Quod exemplo claratur.*

XXIII. Lubet hic appingere aurea verba Baconis de Verulamio, Viri Illustrissimi, uti exstant *de Augmento scientiarum. lib.* IX. *in initio. Prærogativa Dei*, inquit, *totum hominem complectitur: nec minus ad* Rationem *quam ad* Voluntatem *humanam extenditur. Quare, sicut Legi Divinæ obedire tenemur, licet reluctetur* Voluntas; *ita & Verbo Dei fidem habere, licet reluctetur* Ratio. *Etenim si ea duntaxat credamus quæ sunt* Rationi *nostræ consentanea*, rebus *adsentimur, non* Auctori: *quod etiam suspectæ fidei testibus præstare solemus. Quanto igitur mysterium aliquod Divinum fuerit magis absonum &* incredibile; *tanto plus in credendo exhibetur honoris Deo, & fit* Victoria Fidei *nobilior.* Post pauca. *Quin etiam, si attente rem perpendamus, dignius quiddam est* credere *quam* scire, qualiter *scimus. In* scientia *enim mens hu-* *XXIII. Pulcra Verulamii observatio.*

mana patitur a sensu, *qui a* rebus materiatis *resilit*: *in* fide *autem* anima *patitur ab* anima, inquit ille, (ego malim dicere, a Dei Spiritu) *quæ est agens nobilius.*

XXIV. Et Heidani. XXIV. Addo & alterum non minus elegans ex Venerandi Heidani *Diatriba de Socinianismo, cap.* II. §. I. *Quum Fidei sit Rationi præscribere, & id facere ut ne sit opus Ratione; in contrarium evenit ut Ratio præscribat Fidei: & Fidem de loco moveat. Quum Rationis sit, etiam nulla ratione reddita, Deo credere. Cui si credas, cur ergo rationem requiris, qua efficere possit, ut non credas? Sin Rationem requiris, & quærendum putas, ergo non credis: ideo enim quæris, ut sequaris quum inveneris.*

XXV. Denique Coccejii. XXV. Nec abludunt quæ Cl. Coccejus habet in Ps. CXXXI. §. V. *Sunt quædam ita revelata ut credi debeant, intelligi vero æque ac negari non possint. Quæ scrutari, & ex sui ingenii modulo definire, est audacissimæ præsumtionis, & pœne Deum redigere in similitudinem & finitudinem rerum creatarum. Talia sunt* ἡ τριὰς, ἡ ἐνσάρκωσις τοῦ υἱοῦ, ἡ ἀναγέννησις, ἡ πρόνοια, ἡ ἐκλογὴ καὶ κρίσις &c. *In hisce omnibus Ecclesia modestiam & sobrietatem servat, acquiescens Divino testimonio, qualitatem rerum imperceptibilium non scrutans, non ambulans in eis quæ non vidit. Col.* II: 18. *Contra quidam* αὐθάδεις *& inflati carnali sapientia in illa ingrediuntur, quæ scrutari est nefas, turbantque Ecclesiam, & propter* ἀκαταληψίαν *suam divinorum mysteriorum fidem labefactant: non cogitantes se homines esse, & in terra positos esse, nec Deum comprehendere, & ne, ipsi quidem quomodo sint, aut quid sint, & quomodo vivant, intelligere.* Hæc eo adscripsi lubentius, ut tantorum Academiæ nostræ Lugdunensis Doctorum modestia junioribus pro exemplo esset.

XXVI. Fides Christiana non est stupentis animi cæca obstinatio, sed convictio rationalis. XXVI. Nec habet sane Ratio quod conqueratur, quasi hac methodo non satis sibi sit relictum negotii. Omni enim sua ἀγχινοίᾳ, omni sagacitate, in recta Divinæ mentis assecutione, & eruendo vero verborum sensu, indiget. Quantamcunque illa mentis nostræ facultas solertiam possidet, eam a se adhiberi par est, dum Deum loquentem audit, aut Divina oracula oculis usurpat; ne negligentia aliqua aut socordia sua inducatur in errorem. Fides enim Christiana non est superstitiosi aut stupentis animi cæca obstinatio; qua quis non ob aliam rationem credit, nisi quia ita vult credere. Nam profecto non est in ipsius hominis arbitrio imperare sibi fidem. Sola rei evidentia, vel probabilitas saltem, mentis assensum ad se trahit. Nemo, quantumvis nitatur, credere potest verum esse id quod liquido falsum esse cernit. Ea ad quam contendere jubemur fidei πληροφορία, est *eorum quæ non videntur* ἔλεγχος Heb. XI: I. hoc est rationalis convictio animi

per

per evidentiam demonstrationis: sive, ut alibi ait Apostolus, φανέρωσις τῆς ἀληθείας πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων. 2. Cor. IV: 2.

XXVII. Ea vero manifestatio veritatis ad conscientiam aliquando quidem est in rerum revelatarum decentia, pulchritudine, nexu cum aliis certissimis veritatibus, & magnifica θεοπρεπείᾳ, ad quam rite discernendam magna requiritur mentis attentio: sed & aliquando sita est in sola revelationis Divinæ luce, qua mens insolito prorsus fulgore perstringitur. Fieri enim potest ut homo aliquid sibi a Deo revelari persuasissimus sit; licet rei revelatæ decentiam exploratam non habeat, imo Dei rationem ignorans eam Deo indignam esse arbitretur. Vide Ezech. III: 12, 14. Act. X: 13, 14. In eo casu convictio credentis animi tandem resolvitur in testimonium supremæ Veritatis, Divinitatem suam insigni luce animo attendenti comprobans. Cujus certitudo nullis demonstrationibus Mathematicis cedit. Unde claret, in ipsa Fide excellentissimum esse Rationis exercitium.

XXVII. Per lucem Divinæ revelationis, qua animus undique illustratur.

XXVIII. Ast præterea habet quoque Fides suos λογισμοὺς, *ratiocinationes*, quibus ex verbis Dei elicit ea quæ in eorum virtute continentur. Rom. III: 28. Atque in istis suis ratiocinationibus summa sæpe solertia ac sagacitate utitur: quod Pauli in omnibus suis Epistolis, præsertim ad Romanos & Hebræos, disputationes arguunt, in quibus non minus judicii elucet acumen & argumentationis subtilitas, quam in Scholasticis Philosophorum conflictibus. Imo est ubi a tenui orsa argumento, multa ratiocinationum concatenatione ad summa quæque Fides enititur.

XXVIII. Habet & fides suos λογισμοὺς; in quibus singulari utitur sagacitate.

XXIX. Pro exemplo Nathanaël sit; qui paucula a Philippo de Jesu edoctus, quæ tamen suis quibusdam difficultatibus premebat, sed mox ad Jesum deductus, audito ex Jesu ore hoc de se elogio: *Ecce vere Israëlita in quo non est dolus*, rogavit Jesum, *unde me nosti?* Respondente autem Jesu: *Priusquam vocaret te Philippus, quum esses subter ficum, vidi te;* mox exclamavit: *Rabbi, tu es ille Filius Dei, tu es Rex ille Israëlis.* Levi, ut primo intuitu videtur, argumento. Ideone enim Filius Dei & Rex Israëlis erat Jesus, quod subter ficum vidisse se diceret Nathanaëlem? Argumento tamen bono: quianam Jesus ipse probavit, atque istam fidei ἀγχίνοιαν majoribus suæ Deitatis indiciis se remuneraturum promisit. Joh. I: 45---51.

XXIX. Pro exemplo sit Nathanaël Joh. I: 45.

XXX. Videamus itaque candidi istius pectoris in argumentando solertiam, brevioris historiæ nebulis evolutam. I. Prorsus credibile est, ficum illam, sub qua Nathaëlem invenit Philippus, eo loci fuisse positam, ubi a Christo ab isthoc quo commorabatur loco conspici per naturam non posset. Hoc primum admirationem peperit, quam valde auctam

XXX. Ex tenui indicio multa solertia maximas res colligens.

auctam fuisse oportuit, si, quod probabile, simul ei indicaverit Christus, quid sub ficu egerit, cogitaverit, desideraverit. II. Indicavit certe se arcana cordis ipsius scire: nosse sermonem quem cum Philippo clam habuisset: nosse etiam originem istius sermonis, qui non prodierit ex animo se opponente veritati, sed ex mero candore, dum id diceret, quod sacris literis putaret convenientissimum. III. Quum conscientia Nathanaëlis omnibus illis dictis Domini assentiretur, manifesta satis sequela inde intulit, Christum esse Prophetam. Conf. 2. Reg. IV: 12. Jer. XI: 18. Joh. IV: 19. IV. Porro quum eo tempore totus populus in magna exspectatione maximi illius Prophetæ a Mose promissi versaretur, ulterius argumentando conclusit, hunc, quem Prophetam esse cernebat, magnum illum Prophetam esse; præsertim si cum iis quæ ipse nunc experiebatur ea conferret quæ modo ex Philippo audiverat. V. Valde confirmari potuit argumentatio ista ex eo quod de Messia, uti illius γνώρισμα, prædictum est Jes. XI: 3. והריחו ביראת יהוה *& odoraturus est timorem Domini*. Ex ista vero mentis in unam cuncta summam colligentis ratiocinatione solido satis argumento conficitur, ex eo quod Jesus Nathanaëlem, sub ficu morantem conspexerit, atque ita allocutus fuerit, consequi primum quidem, quod Jesus Propheta sit; dein etiam, quod, Prophetis omnibus major, sit Flius ille Dei, Rex Israëlis. Conf. Joh. II: 24, 25. Quæ eo lubentius a nobis sunt observata, ut non solum pateret quantus sit rationis usus in collectionibus id genus faciendis; sed & illud constaret, non tam levia fuisse argumenta, quibus ad fidem Christi adducti sunt primi ipsius discipuli, quam externa specie videntur.

XXXI. In qua collectione attendendum Rationi est, ut omnes artis suæ regulas observet.

XXXI. Ceterum id imprimis notatu dignum est, quod in ejusmodi collectionibus omnes partes absolvat Ratio. Quæ quatenus mentis facultas est collectiones ipsa facit; easque tum demum bene facit, & bene se facere novit, quando cum suis regulis scitisque exacte consentire deprehendit: sic ut ipsa & collectionum *auctrix*, & colligendi *norma* sit. Ubi enim ita instituitur collectio ut Logicæ artis canones negligantur, evitari non potest error; & ex præmissis verissimis falsa elicitur conclusio.

XXXII. Alioqui facile incidit in errorem.

XXXII. Cujus rei exemplum præbent discipuli illi, qui quum Dominum Petro de Johanne dixisse intellexissent, *si velim eum manere donec veniam, quid ad te?* exinde colligebant Johannem non moriturum. At perperam. Non enim in ista sua collectione attendebant Canonem Logicum, enunciationis hypotheticæ veritatem non consistere nisi in nexu antecedentis cum consequente; sic ut licet antecedens falsum sit, & consequens falsum sit, tota tamen enunciatio vera esse possit

possit propter firmitatem sequelæ. Quod quum Johannes melius ceteris observasset, fontem erroris detexit: *Non dixerat*, inquit, *Jesus, non morietur, sed*, SI *velim eum manere donec veniam*, *quid ad te?* Joh. XXI: 22, 23.

XXXIII. Interim dissimulandum non est, non semper fidem Evangelii accurata ejusmodi ratiocinationum subtilitate in electorum cordibus gigni. Fuere qui subito, ac veluti Enthusiasmo quodam rapti, institutionis diligentioris exsortes, repente Christum professi sunt, tanta fidei firmitate, ut mox gravissimos pro ea cruciatus, atque ipsam denique mortem, læti alacresque subierint. Multa etiam quotidie occurrunt exempla fidelium, quorum fides affectuosissima, & consolationis ac sanctificationis feracissima est; quæ tamen nec originis suæ modum, nec firmitatis suæ rationes, argumentando probare, nedum adversus cavillantium calumnias tueri valeat. Verum in istis hominibus agnoscendus est extraordinarius Divinæ lucis fulgor, qui, veritates illas quibus assentiuntur undique circumsplendens, mentem in earum meditatione insigniter figit: licet facultatem eas ex principiis suis educendi, & cum sequelis suis deducendi, non ita largiatur. In iis itaque ipsis fides hactenus rationalis est, quod non assentiatur nisi veritati liquido cognitæ; quamvis non cognitæ ordinaria ratiocinationis via. XXXIII. *Non tam ratiocinationum subtilitate, quam Divina illustrationis valentia plerumque gignitur fides.*

XXXIV. Unde patet, Rationis humanæ multos, eosque prænobiles, usus esse, in cognoscenda, dignoscenda, probanda ac tuenda mysteriorum a Deo revelatorum veritate ac firmitudine, non modo quatenus facultatem mentis nostræ, sed & quatenus scita quædam & axiomata notat: neque tamen agnoscendam esse pro norma & amussi ad quam examinanda sint omnia Religionis mysteria priusquam recipiantur fide. XXXIV. *Epilogus.*

ANNEXUM.

PUlchre JAMBLICHUS *De Mysteriis. sect.* I. *cap.* XXI. Ἀδύνατοι ὄντες αὐτῶν οἱ ἄνθρωποι λογισμῶν τὴν γνῶσιν ἐπιλαβεῖν, νομίζοντες δὲ δυνατὸν, φέρονται ὅλον πρὸς τὰ οἰκεῖα ἑαυτὰ τῶν ἀνθρωπίνων πάθη, καὶ ἀπὸ τῶν παρ' ἑαυτοῖς τὰ θεῖα τεκμαίρονται. διαμαρτάνουσι τοίνυν αὐτῶν διχῆ, καὶ διότι τῶν θείων ἀποπίπτουσι, καὶ διότι τούτων ἀποτυγχάνοντες ἐπὶ τὰ ἀνθρώπινα αὐτὰ πάθη καθέλκουσι. *Quum homines, quod revera non possunt, posse se credant, cognitionem assequi rationum quibus sacra nituntur, abripiuntur toti ad suas ipsorum passiones, & ex istis quæ humana sunt de Divinis conjecturas fabricantur. Ab iis igitur aberrant dupliciter; & quod a Divinis excidant, & quod his omissis, ad passiones humanas Divinitatem deducant.*

EXERCITATIO XVIII.

DE CONSCIENTIA nunquam, an aliquando, errante.

BREVIARIUM.

I. Problema de Conscientia nunquam aut aliquando errante nimiis agitatum est præjudiciis, II. Conscientia cur sic dicta. III. Est facultas hominis. IV. Ipse intellectus, in ordine ad certas actiones. V. Quarum prior est notitia veri & recti. VI. Pro objecto suo habens πᾶν τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ. VII. Præcipue vero τὸ πρακτὸν quod dictat Dei nomine. VIII. Id quum recte facit, bona dicitur. IX. At fictum est hac significatione συντηρήσεως vocabulum. X. Altera conscientiæ actio est, ut judicet de factis hominis. XI. Et ex iis de statu. XII. Et Dei quidem vice, XIII. Citans hominem ad tribunal Dei. XIV. Quum tamen mens & cor hominis corrupti sit, errori quoque est obnoxia. XV. Qualis est Conscientia idoli, infirma, & inquinata. XVI. Et male ædificata. XVII. Cujus judicium ab ignorantia non est excusandum. XVIII. Conscientia alterius alicujus, secus ac Pauli conscientia judicans, male judicavit. XIX. Distinctio inter judicium Animi & Conscientiæ. XX. Non videtur solida. XXI. Conscientia non semper officio suo recte fungitur; non certe ea quæ est κεκαυτηριασμένη. XXII. Nec idcirco non est conscientia, quia destituitur scientia. XXIII. Quod illustratur exemplo. XXIV. Scripturæ locutiones nostris consentaneæ. XXV. Conscientia non bene informata, an norma sententiæ sit, aut non sit. XXVI. Simile a Viro Docto allatum. XXVII. Quid sit Conscientia inquinata. XXVIII. Quæ ex præscripto Dei de rebus judicat uti sunt, non videtur ob eam rem inquinata dici posse. XXIX. Neque res Dei puras impuras homini efficere. XXX. Non magis contradictorium est dicere Conscientiam errantem, quam sapientiam pervertentem. XXXI. Non quia conscientia aliquando errat, idcirco nulla certa alicujus rei cognitio est. XXXII. Neque propterea nulli errori obnoxia est, quia Dei est vicaria, cui nemo sine crimine possit esse immorigerus. XXXIII. An recte dicatur, conscientiam non magis errare quam Arithmeticam aut Geometriam.

XXXIV.

XXXIV. Conscientia non est lex inscripta cordi; sed cor, cui inscripta est lex.



EX iis quæ crebra disputationum reprocatione hoc seculo ventilantur, nonnulla profecto talia sunt, ut ad accuratiorem veritatis elucidationem plurimum conducant: modo eâ, quam semper adhiberi oportebat, placidi animi æquitate tractentur. Quæ tamen eadem si in contentiosos inciderint disputatores, & solito litigantibus æstu agitentur, in inutiles abeunt λογομαχίας, & quasi noxium utrinque subesset virus, gravibus aliquando hæresios, imo & Atheismi, premuntur sequelis. Hoc, ut alibi, ita & isto quod nunc tractandum suscepi Problemate, AN CONSCIENTIA NUNQUAM, AN ALIQUANDO ERRET, usu venisse comperi. Fuerunt enim, qui omnem Conscientiæ errorem negantibus PELAGIANISMI impegerunt crimen. Nec defuerunt, qui conscientiæ aliquando errores agnoscentibus, exprobrarunt, quod ISTHOC FACTO CERTISSIME ATHEISMO ET SCEPTICISMO PATERET JANUA. Quæ disputandi ratio quum a meis moribus per quam aliena sit, res tamen ipsa consideratione sua sit dignissima, facile a me impetrari passus sum, ut animi quoque mei sententiam candide exponerem; sed placide, ac modeste, &, si possim, ordine atque perspicue: rem ipsam paullo altius exorsurus; ut omnis, quantum fieri potest, vitilitigandi præscindatur materia. **I. Problema de Conscientia nunquam aut aliquando errante nimiis agitatum est præjudiciis.**

II. CONSCIENTIA tria dicit. I. *Cognitionem veri & falsi, honesti & turpis.* II. *Actum* mentis *reflexum*, quo scimus nos eam cognitionem habere. III. *Respectum ad alium, cum quo* cognitionem eam *communem* habemus. Est enim Conscientia *communis scientia.* Nempe partim cum *aliis hominibus*, quoad *jus*; omnibus enim creaturis rationalibus easdem generales recti bonique rationes dictat Conscientia. Partim *secum* tanquam cum *alio*: sæpe enim contra hominem illiusque cupiditates testatur. Sed potissimum *cum Deo*: συνείδησις Θεοῦ. 1. Pet. II: 19. Job. XVI: 19. *Et nunc ecce in cœlis testem meum, & conscium meum in excelsis.* **II. Conscientia cur sic dicta.**

III. Conscientia solet in sacris proponi ut *facultas* hominis. Vocatur COR. 1. Joh. III: 20, 21. 1. Cor. IV: 5. Rom. II: 15. Jer. XVII: 1. Eccles. VII: 22. & MENS. Rom. XIV: 5. Est & ubi adjungitur menti, ut ejusdem cum ea naturæ: Tit. I: 15. denique ipsa hominis ANIMA dicitur Prov. XX: 17. **III. Est facultas hominis.**

IV. Non est tamen facultas ab *intellectu* & *voluntate* realiter distincta, sed ipse *intellectus in ordine ad certas actiones.* **IV. Ipse intellectus, in ordine ad certas actiones.**

V. *Actio-*

V. Quarum prior est notitia veri & recti.

V. *Actiones* conscientiæ potissimum *duæ* sunt. I. *Notitia veri & falsi, recti & pravi*, quam homo cum *Deo*, ut cum *auctore* & *exemplari*, communem habet: ita quidem ut de vero, quando id debite videt & cognoscit, dubitare non possit. III. *Notitia suorum actuum*, ut conscius sit sibi homo, & *quid* egerit, & *quo modo*; & *status sui ex actibus*, ut cognoscat, num amoris & gratiæ, num odii & iræ Divinæ objectum sit.

VI. Pro objecto suo habens πᾶν τὸ γνωςὸν τῦ Θεῦ.

VI. Respectu prioris conscientia pro objecto suo habet πᾶν τὸ γνωςὸν τῦ Θεῦ, quod quomodocunque Deus in homine manifestavit, sive per *revelationem supernaturalem*. Nam & revelata habent φανέρωσιν πρὸς πᾶσαν συνείδησιν. 1. Cor. IV: 2. Quia comperiuntur arcte cohærere cum iis veritatibus quæ per se homini notæ sunt, & sapientiam sublimem Deoque dignam continere. Est enim hæc Conscientiæ vis, ut non possit homo non assentiri iis, quæ vera esse ei demonstrantur.

VII. Præcipue vero τὸ πρακτὸν, quod dictat Dei nomine.

VII. Sed maxime conscientia dictat homini τὸ πρακτὸν Rom. II: 14, 15. *Gentes legem non habentes sibi ipsis sunt lex. Ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis. Una testimonio reddente ipsorum conscientia.* Idque *Dei nomine*. Ps. XXVII: 8. לך אמר לבי *tuam vicem dicit mihi cor meum.* Hinc deus dicitur מסר גוים, *qui erudit gentes, & qui docet homines scientiam.* Psal. XCIV: 10. intus nimirum, per dictamen conscientiæ. Adeo quidem ut non possit homo quicquam bene agere nisi de bonitate rei agendæ ἐν ἰδίῳ νοῒ πληροφορηθεὶς, firmiter persuasus id Deo esse gratum. Rom. XIV: 5.

VIII. Id quum recte facis, bona dicitur.

VIII. Huc pertinet 1. Tim. I: 5. *Charitas ex bona conscientia*: id est, qualem & quantam dictat conscientia, sive animus considerans regulas justitiæ, natura notas, & verbo Dei notificatas. Et vers. 19. *qui repellunt bonam conscientiam*, dum non δοκιμάζυσι τὰ διαφέροντα καὶ τὸ θέλημα τῦ Θεῦ. Rom. II: 18. XII: 2. ad fidem pervenire non possunt. Itemque 1. Pet. II: 19. *Si quis patiatur propter conscientiam Dei*: quia quicquid obnitatur mundus, non audet aliter agere atque conscientia Dei nomine dictat.

IX. At fictum est hac significatione συντηρήσεως vocabulum.

IX. Hujus officii ratione conscientia a Recentioribus quibusdam συντήρησις dicitur. Sed observante *Coccejo* ad 2. Tim. I. §. XV. fictum id vocabulum est, quo nec Scriptura utitur, neque alius bonus auctor, nec vulgus, in illa significatione, ut notet notitiam recti & contrarii: cujus notionis exemplum non invenitur in Lexicis.

X. Altera conscientiæ actio est, ut indicet de factis hominis.

X. Alterum conscientiæ officium est, ut observet, indicet, judicet, *facta* hominis, & ex *iis statum* coram Deo. De *factis* judicat num *gesta* sint. Rom. IX: 1. Joh. VIII: 7. & num *bene gesta*, 1. Cor. IV: 4. 2. Cor. I: 12. Huc refero Act. XXIV: 16. *Interea vero ipse me exerceo,*

exerceo, ad conscientiam habendam sine offensa, apud Deum & apud homines semper: Id est, animum qui nihil mihi scelerati, hypocritici, pravi exprobret; sed contrà sinceritatis, virtutis, sanctimoniæ testimonium præbeát. Similiter 2. Tim. 1:3. *munda conscientia* dicitur quæ testatur de munditia animi & operum. Nam prout ea comperit, vel *accusat*, vel *excusat*. Rom. 11:15.

XI. Ex *factis*, non tam *singulis*, quam eorum *tenore*, arbitratur de suo *statu* coram Deo. Secundum Deut. VI:25. *Et Justitia erit nobis*, id est signum boni status, & juris ad vitam æternam, *si observantes fecerimus omnia hæc præcepta, coram Jehova Deo nostro.* Et 1. Joh. III:7, 8. *Qui exercet justitiam, justus est, qui dat operam peccato, ex diabolo est.* XI. *Et ex iis de statu.*

XII. Quicquid dictat & arbitratur id facit *nomine Dei*, illiusque vicem: vel saltem id præ se fert. Ideoque omni conscientiæ dictamine hactenus obligatur homo ut nihil contrarium sine peccato queat facere. Involvit enim talis actio manifestum Numinis contemtum, cujus vocem dehortatoriam peccator in corde vel audit revera, vel saltem se audire putat. XII. *Et Dei quidem vice.*

XIII. In omni suo judicio de *factis* vel *statu*, *citat* hominem ad *Dei Tribunal*, ibi ulterius judicandum, & quidem secundum judicium conscientiæ. 1. Joh. III:20, 21. *Nam si nos condemnet cor nostrum, nempe Deus potentior est corde, & novit omnia. Si cor nostrum nos non condemnet, libertatem loquendi habemus apud Deum.* XIII. *Citans hominem ad Tribunal Dei.*

XIV. Non tamen ex his inferre cogimur, quod *conscientia errare non possit.* Quum enim animæ nostræ *facultas* sit, ipsaque hominis *mens* & *cor*: omnes autem facultates nostræ post lapsum errori obnoxiæ sint, & homines in sacris describantur תועי רוח *errantes spiritu* & נמהרי לב *præcipites corde*, qui nimis cito decernunt ac definiunt. Jes. XXIX: 24. XXXII: 4. quo privilegio excipitur conscientia? XIV. *Quum tamen mens & cor hominis corrupti sit, errori quoque est obnoxia.*

XV. Paulus ipse satis docet conscientiam posse errare. 1. Cor. VIII:7. *Sed non in omnibus est ea cognitio: nonnulli enim cum* CONSCIENTIA IDOLI *usque ad hoc tempus, ut idolis immolatum edunt, &* CONSCIENTIA *eorum* INFIRMA, *quum sit*, INQUINATUR. Quid ibi *Conscientia Idoli*? Audiamus *Cocceji* expositionem: Conscientiam idoli habere, est *judicare per Idolorum nomen contaminari res ab Idololatris, ut non liceat Dei cultori ea re uti frui; idque propter præceptum datum Israëli.* Nota, *judicium* hoc *conscientiæ* attribui: & tamen esse *erroneum.* Rursum, quid *conscientia infirma*? *Quæ non permittit homini, quod permisit ipsi Deus, destituta cognitione libertatis Christianæ.* Num ea errat an rectum dictat? Denique quid *Conscientia inquinata*? *Quæ* XV. *Qualis est conscientia idoli, infirma, & inquinata.*

hominem condemnat, ut peccato, & communione idoli, & idololatriæ participatione inquinatum. Quod tamen non esset homo, si non ederet cum conscientia idoli. Quot verba, tot argumenta ad evincendum conscientiæ errorem: quem initio indicat Paulus, dicens, *non in omnibus esse cognitionem*, hoc est, non omnium conscientiam bene esse informatam.

XVI. *Et male ædificata.*

XVI. Novum argumentum suppeditat versus 10. *Conscientia illius qui infirmus est, ædificatur*, (ironice) e statu non optimo ad pejorem deturbatur, *ad Idolothytum comedendum:* nempe *ut conscientia ipsius quod bonum esse testari non potest, testetur bonum esse, Idolothyta comedere.* Iterum sunt *Cocceji* verba ad 2. Tim. 1: §. XVI. An in tali testimonio conscientiæ male ædificatæ non est error?

XVII. *Cujus judicium ab ignorantia non est excusandum.*

XVII. Equidem observavi quod notat Celeberrimus Interpres; *concurrere hic judicium conscientiæ, & ignorantiam. Ignorantiam, quod præceptum de Idolothythis vitandis tam accurate, ut qui comederit Idolothytum, quum non prius diligenter inquisiverit, per ea polluatur, sit certi temporis. Conscientiæ dictamen, præceptum Dei servandum esse.* At hæc mihi subtilia magis videntur quam solida. Si enim nihil aliud ad conscientiæ dictamen pertineat quam hoc unum, servandum esse præceptum Dei, quomodo ea conscientia dicitur *conscientia idoli*, & quomodo *conscientia infirma?* Nisi error ille, ignorantia illa, in conscientia ut in subjecto sit, quæ ratio dici potest cur ab illis ἡττήμασι conscientia denominetur? Accurate itaque loquendo, in dictamine talis conscientiæ est aliquid *veri*, nimirum parendum esse mandato Dei; est & aliquid *erronei*, videlicet mandatum Dei adhuc obligare ad tam sollicitam Idolothyti fugam.

XVIII. *Conscientia alterius alicujus, secus ac Pauli conscientia judicans, male judicavit.*

XVIII. Et quid manifestius, efficaciusque in hanc rem eo quod exstat 1. Cor. x. vers. 28: 29. *Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius illius. Cur enim libertas mea damnatur ac alia conscientia?* Paulus opponit ibi duas conscientias? quarum altera pro libertate judicat, altera contra eam. Altera judicat, idolum non habere vim polluendi cibos a Deo homini Christiano ad manducandum concessos, ideoque non esse sollicite inquirendum an Deo aut Deæ alicui consecrati fuerint: & recte judicat. Altera ex adverso judicat, abstinendum omnino tali cibo esse; ideoque edentem monet ne edat. Hic suadet Paulus, ut Christianus pius ac prudens, dictamine conscientiæ suæ bene informatæ contentus, usu libertatis suæ tantisper supersedeat, ne sine caussa judicetur, id est condemnetur, ab alterius conscientia, utique erronea, & condemnante quod bonum, vel certe licitum est.

XIX.

XIX. Audio Viros doctos monentes, *diligenter distinguendum esse inter opinionem hominis & JUDICIUM ANIMI, & JUDICIUM CONSCIENTIÆ. Non enim omne quod sentit homo, vel opinatur, vel judicat, est judicium conscientiæ. Nam in opinione & sententia hominis potest versari ignorantia & ἀσυνεσία, & sic error. Vid. Rom.* I: 21. *Non quidquid judicat homo, id ex conscientia judicat. Sed quod omnibus probe consideratis cum scientia judicat. Non potest esse conscientia, ubi non est scientia.* Cocc. Sum. Th. cap. XXII. §. XV. *XIX. Distinctio inter judicium Animi & Conscientiæ.*

XX. Sed licet nobis opponere considerationes nostras. Secundum phrasin Scripturæ *conscientia* nihil aliud est quam hominis *animus* in quantum judicat de faciendis & fugiendis; & velim mihi vel unum e sacra pagina monstrari textum ubi *judicium animi circa τὰ πρακτὰ a judicio conscientiæ distinguatur.* *XX. Non videtur solida.*

XXI. Officium quidem conscientiæ est, ut non judicet nisi cum scientia, probe consideratis omnibus: sed non semper omnes officii sui regulas conscientia observat. Sane tunc non, quando est κεκαυτηριασμένη. I. Tim. IV: 2. Tum enim *ratiocinationibus fallacibus a remorsu ad stuporem traducta*, uti bene V. C. ad Jes. XIV. §. LXXXIV. omittit hominem officii sui rite commonefacere. *Tales*, sic pergit Magnus Auctor, *sunt Libertini post Valentinianos, omnem metum peccati* (*quasi per mortem Christi omne peccatum indifferens factum esset*) *excludentes, & solam opinionem peccati, & quod fit cum opinione peccati, peccatum judicantes.* *XXI. Conscientia non semper officio suo recte fungitur; non certe ea quæ est κεκαυτηριασμένη.*

XXII. Nec idcirco desinit esse conscientia, quia destituta est solida scientia. Datur enim conscientia, uti modo vidimus, *infirma*, id est hæsitans, cespitans, circa ea quæ cognoscenda erant: quam eodem hoc capite. §. X. ita describit Theologus Celeberrimus. *Est conscientia Præcepti Divini & timoris ac honoris Deo debiti*, DESTITUTA COGNITIONE DONATÆ LIBERTATIS. Nota, ipsi conscientiæ attribui ignorantiam, (hanc enim eandem esse puto cum destitutione cognitionis) & sic ἀσυνεσίαν atque errorem. Adde quæ habentur *ad Eph* IV. §. 103. *Disce, conscientiam, lucem Dei, posse in homine obscurari, ne eum redarguat, ut brutus fiat.* *XXII. Nec idcirco non est conscientia, quia destituitur scientia.*

XXII. Illustremus rem exemplo; & fingamus hominem pium viventem durante œconomia legali. Illius animus dictabit ipsi observandas esse cerimonias, & dictabit recte, & vocabitur conscientia. Sed pone interim promulgari libertatem Christianam, de qua ille non satis informatus est, pergit sibi idem animus dictare quod olim; & male nunc dictat; quæ caussa dici potest cur idem ejusdem animi di- *XXIII. Quod illustratur exemplo.*

ctamen modo conſcientiæ tribuatur, nunc neſcio cui rei a conſcientia diverſæ?

XXIV. *Scripturæ locutiones noſtris conſentaneæ.*

XXIV. Utut ſit, tota diſputatio tam calide agitata, in frigidam λογομαχίαν recidit: id enim ſolum quæritur, utrum animus judicans circa τὰ πρακτὰ, ſi fortean male judicet, conſcientia dici mereatur. At quantillum hoc eſt? Et ſic tamen puto nos Scripturam pro nobis habere. Nam Paulus *conſcientiam* vocat eam quæ alterius libertatem injuſte damnat.

XXV. *Conſcientia non bene informata, an norma ſententiæ ſit, aut non ſit.*

XXV. Novi aliquem qui dicit, *conſcientiam illam quæ nondum informata eſt de libertate, non debere eſſe normam ſententiæ ſuæ, ut ſecundum eam de aliorum factis judicet.* Sic enim loquitur vernacule: quam eleganter & concinne, nunc non examinabo. At nullam, quantumvis mediter, rationem excogitare poſſum, cur conſcientia, quæ nulli errori obnoxiam ſe eſſe poſtulat, minus norma ſit judicii de *aliorum* factis, quam de *ſuis*. *Imo*, inquit, *conſcientia clare dictat, non eſſe judicandum temere, omnium minime de fratribus, hominibus ſpiritualibus, idque in iis rebus quæ a ſolo Dei beneplacito pendent.* Verum, inquam ego, ſi conſcientia, ad quam nulla adhuc cognitio libertatis Chriſtianæ pervenit, homini dictet obſervanda adhuc eſſe illa dogmata, quæ olim præcepit Deus (quod conſcientiam dictare in tali caſu, Vir ille doctiſſimus adſeverat) non poteſt temerarium judicium ei conſcientiæ videri, quo arbitratur fratres ſuos, quantumvis ſpirituales, eadem ſecum lege teneri. Quandoquidem non dictat conſcientia, eos qui ſub eadem œconomia vivunt, diverſo jure uti.

XXVI. *Simile a Viro Docto allatum.*

XXVI. Inſtat Vir Eximius, rem eam declarari poſſe exemplo. *Ponamus*, ait, *exercitui alicui, ab Imperatore in mandatis datum eſſe ut confligat cum hoſte. Quod dum facit receptui canitur. Qui id audiunt a pugnando deſiſtunt; remotiores, qui non audivere, perſequuntur hoſtem. Utrique mandato Imperatoris hactenus parent.* Nolo vexare ſingula. Hoc unum notari velim; eos omnes qui putant ſibi ex mandato Imperatoris perſequendum eſſe hoſtem, non poſſe non ignaviæ apud animum ſuum accuſare eos, qui gladium vagina condentes paſſis manibus conquieſcunt.

XXVII. *Quid ſit Conſcientia inquinata.*

XXVII. Præterea ſcire aveo, qua arte eludi poſſit illa Pauli pericopa. Tit. 1:15. *Inquinatis autem & infidelibus nihil eſt purum, ſed inquinatæ ſunt ipſorum & mens & conſcientia.* Vidi equidem Celeberrimi Interpretis verba allegari, quaſi ea ſufficientem totius difficultatis ſolutionem exhiberent: ſed quid futurum eſt, ſi quis ſepoſita auctoritate rem ipſam urgeat? Nimirum, ut præclare Magnus Interpres, *ſignificat Apoſtolus, peccatum hominem facere impurum: &, quum homo*

per

per peccatum impurus est, tum etiam res Dei ei per peccatum impuras esse, i. e. tum hominem usu rerum Dei purarum, tanquam impurarum, inquinari & pollui. Quia peccatum facit hominem injustum, sive adimit ei jus utendi rebus Dei. Videmus ergo, quid sit *inquinatio hominis*, scilicet *peccatum.* Pergamus: quid est *inquinatio mentis?* Iterum id dicat idem Interpres: MENS IMPURA EST, *quia non amant veritatem, neque eam cognoscunt; sed tenebras amant. Mens enim significat hic quod nomine* ANIMÆ, SPIRITUS, CORDIS, *notari solet, nempe* διάνοιαν & θέλημα. Optime. Unum nunc restat exponendum; quid est INQUINATIO CONSCIENTIÆ? Hic sudat cum Magistro suo Vir quidam doctissimus, & comminiscuntur multa; sed doceri exopto, si *inquinatio hominis* infidelis, *peccatum* sit; si *inquinatio mentis*, etiam *peccatum* sit; quæ caussa dici possit, cur *inquinatio conscientiæ* non pariter sit *peccatum?* Quum enim de *homine*, de *mente*, de *conscientia* idem prædicatur; singularem aliquam & vægrandem rationem esse oportet, ob quam idem prædicatum alio sensu intelligendum sit, quando *conscientiæ*, quam quando *homini* aut *menti* attribuitur. Quod quum nulla discriminis nota monuerit Apostolus, velim discrimen illud non dictari, sed, quod fieri oportet, certo argumento demonstrari.

XXVIII. Sed audiamus quid per *conscientiam inquinatam* intelligant. I. Eam *quæ non est bona, sive quæ hominem excusat, neque exhilarat.* II. *Quæ non potest non judicare ipsos impuros esse, & non habere per quod purificentur.* III. *Quæ non potest non terrere & incutere pavorem.* Perpendamus hæc recte. Conscientia hæc omnia faciens contra hominem peccatorem, officio suo probe fungitur, agit id quod justum, pium, sanctum est, quodque a Deo jussa est agere. An quia *sancte*, & *ex Dei præscripto* agit, *inquinata* dici meretur? Idque eodem anhelitu quo *homo improbe* agens, quo *mens impie* judicans, *inquinati* esse dicuntur? Cogor fateri, hæc captum meum superare. **XXVIII. *Quæ ex præscripto Dei de rebus judicat uti sunt, non videtur ob eam rem inquinata dici posse.***

XXIX. Non minus id quod dicam observatu dignum esse videtur. Res Dei homini impuræ sunt, quia ipse per peccatum impurus est, & quia mens ipsius per peccatum impura est. Tantum enim est peccati venenum, ut inficiat ea omnia quæ peccator contingit. Hæc solida, plana, & facilia intellectu sunt. Sed non æque planum est, quomodo *conscientia pie sancte judicans*, res Dei puras, impuras homini efficiat. Bene quidem judicat, eas impuras esse peccatori, si id judicet: sed non ideo impuræ sunt quia id judicat. Tales eas esse vere judicat, quia tales sunt. **XXIX. *Neque res Dei puras impuras homini efficere.***

XXX. Atque ita nunc meam de hac re, quæ communis est passimque recepta, sententiam firmavi. Ne grave cuiquam sit, si præ- **XXX. *Non magis contradicto-***

vium est dicere conscientiam errantem, quam sapientiam pervertentem.

cipua secus sentientium argumenta examinem. Opponunt ergo, in vocabulo ipso esse manifestam contrarietatem: *Nam conscientiam errantem non magis dicere convenit, quam scientiam errantem; quum scientia non sit nisi veritatis.* Respondeo, vitreum id acumen esse, quod dum pellucet frangitur. Facultas hæc a scientia nomen habet, quia percipit, arbitratur, judicat, quomodocunque, sive bene, sive male. Etiam cum fallit, scientiam prætendit, illiusque specie agit. Confer. Jes. XLVII: 10. *SAPIENTIA TUA, ET SCIENIA TUA IPSA PERVERTIT TE.* Matth. VI: 23. *SI LUMEN QUOD IN TE EST TENEBRÆ SUNT.*

XXX. *Non quia conscientia aliquando errat, idcirco nulla certa alicujus rei cognitio est.*

XXX. Inst. *Si erraret conscientia, nulla esset in homine certa ullius rei cognitio.* Resp. Quidni eadem sequelæ necessitate dixerim, si errat intellectus aliquando, non erit ulla intellectui certa ullius rei cognitio? Imo, inquiunt, *Ratio* non magis errare potest quam *Conscientia*, quoties *clare aliquid, ac distincte percipit.* At quid illud est, *Clare ac distincte percipere?* Est, inquiunt, rei alicui nihil adtribuere, nisi quod ei liquido adtribuendum est, & nihil de re aliqua negare, nisi quod liquido negandum est. Cæterum quum omnis error in eo situs sit, quod neganda adfirmentur, aut adfirmanda negentur; si dicam non errare me quando aliquid clare ac distincte percipio, perinde est ac si dicerem, secundum hanc explicationem, non errare me quando non erro. At vero in eo sæpenumero errat Ratio, quod existimet se aliquid clare ac distincte percipere, quum tamen contra sit. Sane Apostolus quum Rom. XIV: 5. monet ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω; per *mentem*, uti constat, *conscientiam* intelligens, innuit, & errorem posse esse in conscientia, qui admonitioni huic occasionem det, & certitudinem, ad quam jubet eniti.

XXXII. *Neque propterea nulli errori obnoxia est, quia Dei est vicaria, cui nemo sine crimine possit esse immorigerus.*

XXXII. Porro urgent, non posse non ab errore immunem esse conscientiam, *quam quis communem cum Deo habet, quæ sua dictata nomine Dei proponit*, & cui *nemo sine crimine potest esse immorigerus.* At explicemus singula. Homo sua facultate cognoscente circa eadem versatur quæ Divinæ quoque cognitionis objecta sunt. Sed *Deus*, modo qui se dignus est, id est, perfectissimo, ac sine modo: *homo*, modo humano, id est, imperfecto; *homo peccator*, valde defectuose, propter eas tenebras quibus obfuscata ejus mens est. Idcirco nihil impedit, quo minus ea scientia, quam homo peccator communem cum Deo habet, suo defectu, suo vitio laboret. Porro, *Dei nomine* proponit sua, quia eam Deus tanquam sui *vicariam* in hominis mente constituit. At postquam per peccatum omnia in homine corrupta sunt, non consequitur, eam quæ Dei vicaria est, partibus semper

suis

ſuis rite defungi, nihilque dictare niſi quod juſſa eſt. Quia tamen Dei prætendit nomen, donec conſtat falſo id prætendi, palam eſt violati Divini Numinis reum eſſe, qui conſcientiæ ſuæ dictamini refragatur.

XXXIII. Denique id quoque alicubi invenio: *Error circa ipſa principia veri & boni non magis conſcientiæ adtribui debet, quam perverſa approbatio infandorum criminum in gentilibus dici debet opus legis inſcriptum cordibus ipſorum. Uti in artibus certiſſimis, puta Geometricen, vel Arithmeticen, facile eſt ut quis per errorem exiſtimet ſe bene menſuraſſe, non tamen idcirco errat Geometrice vel Arithmetice.* Cæterum ſi ea ratio quidquam valeat, conſcientia non eſt conſideranda ut aliqua hominis *facultas*, ſed notabit *axiomata* a Deo menti humanæ indita, eritque ipſa Dei *lex* cordibus hominum inſcripta. Sane ſic definit toties laudatus Interpres: *Conſcientia eſt ea inſita homini lux, an lex, per quam cognoſcit Deum, ac quæ ſecundum imaginem Dei, & contra eam ſunt.* Ad 2. Cor. II. §. LXXII. Huccine ergo redibit tota diſputatio, an Lex Dei conſcientiæ inſculpta unquam inducat hominem in errorem? At quis de eo dubitavit mortalium? Tantine idcirco movendi fuere fluctus, ut nihil diceretur, niſi quod creditum dictumque eſt ab omnibus? & quod dici ex iis quæ dicuntur vix intelligi poteſt?

XXXIII. *An recte dicatur, conſcientiam non magis errare quam Arithmeticam aut Geometriam.*

XXXIV. Cæterum an cum Scriptura & Ratione Recta illi Conſcientiam vocant, quod aliis eſt Lex naturæ & Notiones æqui ac boni? Non putem. Nam uti probatum in antecedentibus, Scriptura conſcientiam vocat, *cor, mentem, animam*, quæ ab inſita ſibi *luce* & *lege* diſtinguenda ſunt. Lex eſt inſcripta cordi, ſive conſcientiæ, non conſcientia ipſa. Adde, quod attributa conſcientiæ, *infirmitas, impuritas, mundatio, lætitia*, τὸ ἀπρόσκοπον, τὸ κεκαυτηριασμένον, atque id genus plura, *facultati* alicui bene conveniant, *notioni* aut *legi* non conveniant. Qua ſermonis concinnitate, qua mente, de luce aut lege nobis inſita dici poteſt, *purificari eam ab operibus mortuis?* Ex his, niſi fallor, palam eſt, nos quando de Conſcientia, uti de Facultate, eaque aliquando errante loquimur, Scripturam, ac Rationem ducem habere.

XXXIV. *Conſcientia non eſt lex inſcripta cordi; ſed cor, cui inſcripta eſt lex.*

EXER-

EXERCITATIO XIX.

DE EFFICACIA ET UTILITATE BAPTISMI, IN *Electis fœderatorum parentum infantibus.*

BREVIARIUM.

I. *Quæstio de Baptismi efficacia modeste tractanda est.* II. *Fœderatorum infantes insigni gaudent prærogativa.* III. *Omnesque ut electos intueri licet, donec contrariis se indiciis produnt.* IV. *Quod Apostolus docuit* 1. *Cor.* VII: 14. V. *Sanctitas fœderalis infantium, sufficiens fundamentum pædobaptismi est.* VI. *Qui tamen nullam obsignat gratiam, nisi electis.* VII. *Quamvis contrarium sentientibus, & omnibus rite baptizatis gratiam quandam Baptismalem attribuentibus, Pareo, Roberto Baronio, Augustino & Prospero.* VIII. *Nec abludente Forbesio.* IX. *Et valde urgentibus Davenantio & Wardo,* X. *Non videtur agnoscenda communis gratia, quæ infantibus ad salutem sufficiat, sed ad salutem non certo ducat.* XI. *Nec remissio peccati originalis, a qua sejuncta sit aliorum peccatorum remissio.* XII. *Neque veri nominis regeneratio, quæ terminari queat morte æterna.* XIII. *Promissiones fœderis gratiæ proprie ad electos pertinent, neque omnes conditionatæ sunt.* XIV. *Idcirco de Baptismi efficacia in infantibus electis, præcipue quæsitio est.* XV. *Quæ indubie in valida significatione & obsignatione bonorum fœderis consistit.* XVI. *Circa quam rem tria enucleanda restant.* XVII. *Bona Fœderis Baptismo obsignata, sunt* 1. *Communio cum Christo.* XVIII. 2. *Peccati ablutio.* XIX. 3. *Regeneratio.* XX. 4. *Emersio ex omnibus hujus vitæ calamitatibus, & resurrectio ex morte.* XXI. *Horum ad Baptismum hic videtur esse ordo, ut communio cum Christo Baptismum antecedat.* XXII. *Ut & remissio peccati originalis.* XXIII. *De ordine regenerationis, quadruplex est Theologorum sententia.* XXIV. *Modestiæ litare videntur, qui nullum certum ei determinant temporis articulum.* XXV. *Attamen regeneratio locum habere potest in infantibus.* XXVI. *Et habet revera.* XXVII. *Imo*

absolute

absolute iis ad salutem necessaria est. XXVIII. Liberum Deo manet regenerationis gratia donare non baptizatos. XXIX. Nec improbabile est, quod ordinarie eam gratiam faciat fœderatis, qui in infantia moriuntur. XXX. Gisbertus Voetius omnes infantes fœderatorum electos in infantia regenerari putat, sive adolescant, sive non, idque ante ipsorum Baptismum. XXXII. Liturgia Belgica regenerationem Baptismo praestruit. XVXIII. Amyraldus infantes, ut regenerationis incapaces, in futuram sanctificationem baptizari contendit. XXXIV. Tollitur verborum ambiguitas. XXXV. Prooemia futuræ sanctificationis, quæ in quibusdam infantibus sunt, ad Spiritum sanctificantem referenda esse, negat Amyraldus. XXXVI. Quod refellitur. XXXVII. Observationes Amyraldi ad Johannis Baptistæ exemplum. XXXVIII. Calvini argumenta in contrarium. XXXIX. Qui tamen sibi non ubique constat. XL. Quamvis rationem non habuerit a sententia recedendi. XLI. Heroica Johannis indoles, non ab aliqua *virtute Spiritus Sancti, sed ab illius plenitudine erat. XLII. Argumenta eorum qui regenerationem, ipso Baptismi momento, ordinarie infantibus conferri pugnant. XLIII. Quod tamen Scripturæ testimonia, ab ipsis laudata, non asserunt. XLIV. Eorum vera mens. XLV. Patrum dicta adultorum Baptismum præcipue respiciunt; ad quem regeneratio prærequiritur. XLVI. XLVII. Regeneratio quæ Baptismo acquiritur, Sacramentalis est, distincta a Reali, quæ præsupponitur. XLVIII. Nam & Patrum nonnulli Baptismum regenerationis typum ac symbolum dixerunt. XLIX. Liturgiæ Gallicæ mens ex sententia Molinæi. L. Et Calvini. LI. Ipsoque illius contextu. LII. Denique & collatione cum Liturgia Belgica. LIII. De Theologorum consentientium numero. LIV. Cum Augustanæ confessionis Theologis controversia super hac re Reformatis est. LV. Disputationis istius conclusio. LVI. Baptismi efficacia tota moralis est, & in valida obsignatione consistit. LVII. Pædobaptismi utilitas respectu parentum. LVIII. Respectu infantium, quum adolescunt. LIX. Imo & in ipsa infantia. LX. Lutheranorum de Baptismi efficacia opinio. LXI. Reformatis passim improbata. LXII. A qua tamen non abhorret Ludovicus le Blanc. LXIII. Juriei elogium. LXIV. Ejus de Baptismo sententia. LXV. Cum suis firmamentis. LXVI. Scriptura non docet vim effectivam Baptismi, quæ ab efficaci obsignatione distincta sit. LXVII. Non Paulus. LXVIII. Nec Ananias. LXIX. Nec Petrus. LXX. Patres in re sacramentaria hyperbolicis locutionibus luxuriant. LXXI. Neque juvari possunt, nisi be-*

nigna interpretatione. LXXII. Theologorum numero infeliciter pugnatur. LXXIII. Jurieo opponitur Burmannus. LXXIV. Illiusque sententiam priscæ & recentioris Ecclesiæ praxis refellit. LXXV. LXXVI. LXXVII. LXXVIII. LXXIX. Sicut & multis premitur incommodis. LXXX. Orthodoxi omnes in re ipsa consentiunt; dissensus de modo & tempore est. LXXXI. Qui tanti momenti non est, ut hæresin introducat, vel Ecclesiæ pacem turbare debeat. LXXXII. Male nobis hanc discrepantiam objicerent Pontificii plus ipsi discrepantes.

I. Quæstio de Baptismi efficacia modeste tractanda est.



DE BAPTISMI CHRISTIANI EFFICACIA ET UTILITATE IN ELECTIS FOEDERATORUM PARENTUM INFANTIBUS, ardua imprimis & abstrusa quæsitio est; multaque curiosarum disputationum subtilitate, uti olim, ita & nuperrime, vexata. Cui elucidandæ, ad distinctiorem veritatis cognitionem, & fraternæ concordiæ pacisque Ecclesiasticæ arctiorem conglutinationem; an opella hæc nostra inservire idonea sit, periti & æqui Lectoris arbitrium esto. Neminem hic certe offendent, vel partium studium; vel odiosa alicujus sententiæ, nedum personæ, exagitatio; vel æstuantis animi impetus; vel verborum acrimonia; vel quæcunque tandem προσωποληψία: quarum ego rerum caussas omnes procul habeo. Indignum esse existimo hominibus sapientiæ studium professis, indignissimum vero Theologis, si in rebus quæ controversæ mentis sunt dissensum suum, non nisi aculeato sermone, aut atramento quod multo felle tinctum est, testari queant. Mihi veritati sacræ, & eruditioni solidæ, nihil amicius esse videtur, quam spiritus lenitatis ac mansuetudinis. Et si quæ unquam habenda scribendave erit disputatio, alta repositum mente sedet, æternumque sedebit, divina illa Pauli Apostoli monela ΑΛΗΘΕΥΕΙΝ ΕΝ ΑΓΑΠΗ.

II. Fœderatorum infantes insigni gaudent prærogativa.

II. Ita autem commentationem istam instituam, ut ab iis quæ simpliciora ac clariora sunt exorsa oratio, in abstrusiorum atque intricatiorum elucidationem, &, pro mea copia, solutionem, desinat. Atque hoc quidem primo loco mihi sumo, tanquam rem Orthodoxis omnibus confessam; quamvis tutum non sit Divinorum consiliorum arcana curiosius rimari, deque æterna infantium, infantili ætate morientium, sorte multa definire; insignem tamen eorum infantium prærogativam esse, quibus, Divina dispensatione, iis parentibus nasci contigit, quos salutari fœderis sui communione dignata summi Numinis bonitas est.

Quæ

Quæ enim Abrahamo facta est promissio, ero Deus tuus, & Deus seminis tui post te; eam melioris fœderis introductione revocatam, arctioribusve limitibus circumscriptam fuisse, cogitatu nefas est. Præsertim, quum Petrus, lætissima illa Pentecoste, auditoribus suis inculcaverit, non ipsis solum, sed & liberis ipsorum factam esse gratiosi Spiritus promissionem. Et Dominus Jesus allatos ad se fœderatorum infantes ulnis exceperit, imposita manu benedixerit, preces pro iis fuderit, prædicaverit denique talium esse regnum cœlorum. Quæ testimonia, alibi fusius exposita, nunc vindicare nihil attinet.

III. Omnesque ut electos intueri licet, donec contrariis se indiciis prodant.

III. Non tamen eo usque hæc extendenda esse videntur, ut omnes piorum parentum liberi Divina destinatione ad salutem ordinati esse censeantur. Constat enim, tam indubitatis sacrorum voluminum monumentis, exemplisque extra controversiam positis, quam experientia quotidiana, contingere sæpiuscule, ut optimis etiam prognata soboles in pessimam adolescat indolem, in exitium suum prave pertinax. Verum tamen eam piis parentibus fiduciam fecit Deus, ut infantes suos, tanquam Dei per gratiosam adoptionem filios, intueri iis liceat; donec provectiores facti contrariis se indiciis prodant: utque de eorum in infantia morientium salute securi esse queant, non minus quam olim Abrahamus & Isaacus.

IV. Quod Apostolus docuit 1 Cor. VII. 14.

IV. Atque hoc puto Paulum voluisse, quum scripsit 1 Cor. VII: 14. *maritum infidelem sanctificatum esse in uxore, & uxorem infidelem sanctificatam esse in viro: alioqui*, sic pergit, *certe liberi vestri impuri essent; nunc autem sancti sunt.* Credibile est Apostolum eo respexisse, quod Judæi vulgo existimabant eos qui alterutro parente gentili nati essent pro immundis habendos esse; unde factum legimus, Ezræ ac Nehemiæ ævo, ut, quos e matre gentili susceperant, eos una cum matre a se abigere juberentur. Isto scrupulo conjuges Christianos teneri Paulus vetat, monens eam partem quæ Christianam fidem necdum suscepit, hactenus quodammodo sanctificari per alteram partem credentem, ut illius incredulitas impedire non possit, quin liberis eo matrimonio ortis attribuatur competentia promissionis fœderalis. Atque ista mente *sanctos* eos dicit: non tam sanctitate absoluta & inhærente, quæ in morali perfectione sita est; quam sanctitate relativa & fœderali, cujus toties in Veteris Instrumenti libris mentio est. *Nimirum veluti sanctitas personarum in populo Israëlitico duplex fuit. Una communis, secundum quam populus ille universus secretus erat a reliquis omnibus populis, ut esset Dei fœderatus & consecratus. Atque ea de caussa appellabatur gens sancta, quum reliqui populi profani essent. Altera magis specialis, & eorum propria qui ex munere aliquo cultui Divi-*

Divino in Tabernaculo vacabant: quamobrem sancti peculiari quadam ratione nominabantur, quemadmodum & sancta erant omnia vasa quæ sacris usibus inserviebant. Omnino autem ad alterutram specierum istarum sanctitatis respexit Apostolus, ut significaret, vel sepositos esse liberos fidelium a Deo in eum finem ut sint olim veluti vasa quædam ipsius cultui destinata: vel secretos a communi conditione reliquorum infantium, ut faciant partem populi Dei fœderati. AMYRALDUS de Pædobaptism. Thes. XIV. Sed & amplius aliquid huic rei subesse videtur, quod brevi & perspicuo sermone exposuit COCCEJUS ad Quæst. LXXIV. Catechesios Palatinæ. *Significatur*, inquit, *non solum externa sanctitas, quod non sint concepti & nati ut filii gentilium, de quibus certa præsumtio est, eos cum lacte materno impietatem ad exitium esse bibituros; sed etiam quod jure sperare possimus, eos a teneris sanctificatum iri, ita ut, quum cœperint judicare, sint judicaturi verum, & id amaturi, Spiritu Dei benedicente parentum institutioni. Quod si autem in infantia moriantur, ut sancti & membra Christi, salvi futuri sint. Quod ut credamus facit promissio, quæ ut Abrahamo, ita omnibus credentibus, est data, Jehovam non tantum ipsi, sed & semini ipsius, velle esse Deum, hoc est sanctificatorem, & justificatorem.* Confer Summ. Doct. de Fœd. cap. XIII. §. 454.

V. Sanctitas fœderalis infantium, sufficiens fundamentum Pædobaptismi est.

V. Porro ista fœderalis sanctitas sufficit parentibus, ut infantes suos ad sacrum Baptismi lavacrum offerant; sufficit Ecclesiæ Ephoris, ut eosdem oblatos mystici fontis aqua tingant. Charitas enim jubet infantes ejusmodi singulos, ut dilectos Deo liberos considerare, ipsiusque Dei familiæ adnumerare, donec contrarium pessima indole pravisque facinoribus demonstrent. Prædestinationis autem æternæ altitudo & profunditas vetant, ne in illius abdita justo curiosius inquiramus. Sane nihil impedit, quo minus fœderis signum ac sigillum in eos conferamus, quos pro fœderatis Dei agnoscere par est; reservata interim Deo occultæ prædestinationis suæ libertate. Nobilissimus Vir, ROBERTUS BODIUS A TROCHAREGIA, Theologus gravissimus, postquam hoc Pauli dictum accurato commentario illustrasset, ita porro infit: *Nec tamen interea Dei gratiam & misericordiam erga infantes fidelium sic parentum fidei alligamus, ut ullum liberæ & arcanæ ejus electioni præjudicium faciamus; qui tam ex infantibus quam ex adultis fidem actu profitentibus, novit qui sint sui, eosque sigillo sibi soli cognito habet obsignatos. Sed hoc tantum asserimus, ex Dei voluntate, in fœdere suo gratiose patefacta, nobis constare, infantibus, ad hoc ut ad Baptismum admittantur, & Ecclesiæ Christi membra censeantur, donec in annos maturiores adoleverint, idem prorsus esse ac valere (ad nostrum judicium quod attinet) e piis parentibus nasci, vel natos esse, quod adultis fideique capacibus fidem*

Ad Eph. p. 762.

hanc profiteri. Cæterum de ipso Pædobaptismo illiusque fundamentis, alibi a nobis copiosius disputatum est.

VI. Notandum interim, si strictissimum Baptismi jus consideretur, non nisi electis id competere in rei veritate, & judicio Dei; quod veritati semper consentaneum est. Etenim quum Baptismus signum & sigillum illius fœderis sit, quo bona salutiferæ gratiæ, & quæ certum cum æterna vita nexum habent, fœderatis suis addixit; consequitur, eos qui nullum ad bona fœderis jus habent, aut habituri unquam sunt, nullum etiam coram tribunali Dei jus habere ad sigillum fœderis. Administri quidem sacrorum, quibus ex solo charitatis judicio circa singulos agendum est; electos a non electis distinguere ignorant; atque hactenus nihil peccant, si & eos fortasse sacris adspergant limphis quibus eæ stricto jure non debentur. Talibus tamen nihil confert Baptismus, quod vere bonum sit: nullam gratiam, nullam salutem significat aut obsignat; non magis quam ceræ frustum, eleganti quidem charactere insignitum, at appensum chartæ puræ, cui nihil inscriptum & inscribendum est; aut, si mavis, appensum chartæ tam vægrandibus ubique maculis fœdatæ, ut nihil boni inscribi queat. Omnis itaque efficacia, omnis utilitas salutaris Pædobaptismi in electis quærenda infantibus est. Optime Robertus Episcopus Sarisburiensis, adversus Thomson cap. VII. *Sacramenta, prout sigilla sunt gratiæ, & promissionis divinæ; ita in illis tantum vim suam spiritualiter exserunt, qui sunt filii promissionis, & hæredes gratiæ.* *VI. Qui tamen nullam obsignat gratiam, nisi electis.*

VII. Non desunt, fateor, & ii quidem maximi nominis Theologi, qui hæc paullo aliter digerunt: regenerationem, & justificationem aliquam statuentes, quæ in legitimo Baptismi usu, omnibus omnino fœderatorum infantibus, significetur, imo & conferatur; at quæ cum salute nullum certum nexum habeat: quippe qua excidere possunt suo vitio ubi adoleverint. Pareus, contra Bellarminum lib. II. de Justif. cap. XIV. ad rationem secundam, docet, *omnes Ecclesiæ infantes per Baptismum justificari, & regenerari per Spiritum Sanctum, pro modulo ætatis suæ: salvo tamen Dei consilio, quod adulta ætate se patefacere solet.* Quem sequitur Robertus Baronius, Philosophus & Theologus acutissimus. Disput. de Origin. Peccat. Sect. XIV. Nec abludit Forbesius. Instruct. Hist. Theol. lib. X. cap. XVI. Ubi Augustini quoque & Prosperi sententiam laudat, statuentium omnes infantes baptizatos justificari, adeoque eis remitti peccatum originale in Baptismo: eo tamen discrimine, quod *Augustinus* remissionem tantum revocabilem, & infallibiliter revocandam concedebat infantibus reprobis; *Prosper* *VII. Quamvis contrarium sentientibus, & omnibus rite baptizatis gratiam quandam Baptismalem attribuentibus, Pareo, Roberto Baronio, Augustino & Prospero.*

vero ajebat, esse irrevocabilem. *Si autem post Baptismum recedat a Christo, & alienus a gratia finiat hanc vitam, in perditionem cadere: non tamen in originali peccato damnari, sed propter postrema crimina ea morte affici, quæ illi, propter ea quæ remissa sunt, debebatur.*

VIII. *Nec abludente Forbesio.*

VIII. FORBESIUS ipse mentem suam exponit sect. CII. satis accurate & subtiliter: ad propositam quæstionem de effectu Baptismi in parvulis, ita respondens: *Vocatio & justificatio bifariam considerantur; vel secundum propositum & præscientiam Dei; vel secundum tenorem fœderis Dei. Non pugnant ista inter se sed varie distinguuntur. Nam propositum Dei occultum est: fœdus prædicatione Evangelii patefactum est. Propositum absolutum est: fœdus conditionatum est. Propositum est infallibiliter efficax, & effectum reddit quidquid proposuit; at fœdus per hominis illud respuentis ingratitudinem sæpe violatur, & res fœdere promissa non evenit. Sacramenta sunt instituta, non ut sint sigilla propositi, vel præscientiæ Dei, sed ut mediante fœdere nos etiam ducant ad propositum. Neque plus signant sacramenta, quam verbo fœderis promissum est.* Hactenus *Forbesius.*

IX. *Et valde urgentibus Davenantio & Wardo.*

IX. At subtilissime omnium ista executus est JOHANNES DAVENANTIUS, olim Anglicanæ Ecclesiæ nomine ad Synodum Dordracenam legatus, dein Episcopus Sarisburiensis; Theologus solido judicio, multaque eruditione præditus. Is in Epistola ad SAMUELEM WARDUM, suum quondam in ista legatione Collegam, postmodum in Academia Cantabrigiensi Professorem celeberrimum, contendit, infantibus omnibus rite baptizatis sanguinem Christi applicari ad remissionem peccati originalis: unde consequenter docet, omnes tales infantes non solum quodam modo adoptari & justificari, sed & regenerari atque sanctificari. Eam tamen justificationem, regenerationem, adoptionem, quam concedit competere infantibus baptizatis, non esse univoce eandem cum illa justificatione, regeneratione, adoptione, quam, in quæstione de perseverantia sanctorum, nunquam amitti defendimus: attamen ad id esse validam, ut conferat ipsis statum salutis, PRO RATIONE PARVULORUM; adeo ut parvuli ante usum rationis morientes, per istam suam justificationem, regenerationem & sanctificationem, revera æternum serventur. Sed quod parvulis ad salutem sufficit, non credit sufficere adultis. Adeoque illos qui in adultiore ætate pereunt, non impleto Baptismi voto, non amittere statum salutiferum, quem habuerunt pro conditione infantulorum, sed amittere statum infantilem, quo mutato cessat esse sufficiens ad salutem adulti, quod ex ordinatione Divina sufficiens erat ad salutem parvuli. Vide LE BLANC, Disp. de Usu & Efficacia Sacramentorum T. N. Sect. XXXVII. & seq.

Confer

Confer Voetium. Disput. Select. part. II. pag. 409. Eodem fere recidit sententia D. du Brais, Professoris Salmuriensis, quam oppugnatam a du Bosc, vindicatam a se, videre est in Epistolis du Bosc, Epistolis duabus postremis.

X. Non videtur agnoscenda communis gratias qua infantibus ad salutem sufficiat: sed ad salutem non certo ducat.

X. Quis neget, hæc subtiliter & docte a Viris eruditissimis ita disputari? Mihi tamen, si quod res est dicere liceat, non videntur satis solida: & dum in eo toti sunt Viri æquissimi, ut difficultates quasdam e medio tollant, in alias se induunt quæ prioribus non multo sunt leviores. Primo enim, quo Scripturæ dicto probabunt, sanguinem Christi homini alicui ad remissionem peccati originalis, imo ad justificationem quandam, regenerationem & adoptionem, applicari, tali applicatione quæ pro certo statu ad salutem sufficiat; qui tamen homo non Christo a Patre æterna destinatione datus, ut Christus personam illius in munere mediatorio sustineret, pro eo satisfaceret, & salutem mereretur? Applicatio sanguinis Christi, imo & ejusdem fusio, omniaque beneficia inde redundantia, non nisi secundum Divinam voluntatem ordinantur. Hæc autem est voluntas Patris, ut quos dedit Christo eorum Christus sustineat personam, non aliorum; pro iis sanguinem suum fundat, non pro aliis; iis sanguinem suum applicet, non aliis; eos denique non in eo solum statu collocet, quo servari possint, sed & reapse servet, ac *det iis vitam æternam.* Joh. VI: 38, 39. Atque hac voluntate Dei & Christi sanctificantur, quotquot ad salutem sanctificantur. Hebr. X: 9, 10.

XI. Nec remissio peccati originalis, a qua sejuncta sit aliorum peccatorum remissio.

XI. Porro exponi mihi velim, quænam illa sit peccati originalis remissio, quæ sejuncta esse potest a remissione peccatorum actualium. Omnis vera peccati remissio in satisfactione Christi, pro isto peccato, fundatur. Non satisfecit Christus pro aliquo peccato quod non in se receperit. Non recepit in se peccata nisi electorum. Eorum enim personam duntaxat gessit. Et quorum unum debitum in se recipiendo suum fecit, eorum debita recepit omnia. Non enim aliquorum personam ex parte gessit, ex parte non gessit: pro aliquo uno debito sponsor aut expromissor factus, pro aliis non factus. Unde hæc duo consequuntur; primo peccati originalis remissionem sanguine Christi nemini nisi electo impetratam esse: deinde cui impetrata est remissio peccati originalis, eidem & cæterorum peccatorum remissionem impetratam esse. Utrumque autem doctissimorum Virorum hypothesi adversatur. Et qualis tandem est hæc peccati originalis in Baptismo remissio? An conditionata, ut *Augustinus*; an absoluta, ut *Prosper* volebat? Si illud, qui fit, ut satisfactio Christi pro isto peccato, quæ utique absoluta, omni-

omnibusque suis numeris perfecta est, non nisi conditionatam, id est, valde imperfectam, remissionem meruerit? Si istud: itane Christus, aliquorum hominum debita partitur; ut unum eorum ipse suo sanguine expungat, cætera omnia iis luenda relinquat? Hæc ex Scripturis non didicimus.

XII. Neque veri nominis regeneratio, quæ terminari queat morte æterna.

XII. Sed & hoc attendendum est: quod omnis veri nominis regeneratio sita sit in infusione vitæ spiritualis, saltem quoad ejus initium, & actum, ut vocant, primum. Vita spiritualis nemini in peccatis mortuo infunditur, nisi ex merito mortis Christi. Vita quam Christus morte sua meruit immortalis est: respondet enim isti vitæ, quam consecutus fuisset Adamus, si integritati suæ addidisset constantiam. Et fluit ex Spiritu vitæ Christi suscitati ex mortuis: qui uti ipse semel mortuus iterum mori non potest; ita nec secunda mors in eum dominabitur, qui per Spiritum vitæ Christi suscitatus est ex prima. Idcirco non agnoscimus regenerationem aliquam per sanguinem Christi, quæ sufficere alicui queat ad vitam æternam, sed & eadem queat æterna morte terminari. Quicunque renascitur ex Spiritu, eo ipso intrat in regnum cœlorum; & statum gratiæ primum, tum & gloriæ. Aliam regenerationem sacræ literæ nesciunt.

XIII. Promissiones fœderis gratiæ proprie ad electos pertinent, neque omnes conditionatæ sunt.

XIII. Fatendum equidem est quod *Forbesius* monet, Baptismum, ut & cætera sacramenta, sigilla esse non tam arcani Divini propositi, quam revelati fœderis gratiæ. Sed & illud observandum, fœdus gratiæ non esse nisi executionem æterni consilii Dei; & justitiam fidei, cujus sigilla sacramenta sunt, & quæ fœdere promittitur, non esse nisi electorum. Neque hoc prætereundum, quod cum maxime ad hanc rem facit; promissiones fœderis gratiæ, si in suo complexu omnes simul sumantur, non conditionatas, sed absolutas esse. Nam quod, uti conditio ad ultimi finis summique boni fruitionem prærequisita considerari potest, id ipsum se hoc fœdere daturum pollicetur Deus. Jer. XXXI:31, 32, 33. & XXXII:39, 40. Ratio est, quia promissa istius fœderis fundantur in satisfactione & meritis Christi; qui non vitam modo æternam suis meritus est, sed & omnia ista sine quibus ea vita obtineri nequit.

XIV. Idcirco de Baptismi efficacia in infantibus electis præcipue quæstio est.

XIV. Ex quibus omnibus conficitur, Baptismo non significari atque obsignari, multo minus conferri, omnibus fœderatorum infantibus communem aliquam justificationem, regenerationem & sanctificationem; quæ ipsos ante rationis usum in statu salutis collocet, non sufficiat ad salutem postquam adoleverint: aut remissionem peccati originalis, sive revocabilem, sive irrevocabilem. Sed omnem efficaciam Baptismi, quæ statum salutis, etiam pro ratione istius ætatis, importet, solis electis

electis infantibus esse propriam. Unde Orthodoxis, de efficacia Baptismi disputantibus, si non unice, certe præcipue, inquirendum est, quid ille electis infantibus conferat, quibus, secundum judicii Divini exactitudinem, solis ad eum jus est.

XV. Quæ indubie in significatione & obsignatione bonorum fœderis consistit.

XV. At qua tandem in re efficacia illa consistit? Ab eo incipiamus quod simplicissimum est. Quum Baptismus, fatentibus Orthodoxis omnibus, signum & sigillum gratiosi fœderis sit, signi autem & sigilli usus sit significare & obsignare, consequens est ut per Baptismum bona fœderis significentur & obsignentur infantibus electis tanquam ad ipsos pertinentia. Atque hoc quidem generatim sic dictum adeo est perspicuum, nulla ut ampliore declaratione & confirmatione indigere videatur.

XVI. Circa quam rem tria enucleanda restant.

XVI. Tria tamen huic insunt assertioni, specialius enucleanda. I. Quænam illa gratiosi fœderis BONA sint, quibus obsignandis Baptismus singulariter inserviat. II Quem ea ad Baptismum ORDINEM habeant. III. Quæ denique illius OBSIGNATIONIS RATIO, & quanta EFFICACIA sit.

XVII. Bona fœderis Baptismo obsignata, sunt. 1. Communio cum Christo.

XVII. BONA quæ Baptismo obsignantur præcipue hæc sunt. Primo. Generatim, COMMUNIO CUM CHRISTO, & corpore ipsius mystico, & consequenter jus ad participationem omnium bonorum ejus. Hoc intuitu dicimur *in Christum baptizati*, Rom. VI: 3. Gal. III: 27. & *per unum Spiritum in unum corpus baptizati*, I. Cor. XII: 13. & *per Baptismum servati*. Tit. III: 5. Communio ista cum Christo ad minimum importat, ut baptizatus infans credatur Christo a Patre datus, a Christo redemtus, per Christum hactenus saltem Deo reconciliatus, ut peccatum ei suum nunquam ad pœnam imputandum sit. Quamvis enim natura sit filius iræ, destinatione tamen est filius gratiæ. Sed & amplius aliquid subesse puto. Ea quæ memoravimus omnia electis omnibus conveniunt: iis etiam qui extra communionem fœderis nascuntur. Cogitandum itaque est de actuali unione infantium cum Christo per Spiritum gratiæ, operantem quidem modo occulto, nobisque inexplicabili, efficientem tamen ut revera membra sint corporis ipsius mystici, & jus habeant ad omnia beneficia capitis, ordine & statuto tempore in ipsos conferenda.

XVIII. 2. Peccati ablutio.

XVIII. Alterum bonum est PECCATI ABLUTIO. Act. XXII: 16. Sordes autem peccatorum considerari possunt, vel respectu reatus, qui maculæ est annexus; atque ita auferuntur per remissionem, quæ justificatio dicitur: vel respectu ipsius maculæ, sive deformitatis spiritualis, & difformitatis imagini Dei; atque ita tol-

luntur per gratiam Spiritus sanctificantis. Utrumque obsignatur Baptismo. De Priori Petrus concionatur Act. II: 38. De posteriori Paulus scribit Eph. v: 26, 27. Utrumque junctim proponitur I. Cor. VI: II. *Sed* ABLUTI *estis*, *sed* SANCTIFICATI *estis*, *sed* JUSTIFICATI *estis in nomine Domini Jesu*, *& per Spiritum Dei nostri.*

XIX. 3. Regeneratio.

XIX. Ablutio itaque peccati etiam peccati mortificationem complectitur, ne vivat amplius & regnet. Rom. VI: 6. Mortificatio peccati est vivificatio & REGENERATIO animæ peccatricis, quæ non nisi notione aliqua & respectu a mortificatione peccati distinguitur. Atque istam quoque Baptismo obsignari, ex eo constat, quod Baptismus vocetur *lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.* Tit. III: 5. Regenerationis nomine intelligitur, infusio vitæ spiritualis, quæ nascitur ex supra a nobis laudata communione Christi mortui, & ex morte suscitati. Ea autem vita considerari potest, vel quoad primum sui initium, quando adhuc in mera consistit facultate, sive intrinseca animæ constitutione, qua apta nata est, positis ponendis, actiones exserere quæ Deo in Christo gratæ sunt; vel quoad sui progressum, quum vitalibus actionibus Deo se & hominibus probat. Qua de re alibi a nobis prolixe actum est.

XX. 4. Emersio ex omnibus hujus vitæ calamitatibus, & resurrectio ex morte.

XX. Porro significatur & obsignatur Baptismo felix emersio ex omnibus hujus vitæ calamitatibus, beataque omnium hujus seculi difficultatum superatio; atque adeo ipsa RESURRECTIO gloriosa ad vitam æternam, ad exemplum Christi Domini. Conf. I. Pet. III: 20, 21. Rom. VI: 3-9. Omnia hæc, & si quæ iis sunt annexa, significantur & obsignantur baptizatis infantibus, & quidem cum ea bonorum & graduum excellentia quæ Novo Testamento propria est. Et hactenus Orthodoxi consentiunt.

XXI. Horum ad Baptismum hic videtur esse ordo, ut communio cum Christo Baptismum antecedat.

XXI. At quem ORDINEM omnia ad Baptismum habent? Palam est ea quæ de superandis hujus vitæ calamitatibus beataque resurrectione dicta sunt, significari & obsignari in futurum. Communio cum Christo & corpore ipsius mystico in electis infantibus Baptismum antecedere videtur; saltem judicio charitatis. Pædobaptismo enim uti fundamentum substruitur. Hoc quippe argumento passim pugnatur ab Orthodoxis: ad quos pertinet fœdus gratiæ, & communio Christi, atque Ecclesiæ, & quorum est regnum cœlorum, eos oportet baptizari. Atqui hæc omnia infantibus electis, & fœderatis competunt. Operæ pretium est iterum BODIUM audire, graviter de hac re dissertantem. Ad Eph. pag. 756. 757. Is Romanæ Ecclesiæ Doctores in gravissimo errore versari autumat, quum statuunt baptizandos, priusquam hoc signaculo

culo obſignentur, Chriſti membra non eſſe, ad ejus corpus & communionem non pertinere, ſed tum demum e poteſtate Diaboli liberari, inque Chriſti familiam tranſire; quod & ipſi ſuo exorciſmo ſatis teſtantur, dum infantes fidelium baptizandos, tanquam arreptitios & a diabolo obſeſſos, & infeſſos exorcizant. *Quæ ſententia*, inquit, *ſi vera eſſet, ſequeretur primo, Chriſtianorum liberos, haut minus ac Turcarum, Judæorum & Ethnicorum, a Baptiſmo arcendos eſſe, donec ſuam ipſi fidem poſſent per ætatem profiteri: nulla enim ratio eſt cur iis ſigillum fœderis imprimatur, quibus cum fœdere ipſo nihil eſt negotii. Deinde vanam & irritam eſſe fœderis ipſius formulam, qua Deus ſe non noſtrum tantum, ſed & ſeminis noſtri Deum fore profitetur. Atqui hi ſemen fidelium ſic a fœdere Dei excludunt, ut illud idem tamen ad fœderis ſignaculum admittant, atque ita perverſiſſime ſibi contradicunt.* Hactenus *Bodius*. Sane ſi fidelium libeberi ante ſuum Baptiſmum non debeant conſiderari uti communionem cum Chriſto & Eccleſia habentes, neceſſum eſt eos conſiderari uti qui tantiſper ſub ira Dei, ſub poteſtate diaboli, & in ſtatu condemnationis ſunt; certe quoad præſentem ſuum ſtatum, non differant ab aliorum quorumcunque liberis, qui a Dei fœdere ſunt alieniſſimi. Quum enim nullus ſtatus detur intermedius; qui Chriſti nondum eſt; eum tantiſper Satanæ eſſe oportet. Neque ullum hactenus diſcrimen facit infantium electio. Quæ quamdiu in ſola arcana Dei deſtinatione conſiſtit, nullam introducit realem ſtatus differentiam. Epheſii quos Divina ſua Epiſtola Paulus decoravit, electi quidem erant in Chriſto Jeſu ante jacta mundi fundamenta; antequam tamen per Evangelii præconium efficaciter vocabantur, haut ſecus ac cæteri cives ſui, quorum nomina libro vitæ inſcripta nunquam fuerunt, illo tempore abſque Chriſto erant, abalienati a civili ſtatu Iſraëlis, extranei quod ad pactorum promiſſiones attinet, ſpem non habentes, & abſque Deo in mundo. In quam conditionem ut electos fidelium infantes ante ſuum Baptiſmum redigam, ab animo ſane meo impetrare non poſſum.

XXII. Si autem ante Baptiſmum ſuum communionem cum Chriſto habeant, uti habere probatum eſt; idem ſtatuendum videtur de remiſſione peccati originalis: quippe quæ ex participatione fœderis gratiæ, & communione Chriſti proxime fluat. Quod pulcherrima ratiocinatione exſecutus eſt MOSES AMYRALDUS, Diſp. de Pædobaptiſm. §. XVIII. *Quandoquidem*, inquit, *demonſtravimus Dei fœdus ad liberos fidelium pertinere; cujus rei participes eſſe poterunt, quæ ex eo manat, ſi omnino non ſunt idonei quibus peccatum originale remittatur? Deinde, dono oblato non privatur, niſi qui illud reſpuit. Reſpuere autem infans* *XXII. Ut & remiſſio peccati originalis.*

 donum

donum remissionis dici nequit. Repudiatio enim fit per aliquem mentis actum, qui in infantibus nullus est. Atque id ipsum hic usu venit, quod in reliquis actionibus. Nam si quod agens appellatur ad id quod pati aptum natum est, nihilque sit in patiente quod agentis efficacitatem resistentia sua repellat, omnino consequens est ut in patiente recipiatur. Sed & illud mihi sequi videtur: si infans secundum gratiosam declarationem Divinæ benevolentiæ fœderatus Christoque unitus sit, virtute nativitatis suæ ex parentibus fœderatis, etiam antequam Baptismi aqua tingatur; nihilque impediat quo minus Deus remissionem peccati originalis, proxime ex isto fœdere fluentem, offerat; vero consentaneum est, non exspectare Deum in ea oblatione Baptismi cerimoniam. Præsertim quum ritus iste oblationi jam factæ obsignandæ perquam idoneus sit. *Non est ergo Baptismus aqua absolute necessarius infanti ad reconciliationem & receptionem in gratiam;* QUUM RECONCILIATIO BAPTISMUM ANTECESSERIT. MOLINÆUS Disput. de Nec. Baptis. part. I. §. XXXIV.

XXIII. De ordine regenerationis, quadruplex est Theologorum sententia.

XXIII. At de ordine regenerationis major est difficultas. Quadruplicem hic invenio Theologorum sententiam. Nonnulli regenerationem diversis temporum articulis dispensari putant, aliquando ante, aliquando in, aliquando post Baptismum. Alii Baptismo præstruunt. Alii in futuram regenerationem infantes baptizari docent, quod in præsenti illius non sint capaces. Multi denique in ipso Baptismi actu & momento infantibus regenerationem ordinarie a Deo conferri pugnant. Singulorum rationes videamus, atque æqua lance trutinemus.

XXIV. Modestia litare videntur, qui nullum certum ei determinant temporis articulum.

XXIV. Non alligari Deum in salutaris gratiæ suæ dispensatione ullis temporum articulis, omnes fatebuntur, quotquot supremum ejus in omnes & omnia dominium, qua par est reverentia, venerantur. Id solum quæritur, quid ipse de hac re pro summa libertate sua se statuisse, vel verbo suo revelaverit, vel experientia manifestum faciat. Non una semper Deum semita procedere, tam infantium, quam adultorum respectu, HIERONYMUS ZANCHIUS opinatur. In Com. ad Eph. V. Digress. de Baptismo. cap. III. §. XXXI. *Tam infantium quam adultorum, alii ante Baptismum donantur spiritu fidei, eoque & Christo inseruntur, ac remissionem peccatorum consequuntur, & regenerantur: alii non ita, sed in Baptismo iis bonis donantur.* Consentit AMESIUS, in Bellarmino enervato. Tom. III. Disput. XIV. Quæst. III. *Deum tamen quibusdam, dum baptizantur, habitum vel principium gratiæ infundere, non negamus. Verum potest Deus, vel ante, vel post Baptismum, eandem gratiam communicare.* Eodemque fere modo FRIDERICUS SPANHEMIUS Pater, Dub. Evang. Part. III. Dub. XXVII. §. VI.

§. vi. *Servit Baptismus regenerationi, vel antecedenti in adultis, vel subsequenti in infantibus; & vim suam exserit, quandoque in præsenti, quandoque in futuro, pro diversa Dei dispensatione.* Profecto modestiæ litare videntur, qui nullis actionum Divinarum libertatem limitibus circumscribunt, quos clarum non est ipsum sibi fixisse.

XXV. Quibus regeneratio infantium, Baptismum antecedere videtur, ii hoc fere modo instituunt. Per regenerationem eam Dei gratiam intelligunt, qua primo-primum vitæ spiritualis principium homini cæteroquin spiritualiter mortuo infunditur. Principium illud vitæ concipiunt ad modum facultatis alicujus, quam non necesse est semper actuosam esse, nisi subjectum constituatur in terminis habilibus. Sicuti in homine recens nato principium vitæ rationalis est, sine quo ne homo quidem esset; & sicuti, post protoplastorum lapsum, in homine qui ex corruptis parentibus nascitur, principium moralis corruptionis, & vitæ vitiosæ est; licet neutra facultas actibus se suis exserat, vel exserere possit, antequam ad eam ætatem pervenerit homo quæ rationis est capax: eodem ferme modo concipiunt principium vitæ spiritualis in infante, per quod in eo statu collocatur, ut, quum ratione sua utetur, accedente excitatione & influxu Divini Spiritus, aptus natus inveniatur eas edere actiones quæ Deo gratæ sunt. At non melius illud dixero quam verbis Celeberrimi Spanhemii, modo a nobis laudati. U. S. §. xii. *Principii vero & radicis fidei capaces esse infantes, liquet, tum ex principio ratiocinationis, cujus capaces pariter sunt, etsi non ratiocinationis; tum ex conditione infantium, qui ex Adamo prognati fuissent, siquidem is perstitisset in integritate primava: quibus quippe puritas originaria, & principium ac radix assentiendi omni Dei verbo, ab utero inhæsisset, quæ se cum ætate exseruisset; tum ex opposita radice peccati, quæ in infantibus latet.* Rursus §. xiii. quum objecisset sibi ἀκατάληπτον esse, quî gratia sanctificans reperiri possit in infante; respondet: *non magis hoc ἀκατάληπτον, quam quî vel puritas originaria esse potuisset in infantibus ex Adamo integro prognatis, si ille perstitisset in sua integritate; vel quî peccatum, non tantum quoad reatum, sed & quoad corruptionem inhærentem, esse possit in infantibus ex Adamo corrupto prognatis; vel quî principium rationis aut risibilitatis lateat in infante,* &c. At maxime illustrari hæc res potest exemplo Christi, qui, quum in rebus omnibus fratribus suis similis factus sit, excepto peccato, ætate sua infantili actualis ratiocinationis non magis capax fuit, quam quivis alius infans. Præpeditio enim facultatis ratiocinatricis, quo minus actiones sibi consentaneas edat, in infante non ex vitio morali est, sed proficiscitur ex naturali constitutione organorum cor-

XXV. Attamen regeneratio locum habere potest in infantibus.

poris, & lege unionis qua anima corpori jungitur; quæ tota est ex Deo. Cui naturæ legi, ut & cæteris id genus omnibus, Christum quoque hominem subesse oportuit. Anima tamen Christi, ipsaque corporis temperatura & conformatio, quatenus animæ inserviunt, a primo ortu sanctificata fuerunt: ut, quemadmodum facultatem ratiocinandi habebat, qua homo; ita etiam facultatem sancte ratiocinandi haberet, qua sanctus homo.

XXVI. *Et habet revera.*

XXVI. Estque in hac observatione non illustratio solum rei de qua agitur; sed & argumentum quo illius adstruitur veritas. Quod egregie ursit CALVINUS Inst. lib. IV. cap. XVI. §. XVIII. *Et sane ideo a prima infantia sanctificatus fuit Christus, ut ex ætate qualibet sine discrimine electos suos in se sanctificaret. Nam quemadmodum ad delendam inobedientiæ culpam, quæ in carne nostra perpetrata fuerat, eam ipsam carnem sibi induit, in qua perfectam caussa viceque nostra obedientiam præstaret: ita ex Spiritu Sancto conceptus fuit, ut ejus sanctitate in assumta carne ad plenum perfusus, ipsam ad nos perfunderet. Si absolutissimum in Christo habemus gratiarum omnium exemplar quibus filios suos Deus persequitur, hac quoque parte scilicet documento nobis erit, infantiæ ætatem non usque adeo a sanctificatione abhorrere. Utcunque, hoc tamen extra controversiam ponimus, neminem electorum ex præsenti vita evocari, qui non prius sanctificetur ac regeneretur Dei Spiritu.* Hæc Calvinus.

XXVII. *Imo absolute iis ad salutem necessaria est.*

XXVII. Unde infantibus quoque regenerationem absolute necessariam idem *Calvinus* hac ratione arguit. §. XVII. *Porro infantes qui servandi sint (ut certe ex ea ætate omnino aliqui servantur) ante a Domino regenerari minime obscurum est. Nam si ingenitam sibi corruptionem ex matris utero secum afferunt; ea repurgatos esse oportet, antequam in regnum Dei admittantur: quo nihil ingreditur pollutum aut inquinatum. Si peccatores nascuntur, quomodo & David & Paulus affirmant; aut Deo ingrati invisique manent, aut justificentur necesse est. Et quid ultra quærimus? Quum palam ipse judex affirmet, nullis patere in vitam cælestem ingressum nisi renatis.* Tria itaque ista probata sunt: & infantes regenerationis primæ esse capaces; & electis infantibus eam a Deo concedi; & denique eam iisdem, si servandi sint, omnino esse necessariam. Tamque perspicuæ hæc omnia veritatis sunt, ut a nemine Orthodoxo in controversiam vocanda esse existimem. Hoc unum nunc restat, an regeneratio ista electis infantibus contingat ante Baptismum.

XXVIII. *Liberum Deo manet regenera-*

XXVII. Deum, qui in dispensanda salutis nostræ ratione pro summa sua libertate agit ut supremo ipsius in omnia dominio consentaneum est, eam sibi ipsi fixisse legem, ut regenerationis gratiam

tionis gratia donare non baptizatos.

tiam nemini præstaret nisi post adhibitam Baptismi cerimoniam, nullo adhuc sacrarum literarum testimonio probatum vidi. *Si quis dicat, quod nunquam Dei misericordia, pro libitu, signum in confœderatis præveniat, nec quod simpliciter ad salutem necessarium est interius donet; profert hæresin, cui Scriptura nullatenus patrocinatur*: ait ANDREAS RIVETUS Cathol. Orthod. Tract. III. Quæst. III. §. II. Quamvis Pontificii cum nostris litigent, an infantes sancti sint ante Baptismum; nihil tamen id obstitit quo minus *Episcopus Bitontinus* publice Romæ prædicaverit, *privilegio quodam Divinæ gratiæ per Christum posse sanctificationem consequi etiam in utero infantes, sicut fuit de Jeremia, de Johanne Baptista, & Virgine*. Paucisque interjectis concludit: *Constat, Divinam Christi gratiam sacramentis alligatam non esse*. CORNELIUS MUSSUS, commentario ad Rom. cap. v. Plenius eandem sententiam in Concilio Constantiensi tuitus est GERSON, in Concione ibi habita de Nativitate Virginis. *Constat*, inquit, *Deum misericordiam salvationis suæ non ita legibus communibus traditionis Christianæ, non ita sacramentis alligasse, quin, absque præjudicio legis ejusdem, possit pueros, nondum natos extra uterum*, INTUS SANCTIFICARE GRATIÆ SUÆ BAPTISMO, *vel virtute Spiritus Sancti. Debent igitur mulieres prægnantes, similiter & viri sui, per se & alios, diligentius preces fundere Deo*, (addit pro superstitione istius ævi) *& ad sanctos Angelos, custodes hominum, quatenus infans nondum natus, si forte moriturus est, priusquam ad Baptismi fluminis gratiam pervenire valeat, dignetur ipsum Dominus Jesus, summus Pontifex, Baptismo Spiritus Sancti præveniendo, misericorditer consecrare.*

XXIX. Nec improbabile est, quod ordinarie ita faciat, circa eos qui in infantia moriuntur.

XXIX. Pergo: non solum liberum est Deo, regenerationis gratiam conferre electis infantibus ante Baptismi usum, sed & credibile, quod ordinarie ita faciat. Id ex ante dictis hoc modo infertur. Quum Deus jam ab ipsa nativitate electos infantes receperit in communionem sui fœderis, univerit Christo, reconciliaverit secum, condonato peccati originalis reatu; ratio dici nequit, cur non eosdem eodem tempore regeneret, nisi naturali dispositione subjectum regenerationis incapax sit. Atqui infantes non esse regenerationis incapaces, modo a nobis est evictum. Porro, non putem ullo probari posse exemplo, aut testimonio, quod peccati alicujus reatus per remissionem tollatur, quin eodem simul tempore ejusdem peccati dominium infringatur: ut, dum amittit potestatem damnandi, simul amittat potestatem dominandi. Dum peccati dominatio imminuitur, mortificatur peccatum. Dum peccatum mortificatur, vivificatur anima. Vivificatio animæ ipsissima regeneratio est. Adde quod anima non uniatur Christo nisi per Spiri-

tum

tum Christi. Spiritus Christi est spiritus vitæ. Rom. VIII: 2. Christus ipse vita nostra. Col. III: 4. Quî ergo fieri potest, ut anima a Deo electa, a Christo dilecta, a reatu peccati originalis absoluta, & vitæ fonti, per Spiritum vitæ, unita; a Christo & Spiritu ipsius, virtute istius unionis, non mox ad spiritualem vitam vivificetur? Ex quibus omnibus invictâ conficitur sequelâ, quod qui infantes concipiuntur ante susceptum aquæ Baptismum participes fœderis gratiæ, uniti Christo, reconciliati Deo, absoluti a peccato originali, iidem etiam eodem tempore concipi debeant, ut renati & vivificati per Christi Spiritum. Neque ulla mihi in contrarium occurrit ratio; quod ad eos saltem qui ante rationis usum ex hac vita exeunt.

XXX. Nam eorum qui adolescunt, diversa videtur esse ratio.

XXX. Nam diversa aliquantulum eorum videtur esse conditio, quorum protractior vita ad rationis ipsos usum deducit. Quid enim ipsis a vitæ primordio præstitum sit, experimento agnoscitur quum adoleverunt. Insitum est pueris grandiusculis ætatis flexu respuere documenta pietatis, sive sint, sive non sint baptizati: neque electorum a non electis hic discernitur distinctio, nisi peculiaris Dei gratia accedat. Imo ut sunt diversæ indoles, & varia temperamenta, aliquando accidit, ut pueri ex fœderatis parentibus orti, & pro electis habiti, eoque nomine baptizati, intractabiliores & nequiores aliis comperiantur; qui tamen deinceps ad meliorem redeuntes frugem, vocationem & electionem suam firmam faciunt. Quid de iis statuemus? Alterutrum necesse est, vel in infantia fuisse regenitos; sed semen illud sub glebis per multos annos delituisse, & juvenilium cupiditatum spinis ac tribulis tantum non suffocatum fuisse, donec accedente majori gratia, superatis tandem difficultatibus, fortius ac felicius prorumpat & germinet: vel Deum, qui nulli alligatus est tempori, novæ vitæ gratiam electis impartiri, quandocunque libuerit: eosque, licet ex charitatis judicio rite baptizatos, aliquammultis sæpe annis relinquere in statu dominantis corruptionis, donec Spiritus sui gratia renoventur. Atque in hanc quidem sententiam inclinat MOLINÆUS Disput. de Baptism. part. III. §. XI. Ubi considerata diversa puerorum indole, diversisque moribus; ita tandem concludit: *Quapropter hanc occultam efficaciam Deo dispensatori relinquimus; cujus gratia non est alligata aquæ elemento.* Quod & prudenter a venerabili BEZA animadversum est. Ad Acta Collat. Mompelgardensis. pag. 106. *Ad infantes quidem quod attinet in Ecclesia natos, ac Divinitus electos, (cujusmodi non temere dixi cunctos præsumi) & antequam usum intelligendi nacti sint, morituros, facile existimarim, Dei promissione fretus, nascendo inseri Christo. De cæteris vero quid*

aliter

aliter statuere, nisi apertissima temeritate, possumus, quam eos tum demum regenerari, quum vera fide ex auditu donantur? Nisi in nonnullis Dominus extraordinariam illam vim afflatus suo exercuerit: hoc vero tempus quis hominum definiet?

XXXI. Gisbertus Voetius omnes infantes fœderatorum electos in infantia regenerari putat, sive adolescant, sive non, itaque ante ipsorum Baptismum.

XXXI. Alteram sententiam tuetur GISBERTUS VOETIUS, immortalis nominis Theologus, & Venerandus Academiæ nostræ Parens: cujus hæc exstant verba in istam rem valde notabilia. Disput. Tom. II. pag. 410. *Septima sententia est Reformatorum Doctorum communiter, quæ tribuit regenerationem omnibus & singulis infantibus fœderatis, sed electis: sive illi in infantia baptizentur, aut non baptizentur; sive in infantia moriantur; sive ab ineunte ætate in fide educentur, & vitam fidei continuo vivant; sive ante obitum actuali conversione ad fidem & resipiscentiam denuo adducantur. Et in hac sententia hactenus acquiesco.* Deinceps pag. 412. postquam ex tractatu Anglico CORNELII BURGES de Baptismali regeneratione electorum infantium, laudasset distinctionem regenerationis in initialem & actualem, ita pergit: *Opinio hujus auctoris mihi hactenus placet, quod statuit in infantibus electis & fœderatis locum habere Spiritus Sancti regenerationem initialem, per quam principium & semen actualis conversionis, seu renovationis suo tempore secuturæ, imprimitur. Quod autem regenerationem hanc postponit Baptismo, eique tanquam caussæ sine qua non, aut instrumento morali ad quem sequitur, alligat, id ex Theologis Reformatis ab ipso citatis non probatur.* NOTA EST SENTENTIA EORUM DE EFFICACIA BAPTISMI, NON IN PRODUCENDA REGENERATIONE, SED IN JAM PRODUCTA OBSIGNANDA.

XXXII. Liturgia Belgica regenerationem Baptismo præstruit.

XXXII. Vix dubitari potest, quin thesis ista de regeneratione infantium ante Baptismum, saltem secundum judicium charitatis de singulis, sit recepta ECCLESIÆ BELGICÆ sententia. In cujus Liturgia Baptismali, hæc parentibus, infantes suos ad Baptismum offerentibus, proponitur interrogatio: *Quamvis liberi nostri in peccato concepti & nati sint, ideoque omnigenæ miseriæ, ipsique adeo condemnationi æternæ obnoxii*; AN NON AGNOSCANT IPSOS IN CHRISTO SANCTIFICATOS, ET OB EAM REM UT MEMBRA ECCLESIÆ IPSIUS BAPTIZANDOS ESSE? Ad quam interrogationem ajens exigitur responsio. Et hæc pro eorum faciunt sententia, qui infantium electorum & fœderatorum primam regenerationem Baptismo præstruunt. In quibus me hactenus acquiescere profiteor.

XXXIII. *Amyraldus infantes, ut regenerationis incapaces, in futuram sanctificationem baptizari contendit.*

XXXIII. Longe tamen aliter instituunt aliqui magnæ existimationis Theologi, contendentes, infantes baptizari in futuram sanctificationem, quam an & quomodo a regeneratione distinguant, fateor me non liquido percipere. Ex multis MOSEN AMYRALDUM nunc audire lubet, qui, ut solet, caussam hanc eloquenter & copiose agit. Disput. de Pædobaptismo, Sect. XXI. XXII. *In infantibus*, inquit, *non est eadem post justificationem indultam, Spiritus sanctificantis illico communicandi vel necessitas, vel possibilitas etiam. Primum enim dubitare nemo potest, quin eis facultates eo statu sint, ut Spiritus in illis operari non possit æque ac in adultis.* Quod postquam ostendisset, sic prosequitur: *Denique adoptantur illi quidem in spem, & futuræ sanctificationis, & hæreditatis æternæ. Ac quemadmodum, si quis homo sapiens puerulum in cunis vagientem adoptaret, differret eum ad bonos mores & virtutem informare, donec disciplinæ capax esset: sic sapientissimus Deus, quum infantes adoptat, differt vim Spiritus sanctificantis tantisper in eis exserere, donec status facultatum ipsarum eam operationem admittat. Quemadmodum igitur, ut justificationem consequerentur, nihil necesse fuit habere eos fidem ullam, seu habitualem, seu actualem; sufficit ut ex iis nascerentur ad quos Dei fœdus pertinet: sic postquam justificati sunt, absolute necessarium non est ut sanctificationem obtineant illico, neque habitualem, neque actualem itidem: sufficit quod id quod Deus spopondit, id suo tempore bona fide præstiturus est.*

XXXIV. *Tollitur verborum ambiguitas.*

XXXIV. Ad quæ mihi hoc breviter observare liceat: si per sanctificationem habitualem intelligat vir longe Doctissimus eam Dei gratiam qua habitus spiritualis intelligentiæ, fidei, spei, charitatis, mentibus induntur; eorum nec nos capaces censemus infantes. Sin habitualis sanctificatio idem ipsi sit quod nobis regeneratio, sive ea Dei gratia qua novæ ac spiritualis vitæ facultas datur; ex iis quæ modo a nobis sunt disputata, perspicuum esse arbitror, quod talis novæ vitæ facultas infantibus deneganda non sit. Nihil enim illa habet quod ætati isti convenire nequeat.

XXXV. *Proœmia futuræ sanctificationis, quæ in quibusdam infantibus sunt,*

XXXV. At plus lucis dabunt sequentia: *Non negamus tamen*, ait, *& posse contingere, & revera contingere nonnunquam, ut Deus in infantibus efficacitatem aliquam exserat, quæ est futuræ sanctificationis veluti* προοίμιον *aliquod atque* μελετή. *Inserit enim eorum animis aliquam* εὐφυΐαν, *& in iis virtutum igniculos accendit, qui postmodum adolescunt, & evadunt in præstantes virtutes.* Recte hactenus. Hoc ipsum est quod

nos

nos volumus. At mox addit doctissimus auctor, quæ profecto non volumus. Sic enim pergit: *At neque id fit perpetuo*, NEQUE, *si perpetuo fieret*, PROPRIE AD SPIRITUS SANCTIFICANTIS, QUATENUS TALIS EST, OPERATIONEM REFERRI DEBERET. Quid ni? inquam ego. *Is enim*, sic porro disputat, *non aliter sanctificat, nisi quod objecta quæ in cruce, & resurrectione Christi, & in cæteris religionis Christianæ partibus, sunt pro incitamentis ad Christianas virtutes capessendas, quæque prædicatione Evangelii nobis offeruntur, & mentibus nostris imprimit, & evanescentia ex animo reminiscentiâ revocat, & luce sua ita collustrat denique, ut ex mente ad affectus descendant, atque in iis adversus vitium a natura insitum continenter decertent. Operatio vero illa potius ad* EMENDANDUM CORPORIS TEMPERAMENTUM *pertinet; quod sane fit actione quæ magis ad naturam caussarum physicarum accedit, quam earum quæ versantur in objectorum vel impressione, vel repræsentatione morali.*

ad Spiritum sanctificantem referenda esse, negat Amyraldus.

XXXVI. In quo discursu nonnulla deprehendo quæ animo meo non admodum allubescunt. I. Non satis justis limitibus dirimere videtur ea quæ a Deo, ut naturæ humanæ auctore, & per communem suam providentiam rectore, proficiscuntur, ab iis quæ ipsi debentur ut dispensatori salutiferæ gratiæ. Etenim illud quod laudat futuræ sanctificationis προόιμιον, illi virtutum igniculi, qui in præstantes postmodum virtutes evadunt, non pertinent ad eam ἐυφυΐαν quæ a Deo ut creatore est; sed ad creaturam novam & nobiliorem, cujus auctor Deus in Christo est, ex proposito & fœdere gratiæ. Nam id quo animus ad perfectiorem sanctificationem disponitur, ex eodem Spiritu est, qui, quod inchoavit opus illud perficit in diem Domini. Non progressus solum, & continuatio sanctificationis, sed & primum ejus initium, prima μελετή, eidem Spiritui sanctificationis imputanda sunt. Opera naturæ non sunt dispositiones ad gratiam. II. Nec illud valde placet, quod eam quam vocat ἐυφυΐαν in sola fere temperamenti corporis emendatione collocare videatur, quum ad animæ statum præcipue Divina illa efficacitas pertineat. Sicuti enim originaria vitiositas in anima potissimum sedem sibi suam fixit; ita & quod ei superandæ destinatum est in animam præcipue vim suam exserere oportet. Quid, quæso, obstat quo minus gratia in eandem infantilem animam efficaciter operetur ad spiritualem vitam, in qua peccatum operatur ad spiritualem mortem? Nonne absurdum est, idem subjectum quod mortis capax est, non esse capax vitæ: quum mors nihil aliud sit nisi vitæ privatio in subjecto habili? III. Perperæ hujus, uti quidem ego arbitror, ratiocinationis caussa, ea viri

XXXVI. Quod refellitur.

Doctissimi hypothesis est, quod sanctificatio hominis non aliter peragatur nisi objectorum impressione vel repræsentatione morali: & quod actio Dei sanctificantis non admodum accedat ad naturam caussarum physicarum. Ego vero uti moralem illam repræsentationem objectorum, in sanctificatione hominis adulti, suum habere locum, & vim pro isthoc caussarum genere maximam, lubens agnosco; nemini tamen ad sanctificationem profuturam esse contendo, nisi accesserit efficacior Spiritus operatio, quæ virtute, quam hyperphysicam dicere convenit, ipsas hominis facultates immutet, & ad apprehensionem ac receptionem istorum objectorum idoneas faciat. Quam vero vim ὑπερφυσικὴν Spiritus sanctificans, in & cum repræsentatione objectorum exserit in adultis, quid ni eandem sine repræsentatione objectorum exserere possit in infantibus? ita jam tum disponens animum, ut, ætate provectior, ad apprehendenda, quum proponentur, objecta, idonea se facultate instructum esse probet. Quemadmodum per εὐφυΐαν naturalem hominibus quibusdam ab ineunte ætate ingenium inest artium plurimarum eximie capax: ita ea εὐφυΐα quæ a Spiritu sanctificante est, animum electis conciliat ad res Divinas ac cœlestes egregie dispositum.

XXXVII. *Observationes Amyraldi ad Johannis Baptistæ exemplum.*

XXXVII. Vidit Vir sagacissimus, objici posse sibi Johannis Baptistæ exemplum, de quo Angelus dixit: *& Spiritu Sancto implebitur, etiam a ventre matris suæ* Luc. 1: 15. Et profecto magna istius argumenti valentia est. Ostenditur enim, & capacem sanctitatis esse infantiam, & sanctitatem eam ex Spiritu sanctificante esse: quorum utrumque negandum sibi sumsit judiciosissimus Theologus. At audiamus quid respondeat. *Quod autem*, sic infit, *de Johanne Baptista Angelus prædixit, fore ut Spiritu Sancto impleretur etiam a ventre matris suæ, maximi viri interpretantur quasi dictum esset aliquo modo* ὑπερβολικῶς*: quia in ipsa prima pueritia, quum aliqui pæne adhuc vagiunt, debuit ille præ se ferre illustres quasdam & plane inusitatas notas gratiæ Dei erga se, quæ postmodum magis ac magis inclaruerunt. Verum etsi nulla esset in iis verbis hyperbole, referri tamen possent ad incomparabilem & plane heroicam* εὐφυΐαν *illam de qua superius diximus, quæ quemadmodum aliunde esse non potuit quam a virtute* ALIQUA *Spiritus Sancti, sic magnopere differebat ab ea ejusdem Spiritus operatione, quæ, postquam Johannes adolevit, eum ad omne genus præstantissimarum virtutum, præstantissimarumque actionum, & impulit, & informavit. Quidquid autem illud fuit, rarum est, & in paucissimis præter Johannem usurpatur.*

XXXVIII. *Calvini argumenta in contrarium.*

XXXVIII. Mirum est, quemadmodum his exceptionibus, tanquam sibi objectis, responderit CALVINUS, si modo ordinem invertas Inst. Lib. IV. cap. XVI. §. XVII. *Atque ut obloquutu-*

res

cuturos hoc genus compesceret, documentum præbuit in Johanne Baptista, quem in matris utero sanctificavit, quid in reliquis posset. Nec qua ludunt tergiversatione quidquam proficiunt, id semel duntaxat factum: unde non statim consequatur, Dominum ita solere passim cum infantibus agere. Neque enim nos eum in modum ratiocinamur. Tantum ostendere animus est, inique & maligne intra eas angustias limitari ab eis Dei virtutem, quibus ipsa includi se non sustinet. Tantundem habet ponderis & alterum suffugium: usitato Scripturæ more tantundem valere particulam AB UTERO, *ac si diceretur,* E PUERITIA. *Sed videre perspicue licet, Angelum, quum id Zachariæ denunciaret, aliud voluisse: nempe nondum natum Spiritu Sancto repletum iri. Ne ergo legem Deo imponere tentemus, quin sanctificet quos visum fuerit quo modo hunc sanctificavit: quando nihil ejus virtuti decessit.* Ita Calvinus in Institutionibus.

XXXIX. Non lubet tamen dissimulare (nam ingenue semper agendum esse arbitror; neque humana auctoritate pugnandum, sed rationibus solidis) eundem Calvinum in aliam mentem verba Angeli interpretari suis ad Lucam commentariis. Tantum sæpe interest utrum quis cum adversario contendat, an libero animo commentetur. Quod ego quidem sollicite cavendum esse existimo. Sic ergo Calvinus ibi: *His verbis nihil aliud notatur, quam indolem apparituram in Johanne, quæ spem ostendat futuræ magnitudinis.* AB UTERO *tantundem valet atque* A PRIMA INFANTIA. *Fatemur quidem Spiritus virtutem in Johanne, quum adhuc inclusus esset utero matris operatam esse, sed heic aliud voluit Angelus: quod Johannes, adhuc infans, quasi in theatrum proferendus esset cum rara gratia Dei commendatione.* XXXIX. *Qui tamen sibi non ubique constat.*

XL. At caussam non video; cur Calvinum prioris suæ interpretationis pœniteret. Ad eam enim nos ducit Græci sermonis efficacia: ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ. Quod valet ETIAM A VENTRE MATRIS SUÆ. Nam, Illustri GROTIO observante, ἐκ κοιλίας positum est pro ἀπὸ κοιλίας, id est, *ab eo tempore quo erit in utero*, quomodo hic verterunt Syrus & Arabs. Ita Paulus Gal. I: 15. ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου, respiciens illud quod ad Jeremiam dictum erat a Deo Jer. I: 5. πρὸ τοῦ σε ἐξελθεῖν ἐκ μητρὸς ἡγίακά σε. Eodem sensu Act. III: 2. χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς. Id est, claudus natus & conceptus. Nec emphasi sua carere videtur particula ἜΤΙ, ETIAM, hoc est, jam tum ab utero, quod significationem intendit. Sic hanc vocem usurpat Lucas cap. XIV: 26. ἜΤΙ δὲ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν. Et Paulus Heb. XI: 36. ἜΤΙ δὲ δεσμῶν καὶ φυλακῆς. Quum itaque præclara quæque ac pror- XL. *Quamvis rationem non habuerit a sententia recedendi.*

prorsus eximia de Johanne voluerit Angelus, & Lucas verba adhibeat quæ multa significatione fœta sunt, & de cætero Johannes omnibus muliere natis major exstiterit; nostræ pietatis non est quæsita interpretationis subtilitate sacri sermonis vim elidere.

XLI. Heroica Johannis indoles, non ab aliqua virtute Spiritus Sancti, sed ab illius plenitudine erat.

XLI. Id unum addo, bene fecisse doctissimum Amyraldum, quod heroicam illam ac plane incomparabilem Johannis indolem non aliunde esse fateatur quam *a virtute aliqua Spiritus Sancti.* At non video, cur tam minute ipsi loqui libuerit. Lucas enim non ALIQUAM Spiritus Sancti virtutem, sed illius PLENITUDINEM prædicat. Neque Spiritum Sanctum hic sub communi Deitatis notione considerat, quatenus omnium bonarum qualitatum quæ in quibuscunque inveniuntur hominibus auctor est: sed secundum œconomiam illam quam habet in dispensatione donorum gratiæ. Hoc enim phrasi illa passim denotari perspicuum erit, si attendamus ad id quod exstat commate 41. *& repleta est Spiritu Sancto Elisabeta.* Iterumque 67. *& Zacharias pater ejus repletus est Spiritus Sancto.* Rursus cap. IV: 1. *Jesus autem plenus Spiritu revertit a Jordane.* Denique Act. II: 4. *Repleti sunt autem omnes Spiritu Sancto.* Ecquis dubitat, omnibus hisce locis, & quæ id genus plura sunt, Spiritus Sancti denominationem pertinere ad œconomiam gratiæ? *Sed*, inquit, *hæc Spiritus Sancti virtus multum differebat ab ea ejusdem Spiritus operatione, quæ, postquam Johannes adolevit, eum ad omne genus præstantissimarum virtutum impulit.* Differebat sane: sed non ita, quin utrobique esset Spiritus sanctificans, qui infanti sanctæ indolis inseverat primordia, at adultum ad præstantissimarum virtutum exercitium incitabat. Subductis itaque omnibus rationibus, caussam non video, cur statuendum sit, infantes fidelium in futuram solum regenerationem baptizari, eo quod præsentis capaces non sint.

XLII. Argumenta eorum, qui regenerationem, ipso Baptismi momento, ordinarie infantibus conferri pugnant

XLII. Restat nunc quartæ discussio sententiæ, quam Theologi numero multi, eruditione incluti, auctoritate gravissimi, animose tuentur; regenerationem ex Divinæ bonitatis constitutione infantibus electis ordinarie concedi in ipsa Baptismi administratione. Cui assertioni probandæ illa Scripturæ obtendunt testimonia, quibus *Baptismo servari, ablui*, & *a peccatis mundari* dicimur; & Baptismus ipse vocatur, *lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus Sancti.* Addunt, hanc esse passivam Patrum omnium, totiusque Ecclesiæ Christianæ per cuncta secula fidem. Quam etiamnum Protestantium Ecclesiæ profiteantur, tam illæ quæ Augustanæ confessioni addictæ sunt, quam quæ Reformatæ solent nuncupari. Hoc aperte, inquiunt, testantur publicæ receptæque Liturgiæ. Nam in forma administrationis Baptismi, qua Reformati in

Gallia utuntur, minifter, antequam infantem baptizet, a Deo petit ut *infanti remittat peccatum originale, cujus universa Adami progenies rea eft; utque eum Spiritu fuo fanctificet: & quo poffit hæc a Deo beneficia impetrare, Deus eum inferere velit in Chrifti corpus & communionem, ut ita factus ejus membrum, bonorum ipfius particeps effe queat.* Quæ oratio manifefte fupponit, infanti baptizando nondum effe remiffum peccatum originale, nec illum adhuc effe Chrifto infitum, & gratiæ Chrifti participem. Quibus fimilia exftant in Liturgia Ecclefiæ Anglicanæ. Unde magna confidentia infertur, *temere & abfque idoneo fundamento afferi, infantes in Ecclefia nafcentes, ante Baptifmum, a Deo falutifera gratia ordinarie donari. Certe iftud repugnat communi confenfui Chriftianorum, non folum Ecclefiæ, quum Græcæ tum Latinæ, fed etiam eorum omnium qui inter Proteftantes dicuntur Theologi Confeffionis Auguftanæ, ac præterea maximæ Reformatorum partis. Et profecto tam concordi, tam antiquæ, & univerfali Chriftianorum fententiæ, abfque argumento aliquo convincente fefe opponere, temerarium mihi prorfus videtur.* Verbis hactenus loquor Doctiffimi Theologi, LUDOVICI LE BLANC.

XLIII. Enimvero magna in ifthac oratione cauffæ elucet fiducia. *XLIII. Quod tamen Scripturæ teftimonia, ab ipfis laudata non afferunt.* At nos fedato animo omnia expendamus. Non deeffe iis qui in alia eunt, idoneum opinionis fuæ fundamentum, neque argumenta, quantum cauffæ hujus indoles patitur, convincentia, fupra, nifi fallor, a nobis demonftratum eft; eatenus faltem, ut atro fententiæ calculo temeritatis damnari non debeant Viri circumfpectiffimi. Sed nec ifta quæ prolata modo vidimus talia funt, quibus refponderi nequeat. Scripturæ dicta quod attinet, ea aliquanto diligentius mox excutienda erunt, ubi de modo quo Baptifmus operatur difputandum veniet. Nunc generalis hæc obfervatio fufficerit; Paulum Petrumque iis fcripfiffe temporibus, quibus adultis potiffimum Baptifmus adminiftrabatur, dum ex Judæis & Gentilibus per Evangelii præconium colligebatur primum Ecclefia. Unde confequitur, defcriptiones Baptifmi, quæ in eorum Epiftolis occurrunt, ita comparatas effe, ut de adultorum Baptismo, principe certe loco, intelligendæ fint. De adultis autem conftat, prærequiri regenerationem, pœnitentiam, fidem, a qua peccatorum remiffio ne ad momentum quidem feparari poteft. Quod fi verum eft, uti eft veriffimum, nulla præter hanc ratiocinatione indigemus, ad demonftrandum, quod neque Paulus, neq; Petrus, laudatis teftimoniis docere voluerint, ablutionem peccatorum, & regenerationem ac renovationem Spiritus, ordinarie non nifi in ipfo Baptifmo conferri folere: quandoquidem ad eum de quo præcipue agebant Baptifmum femper prærequirebantur.

XLIV.

XLIV. *Eorum vera mens.*

XLIV. Quid itaque, tam magnifice de Baptismo loquentes, Apostoli Christi volebant? Respondeat pro me COCCEJUS. Ad Quæst. LXXI. Catechef. Palat. *Quando dicitur Baptismus lavacrum regenerationis, significatur, quod credentibus* datur testimonium suæ regenerationis, *ut in Christo sint, ac filii & hæredes Dei sint. Item, quando quis dicitur abluere peccata Baptismum sumendo; significatur* accipere testimonium ablutionis peccatorum, *atque ita sumendo sigillum deponere conscientiam peccati, & publice profiteri gratiarum actionem ob peccata sibi remissa.*

XLV. *Patrum dicta adultorum Baptismum præcipue respiciunt; ad quem regeneratio prærequiritur.*

Molin. de Necess. Bapt. part. 1. §. XXXVIII.

XLV. Sic itaque Scripturarum arce excussi sententiæ hujus propugnatores, minus firmum in aliis præsidium invenient. Quod de universalis Ecclesiæ consensu gloriantur, non ita prorsus est uti ipsi prætendunt. Fateor Patres plerosque ita loqui, quasi regeneratio & justificatio non nisi in Baptismi administratione darentur. Sed dubito an bene attendant Viri Doctissimi, eosdem Patres hæc de adultorum Baptismo ut plurimum prædicare, quorum regenerationem & justificationem ne ipsi quidem Baptismi momento adstrinxerint; immo nec, si sapiant, Patres. Plena est historia vetus exemplis Catechumenorum, quorum fuit excellens virtus & pietas: quæ sane nulla esse potest sine remissione peccatorum, & manuductione Spiritus Sancti. Oppido notabilia sunt quæ de Patris sui Baptismo narrat *Gregorius Nazianzenus* Oratione in illius mortem. Ambrosius adhuc Catechumenus ad Episcopatum vocatus est, quum jam increbuisset fama de ejus sanctitate vitæque disciplina. Idemque de virtutibus fratris sui Satyri, nondum baptizati, multa memorat. Constantini virtutes, & in Ecclesiam benefacta, uno ore prædicantur a veteribus: qui tamen demum baptizatus est in ipso vitæ mortisque confinio. Jam ergo receperant Spiritum Sanctum ante Baptismum. Jam erant ipsis remissa peccata; ac proinde jam renati erant secunda nativitate.

XLVI. *Regeneratio qua Baptismo acquiritur, sacramentalis est, distincta a reali, qua præsupponitur.*

XLVI. Ut ergo Patres cum Scriptura, Experientia, & secum adeo ipsis, in concordiam redigantur, gemina nobis distinguenda regeneratio & justificatio est: altera *realis*, altera *sacramentalis*. Realem voco, quæ in ipsis electorum animis locum habet, & qua ad spiritualem vitam ac Divini favoris participationem renovantur. Sacramentalem, quæ realis istius solemnis declaratio, obsignatio & professio est, in usu sacramenti. Vide sis FORBESIUM. lib. X. cap. VIII. §. 8. Sine distinctione hac intelligi, & secum conciliari Patres non possunt. Praxin fidemque Ecclesiæ primitivæ ex JUSTINO MARTYRE audiamus, tantæ antiquitatis scriptore, ut videre potuerit Johannem Evangelistam, saltem claruerit anno quadragesimo ab ejus excessu. Is praxin Ecclesiæ, quam dixi, his

his narrat verbis in Apologia ad Antonium Cæsarem: Ὅσοι ἂν πεισθῶσι, καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα, καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων, καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς. Ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται. *Quicunque* PERSUASI FUERINT, *&* CREDIDERINT *vera esse quæ a nobis traduntur, & dicuntur ac* VIVERE SE ITA POSSE RECEPERINT, *orare jejunantes, & petere a Deo priorum peccatorum remissionem jubentur, nobis cum iis una & orantibus, & jejunantibus. Deinde adducuntur a nobis ubi aqua est, atque, eo regenerationis modo quo ipsi regenerati sumus,* REGENERANTUR. Notate, obsecro, Viri eruditissimi, quid Baptismum antecedat, fides nimirum ex vera animi persuasione orta, vitæ, quæ Christo atque Evangelio digna sit, conscientia & promissio, oratio denique religioso juncta jejunio. Nonne hæc Spiritus regenerantis & sanctificantis certissima sunt indicia atque effecta? Eos autem qui ita regenerati sunt ad Baptismum adductos docet, ut regenerentur. Videlicet qui ante Baptismum regenerati erant realiter, in Baptismo regenerantur sacramentaliter. Ecquis dubitat, quin Catechumenorum multi vera vivaque in Christum fide præditi fuerint; quum nonnulli eorum alacriter pro Christo gravissimos subierint cruciatus, & dirissimas oppetierint mortes? Iidem tamen, non nisi baptizati, in *fidelium* transcribebantur ordinem. Erat ergo fides Baptismum antecedens, eosque revera justificans ac salvos faciens. Erat etiam fides Baptismo acquisita, quæ fidelium ipsis conciliabat nomen. Et quænam hæc, nisi sacramentalis professio fidei? Si ergo consentanea sibi loqui Patres credamus, ea quæ de regeneratione & justificatione per Baptismum docent, sacramentaliter intelligenda sunt; si aliter senserint, & sibi contradicunt, & veritati.

XLVII. Pro exemplo sit AMBROSIUS, qui alicubi sic scripsit: Libro de initiandis cap. IV. *Credit Catechumenus, sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire.* At oratione funebri in obitum Valentiniani Junioris Augusti, qui nondum suscepto Baptismo decesserat, sic declamat: *Quem in Evangelio eram generaturus, amisi: sed ille non amisit gratiam quam poposcit. — Vita jam fruitur æterna.* — QUI HABUIT SPIRITUM TUUM, *Sancte Pater, quomodo non accepit gratiam tuam?* Quæ, nisi nostra hac distinctione concilientur, conciliari fortasse non possunt. Nobis illa pars doctrinæ XLVII.

Patrum placet, qua docent posse quem habere gratiam, & Spiritum Dei, & vitam æternam, consequenter regeneratum esse revera, qui non sit regeneratus Baptismo. De cætero ipsi viderint.

XLVIII. *Nam & Patrum nonnulli Baptismum regenerationis typum ac symbolum dixerunt.*

XLVIII. At nec defuerunt in Patribus qui Baptismum regenerationis Symbolum Typumque dixerunt. CHRYSOSTOMUS in Caten. in cap. III. Joh. Ἐπεὶ καὶ θανάτου καὶ ἀναστάσεως σύμβολον λέγεται εἶναι τὸ βάπτισμα, διὸ καὶ ἀναγέννησις καλεῖται. *Quandoquidem Baptisma mortis & resurrectionis* SYMBOLUM *esse dicitur, idcirco &* REGENERATIO *appellatur.* BASILIUS MAGNUS de Spir. S. cap. XV. Ὁ τὴν ζωὴν ἡμῶν οἰκονομῶν κύριος, τὴν τοῦ βαπτίσματος ἡμῖν ἔθετο διαθήκην, θανάτου τύπον καὶ ζωῆς περιέχουσαν: τὴν μὲν τοῦ θανάτου εἰκόνα τοῦ ὕδατος ἀναπληροῦντος, τὸν δὲ τῆς ζωῆς ἀῤῥαβῶνα πληροῦντος τοῦ πνεύματος. *Qui nobis vitam dispensavit Dominus, Baptismatis pactum nobis statuit, mortis ac vitæ* TYPUM *habens; mortis quidem* IMAGINEM *implente aqua, Spiritu vero vitæ arram præbente.* Recte sane: est ergo in Baptismo, veluti typo ac symbolo, sacramentalis repræsentatio regenerationis.

XLIX. *Liturgiæ Gallicæ mens ex sententia Molinæi.*

XLIX. At nec LITURGIÆ Ecclesiarum Reformatarum id dicunt, quod pugnant Viri eruditissimi. Non certe ita intellexerunt eas qui in GALLIA pro consummatissimis Theologis sunt habiti. Instar omnium PETRUS MOLINÆUS sit, qui millies eam Baptismi formulam Ecclesiis præivit: tantum tamen abest ut negaverit infantes in Ecclesia nascentes, ante Baptismum a Deo salutifera gratia ordinarie donari, ut contrarium operose probaverit. Vide sodes laudatæ aliquoties Disputationis de necessitate Baptismi Thesin XL. cujus hæc est conclusio. *Erant ergo infantes in fœdus & gratiam Dei recepti, prinsquam ullo sacramento visibiliter initiarentur, & signo fœderis signarentur.*

L. *Et Calvini.*

L. At Liturgiæ, opinor, non meliorem CALVINO Interpretem alibi inveniemus. Is autem quæ de Baptismi effectu docuerit, ex paucis illis constare poterit, quæ hic describere non pigebit. Et primo quidem inculcat, *Baptismum nobis a Deo proponi, ut* SYMBOLUM *sit nostræ purgationis, & documentum: vel instar signati cujusdam diplomatis, quo nobis* CONFIRMET, *peccata nostra omnia sic deleta, obducta, obliterata esse, ne unquam in conspectum suum veniant.* Itemque: *Baptismum* TESTIFICARI, *non modo in vitam mortemque Christi nos insitos esse, sed sic ipsi Christo unitos, ut omnium ejus bonorum participes simus.* Rursus: *Superest ergo jam ut ex promissionibus in Baptismo datis quæratur quæ sit vis ejus & natura. Scriptura ostendit, peccatorum remissionem, quam a Christi sanguine obtinemus,* HIC PRIMO DEMONSTRARI. *Deinde carnis mortifica-*

Instit. lib. IV. cap. XV. §. I.

§. VI.

cap. VI. §. II.

tificationem, quæ mortis ejus participatione constat, per quam in vitæ novitatem regenerantur fideles, atque adeo Christi societatem: Ad hanc summam referri potest, quidquid in Scripturis de Baptismo traditum est. De Pædobaptismo specialius. *Dei signum, puero communicatum, velut impresso sigillo, promissionem pio parenti datam* confirmat, ac ratam esse declarat, *quod Dominus non illi modo, sed semini ejus in Deum sit futurus.* Iterumque: *Quare nihil plus in Pædobaptismo præsentis efficaciæ requirendum est, quam ut fœdus cum illis a Deo percussum obfirmet, & sanciat.* Quid multa congero? Nihil clarius esse potest iis, quæ inveniuntur in Epistola ad Johannem Clauburgum. *Atque ut melius tollatur omnis dubitatio, semper tenendum hoc principium est,* NON CONFERRI BAPTISMUM INFANTIBUS UT FILII DEI FIANT, AC HEREDES: SED QUIA JAM EO LOCO ET GRADU CENSENTUR APUD DEUM, *adoptionis gratiam Baptismo obsignari in eorum carne. Alioqui recte eos a Baptismo arcerent Anabaptistæ. Nisi enim in eos competat externi signi veritas, mera profanatio erit, in signi ipsius participationem eos vocare.* Obtestor nunc Viros eruditissimos, ut ipsi pro æquitate sua judicent, an qui ita de Baptismo docet, uti docentem jam audivimus Calvinum, verba Liturgiæ eo quo ipsi modo expositurus sit; ut exinde concludat, peccati originalis remissionem, regenerationem, & communionem Christi, infantibus ordinarie non conferri nisi in ipsa Baptismi administratione, & per eam.

§. XXI. *pag. mihi* 244.

LI. Genuinum itaque Liturgiæ sensum inquiramus. Quando Ecclesia pro infante baptizando orat, ut Deus ei remittat peccatum originale, atque eum Spiritu suo sanctificet, & Christo inserat; commodissime eo id sensu exponitur, ut Deus rata habeat omnia quæ de remissione peccati originalis, & sanctificatione, atque insitione in Christum, sacramentaliter nunc significantur atque obsignantur: utque porro infantem a tristibus peccati originalis sequelis gratiose liberet, inchoatum regenerationis opus, succedente ulteriori sanctificatione, prosequatur, & baptizatum in communione Christi omnibus salutaribus beneficiis mactet. Breviter, petitur hac oratione confirmatio ac certioratio gratiæ præsentis, ejusque continuatio & augmentum in futurum. Supponitur enim in Liturgia, infantes *eo ipso quod fidelibus parentibus nati sint, a Deo in suorum numero agnosci, vitæ promissæ heredes esse, atque ita ab infantibus gentilium & infidelium discerni, denique ad eos pertinere regnum cælorum*; unde colligitur non esse ipsos sacramentali Ecclesiæ communione excludendos. His præmissis oratur Deus, *ut* CONFIRMARE *eam gratiam infanti velit, eumque in sanctam protectionem suam recipere,* DECLA-

LI. *Ipsoque illius contextu.*

RANS *se ejus Deum & Servatorem esse, in remissione peccati originalis; deinceps sanctificans eum per suum Spiritum, ut postquam ad ætatem discretionis pervenerit, Deum hunc suum solum agnoscat & adoret, tota eum vita sua glorificans, ad obtinendam continuo peccatorum remissionem.* Ex quibus omnibus non obscure colligitur, hanc quam dixi Liturgiæ Gallicanæ mentem esse.

LII. *Denique & collatione cum Liturgia Belgica.*

LII. Eadem prorsus mens est LITURGIÆ BELGICÆ. Quum, uti supra monuimus, parentes ante Baptismum jubeantur profiteri infantes suos jam in Christo sanctificatos esse, & idcirco ut membra Ecclesiæ ipsius baptizandos; tamen orat Ecclesia, ut *Deus per Spiritum suum infantem hunc Jesu Christo inserat*; quod, nisi de sacramentali insertione, insertionisque realis confirmatione, augmento, & fructibus, intelligatur, manifesta contradictione Liturgia laborabit. Hoc autem de formula tam accurate examinata, tam communiter recepta, longaque annorum serie usurpata, præsumendum non est.

LIII. *De Theologorum consentientium numero.*

LIII. Porro quod maximam Theologorum partem in suam pedibus ire sententiam Vir Doctissimus glorietur, in eo, ne quid gravius dicam, valde liberalis est. Mihi non lubet ad calculos sedere: quamvis existimem subductis bene rationibus, plures fortassis, neque minoris existimationis Theologos a nostris staturos partibus. Sed non est hæc res ex earum genere, quæ suffragiorum pluralitate deciduntur.

LIV. *Cum Augustana Confessionis Theologis controversia super hac re Reformatis est.*

LIV. De Augustanæ Confessionis Theologis fateor: at eorum opinionem nostrates improbaverunt. Quod, puer propemodum, didici ex Synopsi Professorum Leidensium, Disput. de Baptismo quæ WALÆUM auctorem habet. *Rejicimus*, inquit, *sententiam quorundam Ubiquitariorum, qui vim regeneratricem Spiritus Sancti ita aqua externa in Baptismo alligant, ut vel ea ipsi aqua insit, vel saltem non nisi in ipso Baptismi actu regenerationem inchoet. Pugnat hoc enim cum omnibus Scripturæ locis, in quibus fides & resipiscentia, ac proinde & regenerationis initium & semen in baptizandis præexigitur.* Paulo post: *Efficaciam ergo Baptismi non alligamus ad momentum illud quo aqua externa corpus tingitur, sed in baptizandis fidem & resipiscentiam cum Scriptura prærequirimus, saltem secundum charitatis judicium: idque tam in infantibus fœderatis, in quibus ex vi Divinæ benedictionis & fœderis Evangelici, semen & Spiritum fidei ac resipiscentiæ statuendum esse, contendimus; quam in adultis. &c.*

§. XXVII. §. XXIX.

LV. *Disputationis istius conclusio.*

LV. Concludo, non firmiter satis probatam esse eorum sententiam, qui Dei gratiam salutarem, remissionem peccati originalis, ac regenerationem, ordinarie infantibus in ipso Baptismi actu, non ante, concedi contendunt; neque temeritatis damnandos esse qui sentiunt aliter.

LVI. Vi-

LVI. Vidimus hactenus, quænam illa bona sint, quæ infantibus electis in Baptismo significantur, & obsignantur. Vidimus item, quem ordinem ea bona ad Baptismum habeant. Inquirendum nunc restat, quænam obsignationis istius ratio atque efficacia sit. Ubi illud generatim est tenendum, quum Baptismus sit sacramentum, & sacramentum sit sigillum, & sigilli usus sit aliquid confirmare ac certiorare; efficaciam Baptismi in *confirmatione* ac *certioratione* promissæ gratiæ consistere. Omnis vero illa efficacia *moralis* est, uti in scholis loquuntur; ac toto genere distincta ab efficacitate *reali* ac *physica*. Bene FRANCISCUS BURMANNUS. Synop. lib. VII. cap. IV. §. XXVII. *Nec aliam sacramentorum potentiam agnoscimus quam moralem, qualis in signis, & verbis est; ad rem non efficiendam, & producendam, sed significandam & obsignandam.* Significatio autem ista, & obsignatio valida admodum est, & in legitimo usu *exhibitionem* quandam rei significatæ in sese continet: sed exhibitionem quæ cum natura sacramentorum conveniat. REMONSTRANTIUM de sacramentorum efficacitate sententiam scito sermone exposuit eorum Apologista pag. 243. 244. *Modus,* inquit, *exhibendi, & obsignandi, est multiplex. Est exhibitio quædam* PHYSICA, *qua res aliqua vel signo ut ceræ impressa, vel signo ut vase contenta, vel signo ut instrumento affixa, vel signum nude concomitans, vel sub speciebus signi latens, exhibetur; id est, ut rem clarius proponam, qua res aliqua, vel simul, vel una, vel cum, vel per, vel sub, vel in, vel apud, vel circa signa, physice, ut ita dicam, admovetur, porrigitur, distribuitur. Est etiam exhibitio quædam hyperphysica, seu* MIRACULOSA, *qua res aliqua ignota, vel dubia, confirmatur, stabilitur, & certioratur, ac sic menti veluti videnda ac sentienda exhibetur: cujusmodi signa sunt miracula, prodigia, virtutes omnem naturæ vim excedentes. Denique est exhibitio quædam* SACRAMENTALIS, EVANGELICA, *qua gratia Divina per signa quædam, non eminus aut de longo repræsentatur, nec sub typis, umbris aut figuris quibusdam, ut multo post futura, veluti per transennam ostenditur, sed qua gratia ista, ut jam præsens, ob oculos ponitur; adeo clare, ac si sensibus manibusque palpanda daretur; adeo efficaciter, ut efficacius non possit anima affici a signis istis, manente salva atque integra signorum & significationis natura ac proprietate. Atque hic tertius exhibitionis modus, est modus ille certus, quem designant Remonstrantes.* Addit deinceps ad modi illius elucidationem pag 245. *Dicet fortasse quispiam, exhibitionem illam concipi posse, si Sacramentorum usus serius ac legitimus statuatur conditio, ad cujus præsentiam Deus concedat, & quasi sentiendam exhibeat, specialiorem aliquam gratiam suam; dum videlicet Deus, eum, qui signis istis juxta institutionem Christi, ex vera fide, utitur, & iis*

LVI. Baptismi efficacia tota moralis est, & in valida obsignatione consistit.

utendo officium suum facit, sensu gratiæ suæ singularis dignatur, ita ut ipse ille usus & exercitium veluti medium sit, quo utens alacrior & promtior redditur ad obsequium Divinum, & cæteras officii sui partes diligentius exsequendum. At nemo Remonstrantium erit qui id non libenter admissurus sit. Recte sane. Neque video quid ab homine Orthodoxo hac in parte ultra in iis desideretur. Ea autem significatio & obsignatio & sacramentalis exhibitio, quum interventum cognitionis alicujus requirere videatur, cujus infantes per ætatem capaces non sunt; quænam tandem utilitas & efficacia Pædobaptismi est?

LVII. Pædobaptismi utilitas, respectu parentum.

LVII. Magna enimvero. Et primo quidem respectu *piorum parentum*, quibus non potest non jucundissimum esse, quod charissima sua pignora novæ lucis usura donata, & mystici fontis tinctione sacrata, Deo Christoque ejus sistantur, & Ecclesiæ communioni insita, ad participationem omnium salutarium bonorum solemniter admittantur; impressoque sigillo Dei & Christi esse declarentur. Ubi quum ingens sese proferat Dei benignitas, primum amplissimam gloriæ ipsius prædicandæ materiam suppeditat, & pia pectora lætitia non vulgari perfundit, qua simul ad redamandum tam pium patrem vehementius incitantur, cui propter se posteritatem suam curæ esse perspiciunt. Et profecto si nihil aliud emolumenti ex Pædobaptismo proveniret, hoc maximum esse prudentes omnes fatebuntur, quod parentibus necessitatem imponat sacratissimam, liberos suos, quos tam mature Deo devoverunt, in Christianæ Religionis mysteriis, veraque vitæ sanctimonia, tam institutione ac monitis, quam exemplo bono, sollicite informandi.

LVIII. Respectu infantium quum adolescunt.

LVIII. Deinde ad ipsos quoque *infantes* magna redundat Baptismi utilitas; tum maxime *quum adoleverint*, & quæ sibi vagientibus facta sunt pia meditatione recognoverint. Quam amica piis debet esse pectoribus Divinæ charitatis recordatio, quod modo natos, & adhuc a matre rubentes, e genitricis gremio in ulnas quasi suas solemniter deferri jusserit; quod canticum illud ori ipsorum indiderit, *Fecisti ut securus agerem ad ubera matris meæ: in te rejectus sum ex vulva, inde ab utero matris meæ Deus meus est.* Ps. XXII: 10, 11. quod denique a teneris, ut ajunt, unguiculis, sacratissimo sibi fœdere junxerit, ejusque bonis omnibus tam clementer initiaverit. Recordatio ejusmodi uti consolationis plena, ita etiam virtutum Christianarum, & exactissimæ sanctimoniæ promotrix est. Nihil enim nobis antiquius esse deberet, quam ut fœdus illud juventutis nostræ, primumque ac sanctissimum illud promissum, quod nostro nomine Deo factum est, sacrum atque inviolabile servemus.

LIX.

LIX. Denique ne tunc quidem inutilis aut inefficax infantibus Baptiſmus eſt, *dum infantes ſunt*. Nonnihil certe emolumenti ex Baptiſmo ſuo capiunt, quod, in corpus Eccleſiæ inſiti, aliis membris ſunt aliquanto commendatiores; ipſique Deo communibus totius cœtus precibus accurate commendantur. Sed quod præcipue notandum, eſt Baptiſmus ex eorum ſignorum genere quæ exhibitiva dicuntur; quæ ita rem ſignificatam repræſentant, ut ea repræſentatione jus ad rem ſignificatam exhibeatur. Veluti ſi infanti Regio, in cunis adhuc vagienti, ſceptrum & corona, quæ regni inſignia ſunt, a regni proceribus deferantur; vel alteri alicui nobili puero ordinis ſingularis, & extraordinariæ militiæ ſymbola, uti torques conchyliatus, vel catena aurea cum vellere, vel faſcia cœrulea decuſſata, cum appenſa cruce, & affixa columba, & ſi quæ id genus plura ſint. Quæ quidem ab illo infante, & ab iſto puero, quo tendant non intelliguntur; non tamen caſſa rerum ſigna ſunt, ſed maximæ dignitatis non fallaces teſſeræ. Sic & infans, dum ſacro fonte mergitur, ignorat quid ſibi fiat, atque hactenus ipſi ſignum non eſt; quum neque externam cerimoniam, neque rem ſignificatam, neque relationem unius ad alteram dignoſcat: unde nullum inde gaudium, nullam animi ad tantam dignitatem geſtientis hilaritatem percipit. Attamen ea interim nanciſcitur, quæ ex inſtitutione Divina ſummæ felicitatis certiſſimæ teſſeræ ſunt; quod non deſinunt eſſe ignoranti: & quod revera ſibi fuiſſe, vel in tempore, vel in æternitate, lætus experietur. *LIX. Imo & in ipſa infantia.*

LX. Hactenus inter Orthodoxos omnes conſenſus eſt; quorum nemo, quod ſciam, minus efficaciæ Baptiſmo tribuit. At ulterius ſibi pergendum eſſe, multi opinantur. Taceo Romanæ Eccleſiæ Doctores, craſſos errores ſuos barbararum vocum portentis imperite eructantes, & de *opere operato* neſcio quid garrientes. Augustanæ Confessionis Theologi contendunt ſacramenta eſſe *organa, media, & ὀχήματα, vehicula per quæ Deus offert, exhibet, & credentibus applicat, promiſſionem Evangelii propriam de remiſſione peccatorum, juſtitia & vita æterna. Ac proinde eſſe inſtar Divinæ manus, qua Deus Pater vult gratiam ſuam exhibere, donare, applicare; & Filius Jeſus Chriſtus meritum ſuum applicare credentibus. & Spiritus Sanctus efficaciam ſuam exercere ad ſalutem omni credenti.* Et ſuper hac re controverſiam movent, non Zwinglio ſolum, ſed & Calvino, Bezæ, Grynæo, Tossano, Piscatori, & Reformatis Doctoribus communiter, negantibus ſacramenta habere revera in ſe theſauros & cœleſtia bona, quaſi per illa nobis donetur promiſſio. Vide Johannem Gerardi in loco de ſacramentis. cap. IX. ſect. I. §. LV. LVI. *LX. Lutheranorum de Baptiſmi efficacia opinio.*

LXI.

LXI. Reformatis passim improbata.

LXI. Neque hactenus de calumnia conquesti sunt Theologi Reformati; sed & ipsi pro sua parte controversiam Lutheranis movere. BEZA, postquam nitide professus esset, *significative mundari Ecclesiam Baptismo aquæ, realiter Baptismo Spiritus*, sic pergit: *Contrarium dogma annon ex fœtidis Scholasticorum lacunis haustum est, qui, ut suum Satanicum characterem inveherent, caussativam, ut loquuntur, vim conferendæ gratiæ, principalem quidem Deo, instrumentalem autem sacramentis, tribuerunt?* Ad Act. Colloq. Mompelg. Dogm. I. & II. Non multum abludit ANDREAS RIVETUS, Venerandum non Gallicis solum, sed Belgicis Ecclesiis nomen; qui Disputationibus Leidensibus, Disput. XLIII. postquam recitavisset sententiam Bonaventuræ, Scoti, Durandi, Occami, Gabrielis, Richardi, &c. docentium, *sacramenta gratiam conferre*, NON QUOD EAM PRODUCANT, SED QUIA DEUS EX PACTO IN USU SACRAMENTORUM EAM PRODUCIT ET OFFERT: Thesi XXVIII. sic pergit: *Quamvis autem in eo sint culpandi, quod ὑποτυπώσει sanorum verborum rejecta, κενοφωνίας introducant, ad rem nihilominus quod spectat, melius sentire videntur, quam qui a Luthero potius, quam a Christo, nomen suum deducentes, de verbo & sacramentis ita loquuntur, ut ipsis etiam* COLLATIONEM GRATIÆ ET JUSTIFICATIONIS *tribuant: & opus operatum verbo rejicientes, non minus tamen efficaciæ actioni externæ adscribunt, quam qui sacramenta caussas gratiæ proprias statuunt.* In eo quidem calumniam nos tam a Pontificiis quam Lutheranis pati conqueritur, quasi signa nuda, vacua, & prorsus inefficacia statueremus; & mentem Reformatorum sic exponit; *quum præter significationem ex instituto Dei*, SUAM ETIAM EXHIBITIONEM (SED MODO SACRAMENTIS APTO) *& obsignationem promissionum Divinarum iis attribuamus.*

LXII. A qua tamen non abhorret Ludovicus le Blanc.

LXII. Diffitendum vero non est, nostrorum quosdam, etiam primi ordinis Theologos, non valde a Lutheranorum sententia abhorrere, quorum etiam consensum laudant. Judiciosissimus & Doctissimus Vir, LUDOVICUS LE BLANC, *illis se Theologis consentire non posse* protestatur, *qui admittunt quidem sacramenta esse signa practica & exhibitiva, neque carere sua efficacia, quum rite administrantur non intelligentibus, nec habentibus usum rationis; sed tamen volunt, sacramenta non alia ratione activa & practica esse, quam obsignando gratiam jam acceptam, adeoque sacramenta, sive in adultis, sive in infantibus, gratiam justificantem præsupponere; quæ* HENRICI ALTINGII *sententia sit.* Contra enim omnino tenendum existimat, *Sacramenta non solum obsignare gratiam acceptam, sed etiam esse media gratiæ recipiendæ, & signa cujusdam*

jusdam gratiæ præsentis, & quæ cum ipsis confertur atque communicatur. Putatque *signis sacramentalibus, in eorum usu legitimo, virtutem quandam Divinam assistere, quæ ex certo pacto & promissione Dei, gratiam salutarem suscipienti confert, & in anima illius operatur.* Vide Disputationem supra laudatam §. XLV. XLVI.

LXIII. At nemo, quod sciam, ex nostris prolixius Baptismi efficaciam auxit, extenditque ulterius, quam Clarissimus Vir, Petrus Jurieus, plurimis doctissimisque scriptis, multisque in Gallicanam præcipue Ecclesiam meritis, celebratissimum hodie nomen; quod non præsens modo seculum, sed & grata venerabitur posteritas. Cujus sententiam, quod bona Viri Magni, & Amici honorandi venia fiat, ex variis scriptorum partibus collectam, & aphorismis quibusdam comprehensam, candide hic exhibebo. Quæ itaque diversis occasionibus copiose disputat, in summam contracta huc redeunt. LXIII. *Jurieі elogium.*

LXIV. I. Præter efficaciam sacramentorum objectivam aliam quoque agnoscendam esse, qualis in iis fuit signis ad quorum præsentiam Deus olim patravit miracula. Talis erat impositio manuum, qua conferebatur quondam Spiritus Sanctus; & contactus Apostolorum, quo excitabant mortuos, & curabant ægros. II. Deum ordinarie conferre gratiam suam eodem tempore quo eam repræsentat, nisi singularis quædam ratio obstet. Non quin Deus gratiam non aliquando ante Baptismum conferat, verum id fieri intuitu Baptismi secuturi: quippe qui caussa moralis est, & agit antequam existit. III. Infantes electos fœderatorum ante suum Baptismum esse filios iræ; quandoquidem usque ad Baptismum morti adhuc obnoxii sunt: plenamque eorum reconciliationem non fieri, nisi suscepto hoc primo fœderis gratiæ sigillo: neque amari a Deo amore complacentiæ, donec baptizati & sordibus illis abluti sint, in quibus omnes nascimur. IV. Per Baptismum ita reatum omnem peccati originalis tolli, ut nemo baptizatus propter peccatum originale damnetur. V. Infantes legitime baptizatos & in infantia morientes, certo servari, talemque Baptismum indubitabile iis electionis argumentum esse. At de salute eorum qui ante Baptismum moriuntur, non haberi certitudinem nisi ex judicio charitatis. Quandoquidem peccati originalis culpa etiamnum adstricti tenentur, posse eam sufficientem reprobationis caussam esse. VI. Baptismum ad salutem ita esse necessarium, uti necessarium est edere ut vivas, & medicinam sumere ut convalescas. VII. Deum quidem posse servare ac servare revera infantes aliquos citra Baptismum; cæterum id fieri modo extraordinario, & propemodum miraculoso, qui a sueta Providentiæ & Gratiæ suæ via plurimum LXIV. *Ejus de Baptismo sententia.*

recedat: uti multos longo tempore sine alimento sustinuit, & Danielis sociis in mediis flammis spiritum vitamque conservavit. VIII. Mortem infantium supplere Baptismi defectum; uti martyrium, secundum Romanensium doctrinam, in adultis.

LXV. *Cum suis firmamentis.*

LXV. Ad tuendam hanc sententiam, primo Scripturæ quædam dicta adferuntur, tum consensus Patrum, uno, ut ajunt, ore eadem asserentium; denique suffragia præstantissimorum Theologorum. Quibus omnibus, qui non cedat, eum *Sacramentariæ* hæresios reum pronunciant. Verum non existimo alienum esse ab officio hominis Theologi, ut diligentius aliquanto singula excutiat.

LXVI. *Scriptura non docet vim effectivam Baptismi, quæ ab efficaci obsignatione distincta sit.*

LXVI. A Scriptura ordiamur. Ea docet, *Christum semet ipsum exposuisse pro Ecclesia sua, ut eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum.* Ephes. v: 25. Docet, *Deum nos ex misericordia sua servasse, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.* Tit. III: 5. Docet, *Baptismum, qui ut exemplar respondet diluvio, nos quoque servare.* I. Pet. III: 21. Docet, *Ananiam Paulo dixisse: surgens baptizator, & abluitor a peccatis tuis.* Sed quæritur, an id docendo, doceat Baptismi sacramento competere vim aliquam exhibitivam & effectivam, quæ ab efficaci obsignatione distincta sit: an doceat, regenerationis gratiam ita ordinarie per Baptismum conferri, ut miraculo simile sit, si quis citra Baptismum regeneretur & servetur. Quod ego me fateor non videre.

LXVII. *Non Paulus.*

LXVII. Paulus allegatis locis salutis nostræ caussas diligenter exponit; quas, pro diversa sua indole, diversimode operari, consentaneum est. Quomodo autem operentur singulæ, hic quidem non exponit, sed aliunde colligendum relinquit. Principe loco Deum laudat, ex cujus destinatione & consilio prima salutis nostræ origo est: tum misericordiam Dei, quæ est caussa proëgumena: porro Jesum Christum, qui uti Mediator & Sponsor, pro Ecclesia se sua exposuit: mox modum servationis, qui est purificatio, sanctificatio, renovatio per Spiritum Sanctum: denique instrumenta, quibus Deus & Christus ad harum rerum promotionem utuntur. Ea sunt Verbum & Baptismus. Verbi vis atque efficacia in eo sita est, quod veritates credendas, & pietatis officia, dilucide doceat, & ad fidem ac sanctimoniam valide hortetur. Quænam autem est specialis efficacia Baptismi? Ex his pericopis vix quisquam aliud didicerit, nisi generale illud, Baptismum aliquid conferre ad nostram purificationem, renovationem, & salutem. Quidnam autem illud aliquid sit, ex Baptismi natura & indole colligendum est. Quæ, quum, sicuti circumcisio, sit sigillum justitiæ fidei, vim ejus in validissima & efficacissima obsignatione consistere oportet. Neque ignorant Viri Doctissimi, hanc receptissimam esse Reformatorum Interpretum expositionem.

LXVIII.

LXVIII. In sermone Ananiæ ad Paulum, Baptismus & peccatorum ablutio, sacramentali quodam nexu junguntur; at nequaquam docetur, nulla salutari gratia donatum fuisse Paulum, neque remissa ipsi a Deo sua crimina ante susceptum Baptismi sacramentum. Ecquis dubitat, quin efficacem Divinæ gratiæ appulsum senserit, quum cœlesti voce in itinere Damasceno compellaretur? Quin interna Spiritus luce collustratus sit, quum corporis oculi squamis obducerentur? Quin suspicere, venerari, amare cœperit Dominum, ex quo gloriam ejus conspexerat, & junctam Majestati comitatem expertus erat? Testes animi salutariter saucii, peccatorum suorum convicti, ad uberiorem gratiam anhelantis, eamque amica quadam vi Deo extorquentis, calida illa suspiria erant, & fluenta lacrumarum, & ferventissimæ preces, & triduanum jejunium; quibus ita delectatus fuit Dominus, ut Ananiam ad ipsum ablegans, verba hæc sacratis jussibus suis inseruerit, *Ecce enim orat.* Sed & testis suæ in Divinum favorem, imo & amicitiam, receptionis, prophetica illa visio, qua monstratus ei est Ananias introiens, & imponens sibi manus, ut visum reciperet. Cum qua manus impositione visus receptio, & liberalissima Divini Spiritus communicatio juncta fuerunt. Sic enim Sacra habet historia. *Abiit igitur Ananias, & introivit domum illam, & impositis ipsi manibus dixit, Saul frater, Dominus misit me; Jesus, inquam, qui tibi visus est in via qua veniebas, ut visum recipias & implearis Spiritu Sancto. Statim autem ab oculis ejus deciderunt quasi squamæ, & visum recepit illico.* Act. IX: 17, 18. Omnia hæc Baptismum ejus præcessisse videntur. Quid ergo ille ad ablutionem peccatorum ipsius contulit? Obsignavit collatam jam gratiam, & arrha fuit, non continuandæ solum, sed & amplificandæ; atque uti mentem implevit sanctissimis consolationibus, ita & animavit ad summa quæque in demandato sibi munere intrepide auspicanda. LXVIII. Nec Ananias.

LXIX. At minimum præsidii in Petrino dicto Viri Docti inveniunt. Enimvero testatur Petrus Baptismum nos servare; sed & explicat servandi modum. Non servat, inquit, nos, quatenus est *depositio sordium carnis*, sed quatenus est *interrogatio bonæ conscientiæ ad Deum.* Removet a Baptismo vim servandi, quæ sit caussa. Quod Baptismus, ut caussa, efficere potest, est depositio sordium carnis. Ea quidem habet vim significandi & repræsentandi depositionem sordium animæ; sed non habet vim efficiendi salutem nostram. Nisi aqua esset res munda, habens vim purgandi corpus a sordibus suis, non esset Baptismus id quod est, nempe signum justitiæ fidei, & aspersionis cordium a conscientia mala. Veteris Testamenti lotiones, dum physice purgabant corpus, LXIX. Nec Petrus.

ſymbolice notabant puritatem cerimonialem, quam *καθαρότητα τῆς σαρκὸς* Paulus nuncupat. Heb. IX: 9. hoc eſt, ut corpus eorum poſſet ſtare, in locis qui ſancti dicebantur, & potuerint uti ſacris carnibus ſacrificiorum. Ea corporis lotio, quæ in noſtro eſt Baptiſmo, melioris purificationis eſt ſymbolum, ejus nimirum, quæ animam mundat, & acceſſum præbet ad cœlum, & participationem ſpiritualium bonorum. At ſymbolum tantum. Similitudo enim iſta non facit nos ſalvos, ſed id quod cum aqua comparatum eſt, & aqua pura *μεταφορικῶς* dicitur. Vide ſodes COCCEJUM in h. l. Quomodo igitur nos ſervat Baptiſmus? Quatenus eſt *interrogatio bonæ conſcientiæ ad Deum.* Baptiſmus enim eſt ſolemnis quædam conventio, confœderatio, & mutua obligatio, qua Deus baptizandum interrogat, an promittat ſe bonæ erga ſe conſcientiæ operam daturum; baptizandus rurſus in bonæ conſcientiæ fiducia Deum interrogat, an Deus ſuus eſſe & manere conſtanter velit. In priſca Eccleſia Epiſcopus, aut aliquis ejus nomine, Catechumenum baptizandum interrogabat, aut, quod idem eſt, ſtipulabatur, *Abrenuncias Sanatæ?* Reſpondebat: *Abrenuncio.* Rurſus, rogatus, *Credisne Chriſto?* Reſpondebat, *Credo.* Hanc *ſponſionem ſalutis* vocat TERTULLIANUS, CYPRIANUS, *interrogationem Baptiſmi.* Plane eodem ſpectant Petri verba. Nam ſi non eandem, ſimilem certe ejuſdemque valoris interrogandi ac ſpondendi formulam, Apoſtolorum ætate, in ſuſceptione Baptiſmi uſitatam fuiſſe, credibile eſt. Et tametſi nulla iſtius rei expreſſa formula fuiſſet, ipſe tamen in ſe Baptiſmus, ut initiamentum fœderis, ſtipulationem illiuſmodi continet. Porro obſcurum non eſt, quomodo iſta bonæ conſcientiæ ſtipulatio nos ſalvos faciat. Concludo verbis BEZÆ, quibus nihil eſſe poteſt in hac materia diſertius. *Dicamus,* inquit, *Apoſtolum reſpexiſſe ad interrogationes Catechiſtarum, quibus Catechumeni* INTERIOREM BAPTISMUM JAM TESTIFICABANTUR EXTERIORE SANCIENDUM. *Unde illud Tertulliani quod eſt veluti commentarii vice in hunc locum, in* Lib. de Reſur. Carn. ANIMA NON LAVATIONE, SED SPONSIONE SANCITUR.

LXX. Patres in re ſacramentaria hyperbolicis locutionibus luxuriant.

LXX. Patres quod attinet, eorum ſermonem ita plerumque tinnire fateor, quaſi gratiam ſalutemque Baptiſmi ſacramento alligaverint. Non lubet mihi ipſorum errores acriore ſermone exagitare: quod aliquibus nunc ſcriptoribus in more poſitum eſſe video; qui tam inſana eos culpandi ac pipulo differendi impetigine laborant, ut nulla non occaſione, imo & nulla, Patrum hallucinationibus chartas ſuas conſpurcent. Eam reverentiam deberi exiſtimo hominibus de Eccleſia Chriſti, diligen-

diligentia, zelo, & exemplo suo præclare meritis, ut nævos ipsorum cæteris virtutibus condonemus. Attamen dissimulandum non est, infeliciter ipsos aliquando de maximi etiam momenti caussis disputare; & frequenter ejusmodi adhibere locutiones, quæ, nisi benigna interpretatione molliantur, vædurum sensum pariunt. Pro exemplo sint, quæ clarissimus Jurieus operosa diligentia ex Patribus congessit circa articulum adorandæ Trinitatis. Maxime autem luxuriarunt Patres circa Sacramenta: atque uti externum signorum usum superba cerimoniarum pompa exornarunt, ita & virtutem iis adscripsere majorem quam Scripturarum patitur simplicitas. Nazianzenus, in carmine de vita sua, narrans quanto in periculo navigans fuerit, id sibi præcipue doluisse testatur, quod nondum esset baptizatus:

Καθαρσίων γὰρ, ΟΙΣ ΘΕΟΥΜΕΘ', *ὑδάτων*
Ηλλοτριώμην ὕδασι ξενοκτόνοις.

Lustralibus etenim ab aquis illis, QUIBUS
Nos DEIFICAMUS, *me arcebant undæ maris.*

At Scripturarum simplicitati inhærere longe tutius est, quam rhetoricis Patrum amplificationibus, veluti torrente, abripi. Neque opinor, quemquam nunc esse nostratium Theologorum, qui per omnia iiscum in Baptismi doctrina facere velit. Nam certe limites excedendo nimium ei tribuerunt, & si se benigna verborum suorum expositione juvari negent, suis relinquendi sunt hyperbolis.

LXXI. Neque juvari possunt, nisi benigna interpretatione.

LXXI. Video tamen æquissimos nostrorum excusandis ipsis omnem impendere diligentiam, quasi impropria locutione signis adscripserint quod rei significatæ debebatur. Sic Beza, ad Acta Colloq. Mompelg. loco antea citato. *Non diffiteor in hunc quantumlibet palpabilem errorem, inductos esse nonnullos, male intellectis Patrum sententiis; qui, non certe ut signis aliquo modo tribuerent, quod est unius Spiritus Sancti opus, sed ut sacramentorum usum & efficaciam commendarent, sæpe sic de signis sunt locuti, ut quod unius est Divinæ virtutis, videantur illis, quasi subordinatis, ut isti volunt, instrumentis adtribuere.* Quibus illud addo, rhetoricationes illas Patrum de Baptismi efficacia ac necessitate, & communem Ecclesiæ praxin plurimum discrepare, quod modo luculenter demonstraturus sum.

LXXII. Theologorum numero infeliciter pugnatur.

LXXII. De Theologorum *ὁμοψήφων* numero, non censeo esse altercandum. Religionis dogmata non humana, sed Divina auctoritate, fulcienda sunt. Si tamen ea ratione dirimenda hæc foret controversia, multum mihi a plurimorum & doctissimorum suffra-

suffragiis pollicerer. Qui hospes in Reformatorum Doctorum scriptis non est, facile animadvertit pro ea quam nos defendimus sententia integras stare legiones, junctasque umbone phalanges. Sed istis non pugno argumentis; neque ea admodum apud me valitura esse, profiteor.

LXXIII. *Jurieo opponitur Burmannus.*

LXXIII. Id solum sibi dici patiatur clarissimus JURIEUS, neminem me unum, in toto orbe Reformato, cujuscunque nationis, nosse Theologum, qui junctim eadem omnia cum ipso de Baptismo scripserit: & fallar, si ipse monstrare potis sit. Non est quod conqueratur cum indigno se committi adversario, si BURMANNUM ei opposuerim: qui contrariam suæ sententiam, non minori quam ipse fiducia, gravi & facunda oratione propugnat. Synop. lib. VII. cap. IV. §. XXVIII. *Nec satisfaciunt illi qui vim quidem internam, in animam agentem, sacramentis abrogant; sed eadem, qualescunque tandem caussæ sint, infallibiliter tamen gratiam producere statuunt; Deo videlicet, ex quadam lege, seu pacto, ad eorum præsentiam operante. Quanquam enim hi virtutem omnem Deo, non sacramentis tribuant; tamen reliqua prioris sententiæ* (qua physica virtus Sacramentis adscribitur) *probra non effugiunt. Nam & Dei virtutem externis istis signis alligant, quasi ad eorum præsentiam solum operetur: quod & falsum est,* QUUM ETIAM ANTE PERCEPTA SACRAMENTA GRATIAM SUAM LARGIRI DEUS SOLEAT, CUJUS ACCEPTÆ EA TANTUM SIGNA ET INDICIA SUNT; *& parum a magica signorum & verborum superstitione abhorret. Prout Scriptura hos religionis corruptores, qui externis verbis & signis in sacris tantum tribuunt, magos appellare non semel solet. Et præterea externis illis symbolis fidelium animas nimium affigunt, & obstringunt; quum sine iis gratiam Dei, ac vitam æternam,* VIX *dari autument.* Non dissimulo, sententiam a Burmanno impugnatam aliquanto ulterius procedere quam clarissimus forte Jurieus velit: id in præsentia sufficiat, eam Jurianis hypothesibus e diametro esse adversam.

LXXIV. *Illiusque sententiam prisca & recentioris Ecclesiæ praxis refellit.* Vide Dallæum de cultib. Relig. Latin. lib. I. cap. III.

LXXIV. Quas certe cum praxi, tam priscæ, quam recentioris Ecclesiæ, conciliare difficile est: si non ἐκ τῶν ἁπλῶς ἀδυνάτων. In prisca Ecclesia status Baptismati locus, stata plerumque fuerunt tempora. Initio quidem omne tempus Baptismo habile censebatur. TERTULLIANUS de Baptismo: *Omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo. Si de solemnitate interest, de gratia nihil refert.* Dein duo anni festa, Paschatis nimirum & Pentecostis, sacro huic officio fuere adhibita, ad majorem solemnitatem; cujus ultra quam par est studiosi fuerunt Veteres. Idque jam Tertulliani tempore obtinuit, qui ejus rei rationes profert, sed nive frigidiores. Postea lege cautum fuit, ne alio tempore administraretur. LEO I. Episcopus Romanus, ad Siciliæ Epi-

Episcopos Epiphaniæ etiam die baptizantes, scripsit: ***Baptizandis in Ecclesia electis duo tempora esse legitima*: *ideoque***, inquit, ***dilectionem vestram monemus, ut nullos alios dies hujus observantiæ misceatis.*** Tandem excommunicationis pœna in eum decreta est, qui, excepto mortis articulo, extra illud tempus baptizasset. In CONCILIO ANTISIODORENSI, quod habitum est Anno DXC. Canon. XVIII. ***sancitur eum qui id fecerit tribus mensibus a communione Ecclesiæ sequestrandum esse.*** Scio, non fuisse ejusmodi sanctiones universalis & perpetuæ observantiæ; meritoque deinceps jure abrogatas. Attamen & Reformata Ecclesia Baptismum administrare non solet, nisi statis publicarum concionum locis ac temporibus. Exstantque ea de re ubivis fere Ecclesiasticæ constitutiones. Sed si verum illud esset, & pro vero communiter habitum, quod infantes ad usque Baptismum maneant filii iræ, neque amentur a Deo amore complacentiæ, & relinquantur in reatu peccati originalis, & in Baptismo certe regenerentur, sine Baptismo autem non serventur nisi per miraculum; non modo durum, & iniquum, sed & tyrannicum, impium, sacrilegum, & plus quam parricidium foret, Baptismum certo tempori alligare. Ne ullum quidem prætermittendum esset momentum, ut charissima pignora, mox a partu, reatu peccati originalis solvantur, e statu iræ in statum gratiæ transferantur, & in certa æternæ felicitatis exspectatione collocentur. Proh impios parentes, qui vel ad horæ momentum otiosi cessent! impiam Ecclesiam, quæ male feriatis constitutionibus suis venientes arcet, petentibus negat! impios sacrorum ministros, qui non, omni loco, omni tempore, ad tam necessariæ pietatis officium præsto sint!

LXXV. Sed & aliæ sunt difficultates, quibus Doctissimi Viri sententia premitur. I. Si sacramenta cum iis conferantur signis, aut instrumentis, ad quorum præsentiam Deus olim patravit miracula, qualia fuerunt, Apostolorum contactus, Petri umbra, Pauli sudaria; non solum ordinarius Divinæ Providentiæ in communicanda gratia sua cursus miraculis accenseri videtur; sed & omnis revera sacramentorum efficacia tollitur. Eæ enim res ad quarum præsentiam operabatur Deus, nihil omnino ad effectum miraculosum conferebant; cujus ne morales quidem caussæ dici merebantur. In sacramentis aliter sese res habet, quæ ad id a Deo instituta sunt, ut sint instrumenta in suo genere valde efficacia, quibus Deus utatur, ut aliquid in nobis operetur. Nam analogia illa quæ inter signum & rem signatam intercedit, & institutio Divina, qua vim significandi & obsignandi nanciscuntur, eximiam iis conciliant pollentiam, ad gratiæ augmentum, ad confirmationem fidei, ad corro-

LXXV. *Sicut & multis premitur incommodis.*

corroborationem ſpei, ad inflammationem charitatis. Uti Deus non ſolum ad verbi prædicati præſentiam, ſed & per verbum, in cordibus electorum agit; ita per ſacramenta: eo actionis modo & ordine, qui naturæ ipſorum conſentaneus eſt. Atque hactenus plus ego efficacitatis ſacramentis attribuo, quam ipſe Vir Doctus. At hoc fortaſſe minimum eſt.

LXXVI. LXXVI. II. Si Deus ordinarie gratiam ſuam conferat, eodem tempore quo in ſacramento repræſentatur; & in ipſa Baptiſmi adminiſtratione infantes regeneret, & peccati originalis reatu liberet; diligentia parentum, mature liberos ſuos ad Baptiſmum offerentium, regenerationem eorum cum ſuis ſequelis accelerabit, negligentia retardabit: atque ita per hominum diligentiam aut ſocordiam ordinarie determinabitur Divinæ gratiæ in alios influxus. Quod autem additur, Deum quandoque gratiam conferre intuitu Baptiſmi ſecuturi; quo Scripturæ dicto, qua ratione ſacra, demonſtratur? Sufficitne in Religionis negotio, quidquid in mentem venit, & hypotheſi quomodocunque inſervit, pro auctoritate dictare?

LXXVII. LXXVII. III. Si infantes ad uſque Baptiſmum filii iræ ſunt, & Baptiſmi ſuſceptione mox in ſtatum gratiæ transferuntur; ſi baptizatorum in infantia morientium ſalus certa eſt, de non baptizatorum ſalute non habemus niſi judicium charitatis: iterum dico, inexcuſabilem prorſus Chriſtianæ ϛοργῆς, paternæque pietatis defectum eſſe, ſi parentes non primo quoque momento Baptiſmum illum, tanta collaturum, procurent; neque ullo colore defendi poſſe conſtitutiones illas Eccleſiaſticas quibus vel tantillum moræ Baptiſmi adminiſtrationi injicitur.

LXXVIII. LXXVIII. IV. Si reatus peccati originalis per Baptiſmum ita ſemper tollatur, ut nemo baptizatus propter peccatum originale damnetur, qui tamen propter alia peccata damnationem non evadat; alterutrum neceſſe eſt, vel remiſſionem illam peccati originalis non fieri propter ſatisfactionem Chriſti, vel Chriſtum ſatisfactionem ſuam ita cum quibuſdam hominibus eſſe partitum, ut ipſe partem in ſe ſuſceperit, partem alteram iis reliquerit. Quorum utrumque vero diſſentaneum eſſe antea docuimus. §. XI. Accedit & hoc incommodum. Cui in infantia peccatum originale, quo ſolo laborat, condonatur; is jam peccati omnis exſors eſt, is in ſtatu gratiæ eſt; is Diaboli non eſt. Idem ſi creſcente ætate actualibus ſe peccatis mancipet, quorum meritis damnatur, is ex ſtatu gratiæ in ſtatum iræ relabitur; & poſtquam Chriſti fuit, iterum incipit eſſe Diaboli, illiuſque manet in æternum. Quæ qua ratione cum Reformatæ Eccleſiæ hypotheſibus conciliari queant, ego quidem non video.

LXXIX.

LXXIX. V. Uti nec ista conciliare me posse profiteor: Baptismum ad salutem ita esse necessarium, uti cibus est ad sustentationem vitæ, & medicina ad restaurationem valetudinis; & miraculi instar esse, si quis sine Baptismo servetur; & quum de patratione miraculorum nihil temere præsumendum sit, debili fundamento niti judicium illud charitatis de non Baptizatorum salute: atque interim mortem infantium supplere Baptismi defectum, sicut, secundum Romanenses, martyrium in adultis. Hæc mihi adversa fronte sibi invicem repugnare videntur. Si enim mors id præstet infantibus, quod ex Pontificiorum opinione martyrium adultis; infantium, sine Baptismo morientium, salus æque in tuto collocata erit, ac baptizatorum. Nemo enim in Romana Ecclesia de salute martyrum dubitat. Unde autem id habet Vir Magnus, quod mors defectum Baptismi suppleat? Quo Scripturæ testimonio id didicit? Quodnam tam asseveratæ dictationis argumentum est? LXXIX.

LXXX. At finis tandem disputationis hujus esto: quæ, ut initio dixi, & nunc repeto, eo comparata est, ut veritati elucidandæ, simulque paci fraternæ stabiliendæ, inserviat. Omnia itaque Christiana obtestor pectora, quibus in hac controversia aliquid est negotii, ut, si in pagellas has nostras incidant, sine affectu, sine præjudicio, quæ dicuntur expendant, uti a me sunt scripta. In summa rei, per Dei gratiam, Orthodoxi omnes convenimus. I. Sacramenta, respectu Divinæ gratiæ, carere omni efficientia physica, ac proprie dicta, & moraliter tantum ad eam concurrere: & quando de adultis ac ratione utentibus agitur, per sacramenta nihil omnino gratiæ conferri, nisi iis qui ad ea accedunt cum debitis fidei ac pœnitentiæ motibus: præterea, ne quidem in legitimo sacramentorum usu ullum esse gratiæ meritum. II. Sacramenta tamen non esse nuda & vacua signa, sed sigilla gratiosi fœderis; quorum, ex institutione Divina, maxima efficacia est ad significanda & obsignanda gratiæ Divinæ beneficia: imo tanta efficacia, ut nulla major in isthoc caussarum genere desiderari possit. III. Gratiam Dei non esse ulli sacramento ita alligatam, quin citra sacramenti usum illam conferat Deus cuicunque & quandocunque libuerit; quamvis sacramentorum usum ad gratiæ suæ consecutionem & augmentum Divino jussu sanciverit. IV. Pædobaptismum in verbo Dei esse fundatum, & nominatim in gratioso illo fœdere, quo Deus non fideles solum, sed & semen eorum complectitur. V. Magnam esse Pædobaptismi utilitatem: non eorum solum liberorum respectu qui adolescunt, sed & eorum qui in ætate infantili moriuntur; quibus, licet ignorantibus, certissima tessera est præsentis gratiæ & futuræ gloriæ. VI. Operam proin- LXXX. *Orthodoxi omnes in re ipsa consentiunt; dissensus de modo & tempore est.*

proinde dandam esse parentibus, ut quam fieri potest maturrime, liberorum suorum Baptismum procurent. In his omnibus consensus est. Dissensus versatur circa modum operandi, & circa tempus.

LXXXI. *Qui tanti momenti non est, ut haresin introducat, vel Ecclesiæ pacem turbare debeat.*

LXXXI. Qui tantus non esse videtur, ut pars altera dissentientium alteri, Sacramentariæ, aut Pontificiæ, hæresios dicam impingere debeat. Omnibus enitendum est, ut & sensus & locutiones suas ad Scripturarum amussim componant. Veritas in unaquaque re una tantum est: ei inveniendæ, hominis Theologi, imo & Christiani, officium est, sollicitam impendere diligentiam. Nihil hic censeri par est accuratione nostra indignum. Attamen in hac mentium nostrarum caligine nemini irascendum est, qui non eadem in omnibus videt, quæ nos videre præsumimus, aut revera per Dei gratiam videmus. Veritatis & charitatis juncta ex æquo studia, Christianarum, hoc est, vere generosarum, mentium splendidissima ornamenta sunt.

LXXXII. *Male nobis hanc discrepantiam objicerent Pontificii, plus ipsi discrepantes.*

LXXXII. Unum adhuc addendum esse videtur, antequam Dissertationi huic imponam finem: non esse quod Romanæ Ecclesiæ Doctores sententiarum istam discrepantiam nostris hominibus exprobrent. Quum ipsi quoque, in eadem de sacramentorum efficacitate controversia, in non pauciores (mollissime loquor, dicendum fuerat, in multo plures) opinionum partes discreti sint. In eo quidem omnes consentiunt, quod Novi Fœderis sacramenta effectum suum producant ex opere operato. Atque hic barbarismus Romanensium Schibbolet est. Ubi autem portentosæ istius locutionis exponenda est significatio, ea de re tot fere sunt opiniones, quot capita: eæque adeo sibi invicem repugnantes, ut tot contradictionibus manifestum incertitudinis suæ præbeant argumentum. Iis præterea ænigmatum gryphis inter se decertant, quibus non nisi Sphinges & Oedipi solvendis pares sint. *Potest,* inquit GULIELMUS ESTIUS, in lib. IV. Sentent. Dist. I. Num. V. *ea opinionum diversitas ad duos generales modos revocari. Nam alii volunt, sacramenta esse proprie dicta instrumenta Dei, tanquam principalis caussa, ad gratiam producendam, & proinde virtutem aliquam iis tribuunt, qualis instrumentali caussæ convenit, quatenus movetur ab agente principali. Alii vero, neque proprie dictam, id est, physicam instrumenti rationem in sacramentis agnoscunt, neque virtutem aliquam creatam illis inesse putant, qua gratiæ effectum operentur: sed dicunt hactenus tantum sacramenta esse efficacia gratiæ signa, quia Divina virtus sacramentis ad producendum gratiæ effectum certo & infallibiliter, ex Christi promissione, assistit; ut videlicet habeant rationem caussæ sine qua non, vel potius caussæ instrumentalis generaliter dictæ. Instrumentum morale vocant.* Cæterum hæ duæ Classes generales

nerales in varias rursus dispertitæ sunt turmas: quas omnes recensere prolixum foret. Gabriel Vasquez Tom. III. in III. Part. Thomæ. Quæst. LII. Disp. cxxxII. Primo refert *quinque* opiniones eorum qui negant sacramenta esse caussas physicas gratiæ: quarum *quatuor ei non placent*; *quinta partim placet, partim displicet*. cap. I. Dein cap. II. refert *alias quatuor* eorum, qui dicunt esse instrumenta Dei ad gratiam physice producendam: quas omnes refellit. cap. III. & IV. Tandem cap. V. concludit, Probabiliorem *opinionem ferre, sacramenta Novæ Legis solum esse instrumenta moralia ad producendam gratiam*; confutatis aliorum opinionibus, earumque infirmatis & convulsis firmamentis. Vide sis Riveti Catholicum Orthodoxum. Tract. III. Quæst. II. Quum itaque tanta sit opinionum circa hanc rem in Romana Ecclesia diversitas; minorem nostrorum discrepantiam in scandali occasionem trahi, iniquum foret. Si suæ opinionis aliqua ducuntur reverentia; volupe iis esse deberet quod nostrum quidam propius ad ipsos accedant: uti nos propiorem a veritate distantiam ex animo iis gratulamur, qui nostris partibus viciniores sunt.

EPILOGUS.

HÆc ego ita secundum animi mei religionem scripseram, & typographo characteribus suis excudenda commiseram: quum amicus quidam meus communicaret Epistolas posthumas Celeberrimi Claudii, moneretque ea quæ ordine septima & decima est totam istam de Pædobaptismi efficacia controversiam prolixe & nitide pertractari. Gavisus isthoc nuncio, simul ac per occupationes licuit, avide librum evolvo, Epistolam quæro, lego, nec cesso donec perlegerim. Verbis vix expressero, quanta voluptate animum perfundi senserim, dum tantam tamque exactam mearum cogitationum cum cogitationibus illustris Theologi consensionem deprehendo: adeo quidem ut meorum multa ex ipso transsumta propemodum videri queant. Qua re uti vehementer in sententia confirmatus, ita & valide ad agendas Deo gratias impulsus sum. Sciebam enim quam magnum & memorabile Claudii nomen esset, præsertim apud dispersæ nunc per orbem terrarum Gallicanæ Ecclesiæ reliquias; quæ ipsum toties, tam fortiter, tam perite, tam feliciter, caussam veritatis agentem viderat & admirata erat. Atque hinc facilius in eandem mentem consensuros Fratres sperabam, quibus sacra tanti Viri memoria est. Non quod humana pugnare auctoritate velim, contra quam sæpe protestatus sum: sed quod

tam venerandi nominis præscriptione multorum animos excitatum iri confiderem, ad caussæ momentum, rationesque eo facientes, curatius expendendum. Rogatos itaque Fratres velim, ut mea cum Claudianis conferre dignentur; eadem intentione, eodemque fine, addo, eadem fere per omnia mente, conscripta. Finire liceat Divino Pauli monito, & voto: IN EO AD QUOD USQUE PERVENIMUS, EADEM INCEDAMUS REGULA, ET IDEM SAPIAMUS. QUOD SI QUID ALITER SENTITIS, HOC QUOQUE DEUS REVELABIT.

EXERCITATIO XX.

DE

THEOLOGIA GENTILIUM

in negotio

JUSTIFICATIONIS.

BREVIARIUM.

I. Per Justificationem intelligitur absolutio a reatu & judicatio vitæ æternæ. II. Vera Justificationis doctrina ex oppositis erroribus optime cognoscitur. III. Antiquissimi Christiani, vel Gentiles fuerant, vel Judæi. IV. Gentiles plerique in magna futuri seculi securitate vitam transigebant. V. Criminumque sibi veniam ex vera pœnitentia pollicebantur. VI. Præsertim si accesserit Confessio, & Deprecationes. VII. Precum vis, secundum Jamblichum. VIII. Cum precibus conjunctæ fuerunt Cerimoniæ animi demissionem testantes. IX. Quo pertinet, quod Matronæ apud Romanos passis crinibus templorum pavimenta verrebant. X. Multum etiam tribuerunt lotionibus ac lustrationibus. XI. Reclamantibus tamen prudentioribus. XII. Igitur ad sacrificia expiatoria itum. XIII. Quamvis & iis sapientiores exiguum pretium statuerint. XIV. Attamen bonum factum fuit, quod animam animæ substituendam esse crediderint. XV. Ex quo principio notabiles orti Ægyptiorum ritus. XVI. A brutis sacrificiis tandem

dem ad humana deventum est. XVII. Non modo ex plebis fece, sed & ex charissimis, & præstantissimis hominibus, eximenda. XVIII. Nec coacta mori, sed & sponte se oblatura. XIX. Quoniam incertum erat, an talis substitutio Numini placeret, tutius quibusdam visum est propriis perpessionibus crimina sua expiare. XX. Vel ipsa etiam voluntaria morte. XXI. Quæ si necdum suffecerit, variis pœnis purgatoriis post hanc vitam. XII. De quibus multa Socrates apud Platonem, in Gorgia. XXIII. Et Phædone. XXIV. Cœlum, beatarum animarum receptaculum, vel circa Lunæ orbem, vel inter Sidera, esse creditur. XXV. Ciceronis ea de re philosophemata. XXVI. De beatitudine cœlesti quid senserint. XXVII. Eam non nisi sanctitatis & justitiæ studio acquiri, docuit Socrates. XXVIII. Et Cicero. XXIX. Conscientia sanctitatis in hac vita facit fiduciam felicitatis in futura. XXX. Quam fiduciam Divinationi imputabat Socrates, ut nos Christiani Spiritui Sancto. XXXI. Sacerdotes populum docuerunt, in arcanis quibusdam cerimoniis latere virtutem deificæ unionis, XXXII. Inchoandæ in hac vita, consummandæ in futura. XXXIII. *Futura vitæ felicitate solari se lugentes possunt ac debent.* XXXIV. *Recapitulatio, qua ostenditur quid in omnibus hisce veri & boni,* XXXV. *Quid falsi ac mali sit.*

PROLOGUS.

P*Rodierunt non ita pridem* Antiquitates Apostolicæ, *a Reverendo Doctissimoque Viro*, GULIELMO CAVE, *S. S. Theologiæ Doctore ac Professore & Canonico Windsoriensi, Anglicano idiomate conscriptæ, ac, me suasore, in Belgicum sermonem translatæ. Ibi ad calcem* Vitæ Pauli, sect. IX. *occurrit* Dissertatio, *elegans profecto & erudita*, de Præcipuis Controversiis, quæ Pauli ætate vigebant. *In iis locum suum habet* Controversia de JUSTIFICATIONE, *quam aliquanto aliter exponit, ac in Ecclesia Belgica fieri solet. Observat igitur, mentem Pauli optime intelligi posse ex ea lite quam liberæ Ecclesiæ Christianæ intentabant non modo* Judæi, *Evangelii hostes, sed & quidam ex* Judæis *ad* Christianismum *conversi, at magna adhuc Mosaicarum legum veneratione ac zelo ducti. Atque* illi *quidem improbe pugnabant, non aliunde justitiam & vitam obtineri posse, nisi ex observatione legum Mosaicarum, quarum initium, radix aut fundamentum sit circumcisio*: hi *vero Evangelium quidem admittebant, sic tamen ut adjungi illi vellent circumcisionis cæterarumque cerimoniarum usum, uti partem necessariam illius qua justificari nos oportet justitiæ. Cum utroque hoc*

hominum genere Paulo fuit negotium: contra tendenti, non esse justificationem quærendam ex Oeconomia legis Mosaicæ, *neque in solidum neque ex parte, sed ex* Oeconomia doctrinæ Evangelicæ, *absque omni choragio cerimoniarum. Ideoque per* Fidem *intelligit aliquando* doctrinam Evangelii, *quam* Legem Fidei *vocat, oppositam* doctrinæ Mosaicæ, *quam vocat* Legem Operum; *aliquando* efficacem illum assensum Evangelio præbendum, *qui non notat hic virtutem aliquam specialem, sed* universam conditionem Novi Fœderis, *& complectitur in se* exercitium omnium virtutum Christianarum. *Unde concludit,* Opera obedientiæ Evangelicæ *non opponi* Fidei *in negotio* Justificationis. *Quæ omnia fuse & accurate Vir Doctissimus exsequitur. Dissertatio ista molestiam facessebat Interpreti Belgæ, Viro Docto, & Orthodoxias studiosissimo, qui non sine difficultate aliqua persuaderi sibi passus est, ut eam sine observationibus aliquibus vernacule verteret. Atque hinc imposita mihi necessitas quædam est in controversias istas curatius inquirendi, veram Pauli mentem investigandi, simulque receptam Ecclesiæ nostræ doctrinam tuendi. Inde natæ mihi sequentes* quatuor Exercitationes: *quas qua fide, judicio, & animi lenitate conscripserim, arbitrium penes æquum, istarumque rerum peritum Lectorem esto.*

I. *Per Justificationem intelligitur absolutio a reatu, & adjudicatio vitæ æternæ.*

FRequentissima in sacris literis, maxime in Divinis Pauli Epistolis, JUSTIFICATIONIS mentio est. Cujus doctrina tam prolixe exponitur, tam sollicite inculcatur, tam diligenter adversus objectas difficultates vindicatur; ut, magnum oppido religionis Christianæ fundamentum in isthoc articulo situm esse, merito existimemus. Et sane, si quicquam aliud, hoc certe, ad Dei in Christo Sospitatore gloriam, & ad animæ peccatorum suorum mole pressæ, eorumque sensu tortæ, & ad vindicatricis Justitiæ Dei cogitationem trementis, consolationem apprime conducit; ut bene exploratum habeas, qua via, Deo reconciliatus, peccatorum nanciscaris veniam, & jus consequaris æternæ beatitudinis. In hisce enim duabus rebus justificatio consistit. Cui crimina sunt condonata, cui jus perpetuæ felicitatis addictum est, is eo ipso est justificatus. Quod nunc, tanquam rem extra controversiam positam, mihi sumo; semelque monitum semper menti obversari velim; ne tota hac Disputatione videamur ἀεροβατεῖν. Hoc saltem ab æquis Lectoribus impetrem, ut, omissa omni de nominibus contentione, id agi meminerint, quid illud sit per quod, & propter quod, homo peccator absolvatur a reatu suorum criminum, & consequatur jus vitæ æternæ.

II. Pru-

II. Prudenter a Viris doctissimis observatum est, ad mentem Pauli Apostoli, qui omnium prolixissime & diligentissime hanc materiam exsecutus est, rite intelligendam, plurimum esse valiturum, si accurate perspectos habeamus errores istos, quibus imbuti erant hominum isto seculo viventium animi, & quos operosa disputatione confutare, ac discipulorum suorum mentibus radicitus evellere, conatus est. Idcirco hinc mihi ordiendum esse duxi, ut plenius ac distinctius quam hactenus ab Interpretibus & συζητηταῖς factum esse memini, grassantes eo ævo circa hoc negotium errores, ex antiquis monumentis explanem. Quod recte a me fieri non poterit, nisi & quædam præclare dicta intermisceam, quæ residui adhuc luminis debiles scintillationes sunt; eo gratiores, quod ex mediis tenebris micent. Non enim systema aliquod Gentilis, aut Judaicæ, circa hoc caput, doctrinæ formari poterit, nisi falsis misceantur vera. *II. Veræ Justificationis doctrina ex oppositis erroribus optime cognoscitur.*

III. Illi, quos Spiritus Sanctus sua per Pauli calamum institutione dignatus est, omnes tunc quidem CHRISTIANI erant: attamen eo discrimine, quod quidam ex GENTILISMO, alii ex JUDAISMO, ad fidem Christianam erant conversi. Utrique ante conversionem, tempore ignorantiæ suæ, pravis opinionibus & alte radicatis præjudiciis imbuti erant, de ea re quam Paulus *justificationem* vocat, ista quam modo exposui mente. Multum autem operæ in eo sibi ponendum esse deprehendebat, ut veritatem, quæ tanti ad salutem momenti est, liquido exponeret, idoneis argumentis firmaret, & approbaret conscientiis; &, quod rei caput erat, mentes longe aliter imbutas, erroribus ac præjudiciis suis, nondum bona fide prorsus depositis, exsolveret. Hoc itaque sedulo agit, ut tam *Gentiles* quam *Judæi* convincantur erroneæ suæ, qua hactenus temere animum inflaverant, vanitatis. *III. Antiquissimi Christiani, vel Gentiles fuerant, vel Judæi.*

IV. GENTILES, ut de iis primo nunc loco dicamus, plerumque in vesana degebant securitate, non admodum vindictam Numinis metuentes, de beatifico ejus amore parum solliciti, & modo iis in hoc seculo bene esset, de futuri seculi felicitate nihil fere cogitantes, vel certe tenues ac indignas cogitationes foventes, nulla propemodum illius assequendæ cura tacti. Qui indole ac felicitate quadam nascendi, aut educatione, aut Philosophiæ studio, ad virtutem quodammodo formati, aliquam ei operam dabant; tam impense ista sibi virtute placuerunt, ut imputari sibi a superis, in laudem ac mercedem, postularent: vitiaque sua cætera, sine quibus neminem nasci fatebantur, insigni ista probitate abunde redemta esse arbitrarentur. Certe tantum sibi a Deorum suorum benignitate pollicebantur, ut, sine multa & operosa satisfactione, sola sua bonitate inducti, cæteræque probitatis intuitu, vitia *IV. Gentiles plerique in magna futuri seculi securitate vitam transigebant.*

ejusmodi, a quibus vix est ut humana natura prorsus sibi caveat, propitii transmitterent. Quam facilem sibi Numinis placationem promitterent, colligere est ex *Jamblicho de Myst. sect.* 1. *cap.* XIII. Ubi monet, offensionem Numinis *non esse inveteratam quandam & permanentem iracundiam*, ἀλλὰ τῆς ἀγαθοεργοῦ κηδεμονίας περὶ θεῶν ἀποστροφήν, *sed benefica Deorum curæ aversionem quandam: quam quidem curam ubi nosmet ipsi averterimus a nobis, tanquam a luce meridiei nos abscondentes, tenebras nobis accersimus, & bona Deorum indulgentia nos ipsi privamus.* Mox addit: δύναται οὖν ἡ ἐξίλασις ἡμᾶς ἐπιστρέψαι πρὸς τὴν κρείττονα μετουσίαν, καὶ τὴν ἀνεσταλμένην ἀφ' ἡμῶν θείαν κηδεμονίαν εἰς κοινωνίαν προσαγαγεῖν, καὶ συνδῆσαι συμμέτρως τὰ μετεχόμενά τε καὶ μεταλαμβάνοντα πρὸς ἄλληλα. *Potest autem placatio nos iterum restituere in participationem Divinam, & providentiam Divinam a nobis divulsam, iterum ad se communicandum invitare; & debito modo participantes cum participatis mutuo connectere.*

V. Criminumque sibi veniam ex vera pænitentia pollicebantur.

V. Verum si criminosam quis incestamque duxisset vitam, aut si ingenti scelere, sive hominum quispiam, sive integer aliquis populus, se obstrinxisset; ipsa illos naturalis docebat conscientia, provocatam isto facto esse Divini Numinis iram, & satisfactionem aliquam requiri, qua scelus expietur, & propitietur Deus. Atque hic quidem sollicito quadantenus animo occurrebat primum, necessariam esse male facti POENITENTIAM. Quæ, innocentiæ propemodum æquiparanda, favorem Numinis pœnitenti conciliet. Hinc notum illud *Senecæ* Tragici, *Quem pænitet peccasse, est innocens.* Hinc & *Ovidii* illud *de Ponto. lib.* 2. *eleg.* 1.

Sæpe levant pœnas, ereptaque lumina reddunt,
Quum BENE *peccati* POENITUISSE *vident.*

Recte dixit Poëta, *bene pænituisse:* nam veram sinceramque pœnitentiam requirebant; eo demonstrandam, quod plus criminis fœditate, quam pœnæ metu, pœnave ipsa, torqueretur peccati convictus animus. Sic enim mentem suam porro exponit:

—— Pænitet. & facto torqueor ipse meo.
Quumque sit exilium, magis est mihi culpa dolori:
Estque pati pœnam, quam meruisse minus.

VI. Præsertim si accesserit Confessio, & Deprecationes.

VI. Neque tamen nudam sic sufficere putabant pœnitentiam, ut non adjungendam ipsi existimarent solennem criminum CONFESSIONEM, demissique animi PRECES. De qua re eximius locus est Euripidis in Andromache. v. 54.

Εἴ πως τὰ πρόσθεν σφάλματα ἐξαιτούμενος
Θεὸν παράσχοιτ' εἰς τὸ λοιπὸν εὐμενῆ.
Ut deprecando prioris erroris veniam,
In posterum Deum sibi reddat placitum ac propitium.

In precibus tam *Græcorum* quam *Romanorum* partem non temnendam faciebant solennia carmina, quibus propitios sibi precabantur superos, eadem propemodum formula, qua usus in Evangelio legitur Publicanus. In quam rem eruditissimæ exstant Illustris Spanhemii observationes *ad Callimach. Hymn. in Cerer. vs.* 139. Ἵλαθί μοι. *Consueta nempe* (sic commentatur grande illud seculi nostri decus) *uti fidelium, seu veri Dei cultorum, sicuti Publicani Luc.* XVIII: 13. Ἱλάσθητί μοι, sis mihi propitius, *ita etiam Gentilium, seu Orphicis, seu Homericis, vel Homeridarum hymnis, precandi formula,* ἵληθι, κλῦθι, ἔρχου ἵλαος, sis propitius, exaudi, veni propitius: *ac prout apud Latonam in iisdem Orphicis conjunctim dicitur:*

Κλῦθι Θεὰ δέσποινα, καὶ ἵλαον ἦτορ ἔχουσα.
Audi Dea Domina, & propitium cor habens.

Ac ita circa finem Ἀδωνιαζουσῶν *apud Theocritum, Idyllio* xv. *v.* 143. ἵλαθι νῦν φίλ' Ἄδωνι. *Ubi Grammatici,* ἵλαθι ἀντὶ τὸ ἱλάσθητι, κατὰ ἀποκοπὴν Δωρικῶς. *Eadem formula usi etiam passim Romani, in supplicationibus ac sacrificiis. Ut,* Precor te Juppiter, uti mihi volens propitius sies: *nempe quod hic ad Cererem,* ἵλαθί μοι. *Vel,* Juppiter, &c. Uti sies volens propitius mihi, liberisque meis, domui familiæque meæ; *prout ea leguntur apud Catonem de R. R. Festum, ac alibi. Cujus rei rationem reddit Jamblichus, de Myster. sect.* I. *cap.* XI. *quod Dei ira non sit permanens, sed* ἀποστροφὴ *tantum, seu* aversio, *quæ per* ἐξίλασιν, placationem, *seu, ut eas vocat Æschylus, Choeph. v.* 210. *per* τελεσφόρους εὐχὰς perfectrices preces, *possit tolli; atque ita Numen reddi propitium.*

VII. Tantum precibus Platonici tribuerunt Philosophi, ut non solum placando Numini valerent; sed & insita sibi quadam virtute hominem ad amicitiam ac similitudinem Dei adducerent. Qua de re acute disputat *Jamblichus sect.* I. *cap.* XV. Τὸ γὰρ θεῖον ἐν ἡμῖν καὶ νοητὸν καὶ ἓν, ἢ εἰ νοητὸν αὐτὸ καλεῖν ἐθέλεις, ἐγείρεται τότε ἐναργῶς ἐν ταῖς εὐχαῖς, ἐγειρόμενον δὲ ἐφίεται τοῦ ὁμοίου διαφερόντως, καὶ συνάπτεται πρὸς αὐτοτελειότητα. *Nam quod in nobis est divinum, quod intellectuale est, quod unum, vel, si mavis vocare, intelligibile, expergiscitur*

VII. Precum vis, secundum Jamblichum.

giſcitur plane inter precandum, experrectum vero appetit vehementer quod ſibi ſimile eſt, & copulatur ſuæ ipſius perfectioni. Sic Interpres: Sed rectius verti puto, copulatur *ipſi perfectioni*, id eſt, veræ ac ſummæ perfectioni. Interjectis pauculis ſic pergit: Ἡ μὲν γὰρ συναίσθησις τῆς περὶ ἑαυτοὺς οὐδενείας, εἴτις ἡμᾶς παραβάλλων τοῖς Θεοῖς κρίνοι, ποιεῖ τρέπεσθαι πρὸς τὰς λιτὰς αὐτοφυῶς· ἀπὸ δὲ τῆς ἱκετείας κατὰ βραχὺ πρὸς τὸ ἱκετευόμενον ἀναγόμεθα, καὶ τὴν πρὸς αὐτὸ ὁμοιότητα ἀπὸ τοῦ συνεχῶς αὐτοῦ προσομιλεῖν κτώμεθα, τελειότητά τε θείαν ἠρέμα προσλαμβάνομεν ἀπὸ τοῦ ἀτελοῦς. *Propria enim conſcientia quod nihili ſumus, ſi quis nos cum Diis conferat, naturaliter nos ad preces vertit: jam vero a ſupplicationibus brevi adducimur ad id cui ſupplicamus,* ET SIMILITUDINEM IPSIUS ACQUIRIMUS, EX JUGI CUM EO CONVERSATIONE, ET PRO IMPERFECTIONE NOSTRA, DIVINAM PAULLATIM ADSCISCIMUS PERFECTIONEM. Quæ præclara eſſe, & proxime ad Chriſtianiſmum accedentia quis neget? Utinam viam noviſſet, qua adiri ſe Deus vult, & nomen, in quo ſunt concipiendæ preces.

VIII. Cum precibus conjuncta fuerunt cerimonia animi demiſſionem teſtantes.

VIII. Vix ulla unquam tam barbara fuit natio, quæ talium deprecationum neceſſitatem non agnoſceret. Quibus ſuas ſinguli jungebant CERIMONIAS, ad indicandam animi *ſubmiſſionem*, & intendendum, ut rebantur, orationis valorem. Aſſyriorum Rex, cujus metropolis Ninive erat, poſtquam iratum ſibi ſuiſque Deum intellexiſſet, ut inſtans, ſi pote, evitaret malum, purpuram ac diadema poſuit, ſaccum induit, in cinere conſedit, jejunium non hominibus ſolum, ſed & jumentis indixit; ut hi quidem ſuis orationibus, illa vero ſuo boatu & balatu, Dei inclamarent miſericordiam. Jon. III: 6, 7.

IX. Quo pertinet, quod Matronæ apud Romanos paſſis crinibus templorum pavimenta verrebant.

IX. *Romani*, ſi quando vel peſtis ſæviret, vel infelicis belli atrocitas, portiſque immineret hoſtis, ſupplicia indicebant, in quibus matronæ virgineſque lamenti implebant omnia, PASSISQUE CRINIBUS TEMPLORUM PAVIMENTA VERREBANT. Exempla ſuppeditat *Livius lib.* III. *cap.* VII. *Inopſque ſenatus auxilii humani, ad Deos populum ac vota vertit. Juſſi cum conjugibus ac liberis ſupplicatum ire, pacemque expoſcere Deum. Ad id quod ſua quemque mala cogebant, auctoritate publica evocati, omnia delubra implent. Stratæ paſſim matres,* CRINIBUS TEMPLA VERRENTES, *veniam irarum cœleſtium, finemque peſti expoſcunt.* Rurſuſque lib. XXVI. cap. IX. *Undique matronæ in publicum effuſæ circa Deum delubra diſcurrunt, crinibus paſſis aras verrentes, nixæ genibus &c. Polybius* eadem ſic habet *lib.* IX. *cap.* VI. Αἱ δὲ γυναῖκες παραπορευόμεναι τοὺς ναοὺς ἱκέτευον τοὺς Θεοὺς, πλύνουσαι ταῖς κόμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη. Τοῦτο

γὰρ

γὰρ ἔθος αὐταῖς ἐςὶ ποιεῖν, ὅταν τις ὁλόσχερος τὴν πατρίδα καταλαμβάνη κίνδυνος. *Mulieres vero circa Deum delubra discurrunt, supplicia Diis faciunt, ædium sacrarum pavimenta crinibus passis mundant. Is namque illis mos est, quoties in aliquo insigniore & majore periculo patria versatur.* Eodem tendit, quod de uxore sua narrat *Ovidius Trist. lib.* I. *Eleg.* III.

Illa etiam ante lares, passis prostrata capillis
Contigit exstinctos ore tremente focos.

Atque hinc, ut in transitu id moneam, lux aliqua Evangelicæ affulget historiæ, ubi femina peccatrix, Christi affusa pedibus, lacrumis eos suis lavisse, & capillis abstersisse memoratur. Luc. VII: 38. Nugas enim agunt, qui de adscititio capillitio somniant, quod, capiti amotum, lintei loco adhibuerit.

X. At revertor, unde digressus sum. Nihil vulgatius fuit Gentibus propemodum omnibus, *Græcis, Romanis, Barbaris*, quam ut supplicationibus suis LOTIONES AC LUSTRATIONES quasdam adderent; quibus non corpora solum, sed & animas, quodammodo mundari credebant. *Græcorum* consuetudinem repræsentat *Homerus Iliados lib.* I. *v.* 313.

X. Multum etiam tribuerunt lotionibus ac lustrationibus.

Λαὺς δ' Ἀτρείδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν·
Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.

Populos autem Atrides lustrari jussit:
Illi autem lustrabantur, & in mare sordes jaciebant.

Hinc *Romani* hauserunt, teste *Ovidio, Fast.* II. *non procul initio:*

Omne nefas, omnemque mali purgamine caussam
Credebant nostri tollere posse senes.
Græcia principium moris fuit: illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.

Multa hac de re maxima diligentia collegit *Lomeyerus in libro de Lustrationibus Veterum*; cujus scrinia compilare non libet. Magnus etiam lotionum apud *Ægyptios* usus fuit, ac præcipue sacerdotes, corporis & animi purgandi caussa. *Isiacis* sacris initiabantur per Baptismum, quem & *Pelusiis* sacris usurpabant; sic regenerari se, suasque noxas & perjuria elui censentes. Uti *Tertullianus* differit *in libro de Baptismo cap.* V. Ex quo etiam cognoscimus, lavacris lustratos *Persas Mithræ* sacra suscepisse. Quem ritum ne nunc quidem dedidicit eorum soboles,

Guebri dicti, qui labes animi deleri existimant, vaccæ urina, & medicata quadam aqua. Præstant idem *Brachmanes*, qui peccata aqua deleri putant; vel marina, si certis quibusdam adhibeatur temporibus, & locis; vel dulci, ac præcipue *Gangetica*, cui eam arbitrantur inesse vim, ut si quis eam nec opinus subeat, nec de criminibus abstergendis cogitans, noxis tamen omnibus purgetur. Quod per nos quidem Ecclesiæ Romanæ sectatoribus cum doctrina sua de opere operato conferre licet. Magis ad rem nostram fecerit observasse, quod in piaculis aliquando & *cinere* usi fuerint; haut secus ac Hebræi ex instituto Mosis. Num. XIX. Sic enim *Virgilius Eclog.* VIII.

> *Fer cineres, Amarylli foras, rivoque fluente,*
> *Transque caput jace.*

Similiter *Ovidius, Fast.* IV.

> *Igne cremat vitulos, purget ut ille cinis.*

XI. Reclamantibus tamen prudentioribus.

XI. At qui ex ipsis Gentilibus, tam *Græcis*, quam *Romanis*, ad peccati naturam paullo attendebant diligentius, facile convincebantur, nihil esse ineptius quam cassis id genus cerimoniis criminum expiandorum vim attribuere. *Stobæus, Sermone* IV. postquam citasset tritum illud *Euripidis* dictum:

> Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.
> *Mare cuncta hominum mala prorsus abluit,*

mox addit: φέρεται δὲ εἰς τοὺς δεισιδαίμονας, οἱ θαλάσσῃ περικαθαίρονται. *Cadit hoc dictum in superstitiosos, qui mari lustrari solent.* Idem aliquanto fortius dixit *Ovidius*, loco mox allegato:

> *Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis*
> *Fluminea tolli posse putatis aqua.*

XII. Igitur ad sacrificia expiatoria itum.

XII. Ulterius itaque progressæ, SANGUINE PLACANDUM Numen esse pleræque gentes putaverunt. Ubi primo ad *animantia* itum est, hominibus peccatoribus substituenda. *Homerus Iliad. lib.* I. *vers.* 495.

> —— —— στρεπτοὶ δὲ θεοὶ αὐτοί.
> Καὶ μὲν τοὺς θυέεσσιν, καὶ εὐχωλαῖς ἀγανῇσι,
> Λοιβῇ τε κνισσῇ τε παρατρωπῶσ' ἄνθρωποι
> Λισσόμενοι, ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ.

Hexi-

— — Flexibiles autem sunt & Dii ipsi.
Nam & hos quidem suffimentis & votis benignis,
Libamineque nidoreque, flectunt homines,
Precantes, postquam aliquis prævaricatus fuerit & peccaverit.

De *Ægypti Regibus* narrat *Diodorus lib.* I. solitos fuisse sub auroram, lotos, & regni insignibus, splendidaque trabea ornatos, Diis sacrificatum ire: adductis tum ad aram victimis, ex more Pontificem, Sacerdoti adstantem, magna voce, in conferta Ægyptiorum corona, preces pronuntiasse, ut Dii sanitatem, cum cæteris bonis omnibus, Regi largiantur. *Romanorum* sacrificia, ad Deorum a republica iram avertendam, sive ex Sibyllinorum librorum præscripto, sive alio quocunque modo instituta, omnes loquuntur historiæ. Communem omnibus fere Gentibus sententiam *Jamblichus* exposuit *de Myst. sect.* v. *cap.* VI. tantam sacrificiis efficacitatem tribuens, ὥστε μήτε λοιμῶν παῦλαν, μήτε λιμοῦ, ἢ ἀφορίας χωρὶς αὐτῶν γίγνεσθαι· μήτε ὄμβρων αἰτήσεις, μήτε τὰ τιμιώτερα τούτων, ὅσα εἰς ψυχῆς κάθαρσιν, ἢ τὴν ἀπὸ τῆς γενέσεως ἀπαλλαγὴν συμβάλλεται. *Ut sine eis non liberemur a peste, a fame, a penuria, nec impetremus imbres opportunos, nec ea quæ his omnibus præponderant, ea intelligo quæ ad animæ purificationem, aut perfectionem, & ad ejus e generationis sordibus emancipationem conferunt.* In quam rem omnes fere totius orbis nationes consenserunt: improbantibus licet prudentioribus.

XIII. *Pythagoras*, *Plato*, *Porphyrius*, & sapientum alii, sacrificiis expiatoriis exiguum oppido statuebant pretium: mirabanturque qua ratione tetrica ista consuetudo, innocentium animalium sanguine, atraque fuligine ac fumo delubra fœdandi, totum pene mundum occupavisset. Quod tam ab omni sapientia alienum ratus est *Porphyrius*, ut integra Dissertatione ostendere conatus sit, eam Deos colendi rationem esse βλαβερὸν, παράνομον, καὶ ἀνόσιον, *noxiam, illegitimam atque profanam.* Vide sis *Euseb. de Præparatione Evangelica lib.* IV. *cap.* XIV. Poëtæ etiam aculeatis Satyris vulgi circa sacrificia insaniam perstrinxerunt. Fuit qui ita exclamaret; apud *Porphyrium de Abstinentia, lib.* II. *cap.* XLVIII.

XIII. *Quamvis & iis sapientiores exiguum pretium statuerint.*

Τίς ὧδε μῶρος, καὶ λίαν ἀνειμένος,
Εὐπιστος ἀνδρῶν, ὅστις ἐλπίζει θεοὺς,
Ὀστῶν ἀσάρκων καὶ χολῆς πυρουμένης,
Ἃ κυσὶν πεινῶσιν οὐχὶ βρώσιμα,
Χαίρειν ἅπαντας, καὶ γέρας λαχεῖν τόδε;

Quis adeo stultus, & tam ignavi est animi;
Tam credulus quis est, ut autumet, Deos
Tostaque bile, & ossibus tantum meris,
Quæ forte rodant nec famelici canes,
Lætarier, sibique munus poscere hoc?

Qui crassior profecto error est, quam ut seriam refutationem mereatur. Eam tamen molitus *Jamblichus est sect. v. cap.* x. ubi adversus eos, qui credebant, *Deos nidoribus animalium in sacrificiis inescari*, disputans, hoc argumento utitur: Εἰ γάρ τί που καὶ περίκειται τοῖς δαίμοσι σῶμα, ὃ δή τινες τρέφεσθαι ἀπὸ τῶν θυσιῶν νομίζουσιν, ἄτρεπτόν ἐστι τοῦτο καὶ ἀπαθές τε καὶ ἀνενδεές· ὡς μήτε ἀποῤῥεῖν τι ἀπ' αὐτοῦ, μήτ' ἐπιρροῆς ἔξωθεν αὐτὸ προσδεῖσθαι· εἰ δ' ἄρα καὶ τοῦτό τις θείη, τοῦ κόσμου, καὶ τοῦ ἐν αὐτῷ ἀέρος, ἀνέκλειπτον ἔχοντος ἀπὸ τῶν περὶ τὴν γῆν ἀναθυμίασιν, περικεχυμένου πανταχόθεν ἐπίσης τοῦ τοιούτου ῥεύματος, τίς ἂν ἔτι χρεία αὐτοῖς εἴη τῶν θυσιῶν; *Fac enim dæmonas vestiri corpore, quod quidam sacrificiis nutriri volunt, certe illud corpus immutabile est, & impatibile, lucidumque & nullius indigum, ita ut nihil effluat inde, nihilque necessario influat: & si forte sit necessarius influxus, quandoquidem mundus, & in eo aër, inexhaustam habeat a terrenis exhalationum copiam, undique adscendente quodam effluvio, quis potest esse sacrificiorum apud Deos usus?* &c. Nec frustra hæc ingerebantur animis superstitione captis, & Sacerdotibus vulgi insania ad quæstum & ambitionem suam abutentibus, stulteque credentibus, aut credere se simulantibus, superos sacrificiorum nidore pasci, & taurinis vesci carnibus, ac hircinum bibere cruorem.

XIV. *Attamen bonum factum fuit, quod animam anima substituendam esse crediderint.*

XIV. Fuit tamen in isthoc ritu aliquid, quod non prorsus spernas, aut negligas. Quatenus universalem generis humani confessionem complectebatur, ad avertendam irati Numinis iram idoneum aliquod sacrificium expiatorium requiri, quod NOCENTIUM HOMINUM LOCO Deo offeratur. Qui enim omnium prudentissime hac de re disputabant, ista fere oratione usi sunt: Quum multorum se criminum reos esse fateri cogerentur, eaque nec pœnitentia, nec supplicationibus, nec lotionibus quibusdam, expiari possent; superesse ut λύτρον aliquod quæreretur pro noxiis animabus Deo offerendum: & quum in omni re sua nihil haberent præstantius vivis animalibus, ad vitæ sustentationem sibi concessis, ea in honorem superorum mactare visum est, τῆς σφῶν ψυχῆς ἀντίψυχα προσκομίζοντες, *bestiarum animas quasi suarum animarum loco apportantes*: uti est apud *Euseb. Demonst. Evang. lib.* I. *cap.* x. Hoc modo *Asclepiades* instituebat, cujus verba *Porphyrius* exhibet de

Abstin.

Abstin. lib. IV. *cap.* XV. Τὸ πρῶτον οὐκ ἐθύετο τοῖς θεοῖς οὐδὲν ἔμψυχον, ἀλλ' οὐδὲ νόμος ἦν περὶ τούτου, διὰ τῷ νόμῳ φυσικῷ κεκωλῦσθαι. Ὑπὸ δέ τινας καιροὺς πρῶτον ἱερεῖον θῦσαι μυθεύονται, ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς αἰτουμένους. *Primum nullum animal diis immolabatur. Neque lex ulla super hac re fuit, quippe quam prohibebat lex naturæ. Occasione vero aliqua animam pro anima exigente, primum sacrificium ex animalibus datum referunt.*

XV. Ex eodem principio Ægyptii sacrificiorum suorum capitibus dira quævis imprecabantur, orantes superos ut in ea immitterent, quidquid cæteroqui mali vel terræ Ægypti, vel aliis quibusvis sacra facientibus immineret. Ob eandemque rationem nullo unquam ullius animalis capite vescebantur, ne forte in quandam dirarum istarum communionem venirent: teste *Herodoto in Euterpe.* Addit *Plutarchus in libro de Iside & Osiride*, olim eos caput animantis, cui impositæ diræ erant in flumen projecisse, ut cum ipso sua mergerentur peccata (cui ritui valde consentanea Prophetica ῥῆσις est Mich. VII: 19.) at serioribus seculis epulandum illud dedisse peregrinis, ut quam Ægyptii meruerant exsecrationem, ea in miseros, sortisque suæ ignaros, alienigenas recideret.

XV. Ex quo principio notabiles orti Ægyptiorum ritus.

XVI. At quum ne hoc quidem anxiæ conscientiæ ad placandum Numen sufficere videretur; ad HUMANA tandem ventum *sacrificia* est, ut *ex hominibus* sumeretur, qui *pro hominibus* lueret. Tales Græcis ἀναθέματα, βδελύγματα, περιψήματα, καθάρματα, ἀποτροπαῖοι, ἀντίψυχοι, aliisque id genus nominibus vocabantur: quos quum malum aliquid civitati impenderet, pestis scilicet, aut fames, aut bellum, ad piaculum expiandum immolabant: cum hac imprecatione, sis περίψημα nostrum, hoc est, *salus & redemtio*: atque ita miserum præcipitabant in mare, quasi Neptuno sacrum solventes. De quibus cerimoniis vide quæ non indiligenter annotavi in *Exercitatione de votivo Anathemate Pauli.* §. VI. Adde quæ de *Gallis Cæsar* tradidit *de bello Gall. lib.* VI. *Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus. Atque ob eam caussam qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent; administrisque ad ea sacra Druidibus utuntur*: QUOD PRO VITA HOMINIS NISI VITA HOMINIS REDDATUR, NON POSSE DEORUM IMMORTALIUM NUMEN PLACARI ARBITRANTUR.

XVI. A brutis sacrificiis tandem ad humana deventum est.

XVII. *Non modo ex plebis fece, sed & ex charissimis, & præstantissimis hominibus, eximenda.*

XVII. Verumtamen quoniam humana ista sacrificia vel ex *hostibus* erant, vel infima plebis *fece*, mortalium abjectissimi, (λίαν ἀγενεῖς καὶ ἀχρήστους vocat Scholiastes Aristophanis) hinc scrupulus oriri poterat, quæ spes esset, ut diis litetur talium sacrificiis hominum, qui ipsis hominibus contemtui & abominationi essent. Indeque factum est, ut qui majori Numinis reverentia duci videbantur, nobilius aliquid quæsiverint, & dignius majestate superorum. Atque eo tandem ipsos anxii animi terror adegit, ut quod in omni re sua habebant charissimum, pignora sua dilectissima, quæ oculis cæteroqui plus suis amare natura jubet, devoverent iratis diis, &, uti Michas loquitur cap. VI: 7. *fructum uteri sui pro peccato animæ suæ, & primogenitum suum pro transgressione sua darent.* Hinc nefanda illa *Molochi* sacra, in quibus parentes dulcissimos natos suos, non modo superstitiosæ lustrationis caussa per medios raptabant ignes, sed & flammis immanem in modum absumebant, ad procurandam cæteræ familiæ salutem. Quis sine horrore desperatum illud *Moabitarum Regis* facinus legat, qui in extrema belli necessitate constitutus, primogenitum suum, suo regnaturum loco, in obsessæ urbis suæ muro, & conspectu victricium copiarum, mactavit, combussitque in holocaustum? 2. Reg. III: 27. De Septentrionalibus populis refert *Dithmarus*, primo anni mense nonaginta novem sortito eligi solitos qui diis immolarentur: idque durasse usque ad Henrici I. Germaniæ Regis, tempora. Faustissimum verò id regno litamen existimatum, SI SORS REGEM TETIGISSET: quam victimam totius populi multitudo, summa cum gratulatione & applausu prosecuta sit. Adeo Barbarorum animis ista inoleverat opinio, id superis gratissimum esse, quod in suo genere est *præstantissimum*.

XVIII. *Nec coacta mori, sed & sponte se oblatura.*

XVIII. Cæterum quum hi, de quibus locuti sumus hactenus, INVITI omnes cogerentur, facile nata est suspicio, quod eo ipso nomine minus accepti essent diis. Idcirco commodum sibi accidisse rebantur *Massilienses*, si, quoties pestilentia laborabant *unus ex pauperibus* SPONTE se offerret; alendus anno integro publicis & purioribus cibis, deinde ornatus verbenis ac vestibus sacris, & per civitatem circumductus, cum exsecrationibus projiciendus. Qua de re *Servius* ad illud Virgilii: *Auri sacra fames.* At quid *pauperculus* ejusmodi apud superos valeret? Melius Græcis Romanisque prospectum fuit, quando *civium honoratiorum*, aut *magnatum* aliquis, aut *principes* populi, *consules*, ipsique adeo *reges*, sponte se pro salute publica devoverunt. Cujus frequentiora, & notiora ubivis exempla prostant; quam ut hic memorari necesse sit. Videat qui vult *Loweyerum de Lustrationibus cap.* XXII. Hoc unum nunc annota-

annotare lubet, veterrimos & Apostolici ævi Christianos idem animadvertisse, & in rem suam convertisse. Sic enim *Clemens Romanus* in sua ad *Corinthios* Epistola §. LII. ex nupera *Clerici* editione. Ἵνα δὲ καὶ ὑποδείγματα ἐθνῶν ἐνέγκωμεν, πολλοὶ βασιλεῖς καὶ ἡγούμενοι, λοιμικοῦ τινος ἐνστάντος καιροῦ, χρησμοδοτηθέντες, παρέδωκαν ἑαυτοὺς εἰς θάνατον, ἵνα ῥύσωνται δι' ἑαυτῶν αἵματος τοὺς πολίτας. *Ut autem etiam gentium exempla proferamus, multi Reges & Principes, pestifero tempore sæviente, quum oraculo admoniti essent, se ipsos morti tradiderunt, ut cives suo sanguine liberarent.*

XIX. Quoniam incertum erat, an talis substitutio Numini placeret, tutius quibusdam visum est propriis perpessionibus crimina sua expiare.

XIX. Quæ quamvis humanæ charitatis modum fere superare videantur, remanet tamen in sollicitis animis scrupulus aliquis; ecquid sanctissimo justissimoque Numini placeat, ut quum omnes pariter peccatores sint, ex omnibus unus, sive invitus, sive sponte sua, constituatur, qui omnium sic sustineat personam, ut pro omnibus luat. Quoniam suspicio ista fundamento non caret, reperti omni ævo fuerunt, qui suis ipsi VOLUNTARIE SUSCEPTIS PERPESSIONIBUS pro peccatis satisfacere se postularunt. Veterem hunc apud *Syros* morem fuisse sacra docet historia: qua Baalis Prophetæ, ad conciliandam sibi numinis istius gratiam, cultris & lanceolis se juxta ritum suum incidisse memorantur, donec perfunderentur sanguine. 1. Reg. XVIII: 28. Idem fiebat a *Deæ Syriæ* cultoribus, qui & cultris & flagris sanguinem large proliciebant, & virilia sibi devolvebant, nec linguæ parcentes. Præcipua *Brachmanum*, tam priscorum, quam recentiorum, in ejusmodi perpessionibus laus est. In lapidibus, aut in herbis viridibus, aut in terra somnum per multos annos capiunt; vino, pane, & carnibus abstinent; prandent glandes & olera; diuturna inedia corpus subigunt; quidam nudi imbres, hiemes, & ardentes solis æstus tolerant; quidam irretortis oculis solem per totum diem spectant; quidam ferventibus arenis insistunt, alternis pedib'; quidam ad arborem religati ætatem agunt; quidam ferrea catena revincti ambulant; quidam antris & solitudinibus se occultant. Mirabilia quoque sunt, quæ de spontaneis *Faquirorum* castigationibus peregrinatores narrant. Hieme item & æstate nudi humi cubant sub dio; nonnulli stant semper; alii brachiis in sublime porrectis ad mortem usq; permanent. Sunt qui clavos corpori infixos gerant; qui resectas corporis sui particulas ad sagittas alligent, & arcu in altum mittant; qui humeros hamis ferreis transfixi in altum tollantur; qui candentes carbones vertici imponant, & sustineant; qui lapides capite tundant, vel caput lapidibus; qui solis ardentissimi radios media luce nudi perferunt. Et quæ id genus propemodum innumera apud facundissimum *Huetium* legi malo,

gi malo, quam huc transscribere. Vide *Alnetan. Quæst. lib.* III. *cap.* XIV.

XX. Vel ipsa etiam voluntaria morte.

XX. Cæterum omnia ista, quantumvis dictu dura, perpessu aspera, ac fidem fere superantia, leviora aliis visa sunt, quam ut peccatis omnibus in solidum expiandis sufficerent. Iis præsertim, qui æternæ se mortis reos esse fatebantur. Hanc ut evaderent, corpus suum SPONTANEÆ MORTI tradiderunt. Fuere qui, non ex insania aut desperatione, sed deliberato animo, gulam sibi præsciderunt; qui instructo sua manu rogo semet ipsos comburendos imposuerunt, aut in ignem insilierunt; qui carpentorum, sacra sua & Deos vehentium, rotis se subjecerunt, ab iis conterendi. Qualia aliquammulta in India sibi visa atque comperta esse fide digni testes retulerunt. Atque id quidem extremum est eorum omnium quæ ab homine, saltem in hoc seculo, præstari possunt; nimirum ut voluntaria vitæ suæ, post innumerabiles atque incredibiles perpessiones, sponte susceptas, profusione, mortem æternam redemtam cupiat.

XXI. Quæ si necdum sufficerit, variis pœnis purgatoriis post hanc vitam.

XXI. Si quid præterea faciendum restet, id animæ incumberet, a corpore solutæ. Hanc vero si vitiorum labe polluta hinc excesserit, VARIIS POENIS, PURGANDI CAUSSA, exerceri, antequam in beatorum sedem, quos *Elysios Campos* vocant, transire ipsi liceat, non Poetæ solum fabulati sunt; sed & magno serio Philosophi quidam docuerunt, & gentes universæ crediderunt.

XXII. De quibus multa Socrates apud Platonem, in Gorgia.

XXII. *Socrates* in *Gorgia*, sub finem, pag. 312. editionis Lugdunensis 1590. divina æternaque lege constitutum esse disputat, τῶν ἀνθρώπων τὸν μὲν δικαίως τὴν βίον διελθόντα καὶ ὁσίως, ἐπειδὰν τελευτήσῃ, εἰς μακάρων νήσους ἀπιόντα, οἰκεῖν ἐν πάσῃ εὐδαιμονίᾳ ἐκτὸς κακῶν· τὸν δὲ ἀδίκως καὶ ἀθέως, εἰς τὸ τῆς τίσεώς τε καὶ δίκης δεσμωτήριον, ὃ δὴ τάρταρον καλοῦσιν, ἰέναι: *Ut quicunque homines juste pieque vitam egissent, quum e vita migrarent, ad beatorum insulas profecti, in omni felicitate viverent, a malis longe sejuncti: qui vero injuste impieque vixissent, in punitionis justique supplicii carcerem, quod appellant Tartarum, irent.* Et ex his quidem alios describit ut *curabiles*, alios autem ut prorsus *incurabiles*. Utrosque post hanc vitam meritas subire pœnas: sed cum discrimine; illos ut mundentur ac liberentur ab injustitia, hos, ut aliis exemplo sint. At ipsum, si lubet, philosophantem audiamus. Προσήκει δὲ παντὶ τῷ ἐν τιμωρίᾳ ὄντι, ὑπ' ἄλλου ὀρθῶς τιμωρουμένῳ, ἢ βελτίονι γίγνεσθαι καὶ ὀνίνασθαι, ἢ παράδειγμά τι τοῖς ἄλλοις γίγνεσθαι, ἵνα ἄλλοι ὁρῶντες πάσχοντα ἃ ἂν πάσχοι, φοβούμενοι

Βελ-

βελτίες γίγνωνται. Εισὶ δὲ οἱ μὲν ὠφελέμενοί τε καὶ δίκην διδόντες ὑπὸ Θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων, ἔτοι οἱ ἂν ἰάσιμα ἁμαρτήματα ἁμάρτωσιν· ὅμως δὲ δι' ἀλγηδόνων καὶ ὀδυνῶν γίγνεται αὐτοῖς ἡ ὠφέλεια, καὶ ἐνθάδε καὶ ἐν ᾅδε. ὐ γὰρ οἷόντε ἄλλως ἀδικίας ἀπαλλάττεσθαι. οἱ δ' ἂν τὰ ἔσχατα ἀδικήσωσι, καὶ διὰ τοιαῦτα ἀδικήματα ἀνίατοι γένωνται, ἐκ τέτων τὰ παραδείγματα γίγνονται, καὶ ἔτοι, αὐτοὶ μὲν ἐκέτι ὀνίνανται ἐδὲν, ἅτε ἀνίατοι ὄντες· ἄλλοι δὲ ὀνίνανται, οἱ τέτες ὁρῶντες διὰ τὰς ἁμαρτίας τὰ μέγιστα καὶ ὀδυνηρότατα καὶ φοβερώτατα πάθη πάσχοντας τὸν ἀεὶ χρόνον, ἀτεχνῶς παραδείγματα ἀνηρτημένες ἐκεῖ ἐν ᾅδε ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, τοῖς ἀεὶ τῶν ἀδίκων ἀφικνεμένοις θεάματα καὶ νεθετήματα. *Convenit autem omnem qui ab aliquo recte punitur, vel ipsum fieri meliorem, utilitatemque percipere, vel cæteris exempla dare, ut alii pœnas ejus conspicientes meliores ob timorem efficiantur. Qui vero apud Deos & homines ita dant pœnas, ut utilitatem inde aliquam referant: hi sunt qui peccata sanabilia commiserunt; quibus dolor cruciatusque prodest, & apud homines, & apud inferos.* NON ENIM ALITER QUIS POTEST AB INJUSTITIA LIBERARI. *Qui autem extrema injustitia detinentur, & propter ejusmodi delicta sunt insanabiles, ex his exempla sumuntur: ipsique nullam amplius utilitatem inde reportant, utpote qui sanari non possint, sed prosunt duntaxat aliis per exemplum, qui eos intuentur propter flagitia maximis acerbisque ac terribilissimis pœnis omni tempore cruciatos, tanquam exemplum monimentumque & spectaculum apud inferos in carcere præbentes injustis omnibus qui ad ea loca descendunt.* Non patitur autem Socrates philosophemata ista fabulis accenseri. Sic enim præfatur: *Ἄκεε δὴ (φασὶ) μάλα καλᾶ λόγε· ὃν σὺ μὲν ἡγήσῃ μῦθον, ὡς ἐγὼ οἶμαι· ἐγὼ δὲ λόγον· ὡς ἀληθῆ γὰρ ὄντα σοι λέξω ἃ μέλλω λέγειν. Audi igitur, ut ajunt, pulcherrimum sermonem; quem te arbitror fabulam putaturum: ego vero non fabulam, sed sermonem. Nam tanquam vera, quæ dicturus sum, tibi narrabo.*

XXIII. Eadem fere habet in *Phædone* pag. 400. *Οἱ δ' ἂν δόξωσιν ἀνιάτως ἔχειν, διὰ τὰ μεγέθη τῶν ἁμαρτημάτων, ---- τέτες δὴ ἡ προσήκεσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὴν τάρταρον, ὅθεν ἔποτε ἐκβαίνεσι. οἱ δ' ἂν ἰάσιμα μὲν, μεγάλα δὲ δόξωσιν ἡμαρτηκέναι ἁμαρτήματα, -- τέτες δὲ ἐμπεσεῖν μὲν εἰς τὴν τάρταρον ἀνάγκη· ἐμπεσόντας δὲ αὐτὲς, καὶ ἐνιαυτὸν ἐκεῖ γενομένες, ἐκβάλλει τὸ κῦμα. Qui vero ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, -- hos omnes conveniens sors mergit in Tartarum, unde nunquam egrediuntur. Qui autem sanabilia quidem* XXIII. *Et Phædone.*

 peccata,

peccata, sed ingentia commiserunt, --- eos in Tartarum quidem necesse est cadere; sed ibi per annum commorati a fluctu ejiciuntur. &c. Quae eo tendunt omnia, ut doceamur, post hanc vitam aliquid adhuc peccatrici animae faciendum patiendumque restare, quo purgetur ac delictorum veniam consequatur.

XXIV. Caelum beatarum animarum receptaculum, vel circa Lunae orbem, vel inter Sidera, esse creditur.

XXIV. Atque ita quidem non indiligenter hactenus explicuimus, quo pacto *Numen propitiari*, & *peccatorum veniam* impetrari, Gentiles crediderint: nunc ad alterum caput transeamus, inquisituri, quid de COELESTI BEATITUDINE, illiusque CONSEQUENDAE RATIONE, ii senserint, qui omnium & habiti sunt, & fuerunt sapientissimi. Plurimos fuisse constat, qui, animam remanere post animal, palam sunt inficiati. Ego vero de iis nunc loquor, qui animarum immortalitatem agnoverunt, & locum illis statumque diversum, post hanc vitam, prout diversimode se in hac vita gesserant, assignaverunt. Omissis improbis & *insanabilibus*, de quorum exemplaribus in tartaro poenis differentem modo audivimus Socratem; de sanctorum hominum animabus, rite purgatis, videamus. Qui omnium optime, & proxime religionem nostram loquuntur, easdem COELO locant. At quid isthoc *Caeli* nomine intelligunt? *Apud Platonem* (*Tertulliani* verbis utor, *de Anima cap.* LIV.) *in Aetherem sublimantur animae sapientes; apud Arium, in Aërem; apud Stoicos, sub Lunam.*

XXV. Ciceronis ea de re philosophemata.

XXV. Operae pretium erit *Ciceronem* audivisse I. *Tuscul.* cap. XLIV. *Nihil est animo velocius, nulla est celeritas, quae possit cum animi celeritate contendere. Qui si permanet incorruptus suique similis, necesse est ita feratur ut penetret, & dividat omne Caelum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur: quod & humidum, & caliginosum est, propter exhalationes terrae. Quam regionem quum superavit animus, naturamque sibi similem contigit, & agnovit, junctus ex anima tenui, & ex ardore solis temperato, ignibus insistit, & finem altius se efferendi facit. Quum enim sui similem, & levitatem, & calorem adeptus est, tanquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem movetur, eaque ei demum naturalis est sedes, quum ad sui simile penetravit: in quo nulla re egens aletur, & sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur, & aluntur.* Quae profecto crassa philosophatio est, supinam animae, quae mera mens est, ignorationem prodens. In *somnio Scipionis*, Scipionem Africanum, cum aliis illustribus viris, illum locum incolere dicit, quem Romani, ut a Graecis acceperunt, ORBEM LACTEUM nuncupant: *quem definit splendidissimo colore inter flammas elucentem circulum; ubi incolentium aures implet magnus dulcisque sonus, qui intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis, impulsu & mo-*

& motu ipsorum cœlestium orbium conficitur: qui acuta cum gravibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit.

XXVI. At quid animæ, in cœlo, sive in regione sublunari, sive inter sidera, sive in orbe lacteo, agunt? & qua in re earum consistit BEATITUDO? Nimirum contemplatione, suavissimo animarum pastu, se occupant, & oblectant. Supera ex vicino; ima ex alto lustrant, ac pervident. *Seneca ad Marciam cap.* xxv. de filio Marciæ. *Arcana naturæ penetrat, & scrutatur cœlestium caussas, & in profunda terrarum permittere aciem juvat. Et ad Polybium cap.* XXVIII. de fratre ipsius mortuo. *Fruitur nunc aperto & libero cœlo: ex humili atque depresso in eum emicuit locum,* QUISQUIS ILLE EST, QUI SOLUTAS VINCULIS ANIMAS BEATO RECIPIT SINU: *& nunc libere vagatur, & omnia rerum naturæ bona, summa cum voluptate, perspicit. Socrates,* apud Platonem aliquando impropriis & Poëticis locutionibus, aliquando magis propriis ac Philosophicis, utitur. Est ubi disputat, pias animas ad dextram mitti a judicibus in sublimem cœli locum, per hiatum quendam animabus patentem: cœlestes illas mansiones circumfluere deliciis, in quibus felicem cum diis vitam animæ exigant, inter epulandum, & pulcherrimarum rerum spectacula: loca hæc ipsum esse *Elysium Campum, Beatorum Insulas, Campum Veritatis:* Philosophos illic deos fieri, & sedes quasdam occupare, quarum pulchritudinem homini effari nefas sit: deos quidem ipsos summa cœli incolere fastigia, , sed & *sanctas animas in partem administrationis mundi admittere;* supremum denique beatitatis apicem *in Dei similitudine* esse situm. Juvat iterum quædam præstantissimi Philosophi verba exscribere, quæ proxime citato loco inveniuntur. Οἱ δὲ δὴ ἂν δόξωσι διαφερόντως πρὸς τὸ ὁσίως βιῶσαι, οὗτοί εἰσιν οἱ τῶν δὲ μὲν τῶν τόπων τῶν ἐν τῇ γῇ ἐλευθερούμενοί τε καὶ ἀπαλλαττόμενοι, ὥσπερ δεσμωτηρίων, ἄνω δὲ εἰς τὴν καθαρὰν οἴκησιν ἀφικνούμενοι, καὶ ἐπὶ γῆς οἰκιζόμενοι. τούτων δὲ αὐτῶν οἱ φιλοσοφίᾳ ἱκανῶς καθηράμενοι, ἄνευ τε σωμάτων ζῶσι τὸ παράπαν εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον, καὶ εἰς οἰκήσεις ἔτι τούτων καλλίους ἀφικνοῦνται· ἃς οὔτε ῥᾴδιον δηλῶσαι, οὔτε ὁ χρόνος ἱκανὸς ἐν τῷ παρόντι. *Qui autem pie præ cæteris vixisse inveniuntur, hi sunt qui ex his terrenis locis, tanquam e carcere, soluti, & liberati, ad altiora transscendunt, puramque supra terram habitant regionem. Inter has autem quicunque satis per Philosophiam purgati sunt, absque corporibus omnino totum per tempus vivunt, habitationesque his etiam pulchriores nanciscuntur. Quarum pulchritudo neque facilis dictu est, neque præsens tempus ad dicendum sufficerat.*

XXVI. *De beatitudine cœlesti quid senserint.*

XXVII. *Eam non nisi sanctitatis & justitiæ studio acquiri, docuit Socrates.*

XXVII. At QUA tandem RATIONE COELESTIS ILLA BEATITUDO IMPETRATUR? Non alia via, nisi studio Philosophiæ, justitiæ, sanctitatis, quibus purificatur anima: ejusdem animæ a corpore rebusque corporeis abstractione, & in se ipsam introversione: voluptatum carnalium moderatione aut fuga: præclaris denique in Patriam meritis. De qua re iterum audiatur Socrates, qui pag. 400. in fine, *Simmiam* sic compellat. Ἀλλὰ τούτων δὴ ἕνεκα χρὴ ὧν διεληλύθαμεν, ὦ Σιμμία, πάντα ποιεῖν, ὥστε ἀρετῆς καὶ φρονήσεως ἐν τῷ βίῳ μετασχεῖν· καλὸν γὰρ τὸ ἆθλον, καὶ ἡ ἐλπὶς μεγάλη. *Sed horum quæ narrata sunt gratia, o Simmia, omni studio est annitendum, ut in hac vita prudentiam sapientiamque consequamur. Præmium namque pulchrum est, & spes est ingens.* Alibi commendat pag. 385. 386. ut anima puram sese servet, nihil corporei secum trahat, in se ipsam se recolligat, & mortem perpetuo meditetur: ac tum quærit: Οὐκοῦν οὕτω μὲν ἔχουσα, εἰς τὸ ὅμοιον αὐτῇ τὸ θεῖον ἀπέρχεται, τό θεῖόν τε καὶ ἀθάνατον καὶ φρόνιμον; οἷ ἀφικομένῃ ὑπάρχει αὐτῇ εὐδαίμονι εἶναι, πλάνης, καὶ ἀγνοίας, καὶ φόβων, καὶ ἀγρίων ἐρώτων, καὶ τῶν ἄλλων κακῶν τῶν ἀνθρωπείων ἀπηλλαγμένῃ· ὥσπερ δὲ λέγεται κατὰ τῶν μεμυημένων, ὡς ἀληθῶς τὸν λοιπὸν χρόνον μετὰ θεῶν διάγουσα. *Anima igitur sic affecta, nonne ad sibi simile divinum abit? Divinum, & immortale, & sapiens? quo quum pervenerit evadit felix, ab errore, ignorantia, timoribus, amoribus ferocibus, cæterisque humanis liberata malis: & quemadmodum de initiatis dici solet,* REVERA RELIQUUM TEMPUS CUM DIIS AGIT. Neque cum diis solum agit, sed & suo modo DEIFICATUR. Sic enim, aliquibus interjectis, pergit: εἰς δέ γε θεῶν γένος, μὴ φιλοσοφήσαντι, καὶ παντελῶς καθαρῷ ἀπιόντι, οὐ θέμις ἀφικνεῖσθαι ἄλλῳ ἢ τῷ φιλομαθεῖ. *In deorum vero genus nulli fas est pervenire, præterquam iis qui discendi cupiditate flagrantes, & philosophati sunt, & puri penitus discesserunt.*

XXVIII. *Et Cicero.*

XXVIII. Neque abludit apud Ciceronem Africanus Scipioni inculcans, ad locum cœlumque beatorum non alia perveniri via, *quam si quis justitiam colat ac pietatem; quæ, cum magna sit in parentibus & propinquis, tum in patria maxima est. Sic,* inquit, *habeto: Omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in cœlo ac definitum locum, ut beati ævo sempiterno fruantur. Nihil est enim Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia, cœtusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur: harum rectores, & conservatores, hinc profecti, huc revertuntur.* Rursus circa finem: *Sunt autem hæ optimæ curæ de salute patriæ: quibus agitatus & exercitatus*

tatus animus, velocius in hanc sedem, & domum suam pervolabit: idque ocyus faciet, si jam tum, quum erit inclusus in corpore, eminebit foras, & ea qua extra erunt contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet. Nam eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros prabuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum & hominum jura violaverunt, corporibus elapsi circa terram ipsam volutantur: nec in hunc locum, nisi multis exagitatis seculis, revertuntur.

XXIX. Porro suæ sibi Philosophiæ, virtutis ac puritatis conscientia tantam Socrati felicitatis istius faciebat fiduciam, ut de ea mox post mortem obtinenda bene speraret. Quod his testatur verbis: Ἡ δὲ ψυχὴ ἄρα, τὸ ἀειδὲς, εἰς τοιοῦτον τόπον ἕτερον οἴχεται, γενναῖον, καὶ καθαρὸν, καὶ ἀειδῆ, εἰς ᾅδου, ὡς ἀληθῶς, παρὰ τὸν ἀγαθὸν καὶ φρόνιμον Θεόν. ΟΙ, ΑΝ ΘΕΟΣ ΘΕΛΗ, ΑΥΤΙΚΑ ΚΑΙ ΤΗ ΕΜΗ ΨΥΧΗ ΙΤΕΟΝ. *Anima vero, qua invisibile quiddam est, in similem quendam aliumque locum migrat, excellentem, purum, invisibilem, nobis occultum, revera ad bonum sapientemque Deum.* QUO, SI DEUS VOLUERIT, PAULLO POST MEÆ QUOQUE ANIMÆ EST MIGRANDUM. Rursus pag. 379. Οὐκοῦν (ἔφη ὁ Σωκράτης) εἰ ταῦτ᾽ ἀληθῆ, ὦ ἑταῖρε, πολλὴ ἐλπὶς ἀφικομένῳ οἷ ἐγὼ πορεύομαι, ἱκανῶς ἐκεῖ, εἴπέρ που ἄλλοθι, κτήσασθαι τοῦτο τοῦ ἕνεκα ἡ πολλὴ πραγματεία ἡμῖν ἐν τῷ παρόντι βίῳ γέγονεν; ὥστε ἥγε ἀποδημία ἡ νῦν ἐμοὶ προστεταγμένη, μετὰ ἀγαθῆς ἐλπίδος γίγνεται καὶ ἄλλῳ ἀνδρὶ, ὃς ἡγεῖταί οἱ παρασκευάσθαι τὴν διάνοιαν ὥσπερ κεκαθαρμένην. *Si hac igitur, inquit Socrates, vera sunt, o amice, magna spes eum qui pervenerit illuc,* QUO NUNC EGO PROFICISCOR, *si usquam alibi, id illic abunde consecuturum, cujus gratia tantum nos negotium in prasenti vita suscepimus.* HANC ERGO MIGRATIONEM, IN PRÆSENTIA MIHI IMPOSITAM, BONA SPE SUSCIPIO; *similiterque quivis alius suscipiet, qui modo putat praparatam sibi mentem, tanquam purificatam.* Unicuique enim eandem spem expositam esse docebat, modo eandem insisteret viam. pag. 401. Ἀλλὰ τούτων δὴ ἕνεκα θαῤῥεῖν χρὴ περὶ τῇ αὑτοῦ ψυχῇ ἄνδρα, ὅστις ἐν τῷ βίῳ τὰς μὲν ἄλλας ἡδονὰς τὰς περὶ τὸ σῶμα καὶ τοὺς κόσμους εἴασε χαίρειν, ὡς ἀλλοτρίους τε ὄντας, καὶ πλέον θάτερον ἡγησάμενος ἀπεργάζεσθαι· τὰς δὲ περὶ τὸ μανθάνειν ἐσπούδασέ τε, καὶ κοσμήσας τὴν ψυχὴν, οὐκ ἀλλοτρίῳ, ἀλλὰ τῷ αὐτῆς κόσμῳ, σωφροσύνῃ τε καὶ δικαιοσύνῃ καὶ ἀνδρείᾳ καὶ ἐλευθερίᾳ καὶ ἀληθείᾳ, οὕτως περιμένει τὴν εἰς ᾅδου πορείαν, ὡς πορευσόμενος ὅταν ἡ εἱμαρμένη καλῇ. *Sed horum gratia bonam spem de animo suo habere debet, quicunque voluptatibus*

XXIX. *Conscientia sanctitatis in hac vita facit fiduciam felicitatis in futura.*

luptatibus ornamentisque corporis neglectis tanquam alienis, aliquid se amplius facturum existimans, voluptates quæ in discendo percipiuntur studiose sectatus fuerit, animumque non alieno, sed suo decoraverit ornamento, temperantia, justitia, fortitudine, libertate, veritate, sic ex hac vita migrationem exspectans, tanquam quum fatum vocaverit migraturus.

XXX. *Quam fiduciam Divinationi imputabat Socrates, ut nos Christiani Spiritui S.*

XXX. Nos quidem Christiani arcano Spiritus S. testimonio futuræ salutis certitudinem imputamus. Socrates autem Divinationi alicui, a Deo cui sacer erat, sibi concessæ. p. 387. Ἐγὼ δὲ καὶ αὐτὸς ἡγοῦμαι ὁμόδουλός γε εἶναι τῶν κύκνων, καὶ ἱερὸς τοῦ αὐτοῦ Θεοῦ· καὶ οὐ χεῖρον ἐκείνων τὴν μαντικὴν ἔχειν παρὰ τοῦ δεσπότου, οὐδὲ δυσθυμότερον αὐτῶν τοῦ βίου ἀπαλλάττεσθαι. *Equidem & ego arbitror me cygnorum esse conservum, eidemque Deo sacrum, neque deterius vaticinium ab eodem domino habere, quam illos, neque remissiore animo e vita decedere.* Ex omnibus hisce simul junctis colligere est, quas sibi ideas Socrates, & Plato, & Cicero, de æterna felicitate formaverint; & qua via eam se consecuturos esse speraverint.

XXXI. *Sacerdotes populum docuerunt, in arcanis quibusdam cerimoniis latere virtutem deificæ unionis.*

XXXI. Qui quamvis præcipuam vitæ æternæ adipiscendæ spem in Philosophiæ ac virtutis studio collocaverint, populus tamen, imo & Philosophorum non infimi, a Sacerdotibus & sacrorum mystis inducti sunt ut crederent, multum ad eam rem momenti situm esse in ARCANIS RITIBUS QUIBUSDAM ET CERIMONIIS: per quas unire se cultoribus suis Numini visum est. *Jamblichus sect.* II. *cap.* XI. Οὐδὲ γὰρ ἡ ἔννοια συνάπτει τοῖς θεοῖς τοὺς θεουργούς· ἐπεὶ τί ἐκώλυε τοὺς θεωρητικῶς φιλοσοφοῦντας ἔχειν τὴν θεουργικὴν ἕνωσιν πρὸς θεούς; νῦν δὲ οὐκ ἔχει τόγε ἀληθὲς οὕτως. Ἀλλ' ἡ τῶν ἔργων τῶν ἀῤῥήτων, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν νόησιν θεοπρεπῶς ἐνεργουμένων τελεσιουργία, ἥτε τῶν νοουμένων τοῖς θεοῖς μόνον συμβόλων ἀφθέγκτων δύναμις ἐντίθησι τὴν θεουργικὴν ἕνωσιν. *Nec enim cognitio conjungit cum diis cultores deorum: alioqui Philosophi divina spectantes semper deificam unionem reportarent. Atqui revera ita se res non habet. Nam unio illa deifica non acquiritur, nisi per* CERIMONIARUM INEFFABILIUM OBSERVANTIAM, *per operationes rite factas, diis dignas, omnemque intellectum superantes, perque* VIM INEXPLICABILIUM SYMBOLORUM, *diis solis intellectorum.* Quorum Symbolorum vim neutiquam dependentem facit a mente & attentione eorum qui iis utuntur, sed a solo Numinis, imaginem in ipsis suam contemplantis, influxu. Sic enim pergit: Καὶ γὰρ μὴ νοούντων ἡμῶν αὐτὰ τὰ συνθήματα ἀφ' ἑαυτῶν δρᾷ τὸ οἰκεῖον ἔργον, καὶ ἡ τῶν θεῶν, πρὸς οὓς ἀνήκει ταῦτα, ἄῤ-

ῥητος

ῥητὸς δύναμις, αὐτὴ ἀφ' ἑαυτῆς ἐπιγινώσκει τὰς οἰκείας εἰκόνας, ἀλλ' οὐ τῷ διεγείρεσθαι ὑπὸ τῆς ἡμετέρας νοήσεως. *Nobis enim nec opinantibus divina synthemata per se opus suum perficiunt, & deorum virtus ineffabilis, ad quos diriguntur synthemata, suas in iis ultro agnoscit imagines; non quasi a nostro intellectu excitata.*

XXXII. Porro deifica ista, quam laudat unio, non hujus vitæ terminis continetur, sed per varios gradus ad æternam consummatamque beatitudinem deducit. De qua re *sect.* x. *cap.* v. sic differit. Ἡ δὲ ἱερατικὴ καὶ θεουργικὴ τῆς εὐδαιμονίας δόσις καλεῖται μὲν θύρα πρὸς τὸν δημιουργὸν τῶν ὅλων, ἢ τόπος, ἢ αὐλὴ τοῦ ἀγαθοῦ· δύναμιν δ' ἔχει πρώτην μὲν ἁγνείας τῆς ψυχῆς πολὺ τελειοτέραν τῆς τοῦ σώματος ἁγνείας· ἔπειτα κατάρτησιν τῆς διανοίας εἰς μετουσίαν καὶ θέαν τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ τῶν ἐναντίων πάντων ἀπαλλαγήν· μετὰ δὲ ταῦτα πρὸς τοὺς τῶν ἀγαθῶν δοτῆρας θεοὺς ἕνωσιν. *Sacra vero & deifica felicitatis traditio appellatur quidem porta ad ipsum omnium opificem Deum, aut sedes & boni regio: & primam quidem virtutem habet animam mundandi ad munditiem omni corporea munditie perfectiorem: deinde præparat animam ad participationem & boni contemplationem, simulque ad contrariorum rejectionem, post hac ad* UNIONEM CUM DIIS, BONORUM OMNIUM FONTIBUS. Paullo post *cap.* VI. τότε τῷ ὅλῳ δημιουργῷ τὴν ψυχὴν προσάγει καὶ παρακατατίθεται· καὶ ἐκτὸς πάσης ὕλης αὐτὴν ποιεῖ μόνῳ τῷ ἀϊδίῳ λόγῳ συνενωμένην. Tunc animam Opifici universali sistit, et apud eum deponit: liberatamque ab omni materia cum solo æterno verbo connectit. Atque hunc dicit esse finem sacræ apud Ægyptios anagoges.

XXXII.
Inchoanda in hac vita, consummanda in futura.

XXIII. Hac spe itaque *se ipsos* ad virtutis studium *animabant*, hac alios suorum mortem lugentes *solabantur*. Sic certe *Seneca in consol. ad Marciam cap.* XXIV. XXV. *Quod unum ex tam bono filio dolere poteras, doluisti: cætera exempta casibus, plena voluptatis sunt, si modo uti filio scis, si modo, quid in illo pretiosissimum fuerit, intelligas. Imago duntaxat filii tui periit, & effigies non simillima: ipse quidem æternus, meliorisque nunc status est, despoliatus oneribus alienis, & sibi relictus. Hac qua vides, ossa circumvoluta nervis, & obductam cutem, vultumque, & ministras manus, & cæteraquibus involuti sumus, vincula animorum tenebraque sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, arcetur a veris & suis, in falsa conjectus: omne illi cum carne gravi certamen est, ne abstrahatur, & sidat: nititur illo, unde dimissus est: ibi illum æterna requies manet, e confusis crassisque pura &*

XXXIII.
Futura vita felicitate solari se lugentes possunt ac debent.

liquidavisentem. Proinde non est quod ad sepulcrum filii tui curras: pessima ejus & ipsi molestissima istic jacent, ossa cineresque: non magis illius partes, quam vestes, aliaque integumenta corporum. Integer ille, nihilque in terris relinquens fugit, & totus excessit: PAULLUMQUE SUPRA NOS COMMORATUS, DUM EXPURGATUR, *& inhærentia vitia, situmque mortalis ævi excutit, deinde ad excelsa sublatus, inter felices currit animas, excipitque illum cœtus sacer, Scipiones Catonesque, utique contemptores vitæ, & mortis beneficio liberi. Parens tuus, Marcia, illic nepotem suum, quamquam illic omnibus omne cognatum est, applicat sibi, nova luce gaudentem, & vicinorum siderum meatus docet: nec ex conjecturis, sed omnium ex vero peritus, in arcana naturæ lubens ducit..... Sic itaque, Marcia, te gere, tanquam sub oculis patris filiique posita, non illorum quos noveras, sed tanto excellentiorum, & in summo locatorum: erubesce quicquam humile aut vulgare, & mutatos in melius tuos flere. In æterna rerum, per vasta & libera spatia, dimissos, non illos interfusa maria discludunt, nec altitudo montium, aut ima valles, aut incerta vada Syrtium. Tramites omnia plani, & ex facili mobiles, & expediti, & invicem pervii sunt, intermixtique sideribus.* Cætera apud Auctorem vide: nam, quamvis non injucundum, prolixum est omnia describere.

XXXIV. *Recapitulatio, qua ostenditur quid in omnibus hisce veri & boni.*

XXXIV. Non omnia profecto, quæ memoravimus hactenus, improbanda sunt. Micant veluti in tenebris impressæ animis veri notiones, & superstites adhuc naturalis Theologiæ, veterisque catecheseos, reliquiæ. Juvat videre, quomodo sua cuique crimina ipse accusator animus apud Divinæ justitiæ tribunal intentet, ad pœnitentiam, confessionem, preces & supplicationes subigat, cum omnibus demissionis indiciis provocato Numini offerendas. Juvat videre, quomodo in crebris lotionibus animi labem fateantur; & in sacrificiis omne genus, mortis se reos pronuntient: quomodo inquies semper animus, non nisi in hominum, eorumque præstantissimorum, ac sibi charissimorum, & quidem spontanea morte, sibi satisfaciat, nec satisfaciat tamen; nondum reperto sacrificio, quod Deo dignum sit, & cui ipsi acquiescant. Juvat videre, quod æternos, quos meriti sunt, ac metuunt, cruciatus, temporariis & voluntarie susceptis redemptos cupiant, neque corporis mortem subire reformident, ut æternam illam animæ effugiant: imo ne his quidem omnibus Divinæ rigori justitiæ satisfieri posse profiteantur, dum ad purgatrices futuri seculi pœnas se componunt. Juvat videre, quid de animarum a corporibus sejunctarum statu, & de vitæ æternæ felicitate, eminus, & per crassam nebulam, plus suspicati, quam conspicati sint: & quantopere

virtu-

virtuti, pietati, mentiſque puritati ſtudendum ſibi exiſtimaverint, ut felicitatis iſtius conſortes evaderent: quomodo denique ſe & alios, intuitu iſtius felicitatis, ad virtutis ſtudium animaverint, & adverſus mortem ſolati ſint. Hoc eſt in omnibus iſtis boni, quod ſuorum reatum peccatorum, reſipiſcentiæ utilitatem, juſtitiæ Divinæ rigorem, convenientis ſacrificii, & ex hominibus offerendi, neceſſitatem, anxii ſemper animi, fruſtraque ad conſolationem anhelantis, trepidationem; donec repertus ſit idoneus generis humani ſoſpitator, animarum ſeparatarum exiſtentiam, ſanctarum ad cœlum migrationem, & beatam ibi vitam, ſanctitatiſque cum beatitate inſolubilem nexum, agnoverint. Nihil horum eſt, quod Evangelium non pro fundamento ſibi ſubſternat, & ad malignam naturæ facem quomodocunque deprehenſum, in candidiſſima luce collocet.

XXXV. Cæterum omnes iſtæ veritates graviſſimis corruptæ fuerunt erroribus: quod peccatorum fœditatem, reatus atrocitatem, juſtitiæ Divinæ ſeveritatem, pauci, ut oportebat, agnoſcerent; quod de vita & morte æterna raro, nec ſerio, cogitarent; quod plerique nimiam ſibi Dei ad condonandum facilitatem fingerent, eaque abuterentur; quod minutis quibuſdam ritibus magnam expiandi vim adſcriberent; quod, verum ſacrificium expiatorium ignorantes, in iis expiationem quærerent, in quibus inveniri non poteſt; quod omnia in ſuis ſive actionibus, ſive voluntariis perpeſſionibus, collocarent; quod Divinæ revelationis ignari, nec exſpectato Dei juſſu, pro ſuo ſibi arbitratu, vel malorum geniorum fraudibus decepti, multa ad placandum Numen temere fingerent, Deoque, quantumvis ingrata, obtruderent; quod de animarum poſt hanc vitam ſtatu ac cœleſti beatitudine tenuiter admodum ſentirent; denique, quod prorſus ignorata Dei juſtitia, quæ non niſi in Evangelio revelatur, propriam juſtitiam, in omnibus, & ubique, ſtabilire voluerint. Quibus omnibus erroribus detegendis, ac refellendis, deſtinata Evangelica doctrina eſt. XXXV. *Quid falſi ac mali ſit.*

Deus noster miserebitur ejus, & peccata remittet illi. *Similiter Propheta Ezechiel* XVIII: 20. *Si convertit se homo malus ab omnibus peccatis quæ fecit, & servat mea præcepta, faciens judicium ac justitiam, vivendo vivet, & non morietur. Omnium malitiarum ejus quas fecit non recordabor: in justitia quam fecit vivet &c.* Vid. *Coccej. Consid. Resp. Jud. Cap.* IX. *ad Quæst.* VII. Mirum est quantum huic conversioni & pœnitentiæ tribuant. *Magna*, inquiunt, est *pœnitentia: nam deducit hominem ad thronum gloriæ. Magna est pœnitentia: nam ob unum pœnitentem, & ipsi, & toti mundo remittitur peccatum. Pœnitentia est fundamentum & columna mundi: non enim consistit mundus, nisi per & propter pœnitentiam.* Aliquam multa hujus generis collegit *Buxtorfius in Lexico Talmudico ad vocem* תשובה. Neque dubitant aliquando, hominem quem peccati sui pœnitet, illi anteponere qui nullum admisit. Hinc axioma illud, גדולה מעלתם של בעלי תשובה מצדיקים גמורים, *major est dignitas pœnitentium, quam perfecte justorum*: &, *in loco ubi stant pœnitentes, ibi non stant perfecte justi*, Alibi tamen haut paullo minus pœnitentiæ tribuunt. In tractatu *Joma* sub finem, *mortem, diem expiationis*, & *pœnitentiam* comparant in modo expiationis, & de pœnitentia sic scribunt: *Pœnitentia expiat peccata levia, tam contra præcepta affirmativa quam negativa: gravia autem suspendit, donec veniat dies expiationis, & expiet.*

IV. *Specia-tim, Elee-mosyna.* IV. Sic quidem generatim de pœnitentia & conversione loquuntur: alibi tamen descendunt ad specialiora. In tractatu Talmudico, cui titulus *Ros Hasschana*, quatuor esse tradunt quæ Deum movent ad mutandam suam de hominibus puniendis sententiam. צדקה צעקה שנוי השם ושנוי המעשה, *eleemosynam, clamorem sive orationem, mutationem nominis, & mutationem operis.* Magnam vim inesse credunt liberali ELEEMOSYNARUM erogationi. In Tractatu *Gittin fol.* 7. *Qui aliquid*, inquiunt, *de bonis suis demit quod in eleemosynas impendat, is eo ipso liberatur a condemnatione gehennæ.* Rursus, in Talmude Babylonico *Ros Hasschana, fol.* 4. *col.* 1. *Hic nummus*, ait aliquis, *cedat mihi in eleemosynam, ad id ut liberi mei vivant, utque ipse futurum seculum hæreditatis jure consequar.* Doctissimus *Ligtfootus* in *Horis ad Mat.* VI: 1. hanc unam ex rationibus esse putat, ob quam eleemosynam vocent צדקה, qua voce proprie *justitia* notatur, quod existimaverint, liberalitatem istam sibi pro justitia esse, plurimumque valere ad justificationem apud Deum. Cui observationi probandæ locum ex Talmude in hanc sententiam producit: *Ob unum nummum quem quis pauperi donat particeps fit beatifica visionis.* Eoque trahitur Ps. XVII: com: ult. אני בצדק אחזה פניך, quod vertunt: *ego ob eleemosynam videbo faciem tuam.* R. *Asai* in *Baba Batra fol.* 9. *col.* 1.

tanti

tantâ caussam hanc vehementia urget, ut dicere non vereatur: שקולה הצדקה כנגד כל המצוות, *Eleemosyna tanti ponderis est, quanti omnium præceptorum Divinorum observatio.*

V. Amicæ eleemosynarum sociæ ac commendatrices sunt Preces; quibus Judæi non impetratoriam solum, sed & expiatoriam, & meritoriam vim attribuunt: præsertim, si in Synagogis & cœtibus suis fiant. Hinc eas sacrificiis æquiparant, atque aliquo respectu anteponunt. R. *Isaac Ben Aramah ad Levit.* vi. התפלות הם מעצם הקרבנות ומשובחים מהם ואין צריך לומר שמועלין במקומם בכל זמן שהם בטלים: *Preces sacrificiorum rationem habent, suntque illis potiores. Neque opus est dicere, has illorum vices præstare, ex quo illa fieri desierunt.* Non procul a blasphemia abest, quod in Talmude Babylonico, titulo *Berachot fol.* 8. *col.* 1. Deus in hanc mentem loquens introducatur: *Quicunque operam dat legi, & exercitio misericordiæ, & quicunque orat cum Synagoga, eum tantum præstare censeo, ac si me & filios meos liberaret a nationibus mundi.* Quod omnes sane decori leges & limites migrat. Paullo modestiora sunt quæ ex Tractatu de *Sabbato* refert *Buxtorfius Synag. Jud. cap.* x. dum Judæi in Schola orationibus vacant, duos accedere Angelos, quorum alter bonus sit, alter malus, qui se ex adverso Synagogæ sistant: & si quem audiant cum studiosa, pia, & religiosa animi attentione orantem, illum duo isti Angeli domum deducunt, manibusque capiti illius impositis inquiunt: *Aufertur iniquitas tua, & peccatum tuum mundatur.* Orationum suarum non contemnendam partem constituunt in Confessione Peccatorum, quam cum affectu singulari, & contusione pectoris pronunciare solent; hac fere formula: *Obsecro, Domine, peccavi, inique egi, prævaricatus sum coram te. Sic & sic feci. Ecce pœnitet me, & pudet me operum meorum. Nunquam revertar ad rem istam, &c.* Qui eruditi ac prudentes sunt, ordine ac singulatim peccata commissa enumerant, nec reticent eorum species ac circumstantias. In more quoque positum est diebus Lunæ & Jovis peccatorum edere confessiones, omnibusque præterea inediæ diebus, at singulari ratione die jejunii expiatorii. Vide R. *Leonem Mutinensem de Cerimoniis & Consuetudinibus Judæorum. Part.* v. *cap.* vi.

V. Preces, cum confessione peccatorum.

VI. Miras etiam cogitationes de Nominis Mutatione formant: quasi ea integram integri hominis mutationem induceret: adeo ut peccata ab homine, dum antiquo vocabatur nomine commissa, non amplius illius esse peccata censeantur, ex quo novo nomine vocari cœpit: utque pœnæ quæ in hominem sub priori nomine decretæ erant, ad eum non pertineant post mutationem nominis. Vel saltem, quod mutatio ista nominis ingenerare animo debeat serium vitam ita mutan-

VI. Mutatio nominis.

mutandi & emendandi propositum, ut in alium prorsus hominem evasisse videatur. *Primam* hujus rei, ex suorum mente, rationem *Maimonides* exhibet in *Comm. Talm. ad tract.* תשובה. *Qui nomen suum mutat, perinde est acsi diceret*: אני אחר ואיני אותו האיש שעשה אותן המעשים, *ego nunc alius sum, neque ille vir amplius qui fecit opera ista. Postremam* didici ex *R. Alphes*, quem citat *Buxtorfius* in *Praef. ad Concord. Hebr.* in haec verba: *Ratio hujus rei est, quod mutatio nominis caussam ipsi praebeat agendi poenitentiam, dum in corde suo dicit: Ego non sum amplius ille qui fui prius, ac proinde emendandae mihi sunt actiones meae.* At *media* nostrae nunc potissimum considerationis est: plurimique Judaeis aestimatur. Idque ex eo colligitur, quod in periculosis quandoque morbis aegri nomen, ad mortem, si fieri pote est, evitandam mutare soleant. Addito solenni carmine, quod ex libello precum, quae Italis Judaeis in usu sunt, transscripsit *Buxtorfius Synag. Cap.* XXXV. *Misereatur Deus super NN. vitaque ac valetudini pristinae eum restituat, voceturque nomen ejus imposterum N. Laetetur hoc nomine suo, & confirmetur illud in eo. Sit quaeso beneplacitum tuum, o Deus, ut mutatio nominis ipsius faciat ad abolendum ab eo omnia decreta dura ac mala, & ad lacerandam sententiam contra ipsum latam. Si mors decreta est super nomine ipsius priori* (puta Ruben) *non tamen decreta est super nomine novo* (puta Joseph). *Si decretum malum factum est contra* Ruben, *non est factum contra* Joseph. *En hac hora est quasi vir alius, sicut creatura nova, & sicut parvulus recenter natus ad vitam bonam, & ad longitudinem dierum.* Si opinio ista Apostolorum aetate inoleverit, quod non videtur improbabile, inquisitu dignum est, an non Apostoli de *novo nomine, novaque creatura* loquentes, eo fortassis alluserint. Caeterum illius rei discussio ab instituto nunc nostro aliena est; quoniam id hic duntaxat agitur, quid Judaei pro justificationis suae caussis habuerint.

VII. Mutatio operis.

VII. Quam quarto loco adjungunt, MUTATIO OPERIS, ea singularem habet considerationem. Eam enim non tam ad expiationem commissorum antea peccatorum, quam ad promerendum jus vitae aeternae, pertinere volunt. Sic enim *Menasse Ben Israel, de Resur. Mort. lib.* 1. *cap.* VI. *Haec sententia nititur opinione quadam recepta, eaque inter veteres valde decantata ac celebri; nempe quod nullum peccatum possit extinguere bona opera, quae quis semel fecit; & vicissim quod bona opera non possint delere peccata semel commissa. Sed, si quis est qui peccaverit, & vitiis sese inquinaverit, primo ab iis se purgat, aut pro iis satisfacit: deinde ab iis liber & purus redditus, fruitur praemio bonorum operum.* Qua de re mox nobis melior dabitur dicendi occasio.



VIII. Præter ea quæ dicta sunt, plurimum ad impetrandam peccatorum remissionem valere existimant, Afflictiones illas, quas patienti animo propter peccata sua sustinent; sive sint *a Deo* immissæ, sive *sponte* susceptæ. Nullum existimant peccatum esse tam exiguum, quod non quodammodo puniatur: neque quenquam credunt, justitia sua efficere posse, ut peccatorum pœnam prorsus evadat. Sed castigationes hominum, satisfactiones esse pro ipsorum peccatis: iis ubi quis defunctus est, dispuncto reatu, immunis est & liber. Cæterum, ne quid insolutum remaneat, uti nuper de Gentilibus prolixe retuli, sic & Judæi, præcipue expiationis die, sponte sibi dura & aspera quædam imponunt. Quæ constituere solent, partim, in voluntaria abstinentia a rebus, ut arbitrantur, cætera jucundissimis; nimirum ab opere, a cibo ac potu, ab unctione, a calceorum indutione, denique ab usu lecti conjugalis: partim in inflictione dolorum. Jejunia nominatim sua care Deo venditant: si ad precatiunculam istam attendamus, qua commendare ea Numini consuevere. *Mi Deus, quo tempore stabat Sanctuarium, si quis peccatum committebat, offerebat coram te oblationem, & expiabatur. Nunc quando propter peccata nostra Sanctuarium est eversum, non habemus præter jejunia & preces nostras. Placeat itaque tibi, Domine Deus mi, & Deus patrum nostrorum, ut pinguedo & sanguis ille meus, qui hoc meo jejunio diminuitur, perinde coram te sit, ac si oblationem obtulissem, & gratiosus mibi esto.* Sed non contenti abstinentia a rebus jucundis; voluntariis se torquent doloribus. Qua de re *R. Leo Mutinensis Part.* III. *cap.* VI. Multi aqua se perfundi, pectusque suum tricies & novies virgis percuti permittunt, ictusque ita numerati nomine מכות ipsis veniunt. Et *Buxtorfius Synag. cap.* XX. Bini in peculiarem quendam scholæ locum eunt; tum alter humi se prosternit, vultu ad septentrionem verso, tergo ad meridiem. Alter vero loro scorteo, vel cingulo, triginta novem ictus dorso ejus infligit. Is qui flagellatur, interim confitetur, sibique ipsi ad singulas voces pectus plangit. Flagellator interim ex Ps. LXXVIII: 38. ait: *Ipse misericors condonavit iniquitatem, neque disperdidit, & multiplicavit ut averteret iram suam, neque excitavit omnem excandescentiam suam.* Quascunque ita voluntarie subeunt afflictiones, eas Deum in accepti rationes referre persuasi sunt.

VIII. Afflictiones, sive a Deo immissæ, sive sponte susceptæ.

IX. Incredibile propemodum est, quantæ dignitatis, quanti etiam ad peccata expianda valoris Circumcisionem esse arbitrentur; de qua Apostolorum quoque ætate ultra quam par est superbierunt. Ex Libro cui titulus *Cad Hakkemach* citat *Buxtorf. in Præf. ad Synag.* prodigiosum hoc effatum: גדול כוח מצות מילה שכל מי שהוא מהול

IX. Circumcisio.

מהול אינו יורד לגהנם *Tanta est virtus præcepti de Circumcisione, ut nullus circumcisus in Gehennam vel purgatorium descendat.* Imo, quod ridiculum, Abrahamum ipsum, ex beatorum sedibus accersitum, ad inferorum portam collocant, impediturum ne quis circumcisus eo propellatur. Passim laudantur *Maimonidis* illa ex tractatu *Milah cap.* III. §. 3. *Ideo per meritum hoc Deus vivus, portio nostra, petra nostra, præcepit liberare dilectos carnis nostræ e fovea, propter fædus quod posuit in carne nostra.* Tanti denique præceptum de Circumcisione faciunt, ut universæ legi Mosaicæ æquiparent. Quod ex istis Mosis verbis, quæ exstant Deut. XXX: 12. מי יעלה לנו השמימה, *quis adscendet nobis in cœlum*, suo more colligunt. Observant, ex quatuor literis initialibus istarum quatuor vocum oriri vocem מילה quæ *Circumcisionem* notat. Ex qua observatione, parata, & ex ipso textu petenda, est responsio ad interrogationem. Nimirum Circumcisio est, per quam in cœlum adscenditur.

X. Lotiones & Lustrationes.

X. Præterea plurimum sibi polliciti sunt a crebris LOTIONIBUS & lustrationibus ac purificationibus, quas ipse Deus per Mosen instituit. Eas vero non considerabant uti figuras spiritualis purificationis animarum, per sanguinem Messiæ, & Spiritum Sanctificationis; neque credebant, non certe prudentiores, vim aliquam physicam purificandi a peccatorum labe inesse aquæ, aut sanguini, aut cineri, aut alii cuicunque rei de hoc genere: sed considerabant, ut ordinationes Divinas, quæ ex ipsius præscripto observatæ, revera animam a peccatis mundarent. Ita quidem, ut omnis illa mundandi virtus, nullo modo ex ipsa rerum istarum natura deducenda foret, sed unice a Dei institutione penderet, cui integrum peccata, qua libet conditione, remittere. Placuit autem supremæ ipsius Majestati ita cum Israëlitis pacisci, ut ad consequendam conscientiæ munditiem, illis nominatim purificationibus, eoque quem præscripsit modo, uterentur. Cui mandato Dei si quis pareret, is ex ordine Divinæ institutionis, suæque obedientiæ virtute, purum a peccatis animum reportabat.

XI. Sacrificia pro peccatis.

XI. Pariliter de SACRIFICIIS PRO PECCATO & pro reatu philosophati sunt. Stupidiores fortassis ex fece plebis opinabantur Deum mactatione pecudum, nidore carnium, & sanguinis libamine delectari; sanguineque taurorum aut hircorum mundari animos: verum qui aliquanto cautiores magisque exercitati erant, facile in animum induxerunt ut crederent, Deum condonare populo suo peccata, intuitu obedientiæ, quam sibi in sacrificiorum oblatione, & exacta omnium, quæ eo pertinebant, singularium constitutionum observatione, præstabant: vel

etiam

etiam intuitu amoris istius ac reverentiæ quam deferebant Deo, in liberali earum rerum donatione, quibus cæteroquin ad vitæ suæ commoditatem, cum voluptate fuissent usi. Quod præsertim obtinebat in sacrificiis *spontaneis* ac *votivis*. Verbo ut absolvam, sacrificia habuerunt *pro mediis ad tanto facilius impetrandam remissionem peccatorum*: quemadmodum Doctus ille Judæus loquitur apud Coccejum *Consid. Resp. Jud. Cap.* IX. Consentit Aben Ezra, docens, *hominem integrum obedientiâ cum Deo conjunctum fuisse; sed lapso sacrificia ceu medicinam esse imperata, ut per ea restitueretur conjunctioni cum Deo.* Locum allegavit, Vir doctissimus, mihique amicissimus, *Johannes Meyerus*, in erudito Libro *de Festis Cap.* I. §. 23. Eadem fere credo in mente habuisse *Philonem*, quando in libro *de animalibus sacrificio idoneis* sic scripsit: Εἰ γὰρ βούλοιτό τις ἐξετάζειν ἀκριβῶς τὰς αἰτίας ὧν ἕνεκα τοῖς πρώτοις ἔδοξε ἀνθρώποις ἐπὶ τὰς θυσιῶν εὐχαριστίας ὁμοῦ καὶ λιτὰς ἐλθεῖν, εὑρήσει δύο τὰς ἀνωτάτω· μίαν μὲν τὴν πρὸς θεὸν τιμὴν, τὴν ἄνευ τινὸς ἑτέρου διὰ τὸ μόνον γιγνομένην, καὶ ἀναγκαῖον καλόν. ἑτέραν δὲ τὴν τῶν θυόντων προηγουμένην ὠφέλειαν. διττὴ δὲ ἐστιν ἡ μὲν ἐπὶ μετουσίᾳ ἀγαθῶν, ἡ δὲ ἐπὶ κακῶν ἀπαλλαγῇ. τὴν μὲν οὖν κατὰ θεὸν δι᾽ αὐτὸν μόνον γιγνομένην προσήκουσαν ὁ νόμος ἀπένειμε θυσίαν ὁλόκαυτον ὁλοκλήρῳ καὶ παντελεῖ, μηδὲν ἐπιφερομένης τῆς θνητῆς φιλαυτίας ὁλόκληρον καὶ παντελῆ. τὴν δὲ χάριν ἀνθρώπων, ἐπειδὰν διαίρεσιν ἐπεδέχετο ἡ δόξα, καὶ αὐτὸς διεῖλε, κατὰ τὴν μετουσίαν τῶν ἀγαθῶν ὁρίσας θυσίαν ἣν ὠνόμασε σωτήριον· τῇ δὲ φυγῇ τῶν κακῶν ἀπονείμας τὴν περὶ ἁμαρτίας. *Si quis caussas investigare velit, propter quas primi illi homines per sacrificia gratias egerint, itemque preces Deo fecerint, duas omnino præcipuas inveniet. Unam scilicet, Dei honorem: quæ res per se, sine ullo alio accedente cultu digna est, ac quidem bonum necessarium. Alteram, sacrificantium utilitatem: quæ duplex est; adeptio bonorum, & malorum aversio. Jam illi generi, quod Deo propter se fieri debet, Lex commode tribuit holocaustum: quod Deo integro & perfecto integrum ac solidum datur: mortalium cupiditate nihil sibi inde usurpante. Alterum autem genus hominum caussa factum, quia divisit vulgaris opinio, divisit etiam & ipsa Lex; ita ut altero quærantur bona, quod* salutare *nominavit; altero mala avertantur, cui* piaculare *tribuit.*

XII. Cæterum in sacrificiis pro peccato singulare aliquid erat, accuratiori animadversione dignum. Qui pecus, ex præscripto Numinis, pro peccato, ad altare sistebat; eum sic cogitare oportuit: *Ego ob crimina mea reus sum, ac mactari cremarique dignus; placuit*

XII. *Substituta in locum peccantium.*

autem Deo, pro immenſa bonitate ſua, hanc mihi pecudem vicariam dare, ut illius ſanguis loco mei ſanguinis ſit, illius anima loco mea anima. Hinc eſt, quod animalis iſtius capiti is qui offerebat manus ſuas, & cum manibus peccata imponeret; addito hoc ſolenni carmine: אנא יי חטאתי עויתי פשעתי עשיתי כך וכך וחזרתי בתשובה וזו כפרתי: *Obſecro, Domine, peccavi, perverſe egi, rebellis fui, feci ſic & ſic, & nunc redeo per pœnitentiam; atque hæc ſit expiatio mea.* Quibus ultimis verbis, *hæc ſit igitur expiatio mea*, quæ quiſque victimam intuens edidit, hæc eſt ſubjecta ſententia: *Quæ in caput meum mala recidere juſte poſſent, ea recidant in victimæ meæ caput. Aberbenel,* meo quidem judicio, ex præſtantiſſimis Hebræorum interpretibus eſt. Habet ille in Præfatione Commentariorum ſuorum in Leviticum aliquid, digniſſimum quod hic inſeratur. *Adam,* inquit, *& filii ejus ſacrificia obtulerunt, cogitantes, ſe per ea cultum Deo præſtare. Adolebant enim adipem & renes pro renibus ac præcordiis ſuis: & ſacrificiorum ſanguinem libabant loco ſanguinis & vitæ ſuæ: cogitantes coram Deo, oportere ſacrificantium ipſorum ſanguinem profundi, & corpus offerri pro peccatis ſuis ſed Divina benignitate beſtiam ſuccidaneam piaculum fieri; cujus ſanguis & vita ſanguinem & vitam ſacrificantis redimat, vicemque ejus obeat.* In eandem ſententiam *R. Bechai* ad Levit. I. *Quum ſons ipſe dignus eſſet, cujus ſanguis profunderetur, ut ſanguis ſacrificii, corpusque, ut ſacrificii corpus, cremaretur: quumque Deus, cui laus, hanc victimam, ut rem vicariam, & λύτρον ejus, ab eo acciperet: vide quanta in eum Dei benevolentia ſit. Is enim pro miſericordiæ ſuæ & bonitatis amplitudine, ut ille expiaretur, anima ejus loco, beſtiæ animam accepit.* Quibus ſubjungit: וטעם זה נכון ומתישב על הלב *Atque hæc ſententia vera eſt, & rationi conſentanea.* Multa ejus generis collegit Doctiſſimus *Outramus de Sacrific. lib.* I. *cap.* XXII. §. 9. Qui ita ſacrificia conſiderabant, omnium maxime ſapere videbantur. Pauci oppido inveniebantur, qui mentis acie ad Meſſiæ ſacrificium penetrarent, verum cunctarum iſtarum umbrarum corpus. Ad priſca ſanæ catecheſios rudera pertinet annotatio *R. Menachem,* explicantis myſterium arietis, quem Abraham filii ſui loco immolavit, *Comment: in Legem, fol.* 54:4. monentisque intelligendum illud eſſe ex loco Job. XXXIII:24. *Redime eum, ne deſcendat in foveam, inveni λύτρον. Ut doceamur,* inquit, *quando decreta homini eſt mors, inventum ei eſſe advocatum & interpretem ſuperne.* Verum eo, ut monui, pauci ſacrificia retulerunt: neque in liquido admodum eſt, quo ipſa illa Menachemi obſervatio pertineat.

XIII. *Præcipue Sacrificia jugia.* XIII. Quanta expiandi vi QUOTIDIANA ſacrificia valuiſſe exiſtiment, colligi poteſt ex *Jalkut* ad Jeſ. I; 21. p. 40. col. 4. in fine.

צדק

צדק ילין בה אמר רבי יהודה בן רבי סימון לא לן אדם בירושלים וביד
עון. כיצד. תמיד השחר מכפר על עבירות הלילה ושל בין הערבים מכפר
על עבירות היום מכל מקום לא לן אדם בירושלים ובידו עון : Justitia morabatur in ea civitate. *Ad hæc verba dixit R. Juda, filius R. Simonis, non erat quisquam hominum Hierosolymis in cujus manu inventum fuerit peccatum. Quomodo tandem illud?* Juge sacrificium matutinum expiabat piacula nocturna, vespertinum diurna; *Adeoque nemo Hierosolymis inventus in cujus manu esset peccatum.* Vide *Hackspanium ad Lipmanni Nitzachon. cap.* II. *sect.* CXLII. *p.* 394.

XIV. At nihil esse credunt majore ad expiationem faciendam vi præditum quam Sacra Magni Diei Expiationis, præscripta Lev. XVI. & XXIII. Quippe quo, ad præcedaneam Israëlis pœnitentiam, non aliqua modo, & aliquorum, sed omnia prorsus peccata, a toto populo Israelitico auferuntur. Atque hinc volunt esse dictum יום כפורים *diem* Expiationum, in numero plurali: quod, quando aliis festis sua quoque peccatorum condonatio attribuitur, restringi illa debeat ad peccata isthoc die commissa; hæc autem expiatio ad omnia totius anni peccata extendatur. Mira sunt quæ in hanc rem *R. Eliezer* jactat in *Pirke Aboth. cap.* XLVI. *Si non esset dies expiationis, non posset subsistere mundus: dies enim iste expiationem facit, & huic & futuro seculo: quam ob rem dicitur*: Erit illud vobis Sabbatum Sabbatorum. Sabbatum, *pro hoc seculo*; Sabbatorum, *pro futuro. Etiamsi omnia festa præteritura aut abolenda sint, dies tamen expiationis nunquam præteribit. Hoc est quod dicitur*: quia illo die propitiationem faciet super omnibus peccatis vestris. *Non est scriptum, super peccatis vestris, sed super* Omnibus *peccatis vestris.* Quibus subdit, Diabolum, quem *Sammaëlem* nuncupant, eo die quo lex lata est Deo dixisse: *Domine mundi, potestatem mihi dedisti in omnes nationes terræ, præterquam in Israëlitas.* Cui responderit Deus: *Ecce potestatem habebis super ipsos die expiationis, si quidem tum peccata habeant; sin nulla tunc habeant, nulla etiam tibi in ipsos potestas erit.* Sammaëlem autem, animadverso, nulla in ipsis peccata die expiationis deprehendi posse, porro dixisse: *Domine, unicum in terra populum habes, similem Angelis ministerii, qui in cœlo sunt. Quales sunt Angeli ministerii? Mundi sunt ab omnibus peccatis. Sic etiam Israëlitæ die expiationis ab omni peccatorum labe sunt purgati.* Quæ uti fabulosa, ita & valde hyperbolica sunt. Majorem meretur considerationem, curiosa Magistrorum observatio, cur *decimus dies Tisri* a Deo in diem expiationis dilectus sit. Ejusce rei hanc reddit rationem *Aberbenel in Pentat. fol.* 265. *Quia in Tisri mundus est conditus secundum R. Eliezer; & Doctores per traditionem habent,*

XIV. Sed omnium maxime sacra diei expiationis.

habent, die decimo a mundo condito Adamum resipuisse a suo peccato; quod eodem die expiatum sit. Quamvis enim postliminio in Paradisum receptus non sit: Deus tamen reconciliato possidendam dedit vitam futuri seculi. Ideoque hoc die statutum est tempus beneplaciti coram Israëlitis, ut converterent se ad Dominum, & imitarentur ejus exemplum, & misericordiam a Deo in cœlis impetrarent.

XV. *Mors.* XV. Si, post hæc omnia ad expiationem faciendam adhibita, aliquid fortassis restaret, novissimam spem in MORTE sua credebant esse repositam. Hanc intuebantur ut ultimum λύτρȣ quadrantem; quo soluto, omne expunctum sit debitum. Hoc solamine anxios ægrorum, morti vicinorum, animos solantur: quibus hanc, ex antiqua formula, orationem solent præire: אם הרבה עת פקודתי למות תהי מיתתי כפרה על כל חטאים ועונות ופשעים שחטאתי ושעויתי ופשעתי לפניך מיום היותי: *Si tempus visitationis meæ advenerit, quo mihi moriendum est, sit mors mea expiatio pro omnibus peccatis, iniquitatibus, & delictis meis, sive quæ nesciens, sive quæ sciens commisi, ab illo die quo primum lucem hausi.* Cui orationi respondent adstantes ægro amici ac vicini: *Sit mors ejus expiatio pro ipso, & pro toto Israële.* Qua in re incredibile propemodum est quam sint liberales. Nam & homini facinoroso, qui capital admisit, justaque judicum sententia ad mortem damnatus est, eadem oratione uti permittunt; & ipsi judices, quum morti tradunt, apprecantur: *Sit mors tua expiatio pro te, & pro toto Israële. R. Eliezer*, aliquoties nunc nobis laudatus, *cap.* XXXIII. Saulem ipsum mortem sibi conciscendo peccata sua expiasse tradit.

XVI. *Supplicium duodecim mensium in Gehenna.* XVI. Hactenus prosecuti carnales Judæos sumus in iis *rebus*, quas ut impetratorias suæ cum Deo reconciliationis caussas considerant: & inutilem nusquam quiescentis animi fatigationem ad mortem usque deduximus. Verum si hic aliquando extiterit casus, quem frequenter extare oppido credibile est, ut Israëlita aliquis, cujus mala opera plura sunt bonis, ex hac vita decedat sine sufficienti pœnitentia ac satisfactione, illine necesse erit æternum esse misero? Nequaquam, ajunt. Tam eximia Israelitarum prærogativa est, & tanta circumcisionis dignitas, ut omnibus circumcisis Israelitis, sua tandem portio in futuri seculi beatitudine contingat. Et quo tandem pacto? Prætendunt משפט רשעי ישראל בגהנם יב״ חודש *Judicium impiorum Israëlis non nisi ad duodecim menses duraturum.* In *Jore Deah. p. ult.* Similiter *R. Alphes*, ex sententia sectæ Hillelis. *Tom.* I. *fol.* 308. *c.* I. פושעי ישראל יורדים לגהנם ונדונים בו יב״ חודש *Prævaricatores Israëlis descendunt in Gehennam, & plectuntur ibi menses duodecim.* Quod prolixius expositum est a *Josepho Albo*, in libro *Fundamentorum*

mentorum serm. IV. *cap.* XXIV. p. 151. *Supplicium Gehennæ, sive ad corpus ipsum, sive ad animam simul cum corpore, sive ad animam solam pertinuerit, pro unius cujusque diverso statu ac conditione diversum est. Fieri enim nequit, ut is in quo partim bona, partim mala existunt, maximis istis, quos memoravimus, cruciatibus æternum torqueatur: peracto enim certo tempore supplicium illud cessabit; postquam improba illa peccandi consuetudo abstersa penitus, & perpetua oblivione abolita fuerit. Et juxta Doctorum nostrorum sententiam, tempus illud duodecim mensium erit.* Consule *Windetum de vita functorum statu, sect.* VIII. Non diffiteor, *Josephum* de *intermediis* sermonem hunc habere: sed sciendum, quod *Menasse* monuit *de Resur. lib.* II. *cap.* VIII. antiquos in intermediorum ordinem recipere quemvis, qui ob unicum duntaxat præstitum præceptum, non rejiciens interim cætera, sed ea approbans, meretur nomen Israëlitæ. Quibus adde ea quæ habet in *libello de Fragilitate humana.* §. x. *Inservit peccatis purgandis inferni pœna: quæ pro delicti quantitate intenditur, & remittitur. Purgatæ autem inferno a delictis animæ, a Deo in Paradisum recipiuntur; ut pro bonis operibus præmium consequantur. His comprobatur illa Talmudistarum sententia quæ exstat in tractatu Sanhedrin cap.* XI. *Omnis Israël tenet partem in alio mundo. Ac plane ita est statuendum. Quisquis enim propter Mitsva aliquod, aut præceptum Legis observatum, nomine Israëlis gaudet, is sine dubio feret portionem aliquam gloriæ in alia vita.* Ad hanc Judæorum opinionem Jesum nostrum respexisse credunt doctissimi Scripturarum Interpretes, quando docuit, blasphemiam contra Spiritum S. non remissum iri, *neque in hoc seculo, neque in futuro*: hoc est, nullam prorsus ei expiationem esse reliquam, neque in hujus vitæ afflictionibus, neque in morte, neque in inferno.

XVII. *Jus vitæ æternæ fundant in operum meritis.*

XVII. Atque hæ quidem Judæorum fuere cogitationes de *modo impetrandi peccatorum veniam*, & reconciliationem cum Deo: nunc ad alteram justificationis partem pergentes, inquiramus, quo pacto se Jus Vitæ Æternæ, in Scripturis promissæ, & ab ipsis desideratæ, acquisituros crediderint. Nec longis hic ambagibus opus est. Quoniam in nulla id alia re fundaverunt, nisi in Virtutum suarum dignitate, & operum meritis. Non potest sententia ista clarioribus exponi verbis, quam factum est a *Menasse Ben Israël*, uti alibi, sic & *de Fragil. Hum.* §. x. *Est regula inter nostros Theologos, nullum bonum opus perdi: adeo ut, licet quis multa commiserit peccata, unum vero bonum opus tantummodo egerit, propter illud, post deliquiorum subsequentem afflictionem, a Deo recipiatur in gratiam. Hujus sententiæ veritas manifesto constat ex libro Schoher Tob. ubi super Ps.* LXXI. *antiqui hæc verba proferunt. Sit homo e. g. qui fe-*

cerit

cerit decem Misvot, aut præcepta legis, & contra decem peccata, atque is forsan dicat; Nolo recipere præmium benefactorum, neque etiam velim perpeti pœnas peccatorum, sed neutrum istorum in rationem veniat, ut pares simus. Verum non vult Deus sic rationes inire. Sed prius ob delicta castigat; deinde, ubi sic purgarit, unicuique dat præmium pro suis operibus integrum. Idem firmat Rabbenu Bahye, in Parasa de Hekeb, illustrans Deut. x: 17. *Deus non recipit personas, neque accipit munus. Pro injustitia nempe non recipit personas Deus: hoc est, nec justum respicit, ut non puniat eum pro peccato, quantumvis levi. Neque accipit munus: hoc est, licet fecisset mille Misvot, aut præcepta, & unum duntaxat commisisset peccatum, nec ob omnia hæc quicquam detraxerit peccato: sed purgato prius deliquio, pro præceptis mille præmium mox debet.* Eadem postquam laudavisset, de *Resurr. lib.* I. *cap.* VI. subjungit. *Idem sentit R. Moses Ægyptius, in expositione cap.* IV. *Pirque Abot. Hac vero sententia hoc axiomate nititur; omnis Israël partem habet in alio mundo. Quum enim propter aliquod bonum opus, dignus habitus sit nomine Israëlis; idcirco partem aliquam gloria in mundo resurrectionis obtinebit. Portio illa erit magna, aut parva, pro ratione operum qua singuli præstiterunt.*

XVIII. *Qua ut multiplicarentur, multiplicavit Deus præcepta.*

XVIII. Unde consequitur, quod ex Judæorum sententia, bona opera non generatim solum mereantur mercedem vitæ æternæ; sed & specialius, quod gradus beatitudinis respondebunt proportione meritorum. Atque hac in parte accommodavit se Deus illi desiderio merendi, multiplicando sua mandata. Quæ ut melius intelligantur, attendendum est, quod, secundum Judæos, ad promerendum jus vitæ æternæ, non requiratur totius legis observatio; sed sufficiat præstatio unius alicujus mandati. Sic enim *Joseph Albo libro de Fundam. Serm.* I. *cap.* XXIII. Cujus verba, quia notabilia sunt, ex Hebræo describere non pigebit. שהשלמות האנושי ישג במצוה אחת ממצות תורת משה שאם לא כן תהיה תורת משה מרחקת את האדם מהשגת השלמות האנושי אשר כנו אותו ר' ז'ל בחיי העולם הבא: אם היה צריך כל בעל תורת משה כל רבוי המצות שבאו בה כדי להקנותו המדרגה המדרגות חיי העולם הבא היתה תורת משה מרחקת את האדם מקניית השלמות יותר ממה שהיתה מקרבה אותו וזה הפך מה שכיון ממנה: *Perfectio humana acquiri potest uno præceptorum Legis Mosaica. Alioquin Lex Mosis elongaret potius hominem ab acquisitione perfectionis sua, quam doctores nostri beata memoria vitam futuri seculi nuncupant.* Mox pauculis interjectis. *Si omnibus Legem Mosaicam professis universa multitudo præceptorum, qua ea continentur, necessaria esset ad acquirendum gradum aliquem ex gradibus vita futuri seculi; tunc lex Mosis magis repelleret hominem & arceret ab acquisitione perfe-*



perfectionis, quam ut ad eam faceret appropinquare. Id vero scopo legis perquam est contrarium. Quorsum ergo ingens illa præceptorum multitudo tendit? Iterum illud *Menasse* dicat, *de Frag. Hum.* §. x. *Quum dederit Deus multa præcepta, dedit quoque cum illis rationem homini, ad acquirendos varios felicitatis gradus. Hinc dicunt antiqui: Voluit Deus Israëlem mereri; ob id multiplicavit leges & præcepta. Quemadmodum enim qui opulentiori fruitur fortuna, se potest promovere facilius ad varias res, & dimittere bona sua in varias partes, quam cui una solum via patet: ita Deus quoque cum variis præceptis, quæ observet homo, domi, foris, in vestitu, in propria sua persona, multas ei aperuit vias ad commodum suum prosequendum..... Ac, ut animadvertit Rab Semuel Laniado in suo Cheli Hemda, non constituit tantum supernaturalia; sed & ea quæ natura sponte dictat, ut sunt, non furaberis, non occides, non mœchaberis, honorabis patrem tuum & matrem tuam, & similia. Eoque Deus augmentavit leges, ut præmium acciperet, non qui propter naturam, sed propter Dei voluntatem, istas observasset.* Ex qua postrema animadversione liquet, quod merendi vim non in convenientia boni operis cum natura & ratione collocent: sed unice in formali ratione obedientiæ, qua præstatur id quod jussum est.

XIX. *Fidem quoque caussis vitæ æternæ annumerant.*

XIX. Dissimulandum non est, quod Fidem quoque caussis vitæ æternæ accenseant. *Fides*, inquit *Joseph Albo*, *Serm.* 1. *cap.* xx1. *est caussa salutis, sicut est caussa vitæ æternæ. Secundum Habacuci testimonium,* Justus ex Fide sua vivet. *Ubi non de corporali ac temporali vita agitur; quippe quam justus cum improbis communem habet; sed de vita æterna, quæ vita animæ est.* Catechismus aliquis exstat, sub titulo *Lekach Tob*, eleganter & cum judicio scriptus, quem tam in Hebræorum quam Christianorum scholis publicus usus terit: in eo, non procul initio, ista occurrit Quæstio: *Qua ratione homo, muliere natus, certus esse potest, se ad quietem, possessionemque æternæ beatitudinis, perventurum esse, quæ expectatur in seculo futuro?* Ad quam quæstionem sic respondetur: צדיק באמונתו ובטחונו ביי ובקבלת עול תורתו אשר שם משה לפני בני ישראל יחיה בעולם הזה: *Justus per fidem suam & fiduciam in Dominum, & per susceptionem Legis ipsius quam Moses posuit coram filiis Israëlis, vivet in isto seculo.* Porro quæritur, *quænam ista fides sit, quæ pro fundamento ac radice collocari mereatur?* Ac respondetur: האמונה היא מתנה הנחיל אלהים בנפשותינו אשר באמצעותה אנו מאמנים כל הדברים שאמר לנו ע״י עבדיו הנביאים: *Fides hæc est donum quod Deus animis nostris indit, qua credimus omnibus verbis quæ nobis dixit ministerio servorum suorum Prophetarum.*

XX. *Eamque considerant ut*

XX. Ne autem nesciamus, quanti Judæis fides æstimetur, observandum est eam considerari ut Complementum omnium mandato-

complementum totius legis.

RUM DEI. Quod auctor laudatæ modo Catecheſios in præfatione, ſic ex veterum doctrina expoſuit. *Prophetarum aliquis omnia Divinæ legis præcepta undenario numero complexus eſt: alius redegit ad ternarium: tandem ſurrexit Propheta, qui omnia uno comprehendit verbo, nimirum hoc: Juſtus fide ſua vivet.* Deſumta autem iſta ex Talmude ſunt, *Tract. Maccot. circa finem*: ubi eadem res plenius & clarius habetur. *R. Semlai docet: Sexcenta & tredecim præcepta tradita ſunt Moſi in monte Sinai. Venit David, & reduxit ea ad undecim. Pſ.* XV. *Venit deinde Jeſaias, & reduxit ad ſex. Jeſ.* XXXIII:15. *Venit Micha, & reduxit ad tria. Mich.* VI:8. *Denique venit Habacuc, & cuncta complexus eſt uno. Hab.* II:4. Ex quibus liquidum eſt, quod modo dixi, fidem a Judæis conſiderari, ut complementum totius legis, & complexum omnium bonorum operum.

XXI. *Et ut opus meritorium,*

XXI. Quamvis iſta ad veritatem Chriſtianam propius accedere videantur; ſi tamen rite excutias, ſub locutione plauſibili latens Judaiſmi virus deprehendes. Quando enim animi ſui mentem declaraturi ſunt ſuper modo quo per fidem juſtificentur, cuncta in ſuam operiſque ſui dignitatem recidunt, omiſſo neglectoque prorſus Meſſia cum juſtitia ſua. Nimirum per fidem inſtitutis Moſaicis adhibitam recipitur quis in ordinem Iſraëlitarum: & eo ipſo quod Iſraëlita eſt, non poteſt exſors eſſe æternæ beatitudinis. Sic *Moſes Maimonides ad Tract. Sanhedrin* fol. 121. col. 1. *Si quis hæc omnia credat, fidemque ſuam ore profiteatur, recipitur ad Eccleſiam Iſraëlis. Ac ſi forte contingat, ad omnem nequitiam eum prolabi, ex vehementia corruptionis ſuæ, & pravarum cupiditatum; punietur quidem pro ratione delictorum ſuorum: non tamen idcirco amittet portionem ſuam in futuro ſeculo; quia receptus eſt in ordinem tranſgreſſorum Iſraëlis.*

XXII. *Cui addi volunt ſpecialem fiduciam in bonitatem Dei.*

XXII. At præter communem iſtam fidem, qua agnoſcuntur dogmata religionis Moſaicæ, requirunt etiam SPECIALEM FIDUCIAM in BONITATEM & miſericordiam DEI, ut qui pœnitentes ſervare velit. Quæ in laudata modo Catecheſi a fide diſtinguitur, nec prorſus incommode definitur. Doctor diſcipulum ſuum ſic affatur: *Quoniam explicuiſti quid fides ſit, & quinam ejus articuli, porro exponito quænam ſit fiducia illa, quæ quis iis adhæret, quæque hominem juvat ut perveniat ad conſummatam beatitudinem in ſeculo futuro.* Reſpondet diſcipulus: הבטחון היא מתנת
טובה מאת האלהים בנפשותינו אשר באמצעותה אנו בטוחים מתענוג
הנפשות שהוא האשר האמתי מצד החסד האלהי עלינו לא בצדקותינו
[illegible] מעשינו וגם בעולם הזה שכל מחסורינו ימלא ויפתח את ידו וישביע
לכל חי רצון ועיני כל אלו ישברו באמצעות הבטחון והוא נתן לכלם את
אכלם בעתו מקרני ראמים עד ביצי כנים: *Fiducia iſta eſt donum a Deo in animis noſtris datum, quo mediante certi evadimus deliciarum ſpiritualium, in qui-*

in quibus vera beatitudo sita est, quam accepturi sumus ex Divina super nos benignitate, & non propter justitias nostras, aut bonitatem operum nostrorum: confidimus etiam quod in hoc quoque seculo omnes defectus nostros supplebit, & aperiet manum suam, & satiabit quidquid secundum beneplacitum suum vivit. Unde omnium oculi in ipsum intenti, hac de qua agimus fiducia, sunt: & ipse dat omnibus illis escam in tempore suo, a cornibus monocerotum, usque ad ova pediculorum. Alibi, ad Quaestionem, *quid faciendum nobis incumbit, ut istarum rerum evadamus compotes?* Post commemorata & laudata alia sic pergit: *His succedit Fiducia, quae nos instar firmi fundamenti cujusdam, Deo simul adspirante, sustinens, animam corpusque reficit, & insigne in iis quae vel ad legem, vel ad res seculi pertinent, adjumentum praebet. Qui enim sperat in Dominum, eum circumdabit misericordia undiquaque, nec pedes ejus declinabunt; uti iis evenire solet qui fiduciam suam in alia re quacunque collocant &c.* Uti hanc fiduciam Deo gratam, & ad salutis procurationem utilem esse credunt; ita oppositam ei diffidentiam ac desperationem de Dei benignitate sex iis rebus annumerant quas Deus odit, & quae valde noxiae sunt. *Nimirum si quis prorsus non confidat Divinae misericordiae, quasi nullum sibi superstes esset remedium, & quasi Deo manus non essent ad recipiendum poenitentes in gratiam: non cogitans, misericordiam Dei esse super peccatores, Deumque velle eorum misereri; quamvis omnia quis peccata admisisset, modo eorum poenitentia ducatur, veniamque humili & contrito animo imploret.*

XXIII. Equidem non male, modo Dei benignitatem consideravissent in Messia, & fidem in ipsum non minus quam in Deum homini peccatori commendassent: sed ipsum, ut & fidem in ipsum, in universo aeternae salutis negotio praetereunt. Judaeus ille, cujus responsiones consideravit Cl. Coccejus cap. IV. rogatus, *An fides in Christum sit necessaria ad remissionem peccatorum?* Respondit: *Vocabulum fidei, de quo hic quaeritur, distinctione opus habet. Nam si per hoc intelligitur fides, quam in Deum habere oportet; hanc Judaei neque collocaverunt, neque collocabunt unquam in Messiam. Fides enim hujusmodi soli Deo debetur, non homini futuro Messiae. Si vero intelligitur de fide & certa spe, qua credi debet venturus ad liberandum populum Israëliticum, Judaei semper obligantur, & obligati fuerunt, hanc fidem habere, & censere pro articulo fidei & legis suae: adeo ut eum qui non credit, Deum missurum Messiam, ad liberandum populum Judaicum e servitute, eosque in terram suam colligendum, statuamus alienum a Republica Israëlis, & a spe salutis exclusum.* Similiter *Orobius* in *Collatione cum Limburgio. p. 57. Si quidem in omnibus afflictionibus a Prophetis admonebatur Israël, quod Legem Divinam servaret,* XXIII. *Non in Messiam.*

quod erat unicum medium quo in Dei gratiam restitueretur: nunquam vero dixere, quod in futurum Messiam spem haberet, sed in Deum, ut ab inimicis liberaretur, & in sui gratiam restitueretur.

XXIV. Cujus justitiam & redemptionem spiritualem prorsus repudiant.

XXIV. Quemadmodum fidem in Messiam improbant; ita & justitiam Messiæ, & satisfactionem ipsius, & impetrationem æternæ salutis per ipsum procurandam repudiant. Judæus ille, apud Coccejum *cap.* VII. rogatus, *An liberatio, quæ per Messiam fiet, solum erit corporalis, ac temporaria?* Sine hæsitatione respondet: OMNINO CORPORALEM FUTURAM CREDIMUS, *qualis per Mosen facta est, qui populum liberavit a servitute Ægyptiaca. Nam* SCRIPTURALIS LIBERATIO SOLUMMODO DEPENDET AB OBSERVATIONE LEGIS, *quam Deus in monte Sinai promulgavit: qua tum multo facilius observari poterit, adjectione corporalium bonorum, quibus tum populus Israëliticus fruetur, & quia tollentur omnia impedimenta, quæ nunc observationem legis difficilem reddunt: accedente speciali quadam benedictione, quam Deus illis promittit per Ezechielem, sic dicens cap.* XXXVI: 26. *Auferam cor lapideum ex carne vestra*, &c. Cui consona scribit *Orobius* l. c. p. 70. *In hoc secundo sensu nullo Messia, nulla redemptione indiget, nec aliquando opus habuit ad salutem æternam consequendam.* SUFFICIT QUIDEM LEX DIVINA, QUAM UT UNICUM MEDIUM AD SALUTEM DEUS ISRAELI PRÆCEPIT. Post pauca: *At Israëlis individua nullam aliam gloriam sibi proposuere præter Deum ipsum: cui, si Israël, Legem observans placuerit, credit & sperat infallibiliter eo æternum fruiturum. Sed ubi, & quomodo, nec scit, nec scire unquam affectavit.* NEQUE PRO HOC DIVINO AC SUMMO BONO CONSEQUENDO, MESSIÆ, AUT ALTERIUS REDEMPTIONIS, INTERVENTIONEM ADMITTUNT JUDÆI, *aut necessariam esse crediderunt, sola Divina misericordia, & Lege contenti.*

XXV. Quamvis frustra se coli Deus non postulet, negant tamen colendum esse intuitu mercedis.

XXV. Ex quibus omnibus apparet liquidissime, quod tam absolutionem a suis peccatis, quam jus vitæ æternæ, unice in SUIS ACTIONIBUS fundaverint, quas ex Legis præscripto peregerunt, & in *Divina* MISERICORDIA gratiose eas acceptante, CITRA INTUITUM MESSIÆ. At quamvis suis se actionibus omnia ista consequi ac merere se posse crediderint: satius tamen existimaverunt, quidquid agunt, magis ex amore Dei, quam mercedis intuitu agere. Notissima est *Antigoni* monitio ex *Pirké Abot. cap.* I. *Ne sitis tanquam servi, qui serviunt Domino, ea conditione ut recipiant mercedem; sed estote tanquam servi, qui obediunt Domino ex amore, sitque timor Domini super vos.* Memorabilis imprimis Catechistæ

Hebræi,

Hebraei, aliquoties nunc nobis laudati, institutio est, Quaestione secunda ita discipulum suum rogantis: *Dic mihi quaeso, in quem finem te Deus in pulcherrima hac forma creavit?* Respondet discipulus: הכל ברא לכבודו ואני נבראתי לשמש את קוני ולאהבה וליראה מפני כבודו ולעשות נחת רוח לפניו שלא על מנת לקבל פרס אף על פי שסוף השכר לבא בעולם שכלו ארוך ולחיות לפניו בנעימות נצח : *Cuncta ad suam creavit gloriam. Atque ego conditus sum, ut serviam Creatori meo, ut diligam ipsum, & timeam a gloria ipsius, utque quod ipsi gratum est faciam. Non profecto mercedis merendae caussa, quamvis certe tandem merces futura sit in seculo altero, quod prorsus aeternum est, ubi coram facie ipsius in aeviternis victurus sum deliciis.*

XXVI. Uti nuper quum *Gentilium* exponebamus de modo consequendae felicitatis sententiam, ita & nunc, recapitulatione facta, quid in *Judaeorum* opinionibus verum ac probandum, quid falsum ac rejiciendum sit, breviter, veluti in tabella exhibeamus. Verum est, quod nullus inveniatur mortalium, qui peccatorum expiatione non indigeat; nemo etiam a salute excludatur, qui eam rite quaerit: quod generatim poenitentia ac conversio ad Deum, specialius eleemosynae, preces cum peccatorum confessione, & vitae in melius mutatio, absolute necessariae sint ad consequendum Dei favorem: quod castigationes Divinae, cum submissione ac patientia susceptae, promovendae saluti plurimum inserviant: quod circumcisio magnum olim populi Israëlitici privilegium fuerit: quod lotiones, & sacrificia pro peccato, a Deo per Mosen instituta, religiose ex mente Legislatoris observata, durante oeconomia Legali, quandam purificationem & expiationem Israëlitis conciliaverint: quod magnus dies expiationis peccatorum remissionem, certo sensu, & convenienter isti oeconomiae, attulerit: quod bona opera, & fides qua quis assentitur Divinae revelationi, & fiducia in Dei misericordiam, peccatoribus poenitentibus expositam, ad salutis consecutionem omnino requirantur: quod quamvis mercenarium sit Deum colere solo mercedis intuitu, Deus tamen nunquam se frustra coli postulaverit. Omnia ista, bene exposita, vera & sana sunt.

XXVI. Recapitulatio, qua breviter ostenditur, quid in his omnibus veri,

XXVII. At temerarium est, omnibus Israëlitis, quia Israëlitae sunt, quantumvis tota vita improbi fuerint, spem facere beatitudinis in vita futura. Erroneum est, poenitentiae, eleemosynis, precibus, confessioni, similibusque actibus humiliationis, attribuere virtutem expiatoriam. Superstitiosum est, vim & efficaciam aliquam adscribere mutationi nominis, ut & operibus illis poenalibus nusquam a Deo jussis. Indignum est, de circumcisione gloriari, si quis non stet conditionibus foede-

XXVII. Quid falsi sit.

ris Abrahamici. Contra mentem Legislatoris est, fiduciam collocare in usu lotionum, sacrificiorum, & quarumcunque cerimoniarum, si unice considerentur ut actus ex præscripto præstandi; quum Deus eas dederit ut figuras rerum spiritualium, quærendarum & inveniendarum in Messia. Absurdum est, satisfactionem constituere in castigationibus, in morte, & pœnis purgatoriis inferorum. Superbum est, gloriari in operum meritis; & generali ista fide, qua quis, Israëli accensitus, extra damnationis periculum constituatur. Denique abnegatio est fœderis Abrahamici, & gratiæ Dei in Christo, salutem aliunde exspectare, quam ex Messia & fide in ipsum.

EXERCITATIO XXII.

DE

CONTROVERSIIS.

quæ Apostolorum ætate

IN

ECCLESIA CHRISTIANA

circa

JUSTIFICATIONEM

ortæ sunt,

BREVIARIUM.

I. Tres potissimum controversia in Apostolica Ecclesia orta sunt super observatione rituum Mosaicorum. II. In eo nunc consentit Christianismus, quod Lex pracepti carnalis sit emerita. III. Quod tamen initio Evangelii nondum innotuerat. IV. Primo enim loco controversum fuit, an Judais, post susceptum Christianismum, tenenda adhuc Lex Mosaica esset. V. Qua quastio tanti momenti habita non est, ut propter eam scinderetur pax Ecclesia. VI. Utrinque enim credebatur, non petendam esse justificationem ex Cerimoniis, sed ex Christo, & Fide in ipsum. VII. Non abnuendum existimarunt Apostoli ad Evan-

Evangelium gentibus prædicandum. VIII. Narratio de Evangelio per Thaddæum prædicato Regi Edessæ, fabulis est accensenda. IX. Cornelius, per Petrum ad fidem Christi adductus, primitiæ gentium est. X. Hunc secuti multo numero Græci quidam apud Antiochiam. XI. Indeque nata est secunda controversia, an Christiani ex gentibus obligarentur ad instituta Mosaica. XII. Decisio Ecclesiæ Apostolicæ. XIII. Tertiam controversiam, an justificatio ex Cerimoniis petenda esset, moverunt Pseudapostoli.



Ræter crassos illos *Gentilium* ac *Judæorum*, de Justificatione hominis peccatoris coram tribunali Dei, errores, expendendæ nobis veniunt controversiæ illæ, quæ in ipso Ecclesiæ gremio, inter eos qui *Christiani* erant, vel eo saltem se nomine dici postulabant, Apostolorum ætate, ortæ sunt. Controversiæ, circa eandem quidem rem versantes, at multum diversi generis, ordinis, ac ponderis; quarum aliæ aliis momentosiores ac periculosiores erant: ex Apostolica historia, in nativa sua facie, & quanta fieri potest accuratione, hic exhibendæ. Animadverto igitur in prisca Ecclesia *triplex* fuisse discrimen circa observationem illius partis Legis Mosaicæ quæ CERIMONIALIS dici solet. Primum fuit inter Christianos ex Judæis & Christianos ex Gentilibus, an hi quoque obligati essent ad suscipiendum Legis Mosaicæ jugum, tanquam partem religionis qua placeretur Deo. Tertium inter Christianos Orthodoxos & superbos quosdam, audaces & pervicaces ex Judæis, qui in Ecclesiam se ingesserant, & pro Christianis haberi volebant; improbe pugnantes, Fidem in Christum secundum doctrinam Evangelii ad Justificationem non sufficere; sed requiri præterea, ab ipsis etiam Gentilibus, observantiam rituum Mosaicorum, tanquam necessariam, &, si ita loqui fas est, essentialem Justificationis partem. Non abs re me facturum arbitror, si controversiarum istarum ortum ac progressum ordine enarrem.

I. Tres potissimum controversiæ in Apostolica Ecclesia ortæ sunt super observatione rituum Mosaicorum.

II. In eo nunc universus toto terrarum orbe consentit Christianismus, *Legem præcepti carnalis*, sive *præceptorum in placitis*, ut Paulus nuncupat, quam in Scholis Legem *Cerimonialem* dicimus, quum contineret umbram rerum futurarum, quarum corpus Christus est, ad corporis ipsius præsentiam, honeste loco cessisse: quum consisteret in primis ac rudibus mundi elementis, ac pædagogi vicem obiret, non amplius conve-

II. In eo nunc consentit Christianismus, quod Lex præcepti carnalis sit emerita.

conveniisse Ecclesiæ, ex puerili ætate ad adultam provectæ; quam generosior decebat educatio: quum duræ servitutis jugum esset, non esse imponendam cervici & humeris populi, in plenam, & adultis Dei filiis dignam, libertatem asserti: quum non data esset nisi ad tempus correctionis, postquam advenisset status promissæ consummationis, debuisse cessare: quum in ea Chirographum esset, fidelibus subcontrarium, quo edebatur confessio necdum præstitæ a Sponsore satisfactionis, scindi illud debuisse postquam solutio in solidum erat facta; quippe quod simul consistere nequeat cum apocha, a Deo Patre Sponsori data, quando eum suscitavit ex mortuis Unde consequitur, eum qui legis illius observationem a Christianis continuandam pertinaciter urget, inducere abnegationem satisfactionis Christi, & cum ea eversionem Christianismi. Hæc perspicua, constans, & evidentibus demonstrationibus comprobata Pauli Apostoli doctrina est, quam Catholica nunc Ecclesia unanimi consensu agnoscit.

III. Quod tamen initio Evangelii nondum innotuerat.

III. Cæterum non omnes veritates Evangelii omni tempore æquali evidentiâ patefactæ sunt; sic ut fideles æque claras ac distinctas semper earum habuerint ideas. Tum minime, quum recens ex ignorantiæ tenebris prodeuntes, priscæ præventionis præjudicia nondum satis deposuerant. Quod non ex plebe solum Christianis, sed & ipsis Apostolis, usu venit: etiam ex illo tempore, quo Divini Spiritus donis, Pentecostali prodigio, supra fidem aucti & locupletati sunt. Sufficiente tunc illos earum rerum cognitione instruxit Deus, quarum prædicatio tempestiva Ecclesiæ erat. Quæ deinceps prædicandæ restabant, oportune revelaturus. Omnes ad unum Apostoli, Christianæ libertatis privilegia ignorantes, Mosaicæ Legis obligatione obstrictos se teneri crediderunt, donec Petrus, in ecstasi, aliter a Domino informaretur. Tunc primum intelligere cœpit, non esse sibi diutius pro impuro habendum, quod Deus mundaverit; & licere sibi, sine scrupulosa mundorum & immundorum ciborum distinctione, omnibus a Deo creatis ex æquo vesci. Tunc primum edoctus fuit, fas sibi esse homini gentili Evangelium prædicare, sine obligatione ad Legem Mosis. Tunc comperit, posse aliquem in statum gratiæ cooptari, & placere Deo, & admitti ad Ecclesiæ Christianæ communionem, ac participationem donorum Spiritus Sancti, sine depositione præputii. Illa tempestate Petrus primus erat, & unicus, cui ea revelatio distincte erat facta. Cæteri fideles litem ipsi super ea re intenderunt. Act. x. xi: 2.

IV. Primo enim loco controversum fuit,

IV. Atque hæc prima realis, ut ita dicam, controversia est, quam in Ecclesia Christiana exortam esse legimus. Coactus fuit

Petrus

Petrus idonea apologia se ipsum actionesque suas defendere: qua effecit quidem ut acquiescerent illi qui sequius de ipso fuerant opinati, non ausi obniti Deo. At tamen eodem loco res mansit. Omnes qui ex circumcisione erant, nec ipsis, ut videtur, demtis Apostolis, pergebant obsequium deferre legibus Mosaicis, si non ex opinione durantis adhuc Divinæ obligationis, saltem ex veteri instituto ac more majorum, & metu scandali. Quod didicerant jam Apostoli, sibi scire contenti, nondum ipsa exercebant praxi, nec docebant publice. Deprehendebant, Christianos ex Judæis vehementi pro tuenda lege zelo plerumque ardere, neque consultum judicabant eos exacerbare & offendere: hinc temperamento aliquo prudentiæ iis sese accommodaverunt, donec de voluntate Dei plenius atque uberius constaret. Nemini plus lucis circa hanc rem indultum fuisse apparet quam Paulo, qui pro libertate stetit, tam acriter, ut diceretur, *omnes qui inter Gentes erant Judæos defectionem docere a Lege Mosis*. Act. xxi. Hic tamen ipse Paulus a Jacobo sibi persuaderi passus est, ad eum modum se in Templo Hierosolymitano gerere, ut omnes cernerent, *ipsum quoque ita incedere ut Legem observaret*. com. 24. Hæc itaque prima fuit controversia: *An Judæis, post susceptum Christianismum, observanda maneret Lex Mosis*. Erant qui starent pro parte ajente: sed cum discrimine. Quidam arcessebant ex religione Divini præcepti, quod adhuc suum opinabantur tenere vigorem: alii non agnoscebant nisi prudentem συγκατάβασιν, ad evitandam infirmiorum offensionem. Atque huc probabile est consensisse Apostolos, saltem quoad rei caput. Paulus certe facilis in eo fuit, *ut Judæis fieret Judæus*. 1. Cor. ix: 20. At quoad circumstantias personarum, temporum, locorum, alius συγκατάβασιν istam aliquanto extendit latius, alius arctioribus ratus est includendam esse limitibus. Admodumque probabile est, eos fuisse omnium liberalissimos, qui in ipsa Israëlitide, medios inter Judæos morabantur.

An Judæis, post susceptum Christianismum, tenenda adhuc Lex Mosaica esset.

V. Qui obligationem ex Divino, & adhuc durante mandato deduxerunt, effecerunt quidem ut controversia aliquanto esset gravior. Non tamen tanti eo tempore momenti visa est, ut ob eam Ecclesiarum paci mutuæque fratrum charitati quidquam decederet. Laudabatur utrinque sanctæ intentionis sinceritas, qua quisque, pro eo quo fruebatur lumine, secundum animi sui religionem, Deum colere, eique placere nitebatur. Neque ferebat Paulus, ut qui primas tenebat in cognitione, posterior esset in charitate. Hinc præclara ista, nulloque satis sermone prædicanda axiomata: *Alius quidem credit, edi licere quidvis: alius autem infirmus edit olera. Qui edit, non edentem ne pro*

V. Quæ quæstio tanti momenti habita non est, ut propter eam scinderetur pax Ecclesiæ.

nihilo habeto; qui non edit, edentem non condemnato: Deus enim eum assumsit. Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat diem, Domino non curat. Qui edit, Domino edit: gratias enim agit Deo. Et qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo. Novi, & persuasum habeo per Dominum Jesum, nihil esse impurum per se, sed ei qui reputat aliquid esse impurum, id ei impurum esse. Verum si propter escam frater tuus tristitia adficitur, non jam secundum charitatem ambulas. Nempe igitur quæ ad pacem faciunt sectemur, & quæ ad mutuam ædificationem. Et quæ his similia exstant Rom. XIV. Pulchra profecto, sancta, dignissimaque Apostolis monita! Utinam, utinam ille, tot piorum votis expetitus, illucescat aliquando dies, quo similes controversiæ, inter Orthodoxos cæteroquin, & in summa rei conspirantes fratres, pari sapientia, modestia, æquitate, & animi lenitate, tractentur! Credibilene est, ex tam mansueto prudentique pacis tuendæ studio quicquam damni passuram esse sacrosanctam Evangelii veritatem?

VI. Utrimque enim credebatur, non petendam esse justificationem ex Cerimoniis, sed ex Christo, & Fide in ipsum.

VI. Rationem vero cur tam mollibus articulis controversiam istam tractaverit Paulus, hanc esse reor: quod, qui ex circumcisione erant Christiani in eo cum cæteris omnibus convenirent, quamvis retinendæ adhuc essent cerimoniæ, non tamen in iis collocandam esse ullam justificationis partem, aut caussam. Hoc enim capite *Orthodoxi Christiani*, & *Justitiarii* atque *Operarii Judæi*, a se invicem discriminabantur. Omnium Apostolorum, quoties Judæis Evangelium prædicabant, una vox erat: *Notum igitur sit vobis, Fratres, annunciari vobis remissionem peccatorum per Jesum: & ab omnibus a quibus non potuistis per Legem Mosis justificari, per hunc credentem quemvis justificari.* Act. XIII: 38, 39. Huic veritati quicunque resistebant, & justitiam, vel in solidum, vel ex parte, quærebant in nimium sibi amatis cerimoniis; ii non pro fratribus æque pretiosæ fidei consortibus, sed pro deceptoribus habebantur spiritibus: uti mox luculentius patebit.

VII. Non admodum festinarunt Apostoli ad Evangelium Gentibus prædicandum.

VII. Cæterum & alia præter hanc mota est controversia, occasione Gentilium, qui suscepta Evangelii fide, per baptismum Ecclesiæ uniti sunt. Eorum sic erat ratio: D. Jesus omnibus officiorum suorum numeris in terra absolutis, jam jam in cœlum adscensurus, Apostolis suis mandavit, ut in omnibus sibi gentibus formarent discipulos, & Evangelium omnibus prædicarent creaturis. Sed non videntur Apostoli mentem Domini, in omni extensionis suæ latitudine, rite affecuti esse: sed potius animum induxisse, quod non esset festinato opus, liceretque generalis istius mandati exsecutione supersedere, donec vel ipsa temporis oportunitas eos invitaret, vel Dominus voluntatem suam de rei gerendæ

rendæ oportunitate ac modo uberius exponeret. Aliquid ſane de ordine ac progreſſu Evangelicæ prædicationis præmonuerat. Act. I: 8. *Eritis mihi teſtes, & HIEROSOLYMIS, & in tota JUDÆA, & SAMARIA, & uſque ad ULTIMAS TERRAS*. Ex omnibus conſtabat vatum oraculis, initium prædicationis faciendum eſſe ab Hieroſolymis. Atque ob eam rem aliquammultum temporis Apoſtoli in Metropoli iſta exegerunt; omni, ut videtur, de Evangelio gentibus annunciando, cogitatione ſepoſita; vel certe nullo manifeſto tantæ rei molimine.

VIII. Narratio de Evangelio per Thaddæum prædicato Regi Edeſſæ, fabulis eſt accenſenda.

VIII. Memorabilis hiſtoria eſt, quam *Euſebius lib. I. cap. XIII.* ſe inveniſſe memorat in *Archivis Edeſſæ*, urbis cis Euphratem in Moſopotamia ſitæ. Cujus urbis Rex, *Abgarus*, cum Domino Jeſu, adhuc in terris verſante, commercium habuerit literarum; petieritque, ut, itinere ad ſui curationem inſtituto, regiam ſecum dignitatem atque urbem partiretur. Abnuiſſe id quidem Dominum, at pollicitum tamen, quamprimum cœleſtis ſui regni poſſeſſionem adierit, miſſurum ex ſuis aliquem, qui & morbo ipſum liberaturus, & viam ad veram æternamque beatitudinem monſtraturus eſſet. Abhinc factum eſſe, ut recepto in cœlos Jeſu, Thaddæus, unus ex LXX diſcipulis, Edeſſam profectus portentifica virtute invaletudinem Regis curaverit, totumque regnum Evangelii cognitione imbuerit. Sunt, etiam ex noſtræ ætatis eruditis hominibus, quibus narrationi huic fidem adhibere lubet. In iis eſt Clariſſimus *Cavius*, in *vita Thaddæi*, & in *Hiſtoria Literaria*. Mihi ſecus videtur; quum ob alia multa, quæ fabulæ propiorem eſſe ſuadent, tum maxime, quod viam non inveniam eam cum Divina Lucæ hiſtoria conciliandi.

X. Hunc ſecuti multo numero Græci quidam apud Antiochiam.

IX. Quippe ex qua conſtat, Cornelium, Centurionem, Cæſareæ morantem, primitias fuiſſe gentium Chriſto conſecratas. Tota Lucæ commemoratio id clamat; & Petrus ipſe, in Concilio Hieroſolymitano, Evangelii primum Gentibus prædicati gloriam ſibi vindicat. Act. XV: 7. *Viri fratres, Vos ſcitis, Deum jampridem inter nos elegiſſe me, ut per meum os audirent gentes ſermonem Evangelii, & crederent.* Quæ neſcio, quomodo & a Luca narrari, & a Petro dici quiverint, ſi mox ab Adſcenſione Domini, per neſcio quem Thaddæum, ad Regem aliquem Edeſſæ, & univerſum ejus regnum, accurata Evangelicæ doctrinæ annunciatio facta, & fide ab iis recepta fuiſſet. Hoc itaque firmum nobis fixumque eſto; Petrum primum omnium fuiſſe, qui diſerto Dei mandato hominibus gentilibus prædicaverit Evangelium; Cornelium, primum eſſe, qui crediderit.

X. Hunc secuti multo numero Græci quidam apud Antiochiam.

X. Quæ res, tametsi insigni prosperata esset successu, intra unum hoc exemplum aliquo tempore stetit. Fratres enim Hierosolymitani, dispersi persecutione qua Stephanus e vivis sublatus est, varias quidem regiones, ad Phœniciam, & Cyprum, & Antiochiam usque peragrarunt, attamen *nemini nisi solis Judæis locuti sunt sermonem.* Act. XI : 19. Primi qui Antiochiam appulsi *Græcis sunt locuti*, annunciantes iis Jesum, Cyprii quidam & Cyrenii homines erant: *fuit autem manus Domini cum iis; multusque numerus fide ipsis habita conversus est ad Dominum. com.* 21. Hi post Cornelium primi sunt ex gentibus qui crediderunt; & absolute primi, qui notabilem aliquem numerum facerent. Cujus rei fama quum ad aures Ecclesiæ Hierosolymitanæ pervenisset, visum Apostolis est, Barnabam eo amandare, virum omnibus naturæ & gratiæ dotibus ad eam rem instructissimum, qui proselytis illis gratulaturus, eosque in via veritatis confirmaturus, & cœptum feliciter opus porro promoturus esset. Quod & magna dexteritate præstitit, &, Domino prosperante, cum successu exoptatissimo: præsertim postquam Paulum laborum comitem nactus esset. Ab eo tempore, duo hi Christiani nominis proceres, ad Gentes ablegati & commissum sibi negotium summa fide ac diligentia executi sunt.

XI. Indeque nata est secunda controversia, an Christiani ex Gentibus obligarentur ad instituta Mosaica.

XI. Imprimis hic notandum est, quod nec Petrus, nec Cyprii illi ac Cyrenii fratres, nec Barnabas, nec Paulus, verbum Evangelii gentibus prædicantes, & qui credebant, ad communionem Ecclesiæ admittentes, ulla eos circumcisionis, aliarumve cerimoniarum Mosaicarum necessitate obligaverint: quasi illæ ad salutem vel prorsus essent requisitæ, vel eam saltem redderent expeditiorem & certiorem. Solummodo male consulti quidam, & fervidi ingenii homines, Judæa venientes, bene compositam Antiochenæ Ecclesiæ pacem turbabant: clamabantque, NISI CIRCUMCIDAMINI RITU MOSAICO NON POTESTIS SERVARI. Non ferebant illud Paulus & Barnabas, sed forti animo inconsideratorum hominum impetum retundentes, pro libertate stabant Christiana. Unde quum repugnantia & disceptatio non parva utrimque oriretur, constitutum fuit, ut Paulus & Barnabas, & quidam alii ex illis, ad Apostolos & Presbyteros, Hierosolymam, super hac quæstione, adscenderent. Incertum est, an præter Jacobum ac Petrum plures tunc Apostoli Hierosolymis fuerint: hi enim duntaxat nominatim laudantur. Nisi Johannem iis adjungere lubeat, qui vel in eadem, vel ejusdem saltem generis collatione, a Paulo iis jungitur. Gal. II : 9.

XII. Decisio Eccle-

XII. In collatione ista Hierosolymitana princeps fuit Petrus, qui animi sui promsit sententiam. Eo autem tota ipsius tendebat

oratio,

oratio, non esse imponendum cervici discipulorum jugum, sub cujus onere & majores & ipsi tamdiu ingemuissent; quum experimento didicisset, posse aliquem cum præputio cordium scrutatori Deo placere; cujus rei illustre testimonium Deus ipse præbuerit, dato Spiritu Sancto: unde apparet, fide purificari corda, etiam sine cerimoniarum choragio. Quæ sanctissimi gravissimique hominis oratio magno totius multitudinis silentio audita, Paulo & Barnabæ occasionem dedit prolixo sermone memorandi, quanta Deus edidisset signa & prodigia per ipsos inter gentes, quas tamen nulla suscipiendæ circumcisionis necessitate gravaverant. Ea vero narratione valide confirmata Petri sententia fuit. Denique surrexit Jacobus, Petro quoad rei summam ὁμόψηφος, pariterque censens, non esse obturbandos eos qui ex gentibus ad Deum se converterint. Verum, quum singulari affectu in fratres suos, Judæos, propenderet, consultum arbitrabatur, sine religionis ac veritatis dispendio, ad conservandam pacem, & vitanda scandala ac schismata, aliquid iis indulgere. Atque hoc quidem nominatim, scribendum esse ad conversos ex gentibus, *ut abstineant a pollutis per simulacra, & scortatione, & suffocatis rebus, & sanguine.* Huic voto cuncti assenserunt. Epistolaque in eam mentem concepta, ab omnibus approbata, & per Paulum & Barnabam Antiochenis fratribus reddita est. *Quam quum legissent, gavisi sunt, super ea exhortatione.* Act. xv. Non lubet nunc excurrere in commentarium super decreto isto Apostolico: quippe quod ab instituti nostri ratione alienum, & ab aliis multis, & *Cavio* quoque nuper, erudite occupatum est. Id unum hic observasse suffecerit, hactenus stetisse controversiam inter *fideles* & *fratres*, qui sine hæresios criminatione ac recriminatione, sine schismate, in Ecclesiæ unione manserunt: atque ita quidem, ut qui optime instructi erant, & rectissime sentiebant, simul magna cum prudentia arbitrarentur, posse aliquid infirmioribus & errantibus, pacis tuendæ caussa, sine veritatis dispendio, indulgeri.

sia Apostolica.

XIII. Insanum quantum ab hac controversia distat postrema illa, quam falsi quidam fratres, & dolosi doctores ad Evangelii eversionem, Apostolicæ Ecclesiæ moverunt: ingenti contumacia, & effreni petulantia, cum vilipendio Apostolicæ auctoritatis contendentes, omnes qui Christo nomen dederant, sive ex Judæis, sive ex Gentibus, ad totius Systematis Mosaici observantiam teneri, non modo ex reverentia quadam quæ antiquis & a Deo institutis ritibus debeatur, verum etiam ad comparandam inde sibi justificationem. Cum eo hominum genere plurimum Paulo negotii erat; quos *canes*, *malos operarios*, *concisionem*

XIII. Tertiam controversiam, an Justificatio ex Cerimoniis petenda esset, moverunt Pseudapostoli.

nem vocat. Phil. III: 2. *Pseudapostolos, operarios dolosos, transfigurantes se in Apostolos Jesu Christi.* 2. Cor. XI: 13. Quibus exprobrat, quod non modo *turbent Ecclesias*, sed & *transferre* moliantur *ad aliud Evangelium, intervertentes Evangelium Christi.* Gal. I: 6, 7. Describit eos ut *irreptitios falsos fratres, qui fuerant clam ingressi ad explorandam libertatem, quam habent fideles in Christo Jesu, ut ipsos ad servitutem adigerent. Quibus ne ad momentum quidem subjiciendo se cedere debuerit*: ne quid dispendii pateretur Evangelii veritas. Gal. II: 4, 5. Denunciat ipsis, *futurum esse ut condemnationem suam auferant, quique fuerint*: vovetque, *ut abscindantur*. Gal. V: 10, 12. Breviter, ita iiscum agit, ut cum pessimis hæreticorum. Atque hic quidem verus status est earum controversiarum, quæ in primitiva Ecclesia agitatæ sunt super modo consequendæ remissionis peccatorum, & juris ad vitam æternam. Qua autem ratione, quibusve argumentis, singulas distincte tractaverit Paulus, proxima Exercitatione disquiretur.

EXERCITATIO XXIII.

DE MENTE PAULI in negotio JUSTIFICATIONIS. BREVIARIUM.

I. Magnus Pauli zelus in tuenda vera doctrina de justificatione. II. Hoc potissimum agit in Epistola ad Romanos, ut Gentes pariter ac Judæos, ab omnibus suis quibuscunque operibus, ad solam Christi justitiam, avocet. III. Justitia, qua coram Deo consistamus, non nostra, sed Dei est. IV. Ex fide, ad fidem. V. Non ex ullis operibus, cujuscunque Legis. VI. Neque observatione Evangelicorum officiorum, sed gratis, ex Dei gratia. VII. Lex operum *est, quæ opera præscribit, ut conditionem juris ad vitam: olim Adamo data; VIII. Deinde a Mose repetita, ut inserviret fœderi gratiæ: IX. At a plerisque Israëlitis perperam accepta.* X. Opera Legis, *sunt officia ex Legis præscripto. XI. Ea quæ Paulus a Justificatione excludit, non sunt illa quæ conversionem & fidem antecedunt. XII. Quod proba-*

probatur exemplo Abrahami. XIII. *Eximius Clementis Romani locus.* XIV. *Objectio.* XV. *Responsio.* XVI. *Non significant opera Legis obedientiam perfectam, secundum rigorem fœderis operum.* XVII. Lex fidei, *comprehenditur ista formula, Justus ex Fide Vivet.* XVIII. *Non tamen Fides eandem relationem habet in fœdere gratiæ, quam opera in fœdere operum.* XIX. Fides *aliquando doctrinam Evangelii notat, sed hic actionem quandam hominis.* XX. *Quam nonnulli definiunt, obedientiam mandatorum Christi.* XXI. *At perperam.* XXII. *Et invito Paulo.* XXIII. *Cui fides singularis virtus est, quæ a Sanctitate Evangelica distinguitur.* XXIV. *Quid sit obedientia fidei.* XXV. *Paulus non docet, fidem, Novam Creaturam, & observantiam mandatorum Dei, eandem rem esse.* XXVI. *Neque Jacobus opera vocat, quod Paulus fidem.* XXVII. *Verum Jacobus de alia Justificatione agit quam Paulus.* XXVIII. *Tota disputatio Pauli contrahitur in tres fundamentales veritates.* XXIX. *Judæos non amplius obligari Cerimoniis, in Epistola ad Hebræos docet.* XXX. *Circa Gentiles acquiescit sententiæ Concilii Hierosolymitani.* XXXI. *Judaizantium errores occasionem præbuerunt scribendæ ad Galatas Epistolæ.* XXXII. *Illius argumentum & institutum.* XXXIII. *Collatum cum Epistola ad Romanos.*

INsignem semper Paulus in universo Apostolatus sui ministerio zelum ostendit ad propagandam ac vindicandam puram Evangelii veritatem: omni opere annisus, ut fideles accuratis de ea conceptibus formandis assuescerent, *implerenturque agnitione veritatis, cum omni sapientia & intelligentia spirituali*: ut deponerent errores ac præjudicia, difficulter cæteroquin animis exuenda, atque ita *expurgarent vetus fermentum*: ut denique adversus omnia seducentium spirituum molimina stabiles & inconcussi manerent. Sic *affectabat Ecclesiam æmulatione Dei, id agens, ut aptaret eam uni viro, Christoque veluti virginem puram sisteret: veritus, ne, sicut serpens Evam seduxit calliditate sua, ita & corruptæ fidelium cogitationes degenerarent a simplicitate quæ est in Christo.* Illustria imprimis hujus sui studii documenta exhibuit, in solerti ac solida earum quas modo exposui controversiarum tractatione. Quarum summa & præcipua maximeque capitalis hæc est, qua Christianismus a Gentilismo & Judaismo potissimum dirimitur; nimirum, *an ullo aliquo opere humano, cujuscunque demum sit generis, an vero sola Dei gratia, propter justitiam Christi, viva fide apprehensam, obtineri queat peccatorum condonatio, & jus æternæ*

I. *Magnus Pauli zelus in tuenda vera doctrina de Justificatione.*

æternæ salutis. Atque hanc quidem caussam, ex primis principiis erutam, sapientissima & prorsus admirabili argumentorum connexione, exsequitur in Divina sua ad *Romanos* Epistola. In Epistola denique ad *Galatas* adversus eos ex professo disputat, qui *fidem quidem in Christum præ se ferentes, justificationem tamen in cerimoniarum Mosaicarum observatione ex parte saltem collocabant.* Porro, *Leges Cerimoniales prorsus esse emeritas*, nullamque amplius sui cultoribus utilitatem adferre posse, postquam Christus passionibus consummatus, & in cœlum susceptus, complesset omnia, *Hebræos* prolixis literis convincit. Sic tamen ut passim in Epistolis suis, ubi commodum est, easdem res tangat.

II. Hoc potissimum agit in Epistola ad Romanos, ut Gentes pariter ac Judæos, ab omnibus suis quibuscunque operibus, ad solam Christi justitiam, avocet.

II. Ab ea incipiamus, quam *Romanis* inscripsit. Formatam Romæ Ecclesiam invenit Paulus, non formavit ipse. Ea vero Ecclesia collecta erat partim ex *Gentilibus*, partim ex *Hebræis*, Evangelii præconio ad fidem Christi conversis. Quum autem, ex Dei destinatione Gentium esset Apostolus, & Roma late dominantis Imperii Metropolis; officii sui esse duxit, florentem illam & ad magna crescentem Ecclesiam, in quam totius orbis oculos conjectum iri prævidebat, salubri informatione accuratius de Christianismi mysteriis erudire, ad fidei confirmationem & augmentum. Id quod concinno facit ordine. Postquam enim de Divina sui ad Apostolatum vocatione certiores eos reddidisset, protestatusque esset de ardenti suo desiderio, communicandi ipsis donum aliquod spirituale, quo stabiliantur; monstrat, *Evangelium fide acceptum, unicum, & simul efficacissimum, medium esse, ad acquisitionem justitiæ, quæ apud Deum valeat, &, per eam, vitæ æternæ,* quoniam omnes ad unum homines, peccati reatu impliciti, iræ & maledictioni Divinæ obnoxii sunt: Gentiles, damnati Lege naturæ, cordibus ipsorum impressa, & propriæ conscientiæ judicio; Judæi adhuc multo magis Lege Mosaica quæ peccatum detegit, justitiam non donat. Unde concludit, omnibus iis quibus curæ est meritam condemnationem effugere, eam impositam esse necessitatem, ut *justitiam qua ipsi carent, extra se, in Christo* quærant, quem Deus in placamentum proposuit: cujusque communionem ac participationem, non ullo aliquo cujuscunque generis opere, sed salutari in ipsum fide, sibi comparent. Istud revera filum est bene connexarum ratiocinationum Pauli. Hoc non innuunt, sed indicant, & clamant illius phrases: quibus, quotquot sermoni ipsius assueti sunt, huc ducuntur, vel trahuntur. Hoc denique magnum illud caput est, dignum ac necessarium præ omnibus, quod tam Judæis, quam Gentibus, Romæ degentibus, quanta fieri poterat cura, inculcaretur.

III. Operæ pretium erit ut rem aliquanto propius & penitius introspiciamus. Primam Thesios probandæ propositionem invenimus cap. I: 16, 17. *Non enim pudet me Evangelii Christi*, *potentia* (siquidem *Dei est*, validissimum medium, a Deo ordinatum, & Spiritu ipsius roboratum, *ad salutem cuivis credenti*, sine ullo nationum discrimine, sola temporis differentia, *primum Judæo, dein & Græco*. Unde autem Evangelio tanta servandi efficacia est? Hinc est: quod *in eo reveletur* vera *justitia*; quæ jus ad vitam dat, sive per quam gratia redundat in omnes ad justificationem vitæ. Quænam est illa justitia? Non nostra, in nostris virtutibus nostrisve sita operibus. Sed *Dei*, quæ Deum auctorem habet, Philipp. III: 9. quæ a Deo per Prophetas promissa, Jes. XLV: 24. LVI: 17. quæ a Christo Θεανθρώπῳ, qui est Jehova justitia nostra, præstita & adducta est, denique quæ propter suam perfectionem Deo probatur & coram eo valet. 2. Cor. V: 21. Rom. V: 21. quæque *nostræ* propriæ & personali opponitur. Rom. X: 3. Hæc justitia *revelatur Evangelio*. Gentiles in statu naturæ prorsus eam ignorabant. Natura nihil de ea docuit. Lex Mosis, aliquid. Sed parce, & obscure. Deinde velamen cordibus Judæorum incumbebat, ne scopum Legis attenderent. At Evangelium, tum reconciliationem peccatoris per Christum docet, pretiosissimum hunc Sacro-Sanctæ veritatis unionem in lucem produxit, cunctorumque oculis spectandum exposuit.

III. Justitia, qua coram Deo consistamus, non nostra, sed Dei est.

IV. Porro eadem justitia est *ex Fide*. Retegitur, offertur, confertur Evangelio ceu manu exhibentis eam Dei: accipitur fide, veluti manu apprehendentis eam animæ. Porro sic est ex fide, ut & *ad Fidem sit*. Est *ex fide*, qua credo testimonio Dei Patris de Filio suo, & de vita quæ in ipso est, qua ad eum accedo ut petam jus filiorum Dei, qua refugio ad ipsum uti ad arcem salutis, denique qua recipio eum ut meus sit Servator. Est *ad Fidem*, qua credo & firmiter persuasus sum Deum esse clypeum meum & mercedem meam maximam, Christum esse dulcissimum Servatorem meum, denique me nunc esse in statu gratiæ certaque exspectatione gloriæ. Conf. Rom. V: I. Nisi sic malimus: *ex fide ad fidem*, ut denotetur, fide inchoari, adeoque unam fidem hic esse quæ ab initio ad finem usque sola valeat, ut nec ipsa in subsidium veniat antecedentium operum, nec in subsidium adsciscat subsequentia.

IV. Ex fide, ad fidem.

V. Cur vero necesse fuit illam Dei justitiam quæ ex fide est *Evangelio retegi*? Ideo fieri oportuit, quia neque Gentiles, neque Judæi ullam propriam justitiam habent, qua impetrare sibi valeant peccatorum expiationem & jus vitæ. Distincte id probat Apostolus,

V. Non ex ullis operibus, cujuscunque Legis.

primo de *Gentilibus*, qui sive palam scelerati sint, sive melius aliquanto morati, ita omnes adversus legem naturæ peccaverunt, ut in ejus legis damnationem incurrerint: dein de *Judæis*, a quibus adeo non est observata lex Mosaica, ut non minus quam *Græci sub peccato sint* Unde fit *ut omne os obstruatur & totus* mundus *obnoxius sit condemnationi Dei.* Hinc concluditur, *ex operibus Legis*, neque naturalis, neque Mosaicæ, *nullam carnem justificari*: sed aliam requiri justitiam, quæ *absque lege manifesta facta est*: quippe quæ non consistit in officiis quibusdam a nobis ipsis ex obligatione legis ad justificationem præstandis: sed est *justitia Dei ex fide*; a Deo donata, fide recepta; quæque communis est credentibus, sine distinctione Judæi, aut Græci.

VI. Neque observatione. Evangelicorum officiorum, sed gratis ex Dei gratia.

VI. Porro ista justitia non collocatur in observatione officiorum Evangelio præscriptorum: quasi per illam nunc obtineatur, quod frustra Græci & Judæi, in suarum singuli legum, suæque religionis observatione quæsiverant: nam *gratis* justificari dicimur, sine ulla justificationis caussa quæ in nobis sit. Sed *Dei gratia*, & *Christi redemtione, quem præstituit Deus, ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius.* Denique huc tendunt omnia, ut Deo & Christo in solidum salutis nostræ gloria transcribatur, nostra autem *gloriatio* prorsus exsulet. Gloriatio est dicere aliquid de se ipso quod sit caussa vel evadendi judicium, vel juris exspectandi hæreditatem, vel etiam quidquam petendi a Deo. Talis gloriatio prorsus est exclusa: *non lege operum*, id est, ea doctrina quæ salutem per opera consequendam monstrat, hominique eam præstanti gloriandi fiduciam dat, sed *lege fidei*; quæ docet justitiam quærendam in Christo & apprehendendam *fide*, sine ullis actionibus nostris, quæ hic quandocunque in considerationem veniant. Conf. Eph. II: 8, 9. Hic est processus disputationis Paulinæ, directe oppositus erroribus tam Gentilium quam Judæorum, qui in suis utrique operibus noxarum expiationem vitamque quærebant, & justitiam Dei ignorantes propriam justitiam studebant constituere. Quæ sane controversia plurimum distat ab altera illa, an Cerimoniæ jungendæ sint Evangelio; quam, ut diximus, in Epistola ad Galatas magis pertractat.

VII. Lex operum est, quæ opera præscribit, ut conditionem juris ad vitam: olim

VII. Ut vero omnia ista clariora ac confirmatiora sint, agedum, curate expendamus quid intelligat Apostolus quatuor his locutionibus, LEX OPERUM, OPERA LEGIS, LEX FIDEI, ET FIDES. LEX OPERUM ea est, quæ opera virtutis & religionis ab ipso homine præstanda exigit, tanquam conditionem vitæ, sive caussam petendi mercedem: cujus hæc est formula, *Qui fecerit ea homo vivet in iis.* Rom. x: 5.

Talis

Adamo data;

Talis lex data fuit olim Adamo, qui, si in integritate sua perstitisset, ex operibus justitiæ a se præstitis consecutus fuisset jus ad vitam æternam.

VIII. Doctrina a Mose repetita, ut inserviret fœderi Gratiæ:

VIII. Eandem doctrinam repetiit suo ministerio Moses. Nam & eadem præcepta inculcavit quibus fœdus operum inædificatum fuerat: & repetiit idem carmen, *Qui fecerit ea vivet in iis.* Lev. XVIII: 5. addiditque & alterum, *Maledictus qui non præstiterit verba Legis hujus faciendo ea.* Deut. XXVII: 26. Quam esse maledictionem legis, quatenus fœderi gratiæ opponitur, Paulus docet. Gal. III: 10, 12. Quod tamen non ita est intelligendum, quasi voluerit Deus, ministerio Mosis, novum fœdus operum cum Israële pangere, ad justitiam & salutem in tali fœdere quærendum. Sed facta est ista fœderis operum commemoratio, ad Israëlitas peccatorum & miseriæ suæ convincendos, ex se ipsis expellendos, de necessitate satisfactionis edocendos, & ad Christum compellendos: & sic inservit fœderi gratiæ. Rom. X: 4.

IX. At a plerisque Israëlitis perperam accepta.

IX. Interim carnales Israëlitæ, ad consilium Dei non attendentes, a vero fœderis hujus sensu aberrarunt, & amplexi illud sunt ut fœdus operum, atque ex eo quæsiverunt justitiam suam. Vide sis Rom. IX: 31, 32. Plerique enim ad fœdus Dei invitati, temere ad omnium a Deo edicendorum observationem se obstrinxerunt, neque spiritualem legis perfectionem, neque suam impotentiam rite perpendentes: rati nimirum æque propriis viribus utrique parti agendum esse, ut æqua esset fœderis ratio; nec minus suis se staturos promissis quam Deus. Et hac ratione totam Mosis legem sibi fecerunt legem operum, dum incauta se promissione ad illius obedientiam obligarunt, ut consequerentur promissam a Deo vitam.

X. Opera Legis, sunt officia ex Legis præscripto.

X. Invento itaque quid sit lex operum, facile perceptu est, quid sint OPERA LEGIS: omnia nimirum κατορθώματα ex legis præscripto præstita, sive ea consistant in officiis virtutum moralium, quæ sunt ἔργα τὰ ἐν δικαιοσύνῃ, ἃ ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, uti vocat Paulus Tit. III: 5. sive in quarundam rerum præstatione quas Deus injunxit ad consequendam typicam quandam peccatorum expiationem: præsertim si fiant cum opinione per ea opera vitam aut veniam consequendi.

XI. Ea quæ Paulus a Justificatione excludit, non sunt illa quæ conversionem & fidem antecedunt.

XI. Nescio quo jure sibi postulet Vir Doctissimus, per opera legis quæ Paulus a justificatione excludit, intelligi opera *ante conversionem, sine fide*, ex *propriis viribus* præstita. Quod Romanensium commentum Protestantium Antistites toties ac tam solide refutarunt, ut mirum sit, inventum esse hominem Protestantem cui id rursus allubescat: quum & Romanensium cordatioribus, ipsique adeo *Vasquezio*, displicuerit. Vide *Rivet. Cathol. Orthod. Tract.* IV. *Quæst.* X. §. IX.

Ex noſtris unus nunc pro omnibus audiatur *Calvinus. Inſtit. lib.* III. *cap.* XI. *§.* XIV. Cujus tamen non auctoritate, ſed argumentis pugnare inſtitui. Subtile, inquit, effugium habere ſe putant Sophiſtæ, qui ſibi ex Scripturæ depravatione, & inanibus cavillis, ludos & delicias faciunt: nam opera exponunt, quæ literaliter tantum, ex liberi arbitrii conatu, extra Chriſti gratiam faciunt homines regeniti: id vero ad opera ſpiritualia ſpectare negant. Ita ſecundum eos tam fide quam operibus juſtificatur homo, modo non ſint propria ipſius opera, ſed dona Chriſti, & regenerationis fructus. Paulum enim non alia de cauſſa ita locutum, niſi ut Judæos, viribus ſuis fretos, convinceret, ſtulte ſibi arrogaſſe juſtitiam, quum ſolus Chriſti Spiritus eam nobis conferat, non ſtudium ex proprio naturæ motu. Atqui non obſervant in antitheſi Legalis & Evangelicæ juſtitiæ, quam alibi Paulus adducit, excludi quælibet opera, & quocunque ornentur titulo. Docet enim juſtitiam legis hanc eſſe, ut ſalutem obtineat qui præſtitit quod lex jubet: juſtitiam vero fidei, ſi credimus Chriſtum eſſe mortuum & reſurrexiſſe. Rom. X: 5, 9. Gal. III: 11, 12. Unde ſequitur, ne ſpiritualia quidem opera in calculum venire, ubi vis juſtificandi adſcribitur. Nec vero Paulus ubi negat Abraham habere cur glorietur apud Deum, quia operibus juſtus non eſt, reſtringi hoc debet ad literalem & externam virtutum ſpeciem, vel liberi arbitrii conatum: ſed quamvis ſpiritualis, & fere Angelica, fuerit Patriarchæ vita, non tamen ſuppetere operum merita, quæ illi juſtitiam coram Deo acquirant. His rationibus Calvinus, & quidem ſolide, niſi me judicium prorſus deſtituit, eam de ſolis liberi arbitrii actionibus cavillationem refutat. Eodem etiam argumento *Chryſoſtomus* utitur: quem lubentius, opinor, ſua lingua loquentem Vir doctiſſimus audiet. Audiat igitur ita perorantem, *Homil.* II. *in Epiſt. ad Romanos.* Ὁ Ἀπόστολος βούλεται δεῖξαι, ὅτι καὶ Ἀβραὰμ ἐκ πίστεως ἐδικαιώθη, ὅπερ ἦν περιουσία νίκης πολλῆς· τὸ μὲν γὰρ ἔργα μὴ ἔχοντα ἐκ πίστεως δικαιωθῆναι τινὰ οὐδὲν ἀπεικὸς, τὸν δὲ κομῶντα ἐν κατορθώμασι, μὴ ἐντεῦθεν, ἀλλ᾽ ἀπὸ πίστεως γενέσθαι δίκαιον, τοῦτο ἦν θαυμαστόν. Viden, quam curate, quam ſollicite, a juſtificatione removeat non eam ſolum juſtitiam, eave opera, quæ ante converſionem ex liberi arbitrii viribus facta ſunt: ſed omnia in univerſum, ea etiam quibus præ cæteris ornatiſſimus fuit Abraham?

XII. *Quod probatur exemplo Abrahami.*

XII. At argumentum Apoſtoli, ex Abrahami exemplo ductum, aliquanto preſſius urgeamus. Supponit tanquam rem certiſſimam, Abrahamum, patrem & exemplar credentium, juſtificatum eſſe. Quæritur duntaxat, quo modo? Tria in Abrahamo exſtabant, de quibus cogitari poterat, an, & quem locum in hoc negotio haberent. Nimirum

rum CARO, OPERA, & FIDES. Per *carnem* hic nequaquam intelligendum arbitror vitiosam hominis corruptionem, & pullulantia inde peccata: quo sensu alibi de *operibus carnis* sermo est. Gal. V: 19. Sed *caro* hic notat externa quædam privilegia ex lege rituum prodeuntia: qua mente Judæi *in carne confidere* dicuntur, Phil. III: 3, 4. & lex Cerimoniarum, *Lex præcepti carnalis*, ejusque constitutiones, *justificationes carnis* vocantur. Heb. VII: 16. IX: 10. De hac re rogat Paulus Rom. IV: 1. *Quid igitur dicemus Abrahamum patrem nostrum nactum esse secundum carnem?* Invenisse ipsum justificationem in circumcisione, aliisve id genus carnalibus institutis? Ad quam quæstionem, quum nihil directe respondeat, perinde est ac si responderet negando. Palam enim est, nullas tunc extitisse institutiones Mosaicas; & Abrahamum diu fuisse justificatum antequam circumcideretur. Idcirco justificationem ex carne non habuit. At aliud fuit, quo excelleret, quod ipsum Deo acceptum, & venerabilem hominibus reddidit. Nimirum exploratæ virtutis sanctitatisque erat, quam luculentissime suis probavit *operibus*. Numnam igitur ex iis justificatus? Minime, ait Paulus. *Nam si Abrahamus ex operibus justificatus est, habet quod glorietur*, in se ipso, suisque actionibus; *at non apud Deum*, in cujus solius gratia ac misericordia per Christum sanctos gloriari par est. Ideoque nunquam animum suum induxit Abrahamus, ut in se gloriaretur. Unde igitur justificatus est? Nemo hic respondeat. At loquatur *Scriptura*. Hæc dicit.: *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam.* Hæc demum clara, sapiens, bene connexa, dignaque Apostolo ratiocinatio est.

XIII. Quæ vero totius Ecclesiæ Apostolicæ fides fuerit, non aliunde, si a Sacris literis recesseris, melius cognoscas, quam ex *Clementis Romani*, qui Pauli nostri cooperarius fuit, *ad Corinthios* Epistola. p. 41. edit. Oxon. mihi autem ex nupera Clerici edit. p. 164. §. 32. Πάντες οὖν ἐδοξάσθησαν καὶ ἐμεγαλύνθησαν οὐ δι᾽ αὐτῶν, ἢ τῶν ἔργων αὐτῶν, ἢ τῆς δικαιοπραγίας ἧς ἐνειργάσαντο, ἀλλὰ διὰ τοῦ θελήματος αὐτοῦ. καὶ ἡμεῖς οὖν διὰ τοῦ θελήματος αὐτοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, οὐ δι᾽ ἑαυτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας, ἀλλ᾽ διὰ τῆς πίστεως, δι᾽ ἧς πάντας τοὺς ἀπ᾽ αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἐδικαίωσεν. ᾧ ἔστω δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν. *Ii ergo omnes* (loquitur de prisci Testamenti fidelibus) *gloriam & amplitudinem consecuti sunt, non per se ipsos, aut opera sua, aut justas actiones quas fecerunt; sed per voluntatem ejus. Et nos igitur ex voluntate illius in Christo Jesu vocati, non per nos ipsos justi efficimur, neque per sapientiam nostram, aut intelligentiam, aut pietatem,* AUT OPERA QUÆ IN COR-

XIII. *Eximius Clementis Romani locus.*

DIS SANCTITATE OPERATI SUMUS, *sed per* FIDEM: *per quam cunctos qui unquam justi fuerunt, justificavit Deus omnipotens. Cui sit gloria in secula seculorum: Amen.* Potuitne quidquam clarius? quidquam efficacius?

XIV. *Objectio.* XIV. Objicit quidem Vir Doctissimus, non posse *opera obedientiæ Evangelicæ*, quæ sunt fructus Spiritus Dei, illiusque efficaci gratia producuntur, *fidei* in contradictione opponi; quia fides, quæ creaturam novam, & observantiam Divinorum præceptorum in se comprehendit, passim ad justificationem requiritur: cæteræque gratiæ & virtutes vitæ Christianæ ubivis in sacris commendantur, tanquam *conditiones* obtinendæ remissionis peccatorum & favoris Divini, & consequendæ communionis cum meritis mortis Christi, & magnæ promissionis de vita æterna. Cui fini multa laudantur testimonia, quibus resipiscentia & conversio ad Deum, & mutua delictorum condonatio, & exercitium justitiæ, & ambulatio in luce, aliaque his similia, proponuntur veluti conditiones, ad quarum præstationem deletio peccatorum, & restitutio in gratiam Dei, & communio cum ipso promittuntur.

XV. *Responsio.* XV. Ad difficultatem istam tollendam sollicite distinguenda hæc duo sunt; Jus ad vitam æternam, & illius actualis POSSESSIO. Prius quod attinet, nihil usquam Deus ab electo peccatore exigit, nullum prorsus actum, cujuscunque generis sit, quo ipse sibi *jus* ad salutem comparet. Hoc Christus acquisivit & meruit suis, perfectissime; ideoque & unice. *Justificatio*, de qua Paulus agit, est *adjudicatio juris*, unice per Christum parti; idcirco neque conversio aut resipiscentia, neque sanctitatis studium, neque nova vita, ad acquirendam talem sententiam valent. Quippe quæ in nulla alia re fundatur, nisi in Christi Domini satisfactione & meritis, quem præstituit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius. Nusquam dixit Paulus, hominem virtute & pietate sua justificari: nusquam ullam hominis actionem in justificationis negotio fidei jungit: fidei, inquam, quæ hic aliquid singulare habet, nimirum, quod Christum accipiendo, animam ei ad omnium bonorum ipsius participationem uniat. Uti suo loco fusius probabitur. Quod vero actualem salutis *possessionem* attinet ex jure nobis per Christum parto, & in justificatione adjudicato, sic constituit sanctissima Dei sapientia, ut nemo ad eam perveniat, nemo etiam dulcissima illa consolatione, quam gratiosæ justificationis sententia animo intimanda gignit, fruatur, nisi fidei suæ addiderit virtutem. Hoc volunt omnia illa allegata testimonia, & quæ plura ejus generis sine numero sunt: nimirum, ad sensum gustumque

que

[redacted]

que nostræ cum Deo reconciliationis, & salutis jucundissimam certitudinem, indeque redundantem lætitiam illam gloriosam atque ineffabilem, & consummatæ demum beatitudinis fruitionem, non minus sanctitatis quam fidei praxin requiri. Quam sanctitatis omniumque virtutum Christianarum praxin, si cui *conditionem* antecedaneam vitæ æternæ vocare lubeat, non habebit me admodum repugnantem; modo conditio ista non juri, sed possessioni præstruatur,

XVI. *Non significant opera Legis obedientiam perfectam, secundum rigorem fœderis Operum.*

XVI. Neque verum est, quod alias obtenditur, *opera legis*, quæ fidei opponuntur, significare *perfectam observationem legis qualem fœdus legale postulat.* Non enim fuit status controversiæ, an homo ex perfecta legis observatione, si eam præstiterit, justificandus foret; quod nemo sanus negaverit: neque an dentur homines quamplurimi, qui, post primum peccatum Adami, toto vitæ suæ tempore nihil mali amiserunt, & omnem perfectionem, partium, graduum, & perseverantiæ, consummarunt; quod nemo sanus dixerit. Sed hoc quærebatur, an Judæi ea legis observatione, quam præstare poterant, justificari possent. Id certe illi opinabantur, posse se justificari, si modo legem Moralem pro virili observarent, & pro delictis suis præstarent eas satisfactiones, quas lex Cerimonialis præscripserat. Hoc autem negat Apostolus. Innixus illi axiomati, justitiam quæ valitura sit coram tribunali Dei debere omnibus numeris perfectam esse: talia vero quum nulla quorumcunque hominum opera sint, concludit, nulla qualiacunque opera ad justificationem consequendam quicquam conferre. Apostolus sine dubio excludit ea opera, quibus illi vulgo innitebantur, qui propriam justitiam suam conabantur stabilire. Ex iis autem non credibile est quemquam fuisse, qui se per totum vitæ suæ curriculum ab omni vel minima peccati labecula intaminatum sese servasse dixerit. Hæc sunt evidentia. Neque plura de *Operibus Legis* addere necesse est.

XVII. *Lex fidei comprehenditur ista formula, Justus ex Fide vivet.*

XVII. Videamus porro quid sit LEX FIDEI. Quod non melius aliunde didicerimus, quam ex formula, toties a Paulo laudata. JUSTUS AUTEM EX FIDE VIVET. Nimirum Lex Fidei, est ea doctrina qua Fides in Christum præscribitur ut medium obtinendæ justificationis. Quæ doctrina non solum in Evangelio consummationis exstat, ubi nuda viget fides, sine Cerimoniarum choragio: sed & in Evangelio promissionis; ubi fides, una cum Cerimoniarum observatione, exercebatur. Hæc enim Lex Fidei, testimonium habet a Lege Mosis & Prophetis; & secundum eam Abraham & David, auctore Paulo, justificati sunt.

XVIII.

XVIII. *Non tamen Fides eandem relationem habet in fœdere Gratiæ, quam Opera in fœdere operum.*

XVIII. Probe observandum est, quod, quamvis *Lex Fidei* opponatur *Legi Operum*, non tamen idcirco *Fides* substituatur loco *Operum*; eandemque relationem ad justificationem habeat in *Fœdere Gratiæ*, quam habuerunt Opera in *Fœdere Operum*. Quæ profecto ingens esset hallucinatio, genio gratiosi fœderis prorsus adversa. Loco perfectæ illius obedientiæ ac justitiæ quam Lex ab ipso homine exigit, successit justitia & obedientia consummatissima Sponsoris. Neque aliam hic σχέσιν habet Fides, quam quod illam Sponsoris justitiam, in Evangelio oblatam, accipiat, apprehendat, nostramque faciat. Quam momentosam veritatem in mediis Papatus tenebris perspectam habuit, nec infeliciter explicuit Cardinalis *Cajetanus* in *Com. ad Rom.* III. *Si quæris*, inquit, *quo pacto Lex Fidei distinguitur a Paulo contra Legem Operum, etiam moralium; quum etiam fides in genere operum comprehendatur: credere enim est opus nostrum. Solutio est, quod credere in eum qui justificat impium, innititur justitiæ alienæ, scilicet Dei per Christum: reliqua vero opera innituntur justitiis propriis; ut scilicet quodlibet opus secundum se bonum est, & bonum reddit habentem. Et ideo justitia fidei distinguitur contra justitiam operum.*

XIX. Fides *aliquando doctrinam Evangelii notat, sed hic actionem quandam hominis.*

XIX. At ipsa tandem FIDES quid est? Fidem aliquando notare *doctrinam Evangelii* de salute per Christum consequenda, quia est sermo fidelis & dignus qui omni modo recipiatur, & quia credi sibi postulat ad salutem, nullus equidem ambigo; & sic opponitur *Legi operum*, cui non credendo, sed jussa perfecte præstando, satisfit. Sed & nemo inficiabitur, fidem in justificationis caussa sæpenumero, si non plerumque, denotare actionem aliquam hominis qui justificatur, & qua justificatur. Rom. I: 17. III: 22. IV: 3, 5. Gal. II: 16. & innumeris aliis locis.

XX. *Quam nonnulli definiunt, obedientiam mandatorum Christi.*

XX. At quænam est hæc actio? si *Socinum* audiamus, *in Christum credere, nihil aliud est quam Deo ad ipsius Christi normam & præscriptum obedientem se præbere, idque faciendo ab ipso Christo vitæ sempiternæ coronam exspectare.* A quo non longe recedunt, si modo recedant, illi quibuscum nunc disputamus Fratres, qui similiter fidem definiunt, *novam quandam animi vitæque rationem, & obedientiam mandatorum Christi.*

XXI. *At perperam.*

XXI. Non negaverim sane talem obedientiam a fide, qua justificamur, sejungi non posse: verum eam fidei nomine intelligere quando illa operibus opponitur, ab instituto Pauli tam alienum mihi esse videtur quam quod alienissimum. Fatentur Fratres, Paulum adversus eos disputare qui justificationem quærebant ex observatione Legum

Mosai-

Mosaicarum. Fatentur pariter, in Legibus Mosaicis trium generum præcepta inveniri; quorum alia Moralia, alia Forensia, alia denique Cerimonialia dici consueverunt. Et Forensia quidem atque Cerimonialia aliquantisper nunc seponamus. Moralium præceptorum quænam præcipua sunt capita? Nisi fallor, hæc; ut quisque Israëlitarum toto corde se ad Deum convertat, eum omni animi nisu omniumque virium contentione amet, atque colat: proximum sicut semet ipsum diligat, denique sanctus sit sicut Jehova Deus sanctus est. Hæc qui facit, facit opera Legis Mosaïcæ, secundum illam certe partem quæ moralis est: quam utique nullo modo prætermissam volebant ii, qui ex lege quærebant justitiam. Nemo enim Judæorum aut Judaïzantium Christianorum ad eum modum insaniit, ut crederet justificationem acquiri posse ex sola observatione legum Forensium ac Cerimonialium, insuper habita lege Morali. Pergamus. Quænam est summa mandatorum Christi in Evangelio? Ut quisque serio resipiscat, Deum super omnia diligat, proximo faciat quod sibi fieri optet, sanctus sit ad exemplar ejus qui vocavit ipsum, denique perfectus sit sicut Pater suus cœlestis perfectus est. Quantum hæc a Mosaicis distant? Adeo nihil, ut summam Ethices Evangelicæ iisdem quibus Moses verbis complexus sit Dominus. Doceri a Viris oppido doctissimis velim. I. Ecqua in re mandata Christi mandata Legis Moralis Mosaicæ exsuperent. Nihil enim mihi sublimius atque Divinius juberi posse videtur, quam ut Deum diligamus toto corde & animo, & sancti simus ad illius exemplar. II. Cur eadem obedientia, sive eorundem officiorum præstatio, in ordine ad mandata Legis Mosaicæ dicatur opus, in ordine ad mandata Evangelii dicatur fides. III. Cur Israëlitæ olim non potuerint justificari per eadem officia præstita Legi Mosaicæ, per quæ officia justificantur Christiani, si præstentur secundum Legem Evangelicam.

XXII. Aut si voluerit Paulus, Israëlitas olim quoque justificatos fuisse sincera Legis Moralis observatione, cur non una distinctione, eaque facillima, rem absolvit; monendo justitiam non esse ex Lege Cerimoniali aut Forensi; sed Morali tantum, præsertim si ita consideretur uti Christus eam Evangelio illustravit? cur non addidit, eam observationem istius Legis novo vocabulo, & in eum sensum hactenus inaudito, a se *fidem* dici? Nonne multo clarius distinctiusque dixisset? Justitia non est in ista parte Legis quam improbe urgetis, sed in altera ista quæ de charitate & sanctitate ad exemplum Dei agit, & quam Christus in Evangelio luculentissime novis com- XXII. *Et invito Paulo.*

mentariis illuſtravit, & quam ego nunc Fidei nomine commendo?

XXIII. *Cui fides ſingularis virtus eſt, quæ a ſanctitate Evangelica diſtinguitur.*

XXIII. Cæterum non in juſtificationis cauſſa duntaxat, ſed & alibi paſſim, Scriptura Fidem ut ſingularem aliquam virtutem laudat, a cæteris virtutibus, & obedientia mandatorum Chriſti, ſive ſanctitate Evangelica diſtinctam. Paulus fidem eſſe ait *ſubſiſtentiam earum rerum quæ ſperantur, & demonſtrationem eorum quæ non cernuntur*: Heb. XI: 1. Johannes eam collocat in *acceptione teſtimonii Dei quod teſtificatus eſt de Filio ſuo*. 1. Joh. V: 9. Joh. III: 33. vel in *acceptione* ipſius *Chriſti*, ad id ſcilicet ut noſter ſit Servator. Joh. I: 12. Alibi a ſpe & charitate diſcernitur. 1. Cor. XIII: 13. 1. Theſ. I: 3. 2. Theſ. I: 2. ut & a ſanctimonia. 2. Theſ. II: 13, Neque ullum memini exſtare locum, ubi fides ſanctitate ad normam Evangelii exactâ definiatur.

XXIV. *Quid ſit obedientia fidei.*

XXIV. Enimvero Paulum novi *fidei obedientiam* Romanis commendaſſe Rom. I: 5. & XVI: 26. at liquidum eſt, bifariam id poſſe intelligi. Primum enim ipſa fides *obedientia* dici poteſt, præſtita nimirum illi præcepto quo jubemur teſtimonio Dei aſſentiri, & credere in Chriſtum, ut alibi laudavit ὑποταγὴν τῆς ὁμολογίας εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. 2. Cor. IX: 13. Quæ ſane efficax admodum locutio eſt. Nam aſſentiri myſteriis a Deo revelatis, quia revelantur a ſuprema veritate, non tam ex naturali aliqua ratiocinatione procedit, quam ex ſubmiſſa animi, ad obſequium edomiti, ſub verbo Dei ſubjectione. Hoc arbitror *Chryſoſtomum* in mente habuiſſe, quando ſic commentatur: Οὐκ εἶπεν εἰς ζήτησιν καὶ κατασκευὴν, ἀλλ' εἰς ὑπακοήν. οὐδὲ γὰρ ἐπέμφθημεν, φησὶ, συλλογίζεσθαι, ἀλλ', ὅπερ ἐνεχειρίσθημεν, ἀποδοῦναι· ὅταν γὰρ ὁ δεσπότης ἀποφήνηταί τι, τοὺς ἀκούοντας οὐ περιεργάζεσθαι χρὴ τὰ λεγόμενα καὶ πολυπραγμονεῖν, ἀλλὰ δέχεσθαι μόνον. Deinde ſic etiam exponi poteſt, ut *obedientia fidei* ea dicatur, quæ *ex fide*, uti effectus ex ſua cauſſa, proficiſcitur: ſic enim ſolet loqui. *Gaudium* fidei vocat Phil. I: 25. eam lætitiam quæ ex fide, ceu fonte, promanat. Eademque mente ſcribit de *opere fidei, & labore charitatis, & patientia ſpei*. 1. Theſ. I: 3. Laudem hic meretur *Grotii* annotatio: Εἰς ὑπακοὴν πίστεως. *i. e. ut Deo obediatur per fidem Evangelio habitam. Genitivus ſæpe cauſſam efficientem exprimit. Sic.* 1. *Pet.* I: 22. *Obedientia eſt id, quo tendit fides. Infra* XV: 18. XVI: 19. 2. *Cor.* VII: 15. X: 5, 6. Philem. verſ. 21. 1. Pet. I: 2.

XXV. *Paulus non docet, fidem, Novam Creatu-*

XXV. Fruſtra vero conferre jubemur Gal. V: 6. cum VI: 15. & 1. Cor. VII: 19. quaſi ex eo quod primo loco dixerat, in Chriſto Jeſu neque circumciſionem quidquam valere neque præputium, ſed *fidem quæ efficax ſit per charitatem*; altero autem loco pro fide *novam creatu-*

creaturam dicat, & tertio *observationem mandatorum Dei*; colligere liceat, fidem prorsus idem esse quod est Creatura Nova, & quod est observatio mandatorum Dei. Etenim id solum ex iis testimoniis evincitur, longe minoris apud Deum pretii esse externarum quarumcunque rerum præcellentiam, quam internas animi bene compositi habitudines, quales sunt fides, & Nova Creatura, & mandatorum Dei observatio: quæ cuncta ita ad interiorem hominem pertinent, ut non propterea eadem plane res sint. Nam certe fides a charitate, per quam efficax est, discernitur. Rursus audiatur *Grotius initio Comm. ad Romanos. Alii per* fidem *intelligunt* omnem illam quæ Evangelio debetur obedientiam. *At nec hoc cum Pauli locutione congruit. Is enim dilectionem præfert fidei.* 1. Cor. XIII: 13. *Et fidem dicit opus suum per dilectionem exsequi.* Gal. V: 6. *Aperte a fide dilectionem, quæ præcipua pars est istius obedientiæ, distinguens.* *ram, & observantiam mandatorum Dei, eandem rem esse*

XXVI. At neque Jacobus efficit ut credamus, Paulum per opera, quæ a justificatione excludit, intellexisse quæ vel ex propriis viribus, vel secundum legem Mosaicam præstita fuere, per fidem autem observationem legis Evangelicæ: quasi Jacobus opera vocet id quod Paulus fidei nomine designavit; ut ostenderet, Paulum per fidem intellexisse opera ex Evangelii præscripto præstita. Nam quamvis Viro Doctissimo negare nolim, Jacobum doctrinam Pauli, a perversis hominibus eo quo non decebat obtorto collo raptam, vindicare atque exponere; de alia tamen Paulum, de alia Jacobum justificatione agere, mihi certe liquet. XXVI. *Neque Jacobus opera vocat, quod* Paulus *fidem.*

XXVII. Nimirum quia Paulus docuerat, hominem justificari ex fide sine operibus, hinc inferebant nonnulli, perinde igitur esse quo quisque modo viveret, sufficere ut persuadeat sibi, Christum esse suum Servatorem. Quod inferre nulla specie potuissent, si constitisset, quod constare vir Doctissimus vult, Paulum per fidem pietatem & sanctitatem Evangelicam intellexisse. At quia Pauli sermo eum palam præ se ferebat sensum, quod fides res esset ab omnibus sanctimoniæ operibus distincta, uti revera est, hinc prætextus calumniæ fuit. Calumniæ, inquam. Nam quamvis docuerit Paulus opera sanctitatis ad justificationem, sive ad acquirendum homini jus salutis, non facere; semper tamen docuit, ea ad possessionem salutis non utilia solum, sed & necessaria esse, & fieri non posse ut sanctificatio a justificatione sejungatur. Eandem viam insistit Jacobus, docetque necessarium esse, ut is qui fide justicetur quoque ex operibus: id est, ea opera præstet quæ veræ justitiæ indicia atque effecta sint, XXVI. *Verum Jacobus de alia Justificatione agit quam Paulus.*

fint, quibusque non solum coram hominibus sed & coram Deo demonstretur ipsum esse justum: secundum illud Johannis, *qui facit justitiam justus est.* 1. Joh. III: 7. Nimirum gemina est justificatio; altera hominis *improbi* in seipso, qua absolvitur a peccato, & declaratur habere jus ad vitam æternam, propter justitiam Christi fide apprehensam, quam Paulus inculcavit: altera hominis *justi*, jam sanctificati per Christi Spiritum, qui talis esse declaratur ex suis dictis & factis. Hanc Jacobus adeo esse necessariam ac priori conjunctam dictat, ut frustra sit qui illam jactat & hac destituitur. Cæterum quum ex professo alibi hanc caussam egerim, hic ulteriore deductione supersedere liceat.

XXVIII. *Tota disputatio Pauli contrahitur in tres fundamentales veritates.*

XXVIII. Ex quibus omnibus satis evidenter constare existimo, Paulum, prioribus Epistolæ ad Romanos capitibus, capitales illos circa Justificationem errores confutare, quos Gentiles cum Judæis fere communes habebant: iisque opponere has tres fundamentales Evangelii veritates. *Primo*, Remissionem peccatorum, & jus vitæ æternæ, hominibus donari gratis, ex mera Dei gratia, sine intuitu ad qualiacunque ipsorum opera, sine ulla, quæ in ipsis existat, caussa meritoria reconciliationis aut salutis. *Deinde*, solam Jesu Christi justitiam, meritoriam reconciliationis ac salutis caussam esse. *Tertio*, Eam Christi justitiam nostram fieri, quando vera fide accipitur. Hæc est summa Evangelii salutis, anchora nostræ spei, gloria Christi, & gloriatio Reformatæ Ecclesiæ.

XIX. *Judæos non amplius obligari Cerimoniis, in Epistola ad Hebræos docet.*

XXIX. Facilis interim Doctissimo CAVIO largior, multa passim in Paulinis occurrere Epistolis, quæ ad alias istius temporis controversias pertinent. Nulla est, quam non diremerit, &, pro rei momento atque exigentia, idoneis argumentis refutaverit. Emeritas esse Mosis Cerimonias, post consummationem Ecclesiæ, a Messia consummato adductam, sic ut nullam amplius *Israëlitis* utilitatem adferre quiverint, aut pro parte cultus, quo placetur Deo, haberi debuerint, passim quidem, occasione id ferente, in Epistolis suis indicavit: verum accuratissima, solidissima, & sapientissima disputatione confecit, in Divina illa sua ad Hebræos.

XXX. *Circa Gentiles acquiescit sententiæ Concilii Hierosolymitani.*

XXX. Ex quo, sponte quadam sua consequitur, id quod inutile jam Hebræis factum erat, non debere obtrudi *Gentilibus* ad Christum conversis. Idcirco acquievit Paulus sententiæ fratrum Hierosolymitanorum. Ita tamen, ut, quoties usu venit, commonefecerit Ecclesias, constitutionem illam de abstinentia ab idolothythis, & suffocato ac sanguine, non esse æternæ necessitatis Legem; sed ad tempus tantum

tantum promulgatam, infirmiorum gratia, servandæ paci, & vitandæ offensioni. Ideoque, extra illum casum, haut nimis rigide urgendam. Vide 1. Cor. x: 19, 25. At prostremam illam controversiam, quam malevoli ex Judæis liberæ Ecclesiæ Christianæ faciebant, de Justificatione ex Cerimoniis petenda, ingenti zelo pertractat in sua ad Galatas Epistola. Cui scribendæ hæc est data occasio:

XXXI. Postquam Paulus purum Christi Evangelium fideliter Galatas docuisset, supervenerant eo absente falsi quidam doctores, verum semen vitiosis dogmatibus corrumpentes. Docebant enim observationem Cerimoniarum Christianis etiam hominibus rem esse ad justificationem & salutem consequendam apprime necessariam. Et quia aliam Paulo mentem esse ex toto doctrinæ ipsius instituto palam constabat, hinc auctoritatem Pauli omni calumniarum & cavillationum genere imminutum ibant. Consensum autem jactabant cum Petro, Johanne & Jacobo, Apostolorum sine dubio celebratissimis. Et fortassis, quo melius se Galatis venditarent, tantorum Apostolorum nomina prætexuerunt, quasi ab ipsis missi forent. Huic jactantiæ viriliter se opponit, ne locum cederet mendacio, & veritatem in sua persona opprimi sineret. Itaque non perfunctorie Apostolatus sui auctoritatem adversus nefariorum hominum calumnias tuetur.

XXX. *Judaizantium errores occasionem præbuerunt scribendæ ad Galatas Epistolæ.*

XXXII. Hac opera defunctus transitum sibi facit ad caussæ tractationem sub finem capitis secundi com. 15. Eam vero ita exsequitur, ut jam inde ab initio generalibus utatur argumentis, & iisdem propemodum quibus in Epistola ad Romanos usus fuerat. Male, inquit, a Gentibus ad Christum conversis Cerimoniarum observatio ut pars justitiæ exigitur, quia in nullis cujuscunque legis operibus, ideoque nec legis cerimonialis, sed in sola fide Christi, justitia est. Huc enim pertinet quod Petro se dixisse memorat: *Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores: scientes non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi: etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quod non justificabitur ex operibus legis ulla caro.* Quorum verborum hic est sensus: nos qui videmur aliis præstare, & beneficio fœderis semper fuimus propinqui Deo, tamen nullam salutis adipiscendæ rationem invenimus quam credendo in Christum: cur ergo aliam præscriberemus gentibus? Nam si necessaria esset lex, vel prodesset suis cultoribus ad salutem; nobis maxime prodesset, quibus

XXXII. *Illius argumentum & institutum.*

data fuit. Quod si nos ea relicta concessimus ad Christum, multo minus Gentes urgendæ sunt ut illam suscipiant. Nos ergo quia natura Judæi sumus quid fecimus? credidimus in Christum, illius justitiam fide apprehendimus. Quis finis credendi? ut fide Christi justificaremur. Qua de caussa? quoniam convicti eramus, non posse homines justitiam consequi ex operibus legis. Hic jam versatur in præcipua quæstione: imo in hac una propositione tota fere controversiæ summa inclusa est: uti optime observavit sagacissimus Divinarum literarum Interpres *Calvinus*.

XXXIII. *Collatum cum Epistola ad Romanos.*

XXXIII. Atque ita, nisi fallor, in liquida luce posuimus, hunc esse Pauli in utraque Epistola, tam ad Romanos quam Galatas, scopum, ut Christianos homines, sive ex Græcis illi sive ex Judæis essent, ab omni propriæ justitiæ præsumtione, qua omnes natura turgemus, ad solam Christi justitiam, fide apprehendendam, revocet. Unde concludit, frustra esse Pharisaicæ doctrinæ æmulos, qui non contenti Christi justitia & simplici fide, Mosaicæ œconomiæ necessitatem urgebant. Hanc vero controversiam in illa ad Galatas potissimum pertractat, partim iis argumentis quæ communia cujuscunque legis operibus sunt, partim iis quæ specialius ad cerimonialem legem referuntur.

ANI-

ANIMADVERSIONES IRENICÆ,

AD

CONTROVERSIAS,

Quæ, sub infaustis

ANTINOMORUM

ET

NEONOMORUM

NOMINIBUS,

in BRITANNIA *nunc agitantur.*

PROLOGUS
AD
THEOLOGOS BRITANNOS:

Quo operis occasio & institutum panditur.

REVERENDI DOCTISSIMIQUE VIRI, FRATRES ET SYMMYSTÆ IN CHRISTO JESU, COMMUNI NOSTRUM OMNIUM DOMINO, PLURIMUM DILECTI,



Unquam melius comparatum fuisse arbitror cum populo Christiano, quam quando sua se involvens credendi Evangelio sancteque vivendi integritate, procul esse jussis curiosarum quæstionum argutiis, in casto Dei Christique amore & certa æternæ vitæ exspectatione deliciabatur. Ita Christianismum ab Apostolis didicerat prisca gens fidelium, quæ simplici & impolito sermone edocta, sed missorum ad se a Deo oratorum incredibili sanctitate commota, zelo accensa, prodigiosis operibus persuasa, & accedente interna Divini Spiritus illuminatione efficaciter de veritate convicta, ad Jesum Christum Filium Dei, tanquam unicum salutis auctorem confugiens, ejus se nutui ducendam regendamque tradebat: tam ignara subtilium disputationum quam studiosa pietatis. Tunc fuit quum Christiana fides vim suam omnem in animis mortalium exsereret, magisque eos ad mortem pro Christo fortiter oppetendam, quam ad contentionum de obscurioribus religionis capitibus acrimoniam animaret. Atque hinc est quod sæpe animo mecum cogitaverim, felicissime fortassis cum iis hominibus agi, qui non cognoscentes nisi Jesum Christum, eumque crucifixum, & ex Evangelii præscripto temperanter, juste & pie viventes, de Theologorum rixis ne fando quidem audiverunt. Et hanc non minimam calamitatis nostræ, vel certe molestissimam officii nostri partem esse existimo, quod qui rei Christianæ præstites sumus in spinosarum controversiarum difficultatibus enodandis prolixam sæpe operam impendere cogamur. Ita seculum est: litibus perstrepunt omnia. Ne ea quidem æde excepta, quam paci & concordiæ sacravit Dominus. Et profecto vix est, ut in tanto otio quo agimus hoc ævi quodcunque est, in tanta ingeniorum & indolis diversitate, in tanta subli-

nioris scientiæ ambitione, in tanto denique rerum novandarum pruritu, evenire possit aliter. Velis nolis cernendum certamen est; utinam semper pulchrum illud fidei, quod Timotheo commendavit Paulus! Cæterum si pugnam evadere non licet, prudentia justorum exigit, ut qui in Orthodoxiæ tutamine rigidos se veritatis satellites præstant, iidem studiose sibi ab iis rebus cavendum esse meminerint, quæ non licent sacerdotibus pacis. Atque huc sane pertinet, ut ii imprimis quibus Evangelii commissa prædicatio est, veritates a Deo revelatas liquido perspectas habere nitantur: ut eas verbis claris, propriis, & ex sacrarum literarum fonte petitis exponant: ut in consensu animorum serio exsultent, eumque, quantum salva veritate fieri potest, promoveant: ut in dissensu æquitatem suam ac modestiam Deo hominibusque probent cum lenitate sapiente: ut de se ipsis submisse, de Fratribus præclare sentiant, non affectantes exquisitioris sapientiæ famam, sed dona Dei justo pretio in iis qui sibi proximi sunt æstimantes: ut nullius verba calumnientur, aut cavillando opiniones cuiquam imputent a quibus se profitetur esse alienum: ut denique indignum hominis Theologi gravitate existiment de verborum apicibus otiose atque odiose digladiari, ubi circa rem ipsam exigua ac fere nulla discrepantia est. Si eo animo, ea via atque ordine, controversiæ nostræ in Belgio, vestræ, FRATRES, *in Britannia, tractatæ fuissent, longe melius tam tranquillitati publicæ, quam veritati ipsi & pietati Evangelicæ, fuisset consultum. At quisque suos patimur manes. Et nostras quidem lites, quarum penitissimo sensu dolemus, silentio nunc transmittere liceat: vestrarum autem quæ sub infestis* ANTINOMORUM *&* NEONOMORUM *signis, quamvis improbatis utrimque nominibus, nimio fortassis calore, agitantur, vos ipsi,* FRATRES, *noluistis me esse expertem. Quidam enim vestrum, missis utrimque libris, meum etiam qualecunque judicium postularunt. Ad quod expromendum non nisi tardus admodum ac renitente gressu processi. Primum enim in caussæ cognitione, quæ multis subtilibusque involuta argutiis est, plurimæ mihi superandæ difficultates fuerunt; eo majores, quod linguæ vestratis paullo minus quam mediocriter peritus sum. Dein haud parum in eo ponendum fuit laboris, ut quæ in negotio intricatissimo quodammodo saltem intellexisse videbar, concinno ordine & oratione perspicua, quod præcipue opus esse intelligebam, exponerem. Denique meo me metiri pede gnarus, ignorare non poteram, nequaquam ea me sapientia atque auctoritate esse præditum, ut idoneus haberer tantæ litis arbiter. Quoniam tamen negotium cordi erat, ut quod maxime, nihil diligentiæ prætermisi ut assequerer illud de quo disputatur. Et comperto, quod olim etiam observaverat* JOHANNES HOORNBEECKIUS, *Vir integerrimus, & subacti judicii Theologus, aliquoties contingere, ut discrepantia minus in re ipsa sit, quam in loquendi formulis & docendi me-*

 thodo.

thodo, confidentius perrexi: futurum esse sperans, ut, remotis ambigui sermonis tricis, sola rei ipsius elucidatione controversiæ quædam dirimantur, & utraque contendentium pars fateatur, idem se, at diversa loquendi ratione, sensisse. Minus etiam verebar ne incurrerem in alterutrius partis indignationem, quamvis neutris per omnia assentiar, quod disputationem universam a personalibus & verbalibus ad realia transtulerim; non nimio rigore inquirens, quid huic illive dictum aut indictum sit, quid bene aut sequius a legente vel audiente intellectum, sed quid dici debuerit, vel saltem meo judicio convenientissime dicatur. Frequentissimum hoc disputantium vitium est, ut alter de male expressa, alter de non bene percepta mente conqueratur: unde fit ut tota sæpe disputatio in meram elenchi ignorationem evanescat, aut, quod pejus est, in jurgia indecora exeat. Id ego summo mihi opere evitandum esse censui: huic uni rei incumbens, ut veritatem explanate traderem, sine hominis cujuscunque læsione, sine studio partium; cujus caussas procul habeo. Vos FRATRES, *Batavum hunc candorem æqui bonique consulite: neque sinceram transmarini hominis, veritatem cum charitate sectantis, operam adspernemini. Præterquam quod communi Christianorum ac Protestantium nomine gaudentes idem cæleste depositum curæ nostræ commissum habemus, Batavi Britannique arctiori nunc vinculo ligamur, sub ejusdem Optimi Principum, vestri quidem Regis, nostri vero Gubernatoris,* GUILIELMI III, *pio ac felici regimine degentes. Cui nihil magis in votis esse scimus, quam ut deletis factionum monumentis, tam in Britannia quam in Belgio, perennia Fratrum coëant in fœdera dextræ. At præfationis abunde est. Ad rem veniamus.*

CAP. I.

De Translatione Peccatorum in Christum.

I. Sex summa Controversiarum Capita. II. Sex controversiæ circa Impetrationem salutis. III. Electio ad salutem. IV. Liberrima. V. Et invariabilis. VI. Pactum inter Patrem & Filium, de procuranda electis salute. VII. Cujus virtute in Christum translata sunt electorum peccata. VIII. Uti olim typice in sacrificium pro peccato, IX. Sic revera in Jesum Sponsorem. X. Quamobrem & ipsius peccata dicuntur. XI. Ita tamen ut ista imputatione, neque Christi sanctitati, neque judicii Divini veritati quidquam decedat. XII. Nam Christi non sunt, nisi quatenus personam peccatorum repræsentat. XIII. An Christo imputentur etiam quoad maculam. XIV. Quo modo nostra non Christi; & rursus Christi, non nostra sint. XV. Emphatica Scripturæ phrases non sunt commutanda nostris quasi melioribus.

I. Quæ

I. Quæ maxime nunc controverti solent, ea ad VI summa capita referri posse videntur. Nimirum disputatur, I. De ratione ac modo IMPETRANDÆ SALUTIS. II. De impetratæ salutis APPLICATIONE. III. De JUSTIFICATIONE. IV. De natura atque INDOLE FOEDERIS GRATIÆ. V. De UTILITATE SANCTITATIS & bonorum operum. VI. De Prædicatione LEGIS & EVANGELII. Sub quibus generalioribus capitibus multæ comprehenduntur specialiores controversiæ, distinctim enucleandæ. *I. Sex summa Controversiarum capita.*

II. Circa *impetrationem salutis* hæc potissimum disquiruntur: I. An solum POENÆ electorum peccatis debitæ, an vero ipsa electorum PECCATA, tam quoad *maculam*, quam quoad *reatum*, in Christum ut Sponsorem translata sint. II. An Christus propter illam translationem æque PECCATOR sit ac dici debeat, quam ipsi electi, imo PECCATORUM OMNIUM MAXIMUS. III. An per sponsionem Christi facta sit quædam PERSONARUM inter Christum & electos PERMUTATIO. IV. An translatio ista peccatorum in Christum eorumque a Christo portatio, INCHOANDA sit ab illius CRUCIFIXIONE, & terminanda in RESUSCITATIONE ex mortuis. V. An Christus eo tempore quo maxime ferebat peccata electorum SEPARATUS fuerit A DEO, Deo ODIOSUS & ABOMINABILIS; & an Deus ad id tempus FILIUM suum ABDICAVERIT, rursusque pro Filio agnoverit, quando eum ex morte suscitavit. VI. An Christus suscipiendo electorum peccata, & pro iis Divinæ justitiæ satisfaciendo, electis SALUTEM ÆTERNAM ABSOLUTE sit meritus; an hoc solum, ut possint servari, & revera servandi sint, *si credant*. Has ego quæstiones ita ordine exsequar, ut quid de quaque statuendum esse existimem clarissime explicetur. Lubet autem rem a prima salutis origine deducere. *II. Sex controversiæ circa Impetrationem salutis.*

III. Deus O. M. ab æterno constituit gloriosum se, & admirabilem præstare, in certorum quorundam hominum, nominatim ad id designatorum, liberatione a peccato & morte, eorumdemque salute æterna; impetranda per Unigenitum Filium suum, cui uti ipse in se vitam habet, pariter dedit vitam habere in se ipso, & applicandâ per Spiritum vitæ. *III. Electio ad salutem.*

IV. Quum Deus in omnibus actionibus suæ voluntatis prorsus independens, omniumque rerum ac personarum supremus arbiter sit; idemque unicus omnis boni, ac proinde omnis fidei, virtutis & sanctitudinis in hominibus auctor, quarum rerum gratiam liberrime cui vult confert, agens omnia ex consilio voluntatis suæ: nulla fides, nulla virtus, nihil denique omnino boni in his magis quam in illis hominibus præcognosci potuit, cujus intuitu hos potius quam illos ele- *IV. Liberrima.*

 gerit:

gerit: sed tota hujus discriminis ratio in absoluto Dei dominio & immensa libertate gloriosæ gratiæ, de qua nemini respondet, collocanda est.

V. Et invariabilis.

V. Quandoquidem consilium Jehovæ in seculum consistit: quippe quod a Deo, pœnitere nescio, imperscrutabili sapientia ordinatum, immensæ omnipotentiæ vim, ad ipsas hominum mentes, citra ullam rationalis libertatis læsionem, quo vult flectendas, subservientem sibi habet: fieri nullo pacto potest ut illi non serventur quos Deus destinavit ad consecutionem salutis.

VI. Pactum inter Patrem & Filium, de procuranda electis salute.

VI. Ut destinationem hanc non modo sine ulla virtutum suarum imminutione aut obscuratione, sed & cum earum luculentissima demonstratione, exsequeretur; sapientissime eodem æterno decreto constituit, unicum, coæternum & æqualem sibi Filium electis istis hominibus in Servatorem dare; qui stato tempore humanam naturam ac formam servi assumturus, & electos homines, velut eorum sive Sponsor sive Expromissor, repræsentaturus, Majestati ac justitiæ Divinæ, peccatis hominum læsæ, exactissima vitæ obedientia, & condigna mortis perpessione satisfaceret; ac perpessionum omnium, ipsiusque mortis victor, caput constitueretur electorum in sempiterna gloria. Porro quum eadem Filii quæ Patris voluntas sit, Filius ad vadimonium illud pro electis suscipiendum præstandumque ultro se ab æterno obtulit. Atque in hoc voluntatis consensu quædam quasi mutuæ conventionis, sive pacti, similitudo est.

VII. Cujus virtute in Christum translata sunt electorum peccata.

VII. Virtute hujus pacti Deus Filio suo, quem Jesum Christum dixit, OMNIA OMNIUM ELECTORUM IMPOSUIT PECCATA: *peccata*, inquam. Sic enim passim Scriptura loquitur. Jes. LIII:6. *Omnes nos ut oves erravimus, quisque in viam suam nos convertimus*, ויהוה הפגיע בו את עון כלנו *Jehova autem fecit incurrere in ipsum iniquitatem omnium nostrum.* Rursus com. 11. ועונתם הוא יסבל, *&* INIQUITATES *ipsorum ipse portabit.* Iterum com. 12. והוא חטא רבים נשא, *& ipse* PECCATUM *multorum tulit.* Adde. 1. Pet. 1: 24. ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ.

VIII. Uti olim typice in sacrificium pro peccato,

VIII. Typice id olim præsignificatum fuit impositione manuum & peccatorum in pecudem sacrificio destinatam, hominique peccatori vicariam. Eo enim pertinebat ista cerimonia, ut notaretur peccata ab hominibus offerentibus auferri, & in hostiam transferri; unde hostia ipsa חטאת & אשם *peccatum* atque *reatus* dicebatur. Ita vero hostia peccato sibi imposito impurata esse censebatur, ut qui circa eam in sacro ministerio occupabantur, & ipsi eo contactu inquinarentur. Sic enim usu veniebat non illi solum qui hircum piacularem seducebat

in

in desertum, Lev. XVI: 26. sed & qui vaccæ rufæ, hircisque combustis extra castra operabantur. Num. XIX: 7, 8. Lev. XVI: 28. Adeo ut sacerdotes qui de ejusmodi hostiis epulabantur, quia partem illarum in suam convertebant substantiam, censerentur *portare iniquitatem cœtus*. Lev. X: 17.

IX. Sic revera in Jesum Sponsorem.

IX. Dubium non est quin ad Christum hæc referri oporteat: de quo dictum est Jes. LIII: 10. אם־תשים אשם נפשו, *Si posuerit se anima ipsius reatum*, vel, *si tu*, oratione ad Deum versa, *posueris*, Jehova, *animam ipsius reatum*. Eodem nos Paulus ducit. 2. Cor. V: 21. *Fecit Deus eum, qui peccatum non norat, peccatum pro nobis*. Id est, sicut victima integra sine labe & vitio, fiebat peccatum, reatus merus, per substitutionem vicariam, quando Deus, cui satisfaciendum erat, substitutionem eam fieri voluit: ita & Deus Christum, in se sanctissimum, omnisque personalis peccati expertem, offendentium loco substituit, fecitque peccatum, id est, hostiam pro peccato, ut vere peccatum ferret & lueret, sicut typice faciebat hostia.

X. Quamobrem & ipsius peccata dicuntur.

X. Ita vero Deus electorum peccata in rationes Christi retulit, ut ea, quantumvis aliena a Christo, CHRISTI tamen PECCATA dicantur. Sic enim de hac re ipse Christus loquitur: Ps. LXIX: 4, 5. *Quod non rapui tunc reddam. O Deus, tu nosti usque ad* FATUITATEM *meam, &* REATUS MEI *a te non sunt absconditi*. Suppono, Psalmum hunc orationem Christi Domini continere: quod ex crebra variarum illius particularum in Novo Testamento allegatione liquet. Queritur de perpessionibus suis, & insolentia injustissimorum hostium suorum. Protestatur autem non sua se sibi culpa hanc calamitatem accersivisse; sed luere quod non rapuerat; quam tamen rapinam mox *suum reatum* vocat, quia Sponsoris personam sustinebat. Quasi diceret: Verum est, mi Deus, quod ego reatus subierim, & factus sim exsecratio; sed novisti omnes reatus, usque ad levissimas culpas, pro quibus luam; & quod nullum in omnibus iis reatibus, omnibus stultitiis, quas meas, sponsorio nomine, voco, sit meum delictum proprium, quo jus tuum violaverim, ut restituturus sim quod ipse rapuerim. Similiter Ps. XL Christum loquentem introduci Paulus auctor est: ea vero persona cujus sermonem Psalmus iste exhibet, commate 13. sic infit: *Assequuntur me* INIQUITATES *meæ, adeo ut nequeam dispicere*.

XI. Ita tamen ut ista imputatione, neque Christi sanctitati, ne-

XI. Porro hæc peccatorum nostrorum Christo imputatio sic intelligenda est, ut per eam neque Divini judicii veritati, neque Christi Domini purissimæ sanctitati quidquam decedat. Non enim ita Deus peccata nostra Christo imputat, ut judicet Christum ea admisisse quæ nos admisimus: inebriatum esse quum Noach justo liberalius se

 pro-

que judicii Divini veritati quidquam decedat.

prolueret mero: aut incestum commisisse cum Lotho, vel adulterium cum Davide. Quæ cogitatio tam procul ab omni ratione repulsa est, ut vix credam eam in ullum sanæ mentis hominem, nedum Christianum, Deique reverentem, cadere unquam potuisse. Nos scimus omne Dei judicium secundum veritatem esse: falsissimum autem est, Christum commisisse, quæ commissa ab electis sunt. Neque nostra peccata ita unquam Christi esse censentur, quin ipse semper maneat sanctus, ab omni malo alienus, sine labe, separatus a peccatoribus.

XII. Nam Christi non sunt, nisi quatenus personam peccatorum repræsentat.

XII. Cæterum quum vi pacti istius, de quo supra dixi, Christus ex voluntate tam sua quam Patris, electorum Expromissor sit, eorumque personam in judicio Dei repræsentet atque sustineat; peccata electorum hactenus ipsi imputantur, & per imputationem ipsius esse dicuntur, ut non minus pro iis debendi reus sit, ac si ipse, quod absit, in sua persona ea perpetrasset. Id quando judicat Deus, ex vero judicat: nititurque judicium illud æterna & sanctissima Patris & Filii voluntate.

XIII. An Christo imputentur etiam quoad maculam.

XIII. Porro in peccato distinctim consideranda est *macula* & *reatus*. Quomodo electorum peccata Christo imputentur respectu *reatus*, ex ante expositis, nisi fallor, facile intelligitur. Sed & illud perspicuum esse arbitror; nequaquam peccata electorum quoad *maculam* eo sensu Christo imputata esse, ut illa imputatione Christus physice aut, si mavis moraliter, certe inhærenter, quoquo modo impurus. Verum hactenus, ut a Deo ita tractetur velut qui squalentium & sordidorum locum ac personam occupet: atque eo nomine *corruptus supra quemlibet specie fuerit, & forma deformi præ filiis hominum.* Jes. LII: 14. Qua mente bene *Gregorius Nyssenus* dixit, Christum suscepisse τῶν ἁμαρτιῶν ῥύπον: PECCATORUM NOSTRORUM MACULAM.

XIV. Quo modo nostra non Christi; & rursus Christi, non nostra sint.

XIV. Utrumque sano sensu dici potest; *peccata* nostra, quotquot electi simus, *nostra* esse, *non Christi*, eademque peccata *Christi* esse, *non* amplius *nostra*. *Nostra* sunt, quia a nobis patrata, & quia nos iis contraximus nobis reatum mortis æternæ, & hactenus nostra manebunt in perpetuum: hoc est: semper erit verum quod nos ea patravimus, & patrando iram Dei meriti sumus. Quod enim factum est infectum fieri nequit. Et sic *non* sunt *Christi*, quia Christus ea non patravit, neque personalem ullum reatum contraxit. Neque potuerunt Christi peccata fieri: quia rerum natura non patitur ut idem numero actus, qui a nobis patratus est, patretur a Christo. Et vero quæ nos commisimus peccata, *Christi peccata* evaserunt, quando ipsi ut *Expromissori* imputata sunt, ipseque ea expromissorio nomine suscepit, ut pro iis liberrime ac sanctissime a se susceptis lueret;

ac *desinunt esse nostra*, quatenus ob ea, propter Christi satisfactionem, in judicio Dei ad condemnationem aut satisfactionem in propria persona, compellari neque debemus, neque possumus. Atque hæc tam evidentia mihi esse videntur, ut de re ipsa nulla Orthodoxis inter ipsos queat esse discrepantia.

XV. Quæ quum ita sint, nescio cur quidam dicere malint, pœnam aut reatum nostrorum peccatorum in Christum translata esse, quam peccata ipsa quoad reatum. Quum posterius hoc ab ipsa dicatur Scriptura; cujus castissimas, sapientissimas, maximeque emphaticas locutiones, nostris nescio quibus lenioribus emollire velle, animi est perperam delicati, neque sapientiæ sacrarum literarum justum suum pretium statuentis.

XV. *Emphaticæ Scripturæ phrases non sunt commutandæ nostris, quasi melioribus.*

CAP. II.

An Christus recte dici queat peccator, adulter, idololatra &c. & an facta inter Christum & electos quædam personarum permutatio sit.

I. Cavendum est a duris extra Scripturam locutionibus, præsertim in negotio Christi. II. Quem peccatum quidem Scriptura vocat, peccatorem nunquam. III. Quamvis peccatoribus adnumeratum. IV. Horridiora quorundam dicta non sunt trahenda in malam mentem. V. Christum peccatorem dixerunt Chrysostomus, Oecumenius, VI. Calvinus, VII. Et Jacobus Altingius. VIII. Vere facta inter Christum & electos quædam personarum permutatio est, IX. Magnifice prædicata a Justino, X. Luculenter exposita a Turretino, XI. Approbata a Fratribus Anglis.

I. AB altera autem parte non bonum neque prudens factum esse existimo, quod alii, justo ulterius procedentes, formulis utantur durioribus, ac Spiritui Sancto insuetis: quæ vix est ut teneras aures non offendant. Verbi gratia, quum ajunt: *nos non magis peccatores esse, quam Christus; qui, peccatum pro nobis factus, æque ac nos peccator sit: ita nostra peccata ipso actu in Christum translata esse, ut nos amplius peccatores non simus.* Quoties de electo sermo est, *quamvis adulterium, furtum, idololatriam commiserit, eum non esse illum adulterum, furem, idololatram, sed id potius de Christo affirmandum. Nullum unquam in terris tantum transgressorem fuisse, quantus Christus*: & quæ id genus plura. Hæc præter Scripturam sunt: quæ Christum *peccatum* quidem dicit, *peccatorem* nusquam.

I. *Cavendum est a duris extra Scripturam locutionibus, præsertim in negotio Christi.*

II. Ne-

II. *Quem peccatum quidem Scriptura vocat, peccatorem nunquam.*

II. Neque profecto iis assentior, qui abstracta illa, & hyperbolica, ut ajunt, phrasi, vim concretæ locutionis intendi autumant: ut plus sit *peccatum* dicere, quam *peccatorem.* Paulus, ut solet, sua hæc ex Veteri Testamento mutuatur, & de reconciliatione nostri cum Deo per Christi sacrificium expiatorium agens, Christum revera talem hostiam esse docet, qualis in typo vocabatur חטא & אשם, uti modo ostendi.

III. *Quamvis peccatoribus adnumeratum.*

III. At neque Christum peccatorem Propheta vocat, quando eum *prævaricatoribus adnumeratum* testatur. Jes. LIII. com. 12. Commodissime enim illud ad improba scelestissimorum hominum, mortem Christi procurantium, judicia referri potest. Tunc prophetiæ huic suum constitit complementum, quando Christus ceu latro apprehensus, seductionis, blasphemiæ, turbatæque reipublicæ postulatus, tandemque in crucem actus est, medio inter pessimos latrones loco. Hujus certe interpretationis auctorem habemus Marcum cap. XV: 28.

IV. *Horridiora quorundam dicta non sunt trahenda in malam mentem.*

IV. Verum enimvero, quamvis cum Scriptura non loquantur, qui Christum *peccatorem, vere peccatorem, peccatorum omnium maximum,* vocare amant; quamvis etiam satius arbitrer abstinere ab locutionibus tam horridis facilique calumniæ expositis: quum tamen istarum phrasium auctores intaminatæ Christi puritati sollicite caveant, & nihil horum intelligi velint nisi intuitu nostrorum peccatorum; quæ Christi non sunt, nisi per, salutarem nobis, Dei Patris imputationem, & sanctissimam Christi in se susceptionem; neque alio colliment, nisi ut ostendant imputationem istam plenissimam, & ad salutem nostram validissimam esse: nolim sinistra arripi, quod dextra datur, & insolentius dicta in calumniam rapi.

V. *Christum peccatorem dixerunt Chrysostomus, Oecumenius,*

V. Habent enim, & maxima quidem, quibus se tueantur, exempla. *Chrysostomus Homil.* XI. *in* II. *ad Cor.* τὸν γὰρ δίκαιον, φησὶν, ἐποίησεν ἁμαρτωλὸν, ἵνα τοὺς ἁμαρτωλοὺς ποιήσῃ δικαίους· μᾶλλον δὲ οὐδὲ οὕτως εἶπεν· ἀλλ᾽ ὃ πολλῷ μεῖζον ἦν· οὐ γὰρ ἕξιν ἔθηκεν, ἀλλ᾽ αὐτὴν τὴν ποιότητα· οὐ γὰρ εἶπεν, ἐποίησεν ἁμαρτωλὸν, ἀλλ᾽ ἁμαρτίαν, ἵνα ἡμεῖς γενώμεθα, οὐκ εἶπε δίκαιοι, ἀλλ᾽ δικαιοσύνη, καὶ Θεοῦ δικαιοσύνη: *Justum enim,* inquit, PECCATOREM *fecit, ut peccatores justos efficeret. Imo ne sic quidem locutus est, sed quod multo majus erat: non enim posuit habitum, sed ipsam qualitatem: non enim dixit, fecit peccatorem, sed* PECCATUM; *ut nos efficeremur, non dixit justi, sed justitia, & justitia quidem Dei.* Adde OECUMENIUM in cap. IX. ad Hebræos p. 845. Ἦν σφόδρα ἁμαρτωλὸς ὁ Χριστὸς, ὡς τὰς τοῦ παντὸς κόσμου ἀναλαβὼν καὶ οἰκειωσάμενος ἁμαρτίας. MAGNUS ERAT PECCATOR *Christus, utpote qui totius mundi peccata in se susceperat, suaque fecerat.*

VI. Patr

VI. Patres hos, at modeste, secutus est CALVINUS ad Gal. III: 13. *Quod personam nostram susceperat*, IDEO PECCATOR ERAT, *& maledictionis reus; non tam in se quidem, quam in nobis: sed tamen ut necesse haberet nostro nomine defungi.* Et in *Marlorati* Collectaneis ad II. Cor. V: 21. hæc invenio: *non tantum pro nobis mortuus est Christus, sed tanquam a Deo maledictus, &* PECCATOR OMNIUM SCELESTISSIMUS, *mortuus est.* VI. *Calvinus.*

VII. Planissime autem JAC. ALTINGIUS, *Diss. Theol. Hept.* II. *Diss.* I. *§.* 4, 5, 6, 7, 8. *Venisse Christum in judicium, ibique condemnatum, hoc est,* IMPIUM *seu* NOCENTEM *declaratum esse, constat ex eo, quod angustia judicio societur. Jes.* LIII: 8. *Cujus judicii sententia angustia ipsi fuit irrogata. Judicium istud non fuit humanum, quod injustum esse potest: sed Divinum, eoque justissimum. Quandoquidem autem in Divino judicio ad angustiam illam damnatus fuit Christus, utique* REUM *&* NOCENTEM *eum fuisse necesse est: quum in judicem Deum non cadat nec cadere queat injustitia; qua tamen laboraret, siquidem justum & innocentem condemnasset.* IMPIUS *autem Christus &* NOCENS *non absolute, sed relate, quatenus Sponsor: qui, debiti proprii expers, alienum reatum sustinet, & hoc titulo creditori & judici* REUS *&* NOCENS *sive* IMPIUS *est.* VII. *Et Jacobus Altingius.*

VIII. Quas phrases licet non usquequaque probem, tenendum interim est, ita se Christum pro electis substituisse, eorumque personam sustinuisse, ut quædam personarum facta sit permutatio; & quemadmodum Christus personam gessit electorum, dum eorum suscepit debita, & non minus pro iis solvit quam si ipse esset debendi reus, sic illi rursus in Sponsore solvisse judicentur, non minus quam si in propria solvissent persona. Neminem enim unquam repertum fuisse credo Theologiæ consultum, imo ne sanæ quidem mentis hominem, qui talem personarum mutationem somniaverit, qua factum sit ut Servator redigeretur in ordinem servandorum, aut servandi fierent Servator. Quam insanum illud, tam orthodoxum hoc est quod dicam: quod quemadmodum Christus, electorum personam gerens, peccatum pro iis factus est; ita & electi, in Christi persona considerati, rursus fiant justitia Dei in ipso: quodque ea Christi justitia æque ipsorum justitia sit, ac ipsorum peccata Christi peccata fuerunt; utrumque per imputationem. Sed imputationem tam validam, ut quemadmodum Christus non potuit non puniri ob imputata ipsi electorum peccata, sic electi non possint non servari ob imputatam ipsis Christi justitiam. Hæc quoad rem ipsam tam certa mihi & solida, imo & fundamentalia fidei mysteria esse videntur, ut Orthodoxis omnibus ἀναμφισβήτητα esse debeant. De verborum autem apicibus altercari nostrum non est. VIII. *Vere facta inter Christum & electos quædam personarum permutatio est.*

IX. Magnifice prædicata a Justino,

IX. Hanc personarum permutationem augusto sermone prædicavit *Justinus Martyr. in Epist. ad Diognetum.* Τί ἄλλο τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἠδυνήθη καλύψαι, ἢ ἐκείνου δικαιοσύνη; ἐν τίνι δικαιωθῆναι δυνατὸν τοὺς ἀνόμους ἡμᾶς καὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἐν τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ; ὦ τῆς γλυκείας καταλλαγῆς, ὦ τῆς ἀνεξιχνιάστου δημιουργίας, ὦ τῶν ἀπροσδοκήτων εὐεργεσιῶν, ἵνα ἀνομία πολλῶν ἐν δικαίῳ ἑνὶ κρυβῇ, δικαιοσύνη δὲ ἑνὸς πολλοὺς ἀνόμους δικαιώσῃ: *Quid aliud peccata nostra tegere potuit, quam ejus justitia? in quo alio nos iniqui & impii pro justis haberi possumus, quam in solo Dei Filio?* O DULCEM PERMUTATIONEM! *O impervestigabilem operis concinnationem! o inexspectata beneficia? ut multorum iniquitas in uno justo occulatur; justitia vero unius multos iniquos justificet.*

X. Luculenter exposita a Turretino,

X. Prolixe & præclare hæc exsecutus *Turretinus* est, *de Satisfactionis Christi veritate, part.* II. *§.* XXXIV. Neque dividiæ cuiquam fore credo, si ipsius verba hic quoque legantur. Quemadmodum justitia dicimur fieri in Christo ex imputatione, quia ob justitiam Christi, per fidem a nobis apprehensam, & a Deo imputatam, justi coram ipso pronunciamur; ita vicissim, ut antithesios ratio constet, peccatum factus est pro nobis imputatione, quia reatus noster, quo in Dei judicio obstringebamur, illi ut Sponsori nostro est impositus, ut pœnas illi debitas ferret. Eximie *Augustinus in Enchiridio ad Laurent. cap.* XLI. *Ipse peccatum, & nos justitia: nec nostra, sed Dei: nec in nobis, sed in ipso. Sicuti ipse peccatum; non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis factus est.* Ita scilicet MIRABILI PERMUTATIONE mala nostra in se recepit, ut bona sua nobis largiretur; recepit miseriam, ut largiretur misericordiam; recepit maledictionem, ut benedictionis suæ compotes nos faceret; recepit mortem, ut vitam conferret; recepit peccatum, ut justitiam impertiretur. Quanquam vero hæc commutatio duplex inter se in eo conveniat: primo, quod in utraque alienum quid judicii Divini æstimatione in personam transfertur; quæ translatio non est judicii aberratio, sed ea dispositio, qua propter aliquid ab alio præstitum, tibi non nihil adscribitur ac si ipse ea persona esses, a quo ortum est id factum, propter peccatum nostrum mors Christo imposita, ac si ipse peccasset, & propter justitiam Christi vita & hereditas nobis collata, ac si justi essemus legemque implevissemus. Deinde, quod utrobique nexus esse debuit inter has personas: nam neque Christo imputari potuissent peccata nostra, nisi tum naturæ ejusdem vinculo, tum voluntaria sponsione nobiscum unitus esset: neque justitia Christi nobis imputaretur, nisi in unum cum ipso corpus coaluissemus. Tamen in eo longe differunt, quod Christo imputatio facta est secundum justitiam, nobis ex misericordia. In illum peccatum

tum transfertur, ſed abolendum; in nos juſtitia, ſed conſervanda; in illum maledictio, ſed abſorbenda; in nos benedictio, ſed continuanda; in illum ſordes, ſed abjiciendæ in profundum; in nos veſtis nova primogeniti, ſed induenda. Hinc eſt quod nos vere juſti & filii Dei dici poſſumus; at non propterea Chriſtus vel peccator, vel filius iræ: quia nec peccatum ex ſe habuit, nec ira Dei manſit ſed tranſiit tantum ſuper ipſum. Hactenus *Turretinus*: quibus, ut ſolide non minus quam eleganter dictis, mente calamoque ſubſcribo.

XI. Poſtquam hæc ita ſcripſeram, Londino ad me miſſæ ſunt chartæ conciliatrices, in quibus magno cum animi mei gaudio ea inveni, quæ ſarciendæ inter Fratres concordiæ apprime arbitror eſſe idonea. Haut immerito nonnullos offenderat inconſiderata aſſertio: *non eſſe permutationem perſonarum inter Chriſtum & credentes.* Offendiculum illud hac declaratione e medio tollunt conciliatores: *Quandoquidem concipimus, doctrinam* Juſtificationis, *&* Satisfactionis Chriſti, *unde illa dependet, debite explicari ac defendi non poſſe, negata permutatione perſonarum inter Chriſtum & credentes: idcirco declaramus, improbari nobis propoſitionem iſtam in generali ſuo ſenſu: mentemque noſtram ſic explicamus. Clarum eſt, non poſſe eſſe permutationem* PHYSICAM, *qua Chriſtus & credentes, ſecundum* ſubſtantiam, *alter in alterum convertantur. Neque* MORALEM, *qua Chriſtus* inhærenter *vitioſus & peccati labe infectus fiat, fideles autem* immediate fiant *innocentes*, ἄκακοι καὶ ἀμίαντοι. *Verum enimvero* NON DUBITAMUS, QUIN SIT PERMUTATIO PERSONARUM SENSU LEGALI, *ſic ut Chriſtus, ex conventione inter Patrem & ipſum, ſuſceperit* PERSONAM, *& venerit* loco *ac* vice hominum *peccatorum: non ut pro iis reſipiſceret, & crederet, quod Evangelio requiritur,* (*quamvis impetraverit ut electi ſtato tempore ad eas res reddantur idonei*) *ſed ut* PRO IIS SATISFACERET OBLIGATIONI VIOLATÆ LEGIS OPERUM. *Peccatum pro iis factus, quamvis peccatum non noverit, ut illi fiant juſtitia Dei in ipſo. Et quod huic expoſitioni repugnat, judicamus eſſe erroneum & falſum.* Hactenus Viri Docti. Et quis æquus rerum arbiter plura deſideret? *XI. Approbata a Fratribus Anglis.*

CAP. III.

Quando translatio peccatorum in Chriſtum, eorumque a Chriſto portatio cœperit & finierit: & an Chriſtus peccata electorum portans, ſeparatus fuerit a Deo, Deo abominabilis, & a Patre abdicatus.

I. Translatio peccatorum consideratur vel in decreto, vel in exsecutione. II. Hæc incipit cum assumtione humanæ naturæ, finienda in morte III. Male creditur inchoata a cruce, & terminata in resuscitatione. IV. An Christus, peccata nostra ferens, a Deo fuerit separatus. V. Sano sensu id agnosci potest. VI. Non tamen extremarum perpessionum tempore nullo prorsus consolantis gratiæ sensu refocillatus fuit. VII. An Christus ob suscepta peccata Deo fuerit abominabilis. VIII. Calvinus, & ex veteribus quidam, dicunt fuisse damnatum. IX. Satius est intra Scripturæ phrases se continere, quam aliis utendo multiplicare controversias. X. Formula Concordiæ. XI. An Deus Pater Filium suum unquam abdicaverit. XII. Christus in extremis etiam angoribus Deum ut Patrem agnovit. XIII. Act. XIII: 33. *non docetur Christum in resuscitatione ex mortuis iterum esse genitum. XIV.* ἀνάληψις *agnitionem notat, in oppositione abdicationis. XV. Non fuit necesse Christum easdem determinate pœnas subire quas luent damnandi. XVI. Magna est inter utraque diversitas. XVIII. Qua tamen Christi* λύτρῳ *nihil detrahitur.*

I. *Translatio peccatorum consideratur vel in decreto, vel in exsecutione.*

I. NUnc tertio loco inquiramus, *an translatio peccatorum in Christum, eorumque portatio a Christo,* INCHOANDA *sit ab illius* CRUCIFIXIONE, *&* TERMINANDA *in* RESUSCITATIONE *ex mortuis.* Ad quod quæsitum sic respondeo: Translatio peccatorum nostrorum in Christum considerari potest bifariam; vel ut est in *decreto*, & tum non aliud importat quam certitudinem illius rei quæ stato tempore futura est; vel ut est in *exsecutione*, quæ tum fieri cœpit, quando Filius Dei assumta natura hominis & forma servi in eo statu fuit, ut actu Divinæ satisfacere justitiæ pro electis potuerit.

II. *Hæc incepit cum assumtione humanæ naturæ, finienda in morte.*

II. Ipsa naturæ humanæ assumtio agnitio fuit suscepti a Dei Filio peccatorum nostrorum debiti: & sanguine circumcisionis ejus signatum est chirographum. Totum illud σχῆμα servi, & ὁμοίωμα σαρκὸς ἁμαρτίας, ab initio vitæ Christi ad mortem usque durans, translati in ipsum peccati argumentum est. Omni enim illo tempore, quod in statu vili atque abjecto exegit, nunquam *visus* est *sine peccato*, ut Paulus ait Heb. IX: 28. Neque sola debiti confessio in ista vilitate atque ærumnis fuit, sed & pars satisfactionis. Nam sicuti mors, quam homini peccaturo minatus est Deus, ambitus sui amplitudine complectitur eas miserias, quibus homo peccator per totam vitam est obnoxius, quæ incumbentis ipsi maledictionis aliqua saltem pars sunt; ita par fuit ut Christus, ad suscepti ad se debiti solutionem, vitam degeret plurimis miseriarum vicissitudinibus obnoxiam; qualis vita hominis peccatoris est. Uti vero Deus multa iræ dilatione utitur adversus peccatores, & vitæ amaritudi-

ritudines aliquo patientiæ dulcore temperat, donec dies iræ & justæ retributionis venerit, quando omne pondus maledictionis Dei damnato peccatori incumbet: ita nec Christus in conditione sua servili peccatorum sibi incumbentium pondere ita semper pressus fuit, quin insigni Divinæ gratiæ sensu subinde recrearetur, usque dum advenit hora & potestas tenebrarum, quando ad judicium vocatus dirissima omnia subire habuit. Tunc potissimum exacta iniquitas nostra, tunc maxime afflictus Christus est; tunc absoluta ad ultimum quadrantem satisfactio. Verbo ut complectar: sicut omnes miseriæ simul sumtæ debitum peccati sunt; ita & Christus, in quem omne electorum debitum translatum est, dum vitam degit miseriis obnoxiam, quæ gravissimæ sub mortem fuere, omnibus illis miseriis simul sumtis, ipsaque morte maledicta, Divinæ justitiæ satisfecit. Sic ut omnia hæc in cumulo sumta absolvant λύτρον, quod pro peccatis nostris debebatur.

III. Male creditur inchoata a cruce, & terminata in resuscitatione.

III. Itaque justo tardius incipiunt, justoque diutius producunt tempus quo peccata nostra Christo incubuerunt, qui illud inchoant a cruce, & terminant in resurrectione. Nam dolores istos quos Christus corpore & anima pertulit ante crucifixionem, ad peccatorum nostrorum pœnas pertinere, inque iis iræ Divinæ demonstrationem fuisse, alibi a me prolixe probatum est. Post mortem vero remansisse Christum peccatis adhuc nostris gravatum fœdatumque, non convenit cum decantatissimo illo CONSUMMATUM EST; neque cum Pauli doctrina, asserentis Chirographum, quod adversus nos erat, cruci affixum, atque ita sublatum esse: Christumque exspoliatis traductisque palam omnibus imperiis ac potestatibus hostilibus, per crucem de iis triumphasse: Col. 11: 14, 15. nec denique cum aliis Doctorum virorum hypothesibus, mox examinandis. Concipi enim non potest, quî Christus a Deo derelictus, abdicatus, eique abominabilis fuerit, quum Pater Spiritum Christi cœlo susceptum comiter amplexus est, & corpus in sepulcro jacens consideravit ut cadaver חסידו *Sancti sui*, se diligentis & a se dilecti: unde *caro ipsius habitavit secure*. Ps. XVI: 9. 10.

IV. An Christus, peccata nostra ferens, a Deo fuerit separatus.

IV. Nam & illud quarto loco disputari video, an Christus toto eo tempore, quo maxime nostra ferebat peccata, SEPARATUS FUERIT A DEO, Deusque a Christo: an Christus ob fœditatem translatarum in se iniquitatum ODIOSUS & ABOMINABILIS DEO fuerit; an Deus ad id tempus FILIUM SUUM ABDICAVERIT, rursusque pro Filio agnoverit, quando eum suscitavit ex mortuis.

V. Sano sensu id agnosci potest.

V. Mihi, ut candide dicam, sic videtur: insolitum illud & durum quod in his verbis est, & quod eorum auctor singulari quadam indolis proprietate sectatur, & amat, tantum horroris audientibus in-

cutere, ut stupeant magis ad τὸ ἀπροσδόκητον sermonis, quam ut idonei reddantur ad rem ipsam æqua lance trutinandam. Ego vero sine affectu id conabor. Et primum quidem quod attinet, quum in eo consensus sit, nullo unquam tempore solutam fuisse unionem hypostaticam: utrisque confitentibus illud Chalcedonensis Concilii ἀχωρίστως καὶ ἀδιαιρέτως: atque interim constet Filium a Patre *derelictum* fuisse, *longinquo* tunc *a salute ipsius & a verbis rugitus ejus*, Ps. XXII: 2. nimirum quoad præsentem influxum lætificantis & consolantis gratiæ, ita tamen ut non desierit Deus omnipotente virtute sua patientem naturam humanam, cæteroquin tantæ maledictionis moli ferendæ imparem, sustentare: non video sane quid realis controversiæ remaneat.

VII. Non tamen extremarum perpessionum tempore nullo prorsus consolantis gratiæ sensu refocillatus fuit.

VI. Nisi hoc fortassis, an toto illo extremarum perpessionum tempore nullo unquam consolantis gratiæ sensu refocillatus Christi animus sit. Quod ego profecto dicere non ausim. Portabat sane peccata nostra Christus, quando in horto cœpit ταραχθῆναι, καὶ ἐκθαμβεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν, καὶ περίλυπος εἶναι ἕως θανάτου, & tamen cœlitus missum corroboraturum sese Angelum eopse tempore habuit. Dum corpus suum exponebat percussoribus, & malas expilantibus, dum faciem abscondebat a contumeliis & sputo, Dominum Deum auxiliatorem expertus est: idcirco componebat faciem suam tanquam saxum adamantinum, quia noverat fore ut non pudefieret: propinquo quippe eo qui ipsum justificaret. Jes. L: 6, 7, 8. Nec probabile videtur in ipsa cruce adeo semper intentum Divinæ adversus peccata nostra excandescentiæ fuisse Christi animum, ut non subinde repræsentaverit ipsi fides, quam gratum Patri suo offerret sacrificium, & quam gloriosam, post maximos quidem, at brevissimi temporis cruciatus, Deo sibi, electis suis reportaturus esset mercedem. Fieri sane non potest, quin cogitatio ista haud contemnendum ægerrimo animo levamen attulerit. Atque hoc Paulum voluisse puto, quando Hebræos ad propositum sibi stadium per tolerantiam decurrendum hortans, ea fide qua creditur Deum præmia largiri iis qui ipsum requirunt, exemplum Domini iis ob oculos ponit: *intuentes*, inquit, *in fidei ducem ac consummatorem Jesum, qui pro sibi proposito gaudio sustinuit crucem.* Heb. XII: 2. Hoc est, intuitu atque exspectatione promissi sibi gaudii, ad sustinendam crucem, imo in sustinenda cruce, insigniter animatus est. Et quod majus est, eo ipso quo se Jesus desertum quiritabatur momento, in memoriam sibi revocabat Deum, *suum* אל *Deum fortem*, *suum* אלהים *Deum confœdustum* esse: certus fortitudine ista Dei sui se sustentatum iri, certus omnia fœderis promissa sibi suisque futura esse etiam & Amen.

VII. Ad

VII. Ad alterum nunc quæſitionis caput veniamus, an recte dicatur, *Chriſtum ob noſtrorum criminum fœditatem* FOEDUM *etiam atque* ODIOSUM *eſſe factum, in eoque collocatum ſtatu, ut ab ipſo Deus* ABHORRUERIT. Ubi illud rurſus extra controverſiam eſt, Chriſtum propter exactiſſimam ſanctitatem ſuam ſemper fuiſſe Deo Patri acceptiſſimum, dilectiſſimumque: & tantum abeſſe ut propter voluntariam peccatorum ſuſceptionem aliquid de iſta Dei erga Chriſtum charitate deceſſerit, ut contra nunquam magis Patri placuerit, quam quando ei ſe dicto morigerum præſtitit ad mortem, mortem vero crucis. Hæc enim eſt eximia illa, incomparabilis, ac prope incredibilis obedientia, quam condigno immenſæ gloriæ præmio remuneratus eſt Pater. Sed & illud utrinque in confeſſo eſt, Chriſtum, non propter ſuſceptionem peccatorum, quæ actio ſancta eſt, Deoque gratiſſima, ſed propter peccata quæ ſuſcepit, & propter perſonas peccatorum quas ſuſtinuit, repræſentatum fuiſſe non ſolum ſub emblemate *agni*, quatenus eſt pecus *ſtolidum*, & ad *aberrandum* proclive, ſed & laſcivi, petulci, olidi *hirci* Lev. XVI: 7. Imo & maledicti *ſerpentis* Joh. III: 14. Eoque nomine *exſecrabilem & maledictum*, etiam *Deo*, fuiſſe. Hoc enim expreſſe Paulus aſſerit. Gal. III: 13. in quem locum *Calvinus*: *Non dicit Chriſtum fuiſſe maledictum, ſed maledictionem; quod plus eſt: nam ſignificat omnium maledictionem in ipſo fuiſſe concluſam. Si cui hoc videtur durum, pudeat etiam ipſum crucis Chriſti, cujus confeſſione gloriamur.* VII. *An Chriſtus ob ſuſcepta peccata Deo fuerit abominabilis.*

VIII. Ex Romanæ Eccleſiæ Doctoribus quidam magna ſtili diritate exagitaverunt quod a *Calvino ſect.* X. *Catecheſios* dictum fuit de doloribus & pœnis Chriſti ſatisfactoriis, eum ſcilicet in *tali* fuiſſe *damnatione conſtitutum.* Sed a noſtris reſponſum eſt, eadem phraſi uſum eſſe *Tertullianum lib.* III. *contra Marc. cap.* XI. *Non erit indignior morte nativitas, & cruce infamia, & carne* DAMNATIO. *Cyprianus de paſſione Chriſti.* DAMNATUS EST, UT LIBERARET DAMNATOS. *Et Gregorium Magnum, Moral. lib.* III. *cap.* XI. *Qui Patri eſt æqualis per Divinitatem, venit propter nos ad flagella per carnem; quæ nimirum flagella non ſuſciperet, niſi formam* DAMNATI *hominis redimendo ſumſiſſet.* VIII. *Calvinus, & ex veteribus quidam, dicunt fuiſſe damnatum.*

IX. Quum itaque veritatem hanc verbis efficaciſſimis expreſſerit Apoſtolus, neſcio cur quemquam noſtrum lubido inceſſat, alia iis vel ſubſtituendi vel addendi, iiſque ſæpius fortaſſis quam ipſo Pauli ſermone utendi. Quæ enim idonea ratio eſt, cur Chriſtum odioſum atque abominabilem Patri fuiſſe dicamus, quando dictatis Spiritus Sancti inhærere licet, qui ipſum exſecrationem Dei fuiſſe pronunciat. Verum & illud ſcire exoptem, quid in illis humanæ inventionis verbis ſit, præterquam quod ſunt inventionis humanæ, cujus gratia ita offendan- IX. *Satius eſt intra Scripturæ phraſes ſe continere, quam aliis utendo multiplicare controverſias.*

fendantur alii. Si rem amamus, tantumne plus emphasios aut ponderis est, in nominibus fœdi, odiosi, abominabilis, quam in nomine maledicti aut execrabilis? eccur de vocabulis litigamus, quæ omitti sane possunt, si offensionem præbere comperiantur? sed & innoxie dicta, aliovorsum trahi non deberent.

X. Formula Concordiæ.

X. Commodam Concordiæ viam invenisse videtur nuper mihi laudata charta conciliatrix, hac formula. *Quoniam permutatio personarum est inter Christum & fideles, reatusque nostrarum iniquitatum Christo impositus, Pater* INFENSUS *atque* IRATUS *ei exstitit. Non quod ulla unquam adversus eum commotus fuerit* PASSIONE, *quod generatim natura Divinæ perfectioni, quocunque demum intuitu, repugnat: neque quod ullo pacto infensus ipsi fuerit, multo minus ab ipso abhorruerit, quatenus considerabatur* IN SE IPSO, *sic enim erat omnis prorsus peccati expers. Sed quatenus considerabatur in* RESPECTU AD NOS, *ut qui noster erat* SPONSOR, *nostra peccata in suo corpore portans, ita, si per animum* INFENSUM *atque* IRATUM *intelligas sanctam* PUNIENDI VOLUNTATEM, *Christus Dominus sensit ac tulit offensionem Dei, & pondus iræ ipsius, in pœna peccatorum nostrorum, quæ in ipsum sunt translata. Nam placuit Patri conterere ipsum, impositis ei omnium nostrum iniquitatibus.* Si hæc, ut par est, utrimque concedantur, quid superest controversiæ?

XI. An Deus Pater Filium suum unquam abdicaverit.

XI. Plus difficultatis est in ABDICATIONE quam ajunt FILII DEI, durante usque ad suscitationem ipsius e morte. Hanc enim phrasin, vel aliam ullam ei æquipollentem, nuspiam in sacris literis nostris invenio. De eo certe non quæritur, an æternus Dei Filius Filius Dei, dum peccata nostra portabat, esse desierit. Anathema qui hoc docet. At nec istud quæritur, an non Pater tunc personam judicis adsumserit, qui Mediatorem Christum rebellium servorum personam sustinentem, uti talem severissime habuerit. Nam & hoc incontestatæ veritatis est. Illud fortasse quæri potest; an Deus, quum personam judicis erga Christum assumsit, personam Patris ita deposuerit, ut Christum unice veluti sontem consideraverit ac puniverit, seposita ea consideratione quod sons iste innocentissimus filius suus esset. In qua lite pars negans, meo judicio, ajente potior est.

XII. Christus in extremis etiam angoribus Deum ut Patrem agnovit.

XII. Nam quo modo Christus in extremis constitutus angoribus judicem suum pro Patre agnovit, ita & Deus judex Christum pro Filio. Hæc enim se mutuo consequuntur. Christus autem cum ingeminatione singularique affectu *Abba Pater* dixit: & de cruce pendens in *Patris manus* spiritum suum commendavit. Et paterni affectus fuit, quod, ut & nuper monui, Angelum ad ipsum confortandum miserit: (hoc certe non continget reprobis) quod Christo facultatem dederit

tum

tum quum maxime pauper & egenus esset, dicendi, *Ego quidem talis sum, sed Dominus cogitat de me.* Ps. XL: 18. denique quod animam corpore excedentem in domum paternam receperit.

XIII. Video equidem huc allegari, quod Paulus verba Psalmi II. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ad resuscitationem Christi referat. Act. XIII: 33. quasi Deus in resuscitatione Christi Filium suum iterum veluti generaverit: & filiatio per mortem peremta, per resurrectionem renovata sit. Verum hæc alio pertinent. Per resurrectionem certe demonstratum est Christum esse filium Dei in potentia, non solum quia sua virtute se redivivum sistens probavit se vitam in semet ipso habere; sed & quia Pater eum resuscitans hac ratione absolvit a blasphemia, ob assertam sibi Filii Dei dignitatem impacta: denique quia deposita tunc forma servi est, qua haud parum obscurata hactenus fuerat gloria velut unigeniti a Patre, neque palam fuerat illud τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Sed si bene attendamus, aliam rem agit Paulus Act. XIII: 33. Non probat resuscitationem Christi ex Psalmo II. sed ex Jes. LV. 3. & Ps. XVI: 10. dum com. 34. ita infit, *quod autem suscitaverit eum ex mortuis &c. ita dixit &c.* Ut numero dicam, hæc Pauli mens est: Deum promissionem patribus factam implevisse filiis ipsorum, suscitato, id est, in carne exhibito, Jesu: hanc enim vim & alibi eadem phrasis habet. Act. II: 30. III: 26. VII: 37. Quisnam autem ille est quem se exhibiturum promisit Deus? Id colligi ex Ps. II. potest, ubi pollicetur Ecclesiæ, eum se illi regem daturum esse, qui Filius suus sit, singulari modo ab æterno genitus. Patet igitur quam nihil allegatio illa ad hanc controversiam attineat.

XIII. Act. XIII: 33. non docetur Christum in resuscitatione ex mortuis iterum esse genitum.

XIV. Nolo tamen, pro candore meo, dissimulare, aliud esse quod quodammodo huc referri queat: sed quodammodo tantum. Scriptura de Christi in cœlos evectione agens, frequenter utitur voce ἀναλήψεως. Luc. IX: 51. Marc. XVI: 19. Act. I: 2, 11, & 22. 1. Tim. III: 16. Est autem ἀναλαμβάνειν, ut Budæus notavit, *resumere*: & ἀναλαμβάνειν τὸν παῖδα apud *Demosthenem* contra *Neæram* opponitur τῷ ἀποκηρύττειν, sicut apud Latinos *agnitio* liberorum est contraria *abdicationi*. Censet itaque ἀνάληψιν significare *agnitionem Christi, a Patre velut antea abdicati. Beza* id repudiat, tanquam argutiam inanem. At *Cloppenburgius* laudat; & ego olim professus sum me utraque manu amplexari: quippe quod & genio linguæ conveniat, & doctrinam exhibeat utilem. Missus in inferiorem hunc mundum a Patre Filius erat ad opus redemtionis in forma servi perficiendum, schemate tam vili atque abjecto, ut vermis potius quam homo, nedum gloriosissimus Dei filius videretur, nisi quod subinde radii quidam Divinitatis

XIV. Ἀνάληψις agnitionem notat, in oppositione abdicationis.

emicarent: cæterum in exaltatione Christi ad cœlestem gloriam coram omnibus declaravit Pater se ipsum pro Filio suo agnoscere, & honore qui tanto nomine dignus sit decoratum velle. Verum hæc non important talem tamve rigidam abdicationem qualem viri Docti urgent, quæ a crucifixione inchoata cum resurrectione præcise desierit.

XV. *Non fuit necesse Christum easdem determinate pœnas subire quas luent damnandi.*

XV. Nescio an non hæc præfracta qua in exponendis Christi perpessionibus gaudent verborum durities ex eo proficiscatur, quod existiment ita Christum substitutum esse peccatoribus, ut easdem determinate pœnas subire debuerit, quæ nostris cæteroquin peccatis debebantur, & quas damnati in suis personis luent. Quam sententiam prolixe tuetur *Ouwenus in Prolegom. ad Hebr. Tom.* 2. *p.* 80. *& seq.* Ego vero me cum iis Theologis facere profiteor, qui credunt Patrem a Filio sufficiens quidem & dignum læsa Majestate sua λύτρον exegisse; sic tamen ut non omnis exclusa fuerit ἐπιείκεια, neque quidquid invenietur in justissimis reproborum hominum pœnis, inventum fuerit in Christi perpessionibus. Nam nonnulla ex intaminata Christi sanctitate, ex pacto inter ipsum & Patrem, denique ex Divinæ personæ dignitate, in perpessionibus Christi animadvertenda sunt, quibus nullus in æterna damnatorum miseria locus est.

XVI. *Magna est inter utrasque diversitas.*

XVI. Dum impii homines frementes frendentesque, ac Diabolica rabie adversus Divinam justitiam furentes, irrogatas sibi pœnas subire coguntur, eo graviores, quod frustra obnitendo se misere fatigent, & quod conscientiæ, scelera continuo exprobrantis, non morituro vermi rodantur: Christus ex sanctissimo gloriæ Divinæ amore afflictiones suas, quamvis gravissimas, sponte subivit, infusum mixtumque sibi calicem cum placida voluntati Paternæ submissione hausit, gnarusque nihil sibi ob sua accidere crimina, conscientiæ integræ serenitate fruitus est. Improbis præfractæ legis rigor, & peremtoria inexorabilis judicis sententia, qua ad inevitabiles æternosque cruciatus damnati sunt, continuo ob oculos versans, horribili desperatione tormentorum diritatem insanum quantum auget. Christi vero sagax constansque fides, certissimas Patris promissiones de immenso pondere æternæ gloriæ, atrocissimos quidem, sed brevis temporis dolores, mox consecuturæ, identidem sibi repræsentans, animum ad eos alacriter ferendum addidit, in vehementissimo luctæ ardore victoriæ securum.

XVII. *Qua tamen Christi λύτρῳ nihil detrahitur.*

XVII. Neque hæc, quæ evidentissimæ veritatis sunt, asserendo, quidquam de pretio passionum Christi demimus: quod non ex sola earum diritate, uti nec ex duratione, sed & ex patientis personæ dignitate æstimandum est; quandoquidem in talibus Divini Servatoris

ris nostri doloribus sufficiens, & electorum debitis æquivalens, λύτρον est.

CAP. IV.

An Christus suscipiendo electorum peccata, & pro iis justitiæ Divinæ satisfaciendo, electis salutem æternam absolute meritus sit.

I. Vis futuræ satisfactionis Christi, quoad salutem electorum, eadem est qua factæ. II. Perperam asseritur Christum salutem esse meritum, sub conditione, ab hominibus præstanda III. Quoniam salutem absolute electis meruit cum omnibus quæ ad eam prærequiruntur. IV. Quod probatur ex 2. Cor. v: 19. V. Et ex jure quod Christus sibi in electos peperit. VI. Et ex potenti voluntate eos sibi vindicandi. VII. Denique ex eo quod & remissionem peccatorum, & fidem & sanctificationem suis meruerit.

I. AD quintam nunc controversiam transeo, quæritur *quid Christus illa peccatorum nostrorum in se translatione & a se susceptione electis impetraverit.* Fructus atque effectus hujus rei bifariam considerari potest, vel ante, vel postquam Servator peccata nostra tulit in corpore suo in ligno. Pro certo autem tenendum est, tantam fuisse translationis istius efficaciam, ut valuerit etiam ad ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων Heb. IX: 15. atque illius solius intuitu servati sint, quotquot sunt servati, ab omni retro antiquitate. Quum enim sciret Deus Filium suum expromissorem bonæ fidei esse, & actualis solutio sapientissimo Divinæ voluntatis consilio ad temporis plenitudinem dilata esset; quoad salutem electorum gratiamque ad salutem necessariam, tantundem valuit solutio certo futura, quantum nunc valet solutio actu præstita. Atque hactenus quidem si rei summam, &, ut nunc solemus loqui, essentiam spectemus, nullum in temporum diversitate discrimen est: ejusdem salutis æternæ æque participes propter unicam Christi satisfactionem veterrimarum ætatum fideles facti sunt, atque illi qui post Christum consummatum vixerunt. Quamvis si hujus vitæ gratiam attendamus, secundum extensionem & intensionem, aliasque circumstantias, *Deus de nobis potius quiddam providerit, ne sine nobis consummarentur.* Heb. XI: 40.

I. Vis futuræ satisfactionis Christi, quoad salutem electorum, eadem est qua factæ.

II. Quum tamen gatia Christi salutifera prolixius & explicatius tradatur in Evangelio consummationis quam promissionis, agedum videamus,

II. Perperam asseritur Chri-

stum salutem esse meritum, sub conditione, ab hominibus præstanda.

deamus, quis fructus ex consummata Christi obedientia ad electos redundet. Atque hic assensum a me nullo modo impetrant quibus placet Christum peccatorum nostrorum susceptione & pro iis solutione, nostri cum Deo reconciliationem, atque adeo salutem æternam, meritum duntaxat esse sub conditione: ut tum demum meritum istud effectum in nobis suum habeat, si credamus; sic ut salutis nostræ possibilitas a Christo impetrata sit, salus autem ipsa a Deo ut supremo Domino, quibus visum est, & iis conditionibus, quas præscribere volet, impertienda restet.

III. *Quoniam salutem absolute electis meruit cum omnibus quæ ad eam prærequiruntur.*

III. Ego sacrarum inductus auctoritate literarum, digniusque Christi λύτρῳ pretium statuens, sic credo: Jus ad omnia gratiosi testamenti bona cunctis simul electis Christi satisfactione partum esse, eatenus ut salva veritate & justitia sua, salvo fœdere quod cum Filio pepigit, non possit Deus quenquam electorum addicere exitio, aut excludere possessione salutis; imo declaraverit, præstita a Filio, & accepta a se satisfactione, nihil electis aut patiendum aut faciendum restare, quo sibi immunitatem a pœna, aut jus ad vitam comparent: sed id unicum superesse, ut, suo singuli tempore, parto sibi per Christum jure, & possessione ex isthoc jure, gaudeant.

IV. *Quod probatur ex 2. Cor. v: 19.*

IV. Atque illud est quod Apostolus dicit 2. Cor. v. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans ipsis offensas eorum.* Hoc est, quum acceptaret Deus oblationem Filii sui, in mortem se tradentis pro suis, eodem tempore in gratiam recepit, non modo reliquias Israelis quæ secundum electionem sunt, sed & quasvis gentes ac familias terræ, quæ alias in malo jacebant; declarans sibi pro peccatis ipsorum esse satisfactum, neque illa posthac imputatum iri ad condemnationem, vel seclusionem a salutifera sua gratia.

V. *Et ex jure quod Christus sibi in electos peperit.*

V. Dubium non debet esse, quin impetraverit sibi Christus jus in omnes electos, quod & lubens meritoque ipsi largitur Pater. Ps. 11:8. *Pete a me & dabo gentes hereditatem tuam.* Hoc est Christi פעלה *opera pretium apud Deum suum*, ut *non modo custoditos in Israële reduceret, sed ut salus Dei sit usque ad finem terræ.* Jes. XLIX: 4, 6. Utique ex promisso Jes. LIII: 10. *Si posuerit se anima ipsius victimam pro reatu, videbit semen.*

VI. *Et ex potenti voluntate eos sibi vindicandi.*

VI. Fieri non potest ut Christus nolit uti jure isthoc suo, quod tam care sibi acquisivit. Quidni enim actu sibi vindicaret, quos tanto pretio emit? Nisi fingamus non posse ipsum id effectum dare, illæsa humani arbitrii libertate. Enimvero hic infamis multorum naufragio scopulus est. At nos scimus, pollere Christi Spiritum vi flexanima & verticordia, quæ efficere valet, ut hi qui hactenus Diaboli fuere

fuere mancipia, nunc lubentes Christum pro Domino recipiant; eique liberrimo & constantissimo voluntatis assensu adhærescant. Ipsum audiamus Christum: Joh. x: 16. *Alias quoque oves habeo, quæ ex hac caula non sunt: & ILLAS OPORTET ME ADDUCERE: & vocem meam audient.* Quia oves illæ jure ipsius erant, ideo decebat eum ipso sibi facto illas vindicare. Et sciebat se id effecturum lubentifica sua gratia: *Audient vocem meam.*

VII. Accedit quod electis suis impetrasse dicatur, non modo possibilitatem remissionis peccatorum, sed remissionem ipsam. Mat. xxvi: 28. Eph. 1: 7. neque ea solum lege si credant, sed & tractionem Patris, & gratiam ut credant. Nulla sane benedictione spirituali benedicit nobis Deus nisi in Christo: Eph. 1: 3. id est, propter Christi merita. Fidei autem donatio quum ex præstantissimis benedictionibus sit; Phil. 1: 29. & illam nobis propter Christi merita obtingere necesse est. *Dedit semet ipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos ex præsenti seculo malo, secundum voluntatem Dei & Patris nostri.* Gal. 1: 4. Meruit electis salutem, non ea conditione duntaxat, si ipsis lubeat constantem sanctitati operam dare; sed & ipsam sanctificationem meruit, ut partem salutis, & quæ illius consummationem necessario antecedat. *Dedit semet ipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.* Tit. II: 14. Adde Eph. v: 25, 26, 27. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semet ipsum pro ea, ut eam sanctificaret... ut sisteret sibi gloriosam.* Verum quum hanc rem ex professo alibi exsecutus sim, eo nunc te, Lector, ablegari patiaris, & adito sodes *Oeconom. Fœd. Dei lib.* II. *cap.* VII.

VII. Denique ex eo quod & remissionem peccatorum, & fidem & sanctificationem suis meruerit.

Cap. V.

An jus æternæ hereditatis electis applicetur, a prima sui nativitate; an vero in sui regeneratione. Et an Deus homini electo dum in lasciviæ excessu degit nihil magis ad reatum imputet, quam quando consummatus est in cœlis.

I. Inter reprobum & electum ante regenerationem actu nihil interest. II. Nisi quod ex consilio gratiæ huic concedantur media salutis, suo tempore ad regenerationem valitura. III. In qua demum actualis applicatio salutis est. IV. V. VI. VII. VIII. Ordo salvificæ applicationis. IX. Electus ante sui regenerationem est in statu damnabili.

 I. Circa

I. Inter reprobum & electum ante regenerationem actu nihil interest.

I. CIrca *Applicationem* partæ per Christum *salutis* hæc controvertuntur. 1. An jus æternæ hereditatis electis APPLICETUR A PRIMA NATIVITATE : & epocha applicationis figenda sit in NATURALI GENERATIONE, qua fiunt *homines*, non in SUPERNATURALI REGENERATIONE *qua fiunt* CHRISTIANI. 2. An nihil habeat Deus quod electis ad reatum imputet, etiam tum quando IN OMNI IMPROBITATIS ET LASCIVIÆ EXCESSU DEGUNT : non magis, quam postquam vere SANCTIFICATI, imo etiam consummati ac COELO RECEPTI sunt. 3. An electi CHRITO UNIANTUR ANTE FIDEM. 4. An non FRUCTUS solum JUSTITIÆ Christi, sed & IPSA, imputetur electis, sic ut per imputationem istam NON MINUS JUSTI SANCTIQUE evadant, quam est ipse Christus.

II. Nisi quod ex consilio gratiæ huic concedantur media salutis, suo tempore ad regenerationem valitura.

II. Et has ego controversias, quantumvis ingentes primo intuitu videantur, simplici & aperta veritatis declaratione dirimi posse confido. Ac primam quidem quod attinet, quid si ita rem concipiamus? Postquam Christus Divinæ justitiæ satisfecit, in universum etiam declaravit Deus non fore unquam ut ab ullo electorum satisfactionem in propria persona exigat: atque ita omnibus simul electis partum est jus immunitatis. Cæterum illud universale omnium electorum jus nemini in specie prodest, donec ei applicetur. Per electionem qua talem, nulla fit applicatio. Electio enim est actio Dei immanens, cujus proprius effectus est certitudo eventus. Hæc est ratio omnium decretorum Dei ut per se nullam inferant mutationem in subjecto : sed omnis actualis rei existentia per omnipotentem decreti exsecutionem est. Exsecutio decreti, est productio rei decretæ illius voluntatis qua jussit Deus ut res eo temporis momento existeret; voluntate æterna tunc demum exeunte in actum illum quo res exsistit. Ergo ex electione ad gratiam & gloriam id duntaxat sequitur, ut homo, ita electus, statuto tempore ad gratiæ & gloriæ participationem admittatur. Antequam illa temporis ad exsecutionem destinati plenitudo venit, electio Dei nullam realem mutationem in homine electo importat : qui ante sui regenerationem, æque ac reliqui quotquot sunt mortales, est in præsenti seculo malo, in regno & potestate tenebrarum, mortuus in peccatis & offensis, alienatus a vita Dei, filius iræ sicut & reliqui, hostis Dei, laqueo Diaboli captivus ad ipsius libitum, metu mortis damnas servitutis, subjectus exsecrationi legis, extraneus quod promissiones pactorum attinet, absque Deo, absque spe in mundo, uti Scriptura passim loquitur. Atque hactenus inter electum & reprobum actu nihil interest: nisi quod, ut dictum, virtute electionis Dei, & satisfactionis Christi pro ipso, ex misero illo statu stato tempore certo

liberan-

liberandus sit; dum reprobi, quibus salus neque destinata a Deo neque parta per Christum est, æternum in misero suo statu mansuri sunt.

III. Exsecutio autem electionis considerari potest bifariam. Et primo quidem respectu actionum quarundam externarum, quæ ex rei quidem natura nullum certum cum salute nexum habent, ideoque & circa reprobos quandoque exercentur; ex Dei tamen destinatione circa hunc singulatim hominem, ad promovendum paullatim in ipso opus gratiæ, directæ sunt. Quum enim Deus electos complectatur amore benevolentiæ singularis, exituro olim in amorem complacentiæ, concedit iis media salutis, facitque ut audiant præconium Evangelii, dehortationes a vitiis, exhortationes ad officia virtutis, informationem de veritatibus salutaribus, quas naturali suo intellectu quodammodo perceptas infigant memoriæ, olim ad sanctificationem profuturas: accedente interim interna aliqua illuminatione mentis, & stimulatione voluntatis ad bonum, quamvis utraque evanida, & necdum salutari: atque illud omne ea intentione ut suo tempore per ista media efficaciter convertantur. Hæc omnia quum proficiscantur ex consilio gratiæ, merito quoque ad electionis exsecutionem referuntur: & quum fructus sint meritorum Christi, ad partæ gratiæ applicationem quodammodo pertinent; & sunt quasi molimina quædam illius qui id quod suum est vindicare sibi occipit. Quamvis non nisi tenuia quædam applicationis initia sint, quibus nondum Christo inseruntur electi. III. *In qua demum actualis applicatio salutis est.*

IV. Succedit dein consummatior exsecutio electionis ad gratiam, & solidior partæ per Christum gratiæ applicatio, eo momento quo electi, efficaciter vocati, ex semine incorruptibili sermonis Dei vivi & manentis in æternum, cooperante Spiritu vitæ, regenerantur, principio novæ ac spiritualis vitæ donantur, Christo actualiter uniuntur, ereptique ex potestate tenebrarum transferuntur in regnum dilecti Filii Dei. IV.

V. Ordinem internæ hujus ac vere salvificæ applicationis a primo sui exordio, multis gradibus ad perfectam beatitudinem enitentis, in hominibus adultis, de quibus nunc solis loquimur, hac fere nobis ratione Scripturarum repræsentant oracula. Quamprimum hora gratiosæ visitationis, singulis electis certissimo Dei statuto præfixa, advenit, homini electo, sub prædicatione Evangelii degenti, repente ex appulsu vel influxu Spiritus Christi, mystice sibi animam unientis infunditur spiritualis vitæ principium, cujus actuositas primum exserere se incipit in intellectu insolita luce collustrato. Quemadmodum enim in veteri creatione, ita & in hac renovata, initium a luce est. V.

Quo-

Quoniam Deus, qui dixit ut e tenebris lux splendesceret, splenduit in cordibus nostris ad lucem notitiæ. 2. Cor. IV: 6.

VI. VI. Mox atque illuminatos illos mentis oculos homo electus aperit, cernere incipit generatim quidem dogmatum Evangelicorum veritatem, sed & specialius ad se ipsum reflectens, deprehendit quanta sit peccatorum suorum innumerabilium fœditas atque atrocitas, quantus divinæ justitiæ rigor, quam exigua vel nulla potius sua cunctarumque creaturarum ad miseriam suam sublevandam facultas. Fieri non potest quin hinc oriatur compunctio animi, dolor de commissis peccatis & offenso Deo, desperatio de se ipso & creaturis cæteris, denique anxium illud votum, *ærumnosum me hominem! quis me liberabit!*

VII. VII. Trepidanti ad hunc modum animo conspiciendum se præbet benignissimus Sospitator Jesus, cum omni gratiæ ac gloriæ suæ abundantia, quam sponte ac liberaliter omnibus eam desiderantibus offert; nec offert solum, sed & ad eam amplectendam comiter invitat ac pathetice obtestatur, interimque Spiritus sui arcana efficacitate interiora cordis penetrans mentem simul ac voluntatem blanda vi pellicit: quo fit ut anima cœlestis hujus lucis jubare circumfusa, itaque pellecta, toto nisu Jesum in suum recipiat Servatorem, & inæstimabile hoc donum ista sua receptione ratum & irrevocabile faciat. Hæc est illa fides electorum Dei, cujus laudes toties sacræ literæ deprædicant.

VIII. *Ordo salvificæ applicationis.* VIII. Quumque ea in receptione Christi consistat, palam est, tum demum Christum non jure modo, sed & possessione nostrum esse, ubi eum fide accepimus. Eum accipientes accipimus pariter, & accipiendo nostram facimus, omnem illam quam pro nobis implevit justitiam: quæ arcano Dei consilio in nostras olim quidem relata rationes est, sed re ipsa ad possessionem offertur in efficaci vocatione, & possidetur cum salutari fructu postquam accepta est per fidem.

IX. *Electus ante sui regenerationem est in statu damnabili.* IX. Porro mox atque justitia illa Christi per fidem nostra facta est, propter eam justificamur: hoc est, declarat Deus cum singulari ad personas appropriatione, nos nunc ex statu iræ transivisse in statum gratiæ, & pro eo quod nuper hostes eramus, nunc esse ei reconciliatos, & amicos factos; gavisuros posthac salutari suo favore. Hic est ille applicationis ordo, quem sacræ literæ ipsaque rei evidentia docent. Unde consequitur, hominem electum, ante sui regenerationem, dum luxuriæ, lasciviæ, omnibusque pravis cupiditatibus se mancipat, in via perditionis atque exitii esse, & in suis istis criminibus Deo obversari ut odiosum, abominabilem, omnique ira ac maledictione dignissimum, neque fieri ullo pacto posse ut imminentem iram evadat, si ea scelerum via grassari obstinato animo pergat. Enimvero

multo

multo tutius sanctiusque est homini quam maxime electo hæc & quæ his similia severa oratione ingerere, ut terrore illo Domini permoveatur ad fidem, quam ista persuasione imbuere, modo electus sit, etiamsi sceleratissime vivat, nihil tamen esse quod ei magis imputet Deus quam si jam cœlo receptus foret. Numero dicam: talis electus revera est in statu damnabili; non solum in foro suæ conscientiæ, sed & in foro Dei, cui forum conscientiæ nunquam debet esse contrarium. Tum demum a damnatione, quoad suam personam, absolvitur, quando incipit esse in Christo, non secundum præscientiam Dei, sed actuali unione per Spiritum. Ad illud usque tempus fuit sub lege peccati, & mortis; tunc incipit esse sub lege Spiritus vitæ in Christo Jesu. Rom. VIII: 1, 2. Hæc perpetua est & constans Scripturarum doctrina, a qua ne specie quidem aliqua verborum recedendum est.

CAP. VI.

An electi Christo uniantur ante fidem, & an non fructus solum justitiæ, sed & ipsa, electis imputetur.

I. II. III. IV. Varii modi aut gradus unionis electorum cum Christo, ante & post fidem. V. Ipsa Christi justitia imputatur fidelibus. VI. Sicuti Adami peccatum suis posteris. VII. Etiam Christi sanctitas imputatur. VIII. Sano sensu dici posset, fideles perfecte justos & sanctos esse in Christo. IX. Et quia justi sunt per justitiam Christi, æque justos esse ac ipse Christus. X. Non abludente Catechesi Palatina.

I. QUæ si rite attendantur, non erit difficile explicatu, *an & quo modo electi ante fidem Christo uniti sint, vel non sint.* Nimirum uniti sunt Christo. 1. In æterno Dei decreto; quod tamen nihil infert, nisi unionem actualem suo tempore esse futuram: ut demonstratum supra est, I. *Varii modi aut gradus unionis electorum cum Christo, ante & post fidem.*

II. Unione confœderationis æternæ, qua Christus a Patre constitutus est caput omnium servandorum, eorum personam repræsentaturus, unde factum est, ut, Christo obediente jussibus patris, & patiente pro iis, ipsi in Christo obedivisse, & passi esse, Divina reputatione censeantur. Hæc tamen omnia non obstant, quo minus in se ipsis considerati, ante sui regenerationem, pro præsenti isthoc statu, longe a Deo Christoque remoti sint. Eph. II: 13. II.

Quoniam Deus, qui dixit ut e tenebris lux ... ab ipsorum parte duntaxat
dibus nostris ad lucem notitiæ. 2. Cor. ... spiritus Christi eos primum oc-

VI. VI. Mox atque illuminatos ... undit: cujus vitæ initium aliunde
rit, cernere incipit generatim ... a Spiritu Christi; qui id animæ, sed
tatem, sed & specialius ad ... ratione vitæ spiritualis, quod anima
sit peccatorum suorum ... animalis & humanæ. Quemadmodum ita-
tus divinæ justitiæ ... is ordine naturæ prior est vita hominis; sic
que creaturarum ... & animæ prior est vita Christiani. Porro,
potest quin ... ex principio spiritualis vitæ emanans, palam est,
catis & off ... posse, quod homo electus vere & realiter Christo uni-
que anxi ... illem fidem.

VII. V ... mutua unio, quæ ab hominis electi parte quoque actu-
ben ... sa est, qua anima ad Christum accedit, ei se adjungit,
d ... ac decenter & apte adhæreſcit absque ulla distractione, et
... applicat, ... per fidem fit. Atque hanc ordine consequuntur cætera fœ-
demum ... gratiæ bona, Justificatio, Pax, Adoptio, Obsignatio, Conser-
deris ... &c. Quæ si isto modo & ordine digerantur, nescio an in hac
vatio ... controversiosi aliquid inter Fratres remaneat.

V. *Ipsa Christi justitia imputatur fidelibus.* V. De *imputatione justitiæ Christi ad perfectam justitiam*, hæc ex Scriptura didici. Quemadmodum nostra peccata imputata sunt Christo, quod supra probavimus, ita ipsa Christi justitia, sive obedientia quam præstitit Patri in perfectissima vitæ sanctitate, & voluntariis perpessionibus, nobis imputatur. Evidens est, *Christi justitiam* in Scripturis *nostram justitiam* dici. Nostra autem esse deberet, vel *inhæsive*, per transfusionem quandam, qua habitus sanctitatis & justitiæ Christi nostræ animæ habitus fierent, qualis transfusio habituum *absurda* est & impossibilis; vel *per imitationem*, ut ei conformem justitiam ipsi præstemus: at isto sensu nostræ illam opponit Paulus Phil. III: 6. vel denique *per imputationem*, sic ut nostra non minus censeatur, quam si a nobis esset præstita. Quum ergo duo priores illi modi, quibus justitia Christi nostra fieri posset, a ratione prorsus alieni sint, solus hic tertius restat: *Deo imputante homini justitiam sine operibus.* Rom. IV: 6.

VI. *Sicuti Adami peccatum suis posteris.* VI. In confesso, nisi fallor, Orthodoxis omnibus est, ita credentibus ad justificationem imputari justitiam Christi, quomodo hominibus ad condemnationem imputatur peccatum Adami: id autem ita imputatur, *ut omnes in ipso peccasse* dicantur. Sic & nos dicimur esse non justi modo, sed & mera *justitia*, neque solum justitia, sed & JUSTITIA DEI *in Christo*.

VII. *Etiam Christi sanctitate* VII. Porro justitia Christi consistit partim in perfectissima vitæ sanctitate, partim in passionibus & morte. Totam autem justitiam Christi

Chriſti noſtram eſſe oportet, ſi ad juſtificationem nobis ſuffectura ſit. rgo & ſanctitas Chriſti noſtra eſt; eo adſpectu quatenus conſumma- ſanctitas requiritur ad jus beatitudinis. In Chriſto itaque juſti & cti ſumus, non noſtra perſonali aut inhærente juſtitia & ſanctitate, ea quæ Chriſti eſt, & noſtra fit per imputationem.

ctitas imputatur.

VIII. Porro quum juſtitia illa & ſanctitas Chriſti omnibus mo- erfecta, eademque noſtra ſit, illius intuitu non male dicitur nos riſto perfecte juſtos & ſanctos eſſe, & quid ni licet addere? non s quam ipſe Chriſtus. Quamvis Chriſto ſoli præſtitæ perfectæ nctitatis laus conveniat; nequaquam nobis, qui natura perditi peccatores ſumus, & gratiæ adjumento non niſi e longinquo ad perfectionem adſpiramus.

VIII. *Sano ſenſu dici poſſet, fideles perfecte juſtos & ſanctos eſſe in Chriſto.*

IX. Probe ſecernenda ſunt ea quæ ad juſtificationem ab iis quæ ad ſanctificationem pertinent. Si quis eo ſe in virtutis ac ſanctimoniæ ſtudio profeciſſe jactaret, ut ſummum illius apicem non minus quam ipſe Chriſtus attigiſſet, is non mendacii ſolum & intolerabilis arrogantiæ, ſed & inſaniæ & blaſphemiæ, merito ab omnibus poſtularetur. Sed quod fideles nequaquam in ſe ipſis ſunt, id ſunt in Chriſto. Nulla juſtitia eſt quæ Divini tribunalis ſeveritatem ſuſtinere queat, niſi quæ numeris omnibus eſt abſoluta. Talis eſt ſola juſtitia Chriſti. Quæ, virtute ſponſionis ipſius pro electis credentibus, & unionis electorum cum ipſo, electorum juſtitia fit. De qua quum omnes electi ex æquo participent, omnes etiam eadem perfectiſſima juſtitia Chriſti perfectiſſime juſtos eſſe neceſſe eſt, æque ac ipſe Chriſtus; quum juſtitia electorum ſit ipſiſſima Chriſti juſtitia: hoc ſolum diſcrimine, quod quæ Chriſti eſt, quia ab ipſo præſtita, ea noſtra eſt, quia nobis imputata.

IX. *Et quia juſti ſunt per juſtitiam Chriſti, æque juſti eſſe ac ipſe Chriſtus.*

X. Certe Paulus non veretur dicere, *nos eſſe in Chriſto completos.* Col. II: 10. In quem locum *Davenantius* illud *Chryſoſtomi* laudat ex *Homil.* XVII. *in* X. *ad Rom.* *Quod ſi Chriſto credideris & legem impleſti, & multo plura quam ea præceperat; multo ſiquidem majorem jam accepiſti juſtitiam.* Græca Chryſoſtomi paullo altius repetita ſic habent: *Μὴ τοίνυν φοβηθῇς, φησιν, ὡς τὸν νόμον παραβαίνων, ἐπειδὰν τῇ πίστει προσῆλθες· τότε γὰρ αὐτὸν παραβαίνεις, ὅτε δι᾽ αὐτὸν τῷ Χριστῷ μὴ πιστεύσῃς. ὡς ἂν πιστεύσῃς αὐτῷ, κακεῖνον ἐπλήρωσας, καὶ πολλῷ πλέον ἢ ἐκέλευσε· πολλῷ γὰρ μείζονα δικαιοσύνην ἔλαβες.* Neque abludit *Catecheſis Palatina* ad *Quæſt.* LX. *Ita mihi perfecta ſatisfactio & ſanctitas Chriſti imputatur ac donatur,* PERINDE AC SI NEC ULLUM IPSE PECCATUM ADMISISSEM, *nec ulla mihi labes inhæreat. Imo vero quaſi eam* OBEDIENTIAM, QUAM PRO ME CHRISTUS PRÆSTITIT, IPSE PRÆSTITISSEM.

X. *Non abludente Catecheſi Palatina.*

CAP. VII.

De essentia Fidei.

I. Quatuor controversiæ de Justificatione. II. Status primæ controversiæ. III. Distinctio fidei; vel ut est in idea, vel ut est in subjecto. IV. In idea, est firmissima persuasio de meo ad Christum omniaque beneficia salutaria jure. V. Ea mente definitur a Catechesi Palatina. VI. Fiducia tamen ista gradus potius roboratæ fidei est quam illius essentia. VII. Quippe quæ non in omnibus semper fidelibus inveniatur. VIII. Fatentibus etiam iis qui fidem per certiorationem de remissis peccatis definiunt. IX. Chamierus laudatus. X. Molinæus. XI. Perkinsius. XII. Et Davenantius.

I. Quatuor controversiæ de Justificatione. I. ATque hac quidem via sensim nos ad Justificationis doctrinam deductos esse comperimus. Circa quam hæc potissimum inter Fratres, quibuscum nunc nobis res est, controverti video. I. An essentia Fidei justificantis consistat in interna & firmissima *persuasione* sive πληροφορίᾳ, QUOD CHRISTUS MEUS SIT, & quod peccata mea omnia certo mihi per Christum remissa sint. II. An Fides in Justificatione consideretur ut JUSTIFICATIONIS jam FACTÆ *indicium* & argumentum, an ut CONDITIO a Deo AD JUSTIFICATIONEM PRÆREQUISITA, an ut INSTRUMENTUM quo Christi justitiam apprehendo. III. An DOLOR de admissis peccatis, POENITENTIA AC RESIPISCENTIA, ut CONDITIO aliqua DISPONENS, peccatorum remissionem *antecedant*. IV. An OMNIA PECCATA, non PRÆTERITA *modo*, sed & FUTURA, credentibus in Justificatione ita simul ac semel remittantur, ut Deus in justificatis *nullum* amplius *peccatum videat*, ut nulla peccati *deformitas*, nullus *reatus*, nullum *onus* iis incumbat, ut nullum quantumvis grande peccatum VERE IIS NOCEAT, ut Deus nullo eorum crimine OFFENDATUR, ut neque *humiliatione*, neque *confessione*, neque *precibus* ad recens admissi peccati veniam consequendam *indigeant*; ut denique MOX POST ADMISSIONEM PECCATI ÆQUE CERTI SINT VENIÆ, QUAM POST HUMILIATIONEM *accuratissimam*.

II. Status primæ controversiæ. II. Incipiamus a prima controversia: & inquiramus qua in re *essentia fidei justificantis* consistat. Sunt qui eam definiant *interna ac firmissima persuasione, quod Christus meus sit, & quod peccata mea omnia certo mihi propter Christum sint remissa.* Aliis id minus caute atque accurate dictum esse videtur.

III. Mea

III. Mea sic est ratio : fidem bifariam considerari posse, vel uti est *in se* & in idea, ut loquuntur, vel uti est *in subjecto*. Priori intuitu est virtus præstantissima delineata Evangelio, ad cujus perfectionem hominem quemque Christianum eniti decet. Posteriori respectu sæpe debilis admodum crassisque involuta nebulis in fidelibus invenitur. *III. Distinctio fidei; vel ut est in idea, vel ut est in subjecto.*

IV. Si fidem in idea attendamus, constans Ecclesiæ Reformatæ, & Scripturis consona, sententia est, eam non solum consistere in πληροφορίᾳ firmissimaque persuasione de veritate Evangelii generatim, sed & speciatim de meo ad Christum omniaque beneficia salutaria jure. Idcirco operam dandam esse cuivis Christiano ut semetipsum cognoscat in fide & in Christo esse, & dicere cum Paulo queat: *vivit in me Christus, & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: novi cui crediderim, & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem custodire: nam mihi persuasum est, neque mortem neque vitam..... neque ullam rem aliam conditam posse nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* *IV. In idea, est firmissima pe[r]suasio de meo ad Christum omniaque beneficia salutaria jure.*

V. Hac mente Catechesios Palatinæ auctores, cum innumeris aliis nostræ communionis Theologis, dixerunt, fidem *non esse tantum certam notitiam, qua firmiter assentior omnibus quæ Deus nobis in verbo suo patefecit, sed etiam certam fiduciam, a Spiritu Sancto, per Evangelium in corde meo accensam, qua in Deo acquiesco, certo statuens, non solum aliis, sed mihi quoque, remissionem peccatorum, æternam justitiam & vitam donatam esse, ex Dei misericordia, propter unius Christi meritum.* *V. Ea mente definitur a Catechesi Palatina.*

VI. Sed quamvis fiducia istiusmodi ad fidem omnino pertineat, gradum tamen fidei eminentissimum, ad quem non nisi præviis multis fidei actionibus scandatur, potius esse existimo, quam ut ipsa fidei essentia in ea collocetur. Hic enim naturalis, ut ita dicam, fidei processus esse videtur, ut anima credens mysterium Dei & Christi in lumine gratiæ intueatur, mox illius veritatem, propter auctoritatem testificantis Dei, pleno assensu agnoscat; tum porro veritatem istam amet, in ea exsultet Deumque glorificet: impense quoque communionem Christi desideret, ut ea quæ vera sunt in Christo sibi quoque ad salutem vera sint; idcirco Christum, quando & quo modo sibi in Evangelio offertur, summa lubentia accipiat, illi innitatur, in illum se reclinet, illi se tradat ac mancipet: & demum post hæc omnia, comperta nunc mutua sui cum Christo unione, Christum suum esse glorietur, in eo quam jucundissime delicians. *VI. Fiducia tamen ista gradus potius roboratæ fidei est quam illius essentia.*

VII. Ecquis dubitat, quin hæc desiderabilis quædam fidei valde roboratæ perfectio sit, digna ad quam omnes toto animi nisu conten- *VII. Quippe quæ non in omnibus*

 damus,

semper fidelibus inveniatur.

damus, & quam Apostoli atque Apostolici viri, & chari Deo martyres, aliique quibus insignior Spiritus mensura indulta est, revera consecuti sunt, cujus denique exempla ne nostro quidem tempore desunt: imo quam credibile est Deum, parcius aut uberius, plerisque electorum suorum aliquando saltem in hac vita concedere. Nequaquam enim omnibus fidelibus contingit illud jucundissimæ sanctissimæque gloriationis culmen ita conscendere, ut in eo securi lætique continuum ævum agitent. Quod fieri tamen oporteret, si quidem in fiduciæ istius παῤῥησίᾳ καὶ πληροφορίᾳ ipsa fidei essentia consisteret: quam ego potius in receptione Christi ut Servatoris & Domini, animæque ad eum refugio collocaverim. Optime confessio Anglicana Anni 1645. *Fidei præcipui actus sunt acceptare & recipere Christum, & in eo solo acquiescere ad justificationem, sanctificationem & vitam æternam virtute Fœderis Gratiæ.*

VIII. *Fatentibus etiam iis qui fidem per certiorationem de remissis peccatis definiunt.*

VIII. Ipsi illi Theologi qui fidem per istiusmodi certiorationem de remissis peccatis definiunt, observant tamen, non in omnibus eam credentibus semper inveniri.

IX. *Chamierus laudatus.*

IX. *Chamierus* ex iis est qui docent, fideles scire per fidem, non tantum universali, vel potius indefinita quadam notione, aliquos salvos futuros; vel salvos futuros eos qui crediderint; sed etiam particulari se ipsos salvos futuros, quia credant. Atque adeo hanc applicationem subministrare differentiam fidei veræ justificantis a fide historica. Addit, hanc scientiam conjunctam esse cum certitudine; sed cujus mensura non sit alia quam fidei. Itaque perfectæ fidei perfectam esse certitudinem; imperfectæ, imperfectam. *Sed quomodo,* inquit, *naturam fidei describentes, non debemus hærere in singularum personarum defectibus; ita & in hac certitudine. Quomodo ergo pronunciamus, fidei opponi non tantum rei creditæ falsitatem, sed etiam personæ credentis δισταγμὸν, quamvis nemo sit, quamdiu est in hac vita, adeo provectus, ut non egeat prece, Marc.* IX. Credo, Domine, succurre incredulitati meæ: *omnino similiter in hoc negotio. Fidelis est, certo statuere se per fidem salvum fore; neque fidelem esse, nisi ita statuat: etsi verum sit, ex sensu carnis, propriæque infirmitatis alios sensus suggeri, quibus concutiatur ejusmodi certitudo: adeo ut videatur nonnunquam in ἀπιστίαν degenerare. Sed enim in eis etiam, ut in aliis tentationibus ὑπερνικῶμεν.* Hæc gravissimus ille Theologus, qui paucis interpositis, subjungit: *Absit ut adeo ignoremus humanam infirmitatem, quam negamus unquam omnino nullam esse in quantumvis regenito, ut fidem ponamus extra omnes tentationis sensus. Sentit, sentit ille profecto, nec raro, miros motus ab indignitate sui, a mundo, a satana: & ita sentit, ut non possit non affici, atque adeo vacillare, & ferme desperabun-*

rabundæ similis esse. Sed eadem aliquando luctata, eluctatur denique. Itaque nunquam desperat. Laxius dixi, quod ne ipsi quidem negent Papistæ. Dico ergo amplius : nunquam non credit : nunquam non certo credit, suam esse salutem ; nimirum quia credendo pugnat, credendo vincit. Hæc Chamierus *Panstr. Tom.* III. *lib.* XIII. *cap.* I.

X. *Chamiero* jungatur *Petrus Molinæus*, qui, postquam pluribus egisset de illa persuasione qua quis promissiones Evangelii sibi applicat, credens peccata sibi propter Christum esse condonata, eleganter in hæc verba fatur : *Non tamen hæc eo pertinent ut albo fidelium expungantur, quotquot hanc fidei* πληροφορίαν *nondum sunt assecuti, quam Deus non dat omnibus eodem tempore, nec mensura. Sed ut doceamur, hanc fiduciam a Deo juberi, & ab ipso enixe petendam esse, & toto conatu in id incumbendum, ut precibus & bonis operibus roboretur & crescat. Adde, quod infirmæ fidei, sed non simulatæ, suus est locus : etiam lippientibus oculis cernitur via. Nec qui serpentis ænei aspectu sanabantur pariter erant perspicaces.* Hæc Molinæus *Disput. de Fid. Just. Part.* II. *Thes.* XXXIX. **X. Molinæus.**

XI. Prudentissime etiam animadvertit *Perkinsius* in *Catholico suo Reformato Controv.* XVI. *De Fide implicita;* dextre declarandam esse Catechismorum quorundam institutionem, qui fidem in summo & perfectissimo gradu definire videntur, dum eam dicunt esse certam mentis persuasionem de amore Dei & favore erga nos in Christo. *Nam licet,* inquit, *omnis fides ex natura sua certa sit persuasio, sola tamen perfecta persuasio est firma & consummata fides. Proinde debebat fides definiri, non solum in genere & gradibus summis; sed etiam varii ejus gradus & mensura declarari, ut & qui infirmi sunt vere & recte de suo statu possint edoceri.* Neque dubito quin & ipsi quoque id fassuri sint Fratres, qui cæteroquin in extremis versari, & rigidas atque hyperbolicas locutiones amare videntur. **XI. Perkinsius.**

XII. Concludo verbis *Davenantii*, quibus vix clarius quicquam atque accuratius dici potest, & in quæ omnes consentire ex animo optem. *Fiduciæ,* inquit, *vocabulum duo designat. Ipsum actum innitendi & adhærendi Jesu Christo, quo quasi ambabus ulnis Christum amplectimur, & per eum actum veniam, gratiam & gloriam conamur obtinere a Deo Patre : atque hunc putamus esse illum actum ad quem semper sequitur justificatio, id est, absolutio a peccatis, & acceptatio in gratiam favoremque Divinum : sive peccator illo ipso primo momento* πληροφορίαν *concipiat obtentæ remissionis, sive non. Solet etiam aliquando fiducia denotare consequens effectum fidei justificantis, nempe plenam persuasionem & quasi vividum sensum remissionis impetratæ & obtenti favoris Divini. Fatemur hanc fiduciam non esse fidem justificantem, sed fidei justificantis filiam : ad quam* **XII. Et Davenantius.**

quam anima non nisi post multa fidei & sanctitatis exercitia solet eniti. Hæc venerabilis iste doctissimusque Sarisburiensium Præsul, magna olim Dordracenæ nostræ Synodi pars, in libro cui titulus est, *Determinationes quarundam quæstionum Theologicarum. Quæst.* XXXVII.

CAP. VIII.

Quam σχέσιν fides ad Justificationem habeat.

I. An fides sit justificationis caussa quædam, an jam factæ indicium. II. III. IV. V. Justificatio varios habet articulos, quorum aliqui fidem antecedunt. VI. Alii fidem sequuntur. VII. Ordinarie Scriptura justificationem describit ut fructum fidei. VII. An fides in justificatione sit conditio succedens in locum perfectæ obedientiæ. IX Ea sententia ex Evangelio facit novam legem. X. Quatuor illius errores. XI. Sententia D. W. XII. Eorumque qui libro ipsius subscripserunt. XIII. Qua via sternitur ad concordiam.

I. An fides sit justificationis caussa quædam, an jam facta indicium.

I. Commodus hinc nobis ad eam quæstionem transitus est, *quam σχέσιν fides in justificationis negotio habeat;* an ut illius *faciendæ caussa* quædam, an ut jam *factæ indicium* atque argumentum. Plurimum hæc a se invicem distare videntur, si vocum sonos attendamus; at multo minor apparebit controversia, ubi res ipsa, verborum ambiguitate evoluta, nuda se oculis objicit, simulque patebit quorum locutiones Scripturæ stilo magis sint consentaneæ. Quod hac ratione effectum dare conabor.

II. Justificatio varios habet articulos, quorum aliqui fidem antecedunt.

II. Justificatio est absolutio a peccatis. Absolutio a peccatis est declaratio, Divinæ justitiæ pro iis a Sponsore esse satisfactum. Ea declaratio importat, ut peccata pro quibus satisfactum est non imputentur electis peccatoribus ad condemnationem, sed imputetur iis satisfactio Sponsoris ad justitiam. Imputatio justitiæ Sponsoris varios habet articulos: & vel ad omnes electos generatim refertur in unum corpus mysticum coactos, vel ad singulos. Nam, quod aliquoties nunc inculcatum est, moriente Christo, Deus totum electorum suorum mundum simul sibi reconciliavit, pronunciavitque, se non imputaturum iis offensas suas, atque id propter Christi consummatam satisfactionem. 2. Cor. v: 19. Per me itaque licet ut hæc Dei actio, generalis electorum justificatio dicatur. Sane Christus justificatus est, quando Deus eum ex mortuis suscitavit, & apocham præstitæ a Christo, &

& acceptæ a se solutionis dedit. Idemque Christus suscitatus est ad nostri justificationem. Rom. IV: 25. Nam quum ipse justificabatur, simul justificabantur electi in ipso, quippe quorum gerebat personam.

III. Lubet hic appingere CHARNOCI commentarium in laudatam modo Pauli pericopam: *Operum ipsius Anglicanorum Tom.* II. *p.* 321. *Quum perplacerent Deo Christi perpessiones in monte Calvariæ, nostrorum gratiose obliviscebatur peccatorum: & ex rebellibus declarabat nos heredes. In hac Christi absolutione* FUNDAMENTALIS JUSTIFICATIO *est eorum qui aliquando futuri & credituri sunt; non formalis tamen neque actualis antequam credant Sicuti in lapsu Adami fuit fundamentalis condemnatio eorum omnium qui lumbis ipsius continebantur; non actualis; donec ipsi existerent, ejusdem cum ipso naturæ facti participes: ad eundem modum, dum Christus uti Sponsor absolvebatur, illi omnes, quorum personam gerebat, & peccata portabat, in hac ipsius absolutioue fundamentalem absolutionem ab omnibus pœnalibus perpessionibus habent. Quando veluti communis persona, multorum peccata in sui ipsius oblatione portabat, & pro ipsorum reatu satisfaciebat; tunc uti caput nactus est absolutionem eorum omnium quorum in se susceperat reatum; ne illi unquam sub onere peccatorum suorum fatiscerent, aut in pœnas lege denunciatas incurrerent.* Hæc ex *Charnoco* sufficiant: prolixiora enim sunt, quæ sequuntur. Nos ad institutum redeamus. III.

IV. Generalem hanc, sive, ut *Charnocus* vocat, *Fundamentalem*, justificationem sequitur alia specialior, & magis actualis, quæ cuique electo capitatim applicatur. Atque hæc rursus vel eo tendit, ut homini, propter Christi pro ipso satisfactionem, primum gratiæ salutiferæ ac spiritualis vitæ initium communicetur: vel ut declaretur jam esse in statu gratiæ. Fieri sane non potest, ut Deus primo gratiæ suæ appulsu hominem peccatorem beare, vitæque spiritualis initio donare animum inducat, nisi intuitu meritorum Christi, quæ ad hunc hominem singulariter pertinere declarat quando incipit ei conferre ea, quæ Christus obedientia & morte sua impetravit. Atque hactenus dici potest, eum hominem in prima regeneratione sua justificari, id est, declarari unum ex iis esse, quibus jus vitæ a Christo partum est; cujus juris virtute nunc a morte spirituali ad vitam suscitatur. IV.

V. Clarum est, omnes hos articulos imputationis justitiæ Christi fide actuali anteriores esse, &, si eas justificationis nomine designare velis (quod tamen dubito, an Scriptura præeunte facturus sis) sane hoc intuitu fides justificationis sequela, fructus, indicium atque argumentum est. V.

VI. Alii fidem sequuntur.

VI. Cæterum justificatio ex stilo Scripturæ plerumque notat eam Dei actionem quâ declarat hominem jam transivisse ex statu iræ & hostilitatis in statum gratiæ atque amicitiæ, & gaudere privilegio remissionis peccatorum, & spe gloriæ quæ non pudefaciat. Hæc autem justificatio ex fide & per fidem est, ut ubique Paulus docet: & consequenter effectus & fructus fidei, sequela regenerationis & vocationis efficacis. *Quos vocavit, justificavit. Hæc eratis quidam, sed abluti estis, sed justificati estis. Corde creditur ad justitiam. Scientes hominem non nisi fide Jesu Christi justificari, etiam nos in Christum Jesum credidimus ut justificaremur ex fide Christi.*

VII. Ordinarie Scriptura justificationem describit ut fructum fidei.

VII. Nimis evidentes, propriæ & efficaces hæ Scripturarum phrases sunt, quam ut quæsitis interpretationibus alio trahantur. Negari sane non potest, quin ex ordinario, si non perpetuo, Scripturæ tenore loquatur, qui fidem caussis illius justificationis adnumerat, de qua omnis Paulo disputatio est. Non disputabat autem Paulus de sola manifestatione justificationis, sed de ipsa. Multo magis præcedit fides sensum justificationis & delicias dulcissimæ pacis atque amicitiæ cum Deo.

VIII. An fides in justificatione sit conditio succedens in locum perfectæ obedientiæ.

VIII. At si caussis justificationis adnumeranda fides sit, qualis caussæ rationem habeat? an ut *conditio justificationis* quam exigit Evangelium *loco perfectæ illius obedientiæ*, quam olim exigebat lex, an ut *instrumentum* quo apprehendimus Christum & justitiam illius Evangelio oblatam?

IX. Ea sententia ex Evangelio facit novam legem.

IX. Mihi sane, ut rotunde loquar, prior illa sententia novæ legis introductio esse videtur, qua dulcissimus, gratiosissimus ac Christo gloriosissimus Evangelii genius non parum corrumpitur. Nihil nunc Socinum moror, qui negata Christi satisfactione, & imputatione justitiæ ipsius, totum Evangelium pervertit. Cum Fratribus mihi quibusdam res est, satisfactionem Christi venerantibus, & justitiam ipsius, ut unicam salutis nostræ caussam meritoriam, pie agnoscentibus, de fide tamen minus caute loquentibus. Hos in eo errare puto:

X. Quatuor illius errores.

X. 1. Quod fidei nomine includant veniæ spem & Dei dilectionem, itemque dolorem de peccato, & novæ vitæ propositum, ac uno verbo omnes actus ad veram ac seriam resipiscentiam requisitos, & obedientiam sincero corde ex fide Evangelio præstitam: atque hæc omnia velint esse quiddam necessarium, & omnino prærequisitum, ut aliquis in gratiam Dei recipiatur, & ab eo deinceps habeatur pro justificato. Cui assertioni considerationes meas nuper opposui: quibus nunc addo, Doctissimos nostræ religionis in Belgio Professores censuisse, quod Remonstrantes eandem doctrinam consimilibus verbis expo-

exponentes, *sublato velo fidei tribuant Sociniano-Pontificiam justificandi rationem.* Quod solidis argumentis probatum dant. Vide *Censuram Profess. Leidens. cap.* x. §. 2, 3. tantum abest ut Ecclesia nostra eam unquam doctrinam pro sua agnoverit. II. Quod fidem hanc succedere velint in locum perfectæ illius obedientiæ quam fœdus legale postulabat. Huic enim in fœdere gratiæ substituitur perfecta obedientia Christi, qua jus legis impletum est. III. Quod fidem ea notione ac significatione considerent ut *actionem ex præscripto*, & per gratiam Dei a nobis præstitam, cujus intuitu Deus velit nobis donare Christi justitiam, & remissionem peccatorum, ex gratiosa quadam constitutione. IV. Quod eam conditionem *Evangelio* a nobis *exigi* velint, ut apud Deum justi & insontes habeamur. Conditio enim justificationis, proprie loquendo, non est nisi perfecta obedientia. Hanc exigit lex. Neque Evangelium substituit aliam. Sed docet, legi satisfactum esse per Sponsorem Christum: fidei porro officium esse, satisfactionem sibi oblatam acceptare, acceptando suam facere: & sic secundum gratiosam Dei constitutionem, Evangelio revelatam, fide justificari omnes credentes. Atque hæc genuina Ecclesiæ Reformatæ sententia est, alibi prolixius a me asserta.

XI. Nunc paci & concordiæ litemus, postquam consuluimus veritati. A qua non omnes eos procul hac in caussa recedere qui cæteroquin *Neonomorum* nomine quibusdam veniunt, uti Britannia novit, ita nec Belgio nostro ignarum esse velim. Enimvero non sinit candor, neque permittit pietas, ut illaudatum prætermittamus Fratrum quorumcunque in Orthodoxia consensum. Ego certe magna cum animi mei voluptate legi, claram illam distinctamque de justificatione & fide justificante Catechesin, qua in *defensione veritatis Evangelicæ* mentem suam explicuit Reverendus Vir, Daniel Gulielmius. pag. 13. Cujus summam hic quoque exhiberi & ipsius & publici interest. Profitetur itaque & docet: Peccata nobis nostra remitti unice propter merita & justitiam Christi nobis imputatam. Fidem nostram non esse eam justitiam, propter quam, aut cujus gratia, condonationem nanciscamur. Non admittere Deum, acceptilatione quadam, fidem ullamve imperfectam obedientiam, loco perfectæ illius quam lex exigit, uti justitiam, cujus intuitu Deus nos dignos peccatorum condonatione aut vita æterna censeat, quasi propter Christum in hunc finem legem abrogasset: hac enim ratione excludi Christi merita ut unicam caussam impetratoriam remissionis peccatorum & vitæ æternæ. Neque fidem, neque ullam aliam rem quæ in homine sit, caussam remissionis esse: quippe quæ libera & liberalis Dei gratia sit. Non

XI. Sententia D. W.

 solum-

ſolummodo decreviſſe Deum, aut meruiſſe Chriſtum, ut electi ad conſequendam remiſſionem idonei ſint, ſi credant: ſed & ut certo credant, & infallibiliter remiſſionem conſequantur. Fidem illam cui remiſſionem addicit Deus, eſſe eam fiduciam in Chriſtum crucifixum Servatorem meum, qua totum recipio Chriſtum, excluſis omnibus rivalibus, ad juſtificationem, ſanctificationem & gloriam: recumbens in ipſius merita, plenitudinem, potentiam, & curam ad illud omne ſua via perficiendum, quod ipſe promiſit, & quo ego indigeo. Non quidem nos remiſſionem accipere priusquam recipiamus Chriſtum; ſed recipere Chriſtum ipſum cum omnibus ſuis beneficiis: ſic tamen uti prius credam in ipſo remiſſionem peccatorum repoſitam eſſe, mihi æque ac aliis peccatoribus, modo ipſum fide recipiam. Uſum fidei ad conſequendam remiſſionem hunc eſſe, non ut eam mereatur, apportet, aut quoque modo efficiat: ſed ut reſpondeat regulæ Evangelii, ſecundum quam Deo viſum eſt applicare nobis Chriſti juſtitiam, ſic tamen ut ipſa fides fructibus mortis Chriſti adnumeranda ſit. Idcirco non per fidem nanciſci nos jus ad remiſſionem propter Chriſtum: ſed Dei promiſſionem jus nobis ad remiſſionem propter merita Chriſti dare, quando credimus. Interim fidem conditionem remiſſionis appellare mavult quam inſtrumentum: quia exiſtimat inſtrumenti notione plus juſto cauſſalitatis fidei adſcribi; ita tamen ut facile excuſet eos quibus hac voce uti libet, quum credat eos nihil aliud intelligere niſi inſtrumentum morale, quod conditioni æquipollet: unde Orthodoxi promiſcue iis vocibus uti ſolent. Addit, officium fidei eſſe, ut reſpiciat ad Chriſtum illiusque juſtitiam, in eam recumbat, eamque acceptet ad condonationem: atque in ea re ſingularem eſſe fidei præ omni alia inhærente gratia rationem. Attamen quod per fidem obtineamus condonationem, non tam ex eo eſſe quod fide Chriſtum recipimus, quam quod hæc ſit Dei ordinatio, ut quicunque Chriſtum fide recipit ei condonentur peccata.

XII. Eorumque qui libro ipſius ſubſcripſerunt.

XII. Quibus nunc addo conciliatricis chartæ ex Anglia mihi miſſæ, eximia verba: *Declaramus, quod, quamvis Regeneratio, Converſio ad Deum, Fides in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & ſancta Converſatio, expreſſo Dei verbo requirantur ut manifeſte ad ſalutem peccatoris neceſſaria; attamen nihil horum, aut ullum opus ab homine factum, aut per Spiritum Dei in eo productum, ſit ſub notione ſubordinationis, aut ſub alia quacunque denominatione, pars juſtitiæ illius ob quam, aut cujus intuitu, Deus condonat, juſtificat, & in gratiam recipit peccatores, aut jus ad vitam iis adjudicat; quum hoc ſit ſola juſtitia Jeſu Chriſti extra ipſos, ipſis imputata, & ab ipſis per ſolam fidem accepta.* Sic Theologi Angli, qui *Danielis Gulielmii* libro ſubſcripſere.

XIII. Hæc

XIII. Hæc si sincere dicantur, & fideliter teneantur, ut credere jubet, quæ nihil temere suspicatur, charitas; equidem non video, quid oppido controversiosum hac in parte remaneat. Non est virtuti imputanda morositas: neque charitas violanda sub specie tuendæ veritatis. Pædagogicæ severitatis est ad humanas formulas omnium orationes exigere. In quas se rigidorum Censorum, quos vitio creatos credunt, compedes indui liberalia renuunt ingenia. Quum Scriptura describens σχέσιν fidei ad justificationem, neque instrumentum eam esse dicat, neque conditionem; æque orthodoxus esse potest, qui neutra voce utitur, quam qui alterutra, vel utraque. Mea sic est ratio: qui solam Christi justitiam eam esse agnoscit, qua coram Deo consistimus; eamque fide recipi ut nostra sit, atque ita nos fide justificari, non aliqua fidei dignitate, aut caussalitate, ut loquuntur, nedum merito, neque illius substitutione in locum perfectæ obedientiæ; sed virtute gratiosæ ordinationis Dei, qua constituit se propter justitiam Christi justificaturum credentes; eum ego Theologum ne sirit Deus ut hoc nomine heterodoxias postulem, quod ipse fortassis fidem *conditionem* justificationis vocare malit, ego *instrumentum*. *XIII. Qua via sterni-tur ad concordiam.*

CAP. IX.

An resipiscentia remissionem peccatorum antecedat.

I. Status quæstionis. II. Actus fidei & resipiscentiæ quum tempore simul sint, hæc eodem modo remissionem peccatorum antecedit quo fides. III. Resipiscentia, sive ut beneficium, sive ut officium consideretur, est ante actualem condonationem.

I. CÆterum & hoc considerationem meretur, an dolor de peccatis, pœnitentia ac resipiscentia, sive propositum vivendi secundum voluntatem Dei, justificationem & remissionem peccatorum, uti conditio disponens, in subjecto prærequisita, antecedat. Et hic longe mihi antiquior est simplicitas Scripturarum omnibus subtilitatibus scholarum; ἅιτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον ἢ οἰκοδομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει. Nimirum hæc res est: *I. Status quæstionis.*

II. Simulac novæ vitæ principium homini adulto per Spiritum gratiæ inditum est, mox omnis generis actuositas spiritualis ex eo principio pullulat, actionibus ita se invicem permeantibus, & altera alteram protrudentibus, atque in exercitio confusis, ut in ipsa praxi vix dis- *II. Actus fidei & resipiscentiæ quum tempore simul*

sint, hæc eodem modo remissionem peccatorum antecedit quo fides.

cerni valeant, aut determinari quæ tempore prior, quæ posterior sit. Fieri sane non potest, quin anima per Spiritum vivificata, ad supernaturalem eam lucem qua collustratur, & seipsam videat, peccatis innumeris fœdam perditamque, & Christum videat plenum gratiæ, veritatis atque salutis. Ea contemplatio non potest non efficere, ut & sibi ipsi cum pudore ac dolore displiceat, & ingenti desiderio ad Christum feratur. Hinc oritur receptio atque acceptatio Christi, ut a fœditate & reatu suorum peccatorum liberetur. Recipere autem Christum non potest ad justificationem, nisi simul eum recipiat ad sanctificationem: neque recipere ut *sacerdotem*, qui peccata expiat, nisi pariter recipiat ut *Regem*, cui se submittat ad obsequium. Unde consequitur, non posse eam fidei actionem qua Christum recipimus ad justitiam exerceri, sine vel prævia, vel certe concomitante resipiscentia, ac proposito novæ vitæ. Si ergo fides justificationem antecedat, uti modo jecimus; idem statuendum est de resipiscentia, simul cum fide ex eodem vitæ spiritualis principio pullulante.

III. *Resipiscentia, sive ut beneficium, sive ut officium consideretur, est ante actualem condonationem.*

III. Porro pœnitentia & resipiscentia ista considerari potest bifariam: vel ut est *beneficium* fœderis gratiæ, ac fructus meritorum Christi, & sic ex dispensatione Divina, ordine naturæ saltem, antecedit aliud beneficium justificationis personalis, & actualis condonationis peccatorum: vel ut est *officium* hominis, & sic exigitur a Deo ut actio ab homine præstanda ad consecutionem veniæ; non quæ veniam quomodocunque mereatur, aut cuiquam jus præbeat ad veniam, sed quæ ad minimum demonstret hominem in eo esse statu cui soli promissa est venia, id est efficaciter vocatum atque regenitum.

IV. IV. Hic ergo subsistere malim, quam nil profuturis vexatarum disputationum subtilitatibus mihi aliisque negotium facessere. Hac enim ratione optime consulitur & liberæ Dei gratiæ, & pietati Evangelicæ, & præscinditur via calumniæ.

CAP. X.

Explicatio quorundam Paradoxorum.

I. Quo sensu dicatur, omnia peccata simul condonari, etiam futura. II. Deum nulla in fidelibus peccata videre. III. Nullam in iis esse peccati deformitatem. IV. Nullumque reatum novo crimine contrahi. V. Non habere eos peccata conscientiam vastantia: nec Davidem ex vero de peccati sibi incumbentis onere conquestum esse. VI. Peccatum nullam iis afferre

ferre noxam. VII. Nec Deum ullo ipsorum crimine offendi. VIII. Confessionem non esse necessariam ad impetrationem veniæ. IX. Uti nec sensum peccati, aut humiliationem animi. X. Aut preces quotidianas.

I. Ultima nunc quæstio superest, in qua plurima concurrunt auditu insolita, at, ne male intelligantur, disertioris explicationis indiga. Ac primum quidem illud de *omnium simul peccatorum*, non *præteritorum* solum & *præsentium*, sed & *futurorum* remissione, per se satis clarum est. Quum enim omnia prorsus credentium peccata in Christum translata sint, & pro omnibus a Christo satisfactum, hinc convenienter hypothesibus suis inferunt Viri Docti, in justificatione, quæ applicatio satisfactionis Christi est, declarari credentibus pro omnibus peccatis ipsorum esse satisfactum, & consequenter nullum omnino esse, sive præteritum, sive futurum, quod imputari iis ad condemnationem queat. *I. Quo sensu dicatur, omnia peccata simul condonari, etiam futura.*

II. Deum *non intueri iniquitatem in Jacobo, nec adspicere perversitatem in Israele*, totidem verbis Bileamus dixit. Num. XXIII: 21. Hac mente, ex ipsorum mente: *videt* sane Deus per *omniscientiam* suam quidquid a quovis delinquitur. *Videt* etiam peccata fidelium, ut *fidelium peccata*, quatenus ab iis sunt admissa: quidquid enim verum est, id Deus videt esse verum. Sed *non videt* etiam peccata fidelium *ut fidelium peccata*, quatenus non ipsorum amplius sunt, pro quibus ipsi luendum habeant; sed Christi, cui sunt imputata, & qui pro iis nunc satisfecit. *II. Deum nulla in fidelibus peccata videre.*

III. *Labem* ac deformitatem peccati monent considerari posse dupliciter; vel in ordine ad *sanctificationem*, vel in ordine ad *justificationem*. Priori intuitu adeo ea maculari fideles docent, ut optima quoque ipsorum officia, si cum divinæ legis exactitudine comparentur, nil nisi stercus sint. At posteriori respectu, quum Christus quidquid est peccati ab electis in se sumserit, eosque Deo gratos atque acceptos fecerit, negant fideles ulla criminum suorum fœditate Deo abominabiles fieri, aut favore ipsius justificante excidere. *III. Nullam in iis esse peccati deformitatem.*

IV. Hominem justificatum, si in enorme aliquod crimen incidat, *novum* sibi creare *reatum*, aliquo respectu affirmant, alio negant. Affirmant, quoad *factum*, sic ut convictus sit in conscientia, & teneatur confiteri coram Deo, se crimen tale commisisse; ad cujus negationem, vel qualemcunque excusationem, nihil a se adferri possit; & quo secundum legis sanctionem comminatoriam meritus sit æternum exitium. Negant, quoad *sententiam* justificantis *Dei*, qua ab omnibus peccatis suis absolutus quum sit, fieri non potest, ut sententia condemnatoriâ *IV. Nullumque reatum novo crimine contrahi.*

ob

ob novum hoc peccatum feriatur. Affirmant igitur, ut Scholarum glossemate utar, de *reatu* in *actu primo*; negant de *reatu* in *actu secundo*. Illustrantque mentem suam exemplo hominis, qui seditionis aut perduellionis reus, culpam & pœnæ meritum coram tribunali fatetur, interimque penes se habet libellum veniæ ex Principis sibi clementia concessæ.

V. Non habere eos peccata conscientiam vastantia: nec Davidem ex vero de peccati sibi incumbentis onere conquestum esse.

V. Immane assertum videtur, quod his ipsi verbis expressere: *Vocem esse spiritus mendacis qui dicat fidelibus, habere eos peccata conscientiam vastantia, & quæ ipsis incumbant veluti onus gravius quam ut portari queat; ac Davidem, dum id de se querebatur, non ex vero esse locutum.* Cæterum mentem suam ita exponunt: Christum onus peccatorum nostrorum in se suscepisse, portasse, & portando abstulisse; sic ut nemo fidelium eo gravari, ad exitium, vel ad desperationem, possit, & conscientia ipsius ita vastari, ut ex vero testetur, Deum non esse ipsi propitium. Distinguenda in Davide, Asapho, Hemane, Jobo aliisque sanctis esse, ea quæ in ἀκμῇ tentationum, ex fidei quodam deliquio, minus caute de Dei bonitate loquuntur, ab iis quæ, postquam se ipsos recollegerunt, ex vivæ fidei principio pronunciant. Cujus rei exempla tam sint peritis Scripturarum obvia, ut ulteriori deductione non indigeant.

VI. Peccatum nullam iis adferre noxam.

VI. De *noxa* & *& damno* peccati sic differunt: peccatum, si *in natura sua* consideretur, omnium pessimorum fructuum radix, illiusque stipendium mors, est; nullumque tam exiguum censeri debet, ut non mereatur æternos inferorum cruciatus. Ea etiam facie obversari fidelibus par est, quotiescunque ficta ac mentita blanditie ad sui patrationem pellicit: tunc enim res est omnium terribilissima: quippe quæ dilectissimum Dominum nostrum Jesum suffixit cruci. At *peccata fidelium*, qui Deum propitium sibi Patrem habent, nullam iis *veram noxam* inferunt, neque est quod ab ea sibi metuant. Vera enim noxa est *pœna proprie dicta*, & pars aliqua condemnationis, quam in solidum a suis amovit Christus. Idem terribilitatem omnem peccati ferendo, peccatum interemit, effecitque ut fideles non magis sibi ab eo metuendum habeant, quam a mortuo leone. Quod nequaquam a se dici protestantur de peccato quando blanditur, & allicit; sed de peccato admisso, quod incumbit conscientiæ fidelium, & tentat ipsos ad abnegandam liberam Dei gratiam & amorem, atque omnisufficientiam meritorum Christi.

VII. Nec Deum ullo ipsorum crimine offendi.

VII. Quum *negant*, Deum *offendi ullo*, quantumvis grandi, *hominis justificati peccato*, iterum illud intelligi jubent respectu plenissimæ illius reconciliationis quam impetravit Christus, & quæ fidelibus adjudica-

judicatur in justificatione. Sic enim instituunt: non offenditur Deus sine caussa. Caussa offensionis nulla est, præter peccatum. Peccata omnia fidelium, justissimamque Dei propter ea offensionem, tulit & abstulit Christus. Neque partem modo aliquam offensionis, sed omnem, prorsus omnem. Ergo nulla superest quæ incumbat fidelibus. Istis dicit Deus, *ira non est mihi.* Jes. XXVII: 4.

VIII. De *confessione peccatorum* sic sentiunt: eam justam, decoram ac necessariam esse ad id ut glorificetur Deus, Jos. VII: 19. tanquam unicus miserorum hominum Sospitator; & ut agnoscatur necessitas, dignitas, & efficacia meritorum Christi. Negant tamen confessionem peccatorum caussam esse qua procuretur remissio, vel ejus etiam certitudo. Qui vere fidelis est, tantundem fundamenti habet ad animum securandum de remissione peccati sui ante confessionem, quam post eandem. Unicum certiorationis fundamentum est verbum gratiæ: *Ego, ego sum qui deleo peccata tua propter me.* Ejus verbi, semel in justificatione pronunciati, veritas & valor manet in perpetuum. Fidei est verbum illud apprehendere, sibique ad fiduciam applicare; non exspectare solenni confessione, tanquam aliquo prærequisito. Ipsa enim confessio, si ex fide hujus verbi non proficiscatur, grata Deo esse nequit. VIII. *Confessionem non esse necessariam ad impetrationem veniæ.*

IX. *Sensum peccatorum* ad sanctam animi humiliationem sinceramque pœnitentiam, pro *officio defectuosæ pietatis* agnoscunt: sed eum pugnant multo facilius meliusque provenire ex *fide* jam *impetratæ veniæ*, quam aliunde. Quando enim Christus cum omni gratiæ suæ jucundissima benignitate animæ peccatrici se ostentat, & tot tamque gravium criminum veniam ultro largitur, mirum quanto facilius sanctiusque in uberrimas sinceræ pœnitentiæ lacrumas liquescat, quam ubi luctandum habet cum infidelitate ac desperatione. IX. *Uti nec sensum peccati, aut humiliationem animi.*

X. De *precibus quotidianis pro remissione peccatorum* hæc tradiderunt: remissio peccatorum universalis facta est in Justificatione. Pro ea ut facta Deo sunt agendæ gratiæ. Sed remissio peccatorum quandoque notat ejus *manifestationem ad conscientiam*, in continua novæ gratiæ collatione, in deliciis Divini amoris, in contemplatione lucis faciei ipsius, & in collustratione animæ, quæ fit radiis ex sole justitiæ coruscantibus, & sanitatem afferentibus. Hæc digna sunt quæ quotidianis precibus sollicitentur. Sic tamen ut credamus ea nos cum omnibus beneficiis spiritualibus in Christo habere; & ex ejus plenitudine, non propter nostras preces, a Deo accepturos esse. Hactenus sententiam Fratrum, quanta potui fide, accuratione, & perspicuitate exposui. X. *Aut preces quotidianas.*

CAP. XI.

Judicium de istis Paradoxis.

I. II. III. IV. V. VI. VII. Verum est in justificatione homini credenti promulgari sententiam de omnium suorum, sine exceptione, peccatorum plenaria expiatione. VIII. Calvinus laudatus. IX. Et Charnocus. X. XI. XII. Respondetur objectionibus. XIII. Non videt Deus peccata in justificatis ad condemnationem: sed videt cum sancta displicentia. XIV. Et ira, non quidem rigidi judicis, sed indignantis patris. XV. Non justum semper modum querimoniis suis Job, Heman, &c. posuere; at nec sine caussa questi sunt. XVI. Plurimam noxam peccatum, etiam justificatis, adfert. XVII. Chamierus laudatus. XVIII. Et perquam necessaria iis sunt dolor, pœnitentia, confessio, preces ad consequendam novorum criminum veniam. XIX. Imo & veterum, licet olim condonatorum. XX. Occurritur argumentis adversantibus. XXI. Abstinendum a locutionibus εὐδιαβλήτοις.

I. Verum est in justificatione homini credenti promulgari sententiam de omnium suorum, sine exceptione, peccatorum plenaria expiatione.

I. NUnc subjungere meam liceat: quæ, procul esse jussis omnibus verborum portentis, ex limpido Scripturarum fonte leni sermonis agmine fluet. Et primo quidem apud omnes in confesso Orthodoxos est, id quod aliquoties nunc jecimus, Dominum nostrum Jesum Christum pro omnibus omnino electorum peccatis Divinæ justitiæ plenissime satisfecisse: qui quatenus ipsi quoque futuri erant, omnia ipsorum peccata veluti futura sine ullo discrimine Deo & Christo obversabantur: atque ita pariter Christo moriente uno die deleta sunt; & Christo resurgenti apocha, in plenariæ solutionis testimonium, publice ac solemniter data est.

II. II. In justificatione vero singulis credentibus, non pars aliqua, sed totum jus a Christo partum adjudicatur: tota Christi justitia imputatur, ad immunitatem ab omni condemnatione, certamque exspectationem æternæ salutis. Et consequenter non præterita solum peccata remittuntur, ea lege, ut, si salvi fieri velint, nullum posthac admittant, aut, si forte admiserint, ipsi de nova recentium peccatorum expiatione solliciti esse jubeantur: sed promulgatur iis omnium peccatorum, uno Christi sacrificio perfecte expiatorum, venia: nullo manente, vel mansuro, quod condemnationem iis importaturum, vitaque æterna multaturum sit.

III. III. Hoc enim gratiosi fœderis promissum est; *Ero propitius iniquitatibus eorum, & peccatorum ipsorum, & transgressionum ipsorum non recorda-*

recordabor amplius. Heb. VIII: 12. Hoc est privilegium fidelium quod in Christo habeant *redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem lapsum ex divite ipsius gratia.* Eph. 1:7. Non quorundam duntaxat, sed sine exceptione, omnium. Nam Christus sanguine suo *æternam redemtionem nactus est.* Heb. IX: 12. id est, cujus meritum & efficacia in æternum duret, & non minus in futurum se porrigat, quam valet circa præterita.

IV. Secus si foret, nemo ex justificatione solidam perciperet consolationem. Quid enim juvat scire, ea solum quæ hactenus commisi peccata condonata mihi esse, dum in singula momenta pecco, novumque mihi debitum contraho? An non æque anxium, qui conscius sibi sit, unum vel minutissimum peccatum, non condonatum, sufficere ad id ut excludatur cœlo? IV.

V. Quo autem fundamento de præteritorum peccatorum remissione certioratur hominis credentis animus? Nullo certe alio nisi quod illa in Christum impacta, ab ipso lata, & ablata sint. Id non de præteritis solum peccatis, sed & futuris æque verum est: nam, quod modo monui, nostrum qui nunc vivimus respectu, omnia pariter futura erant, dum Christus pro iis satisfecit. Quæ ergo ratio vetat, imo quæ est quæ non jubeat, hominem fidelem credere, non magis futura sibi peccata ad condemnationem imputatum iri quam præterita; quoniam Christus illa non minus quam hæc eodem sanguine eademque morte expiavit. V.

VI. Disertus admodum in hanc rem Paulus est. Rom. VIII. *Nulla*, inquit, ne una quidem, *condemnatio est iis qui sunt in Christo Jesu.* Nullum prorsus peccatum, quod condemnationem iis illaturum sit. Licet fidelibus, etiam in futurum, sancte securis esse. *Nam is qui proprio filio non pepercit, sed eum pro nobis tradidit, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur?* Omnia quum dicit, non certe excipit peccatorum, quæ quotidie admissuri sumus, veniam. Sic enim pergit: *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is est qui justificat*, ab omni peccato absolvit. *Quis est qui condemnat? Christus is est qui mortuus est*, & moriendo pro omnibus in solidum peccatis satisfecit, scisso in cruce chirographo: *imo vero qui etiam suscitatus est*, accepta a Patre præstitæ satisfactionis apocha: quæ non ipsi tantum servit, ne iterum in jus vocari queat, sed etiam debitoribus, pro quibus sponsorio titulo satisfecit: *qui etiam est ad dexteram Dei*, quo pervenire non potuit nisi *facta prius purificatione peccatorum nostrorum per seipsum.* Heb. 1: 3. & postquam *unica oblatione in perpetuum consummasset eos qui sanctificantur.* Heb. X: 12, 14. *qui etiam interpellat* VI.

 pro

pro nobis, ex pacto postulans, ut jus nobis a se partum in solidum quoque applicetur. *Quis nos separabit a charitate Christi?* inducendo nos in tale crimen, quo charitate Christi excidamus. Nulla enim alia ratio excogitari potest, qua vel homo, vel Angelus, vel quæcunque demum alia res condita, a charitate Christi nos separare queat, nisi interveniente peccato.

VII. VII. Quæ quum ita sint, non paradoxis annumeranda, sed evidentissimæ veritatis assertio est; in justificatione eam homini credenti promulgari sententiam, qua certior reddatur pro omnibus suis peccatis, præteritis, præsentibus, futuris, sine discrimine, esse satisfactum: omnia in solidum morte Christi esse expiata: nullum superesse, sive admissum hactenus, sive posthac admittendum, quod unquam ei ad condemnationem valiturum sit. Mirari vix satis possum, repertum esse castioris disciplinæ Theologum Gallum, qui sententiam hanc, tanquam a mente Ecclesiarum nostrarum alienam, paucis fortasse in Batavia Theologis imputet, quos singularium opinionum cassa ratione lubido temere incessit.

VII. *Calvinus laudatus.* VIII. A qua eos invidia vel solus absolvere *Calvinus* deberet, cujus memorabilia in hanc rem verba exstant. *Inst. lib.* III. *cap.* XI. §. XI. *Quia experientia plus satis notum est, manere semper in justis reliquias peccati, necesse est longe aliter justificari quam reformantur in vitæ novitatem. Nam hoc secundum sic inchoat Deus in electis suis, totoque vitæ curriculo paulatim, & interdum lente, in eo progreditur, ut semper obnoxii sint apud ejus tribunal mortis judicio. Justificat autem, non ex parte: sed ut libere, quasi Christi puritate induti, in cœlis compareant. Neque enim conscientias pacaret aliqua justitiæ portio: donec statutum sit nos Deo placere, quia sine exceptione justi coram eo sumus. Unde sequitur, perverti & funditus everti justificationis doctrinam, ubi animis injicitur dubitatio, concutitur fiducia salutis, libera & intrepida invocatio remoram patitur: imo ubi non stabilitur quies & tranquillitas cum spirituali gaudio.* Vide quæ sequuntur: & patebit, iisdem propemodum Calvinum quibus nos argumentis uti.

IX. *Et Charnocus.* IX. Calvino addere, ex infinitis aliis, lubet *Charnocum*, recentis in Anglia memoriæ Theologum, qui *in Medit. ad Ps.* XXXII: *in Supplem. Oper. p.* 107. sic loquitur. *Christus peccatum pro nobis factus est, ut* OMNE PECCATUM TOLLERET. *Imperfecta enimvero fuisset satisfactio, si satisfecisset, pro usuris, non pro sorte: aut pro sorte, non pro usuris. Nulla prorsus condemnatio est iis qui sunt in Christo Jesu. Nullus itaque reatus, aut caussa damnationis relicta. Alioqui stulta, quod absit, fuisset Pauli provocatio, qua quidquid est in omnibus rebus conditis*

provo-

provocat ad crimen intentandum adversus electos Dei; si vel minimum peccatum, non condonatum, remaneret: super quo negotium facessere posset, vel Dei justitia, vel legis severitas, vel conscientiæ acrimonia, vel ipsius malitia Diaboli. Quum ad hunc finem in mundum venerit, ut destrueret opera Diaboli, quibus aliquam sibi nequam ille spiritus potestatem in homines acquisiverat; ne UNUM QUIDEM CRIMEN FIDELIUM REMANSIT, *pro quo non ita sit satisfactum, ut eo nomine ullam sibi juris particulam in hominem credentem arrogare possit Diabolus.* Eat nunc celeberrimus cæteroquin auctor; & tam receptam liquidamque sententiam, qua nihil frequentius in cujusvis notionis scriptoribus Reformatis occurrit, præter omnem rationem inscribat παραδοξίαις.

X. Audio declamantem, alienum ab omni ratione & indignum Deo esse, ut peccata nondum commissa anticipata remissione occupet: at velim mihi dicat vir sapientissimus, eccur minus a ratione alienum Christoque minus indignum sit, ut pro debitis nondum contractis anticipata solutione satisfaciat. Sed, nullus, ait, Pater, nullus Rex, nullus Princeps, eo unquam absurditatis devenit, ut, dum veniam præteritorum facit peccatorum, etiam perpetranda in futurum condonet. Haud negaverim. Verum quis ita in rebus Theologicis cæcutit, ut tam evidentem disparitatis rationem non cernat? Quando Pater aut Princeps crimen condonat, ex mera id facit gratia, sine ulla expromissoris alicujus satisfactione, qui pœnam omnibus istius delinquentis criminibus, sive præteritis, sive futuris, debitam luit. Cæterum quum Deus homini in Christum credenti, omniaque ejus merita ad certam consummatamque salutem sibi applicanti, præterita crimina remittit, simul insinuat, nec futura ad condemnationem imputatum iri; quia utrumque nititur intuitu λύτρου a Christo æque pro futuris quam pro præteritis peccatis soluti. *X. Respondetur objectionibus.*

XI. Instat: nulla est peccati condonatio, nisi post pœnitentiam: pœnitentia autem est μετάνοια ac μεταμέλεια, quæ sequuntur peccatum. Respondeo, quod generalem hanc de qua loquimur omnium peccatorum condonationem, antecedat etiam universalis quidam hominis credentis dolor, pudor, atque humiliatio, non solum intuitu criminum actu commissorum, sed & inhærentis illius naturæ suæ perversitatis, cum qua videt perpetuo sibi luctandum fore, & unde prævidet multa imposterum pullulatura esse peccata. Universalis iste dolor certa quadam proportione universali isti justificationi respondet. XI.

XII. At si contingat hominem justificatum se grandi rursus aliquo crimine obstringere, hunc esse credo Divinæ clementiæ ordinem, ut generalem illam sententiam ad hujus singularis delicti condonationem XII.

non specialiter applicet, neque accusanti, exprobranti, & convincenti conscientiæ insinuet, ad consolationem, gaudium & readmissionem paternæ familiaritatis, nisi post seriam convenientemque ejusdem delicti pœnitudinem. Qua de re mox plura. Erudite ac judiciose hanc ipsam controversiam tractavit *Antonius Stuckney*; in Academia Cantabrigiensi quondam SS. Theologiæ Professor Regius, *in Prælectionibus Quæst.* XIII. *p.* 118. *& seq.* Ubi, quod & nos conamur, veritati simul & paci consulit, ostenditque, diverso sensu Problema hoc vel affirmari, vel negari posse, salva utrinque Orthodoxia.

XIII. Non videt Deus peccata in justificatis ad condemnationem: sed videt cum sancta displicentia.

XIII. At neque illud negandum est, quippe quod totidem verbis in Scriptura asseritur, Deum non intueri peccata in justificatis. Sed intelligendum est probe. Non intuetur sic ut propter illa condemnare eos instituat. Ea enim mente dicitur peccata eorum tegere, pone tergum rejicere, profundo mari mergere, ne unquam in conspectum suum prodeant. Locum hic suum & laudem meretur elegans *Charnoci* observatio *ad Ps.* XXXII. *Oper. ipsius pag.* 102. *Liber rationum, cujus lineæ veru transfixæ sunt, nullius in judicio auctoritatis est. Veru istud argumentum est soluti pretii. Debitum tale legi fortasse potest: exigi non potest. Nihil impedit quo minus Deus peccata condonanda legat in libro omniscientiæ suæ: sed non exiget unquam in foro justitiæ suæ.... Non prorsus Deus peccatorum obliviscitur: nihil enim scientiæ ipsius aut memoriæ excidit. Non recordatio peccatorum, actus voluntatis potius quam intellectus est. Oblivіscentia ista, non naturalis est, sed legalis. Factum non ignorat Deus; sed pœnam metumque pœnæ removet:. deponendo memoriam iræ, non scientiæ. Reminiscitur ut pater, ad castigationem: non ut judex, ad condemnationem..... Quamvis non imputetur peccatum; at inhæret tamen. Non tollitur illius existentia, at potestas deturbatur throno. Tollitur non quoad maculam, sed quoad reatum.* Optime: nam sane videt Deus peccata fidelium: intuetur, uti labem qua anima conspurcatur, uti nævos quibus pulcra facies deturpatur, uti saniem qua decora sanctitatis stola collutulatur, uti lepram qua totus homo inficitur; quod David confitebatur quum hyssopo se mundari peteret. Et videt cum insigni *displicentia.* Non enim est Deus qui delectatur iniquitate; minime eorum qui sui sunt.

XIV. Et ira, non quidem rigidi judicis, sed indignantis patris.

XIV. Videt etiam cum ira & excandescentia, non rigidi & condemnaturi judicis, sed sancti & indignantis patris. Ita iratus fuit Aaroni & Mosi, quamvis cæteroquin Deus condonans; iratus Miriamo, uti si pater obstrepenti filiæ contumeliose in faciem despuisset; iratus Ecclesiæ electorum suorum, quæ se ad iram patris sui cœlestis ferendam patienti animo componit, Mic. VII: 9. Eo usque nonnunquam pro-

procedente indignatione, ut non modo blandam ſuam ab iis faciem abſcondat, a longinquo ſtet, non audiat clamantes, ſed & fumet contra orationes eorum, æſtibus iracundiæ ſuæ tranſeuntibus ſuper ipſos; imo vero hoſtiliter cum iis agere videatur, reputet eos ut inimicos ſibi, reſcribat contra eos amaritudines, ponat in compede pedes eorum, & imprimat ſe eorum radicibus, & ſagittæ omnipotentis ejaculentur in ipſos, quarum virus ebibat ſpiritum eorum, & conturbationes Dei velut acie inſtructa ipſos impugnent. Hæc enim omnia meris Scripturæ dictis conſtant. Vid. Jeſ. VIII: 17. Pſ. X: 1. XXX: 8. XXII: 3. LXXXVIII: 16, 17. Job. XIII: 14. VI: 4. Eleganter Cl. *Stuckley*, loco modo laudato. *Non obſtante remiſſione vel juſtificatione iſta prævia, peccata ſequentia reatum particularem contrahunt, in ſe iræ æternæ meritorium, eumque inſuper in hominem juſtificatum ita redundantem, ut paternam Dei in eum iram cieat: eumque licet* NON FILIUM IRÆ, AT SUB IRA FILIUM *conſtituat.*

XV. Non juſtum ſemper modum querimoniis ſuis Job, Heman, &c. poſuere; at nec ſine cauſſa queſti ſunt.

XV. Non diffiteor equidem haud eum ſemper quem par eſt querimoniis ſuis Jobum, Hemanem aliosque viros ſanctos poſuiſſe modum: attamen nec hoc mihi quiſquam negabit, non defuiſſe ipſis omnem tantarum querelarum cauſſam. Certe non fuit querimonia ipſorum rebellio. Et quamvis importunum ſit ſingula dicta vexare, & ad ſtateram accuratiſſimæ exactitudinis appendere, cuncta tamen oſtendunt in quam vehementem aliquando patris ſui cœleſtis indignationem, ipſi quoque juſtificati inciderint.

XVI. Plurimam noxam peccatum, etiam juſtificatis, adfert.

XVI. Tantum abeſt ut peccata nullam iis noxam inferant. Quippe quæ, præterquam quod mereantur deſertionem Dei omnimodam & exheredationem, ipſo actu pacem conſcientiæ turbant, fidei παῤῥησίαν & πληροφορίαν tollunt, gaudium ſalutis adimunt, ſpiritum gratiæ contriſtant, vitam ſpiritualem lædunt, habitus virtutum Chriſtianarum, quoad felicitatem & promtitudinem agendi, plurimum imminuunt, vehementem aliquando animæ ſyncopen inducunt, ipſum vitæ principium ſuffocaturam, niſi reatu per ſanguinem Chriſti ablato, vivificus ejuſdem Spiritus hanc eorum mortiferam vim gratioſe retunderet. Uti non nolo inculcari, nulla eſſe juſtificatorum peccata quæ ad ipſorum condemnationem valitura ſunt: ita eosdem non minori ſerio moneri velim, peſtiferam eſſe peccatorum vim, quam ipſi quoque non ad mortem quidem, ſed ad ægritudinem morti vicinam, & ad cruciatus illis geminos qui ex crucifragio oriuntur, quandoque experturi ſint.

XVII. Chamierus laudatus.

XVIII. *Chamierus* Orthodoxæ Eccleſiæ ſententiam adverſus Bellarmini calumnias, ſic exponit. *Panſtrat. Tom.* III. *lib.* XV. *cap.* II. *§.* XII.

XII. *Nos dicimus peccata omnia nocere, etiam ea quæ remittuntur. Imo non remitti, nisi noceant. Non efficiunt quidem ut ne obtineatur salus, quomodo non effecit blasphemia, non effecit abnegatio, non effecit adulterium, ut damnarentur Paulus, Petrus, David: quia intercessit remissio. Sed non nocere, insanum est dicere. Nullum enim malum non nocet: quia nec malum esset, si non noceret. Ac peccatum, etiam remissum, malum est: nec remitteretur, nisi malum esset. Itaque peccatum, etiam remissum, nocet. Hoc scivit Paulus. Paulus ille, qui certus de remissione peccatorum suorum, vel consentientibus Papistis, certe ipso profitente* (ἀλλ' ἠλεήθην inquit) *tamen exclamabat:* Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis? *Potuit ne miser esse, si nihil nocuisset peccatum.*

XVIII. *Et perquam necessaria iis sunt dolor, pœnitentia, confessio, preces ad consequendam novorum criminum veniam.*

XVIII. Neque profecto verum est haud indigere homines justificatos dolore, pœnitentia, confessione, precibus ad consequendam veniam peccatorum quæ quotidianæ, ut Tertullianus ait, incursionis sunt, aut atrociorum etiam, si committantur, criminum. Quamvis enim supra jecerim in prima justificatione omnia simul condonata esse; complectitur tamen generalis ista condonatio suos quosdam specialiores articulos & gradus. Quo pertinet, ut universalis illa sententia ad speciales casus per ipsum Dei Spiritum applicetur, sine qua re æstuat animus recentis sibi criminis conscius: ut Pater cœlestis, severam quandoque, castigationis virgam amoveat: ut seposita indignatione confessum peccatorem ad familiare commercium readmittat. Hæc sunt quæ passim in sacris remissio peccatorum dicuntur; ad quam non perveniri nisi via pœnitentiæ, confessionis, repetitarumque crebro precum, tota Scriptura cum perpetua fidelium experientia docet.

XIX. *Imo & veterum, licet olim condonatorum.*

XIX. Imo & hoc attendi velim, homines pios, & in devotionis suæ exercitiis singulari Spiritus directione gubernatos, non recentium solum criminum veniam petiisse, sed & antiquissima, a prima juventute, sibi Deoque in memoriam iterata confessione revocasse, ut quæ olim remissa crediderant, & experti erant, ea nunc vere sibi esse condonata renovatis Divini favoris indiciis iterum animo persentiscant. Quod præclare *a Calvino* observatum *Instit. lib.* III. *cap.* XX. §. IX. ubi laudata Davidis oratione, qua postulat ne meminerit Deus *peccatorum juventutis suæ.* Ps. XXV: 6. sic pergit: *ubi etiam videmus, non satis esse, si in singulos dies pro recentibus peccatis nos ad calculos vocemus, nisi in memoriam nobis redeant quorum oblivio pridem inducta videri poterat. Nam & idem Propheta alibi scelus unum grave confessus, hac occasione usque ad uterum matris revolvitur, in quo jam labem contraxerat: non ut culpam ex naturæ corruptela extenuet, sed ut totius vitæ peccata accumulans, quo severior est in se damnando, magis exorabilem Deum reperiat.*

XX. Scio

XX. Scio esse humiliationem aliquam & liquefactionem animi in dulcissimas pœnitentiæ lacrumas, quæ ex sensu Divinæ charitatis oriantur. Sed & esse scio, quæ eundem antecedunt. Scio, nihil horum caussis aut conditionibus meritoriis, vel sua virtute impetratoriis remissionis accensendum esse. Sed de eo non controvertitur: sufficit a Deo prærequiri in homine, non tamen sine sua gratia, ante ulterioris gratiæ concessionem. Scio, non posse placere Deo nisi ex fide proficiscantur. Sed & hoc scio, posse aliquid ex fide esse, quod non sit ex certioratione & sensu impetratæ remissionis. Is quoque ex fide agit, qui credens in Christi satisfactione & meritis plenissimam esse peccatorum expiationem, eo se recipit, ut sibi quoque ad suam consequatur salutem, quod credentibus omnibus promissum esse ex Evangelio didicit. Scio denique fundatissimum fundamentum certiorationis nostræ de remissione peccatorum esse verbum Evangelii. Sed & hoc scio, sinceram pœnitentiam nobis pro certo argumento esse, quod verbum illud gratiæ ad nos pertineat. Hoc enim nemo novit, nisi qui peccatorum suorum pœnitudine ducitur. *XX. Occurritur argumentis adversantibus.*

XXI. Concludo caput hoc cum calido voto, ut facessant dehinc immania isthæc dicta, neque ex ullius unquam Reformati Theologi ore, in sanctissimæ religionis nostræ dedecus atque opprobrium audiatur, peccatum nullam noxam damnumve inferre fidelibus, & hominem fidelem, mox post atrocissimi criminis perpetrationem æque veniæ certum esse, quam esse possit post accuratissimam humiliationem. *XXI. Abstinendum a locutionibus εὐδιαβλήτοις.*

CAP. XII.

De Fœdere Gratiæ.

I. Quæstiones circa Fœdus Gratiæ. II — IX. Tentatur via concordiæ. X. Chamieri sententia.

I. CIrca FOEDUS GRATIÆ hæc controverti video. I. An illud unice consistat in æterna illa CONVENTIONE inter PATREM & FILIUM, ut CAPUT REPRÆSENTATIVUM OMNIUM ELECTORUM, qua Filius, secundum voluntatem Patris, recepit se omnia quæ virtutibus Dei digna sunt facturum, ut salus θεοπρεπῶς ad electos perveniat: An vero præterea agnoscenda sit CONVENTIO quædam inter DEUM & HOMINES ELECTOS, de modo quo partæ per Christum salutis actu evadant participes. II. An CHRISTUS OMNES CONDITIONES fœderis *I. Quæstiones circa Fœdus Gratiæ.*

gratiæ ita IN SE RECEPERIT, ut NULLA omnino CONDITIO ab HOMINE ELECTO exigatur, aut exigi possit, præstanda per Dei gratiam ex merito Christi, ante actualem possessionem salutis.

II. *Tentatur via concordiæ.* II. Adeo hic multa esse deprehendo, in quibus Fratres consentiunt, ut, modo absit studium partium, & pervicacia ea defendendi quæ semel dicta sunt, in re ipsa non magnam controversiam superfuturam esse sperem.

III. III. In eo, nisi fallor, utrimque conveniunt, ut agnoscant admirabilem illam Patris & Filii de salute electorum procuranda conventionem, in qua Filius electos omnes repræsentavit, ea pro iis facturus quæ ipsis cæteroquin facienda incumberent

IV. IV. Sed & hoc ab æquis rerum æstimatoribus impetraturum me confido, ut agnoscant esse quandam confœderationem inter Deum & electos, de modo placendi Deo & potiendæ beatitudinis: etsi fortassis necdum agnoscere velint eam definitione fœderis gratiæ, comprehendi debere. Toties enim tamque disertis verbis confœderatio talis in Scriptura docetur, ut non videatur in dubium vocari posse. Tale fœdus pepigit Deus cum Abrahamo & semine ipsius Gen. XVII. ubi præfatus se esse Deum ad omnem beatitudinem sufficientissimum, exigit, ut indesinenter coram ipso ambulet, & integer sit. Rursus pollicetur, se ei Deum fore, & semini ipsius post ipsum: sed & postulat, ut fœdus suum servet, ad cujus confirmationem signum circumcisionis dat, in sigillum justitiæ fidei. Quam solemnes sæpe narrantur populi Israelitici cum Deo confœderationes? quas equidem Nationales vocari posse non abnuo: tantum tamen abest ut quidquam continuerint quod genio fœderis gratiæ adversum est; ut contra fœdus gratiæ involverint ac supposuerint. Certe respectu electorum; de quibus Ps. L: 5. *Congregate mihi quos benignitate prosecutus sum, qui icerunt fœdus mecum super sacrificio.* Et Ps. CIII: 17, 18. *Benignitas Jehovæ est erga observantes fœdus ipsius.* Adde Jes. XXIV: 5. *Irritum faciunt fœdus perpetuum.* & Jer. L: 5. *Adjungent se Jehovæ fœdere perpetuo, quod non tradetur oblivioni.* Mitto alia id genus quam plurima: quæ non lubet nunc valde urgere. Id modo generatim nunc contendo evincere, præter æternum illud Fœdus quod inter Patrem & Filium est, esse Fœdus aliquod quod in tempore pangitur inter Deum & electos.

V. V. Et hoc in confesso est: veram & proprie dictam fœderis gratiæ conditionem, qua præcipue distinguitur a fœdere operum, hanc esse; ut omnis justitia, in qua jus vitæ unice fundatur, præstetur a Mediatore & Sponsore fœderis. Unde consequitur, admissa hac Sponsoris

foris justitia, non posse ab electis ullam conditionem proprie dictam exigi, qua sibi immunitatem a pœna aut jus vitæ acquirant.

V. Sed & hoc omnes concedent, quod Apostolus fœdus gratiæ VI.
non semel nomine Testamenti designet. Testamentum autem est immutabile Dei consilium a nulla suspensum conditione: quod quum omnem suam firmitatem habeat a morte testatoris, non potest suspendi ab ulla conditione per hominem præstanda: præsertim quum eodem testamento non minus de fine & sanctimonia heredum, quam de ipsa salutis hereditate caverit Deus. Unde est quod formula fœderis meris quandoque pollicitationibus absolvatur. Jer. XXXI: 33. & XXXII: 38, 39, 40.

VII. Neque illud controvertitur, quod illa ipsa, quæ certo re- VII.
spectu conditiones a quibusdam dicuntur, alio respectu ad beneficia fœderis pertineant. Nam & ipsam resipiscentiam ac fidem, & novæ vitæ initium, progressum & non intercisam continuationem, non minus quam beatam illius consummationem eodem fœdere Deus pollicetur: ut ex modo allegatis Jeremiæ vaticiniis liquet.

VIII. Et illud certum est, Deum sapienter admodum & sancte VIII.
ita instituisse, ut nemo ad salutem perveniret nisi via fidei & sanctimoniæ, atque eo ordine promissiones suas disposuisse, ut nemini ulterius & perfectius bonum obtingeret, nisi qui antecedentium promissionum jam factus esset compos. Fieri enim non potest, ut quis sine fide Deo placeat, sine sanctimonia Deum videat.

IX. Denique negari non potest, quin Scriptura alicubi formu- IX.
lam fœderis gratiæ conditionali carmine exhibeat: Rom. X: 8, 9. *Hoc est verbum fidei quod prædicamus*: SI PROFESSUS FUERIS ORE TUO DOMINUM JESUM, & IN CORDE TUO CREDIDERIS QUOD DEUS EUM SUSCITAVIT EX MORTUIS, SERVABERIS. Joh. XIII: 17. *Si hæc noveritis, beati eritis si ea feceritis.* Rursus XIV: 23. *Si quis diligit me, sermonem meum observabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus.* Et sic alibi sæpius. Atque hoc sensu conditio aliqua in fœdere gratiæ admittenda est; quatenus notat officium ex voluntate Dei, ab homine, convenienter indoli istius fœderis præstandum, antequam consummatæ salutis possessionem adeat. Si in his omnibus consensus sit, uti spero: vestram Fidem, Fratres, quid est de quo super hoc capite litigetis?

X. Lubet, mantissæ loco, subjicere præstantissimi *Chamieri* super X. *Chamieri sententia.*
hac controversia sententiam, de qua eruditi judicent. Is ergo contra Bellarminum disputans *Panstrat. Tom.* III. *lib.* XV. *cap.* III, docet verum certumque discrimen inter legem operum & Fidei, esse conditio-

 nem

nem operum & fidei. Hoc est, legem operum proponere salutem sub conditione legis perficiendæ. At legem fidei eandem proponere, sub conditione tantum credendi in Christum. Ne tamen quidquam inexplicatum relinqueret, observat, conditiones in contractibus duum esse generum; quorum alias præcedentes, alias consequentes vocare liceat. Præcedentes illas dicit, quæ caussam dant contractui, ex formula, *do ut des*. Nimirum, quum quis agrum vendit certa pecunia. Consequentes autem adduntur præcedentibus, tanquam ex iis sequentes: quæ quidem mutuæ sunt inter partes, sed obligant alterutram tantum: ita ut propter eas nihil amplius reliqua teneatur facere. Ut si quis fundo donato venditove imponat pensionem annuam pecuniæ, erogandæ in pauperes. Solent autem, quæ sunt ejusmodi conditiones, suo defectu irritum contractum facere: & non efficere tamen contractum. Imo, nisi plena jam & perfecta venditio esset, nulla esset annua pecuniæ pensio. Distinctionem hanc præsenti instituto Doctissimus Theologus sic applicat: Lex operum exigit impletionem legis tanquam conditionem antecedentem, qua sine ulli homini in vitam æternam non tantum possessio non sit, sed ne jus quidem. At hoc eodem conditionis sensu lex Fidei opera non admittit; sed tantum altero: nimirum, ut vi donatæ jam propter fidem vitæ, necessaria sint opera, adeo ut, qui opera nulla exhibeat, is excidat ab omni jure quod habebat, vel potius habere videbatur, propter externam vocationem, etsi alioquin opera non sint caussa vitæ donandæ. Hactenus *Chamierus*. Confer *Stucknejum*, in *Prælectionibus Theologicis*. p. 233.

CAP. XIII.

De utilitate Sanctitatis Paradoxæ assertiones.

I. Quinque paradoxæ assertiones. II. Verborum tinnitu horrenda. III. At molliendæ ex mente auctorum, & commodiore explicatione. IV. Quo sensu dicatur, bona opera nihil conferre ad possessionem salutis nec esse viam ad regnum. V. Nefas esse quidquam facere cum intentione promovendi salutem nostram. VI. Nihil boni bene agendo acquiri, nihil mali evitari. VII. Sanctitatem actuosam non esse sufficiens indicium status gratiæ. VIII. Optima fidelium opera non nisi sordes & stercus esse.

I. Quinque paradoxæ assertiones. I. DE UTILITATE SANCTITATIS & BONORUM OPERUM hæc disputari deprehendo; an recte dicatur: 1. NIHIL nobis conferre

ferre bona opera *ad possessionem* salutis, sic, ut quamvis agnoscantur non esse *caussa regnandi*, *ne* VIA quidem AD REGNUM censeri possint: quidquid boni agimus, id NON NOBIS nos agere; sed CHRISTO: non esse aliquid agendum UT VIVAMUS, sed QUIA VIVIMUS. II. *Nefas* esse quidquam *boni agere* ea intentione UT ID AGENDO NOSTRAM PROMOVEAMUS SALUTEM. III. Nullum esse virtutis aut sanctimoniæ officium, etiamsi quanta maxima hic fieri potest perfectione præstitum sit, quo VEL MINIMUM BONI nobis LUCRIFACIAMUS, sive in hac sive in futura vita. Neque enim quicquam *mali* & incommodi id agendo *evitari*, neque pacem conscientiæ, aut lætitiam per Spiritum Sanctum, neque fiduciam de remissione peccatorum, aut consolationem ex ea hoc pacto promoveri posse. IV. Exercitium sanctimoniæ & bonorum operum ne pro *idoneo* quidem & SUFFICIENTI INDICIO atque argumento habendum esse, quod simus in statu gratiæ, & certa exspectatione gloriæ. V. Ipsam FIDELIUM sinceram SANCTITATEM, profectam a Spiritu gratiæ, in sui exercitio, SORDES & STERCUS esse coram Deo; & consequenter eum qui tanta quantam adhibere potest diligentia sanctitati operam dat, NIHILO GRATIOREM atque acceptiorem Deo esse quam SI ILLAM NEGLIGERET aut indulgeret vitiis.

II. Hæc sane ipso verborum tinnitu tam sunt insolita, & inexspectata ex ore hominis Christiani, nedum illius qui sanctimoniæ Evangelicæ Doctor cluet eamque vitæ pietate profitetur atque exercet, ut non possint non horrorem incutere audientibus, animumque implere validis adversus Doctorem & doctrinam præjudiciis. Sed & illud fatendum, non parum horrori isti decessurum esse, ubi ipsum Virum doctum, & qui ab ejus partibus stant, pleniori sermone animi sensa explicantes audiverimus. Quod sane ad quæstionis ac controversiæ dijudicationem apprime necessarium est. Id ergo nunc agamus. *II. Verborum tinnitu horrenda.*

III. Generatim docent sanctitatem & bona opera adeo a salute sejungi non posse: ut pars salutis sint, a Christo nobis partæ. Conditi enim sumus in Christo ad bona opera. Addunt, fines bonorum operum oppido insignes esse: nimirum manifestationem obedientiæ & subjectionis nostræ; promotionem gloriæ gratiæ Dei, in eo ut aliis prodesse conemur; ædificationem proximi nostri; aggregationem nostri ad Christum Jesum, qui pollicitus est se in iis inventum iri. Præterea monent in omnibus assertionibus unicum hunc sibi propositum esse scopum, ut gloria gratuitæ justificationis Deo & Christo illibata maneat, neve nostris qualibuscunque operibus ulla justificandi vis attribuatur. *III. At mollienda ex mente auctorum, & commodiore explicatione.*

IV. Quo sensu dicatur, bona opera nihil conferre ad possessionem salutis nec esse viam ad regnum.

IV. Præmissis generalibus hisce animadversionibus singulas thesis hoc ferme modo exponunt. I. Nullus est sub cœlo fidelis cui datur cœlestia scandere tecta antequam consilio Dei serviverit in generatione sua; nemo credit in Christum eumque fide recipit, qui non post Christi receptionem conditus sit in Christo ad bona opera ut in iis ambulet. Interim Christus unica ad vitam via est, sanctimoniæ praxis est necessaria occupatio & operositas eorum qui hac via ambulant. Porro nihil boni pro nobis ipsis agimus, quum omnia quæ ad salutem requiruntur abunde pro nobis præstiterit Christus: *qui unus pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt posthac non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus & suscitatus est.* 2. Cor. v: 15. Fœderis legalis formula est, fac hoc & vives. Sed doctrina gratiæ est; vivificavit te Christus, ergo tu vivito in vita filii Dei, eamque sancta actuositate demonstrato.

V. Nefas esse quidquam facere cum intentione promovendi salutem nostram.

V. II. Benedixit nobis Deus omni benedictione spirituali, in cœlis, in Christo: neque certiorem alibi salutis securitatem invenire est quam in Christo: qui eam perfectissime nobis confectam dedit. Si itaque eandem nobis ipsi conficere postulemus, quid nisi actum agimus, laborantes in cassum? Præterea generosus veri Christianismi spiritus procul ab omni mercenaria vilitate abest: neque sic instituit: ego sedulo me bonorum operum exercitio dedam, ut æternam mihi lucrifaciam mercedem; sed ad hunc potius modum, funiculi mihi ceciderunt in locis amœnis, pulchra hereditas mihi obtigit, benignitas & gratia prosequentur me omnibus diebus meis: & quia tam abunde mihi prospectum est a Christo, hinc tanta opulentia contentus, & nihil ultra meis operibus satagens, ipsum & corpore & animo meo glorificabo, & generationi meæ in honorem gratiæ ipsius inserviam.

VI. Nihil boni bene agendo acquiri, nihil mali evitari.

VI. III. Nostra officia, etiam optima & præstantissima, nullam ex se ipsis efficaciam habent conferendi nobis ullum bonum: omnis efficacia ex Dei in Christo benedictione pendet. Nihil mali nos precibus nostris aliisve religionis exercitiis averruncare posse ideo inculcandum est, ne, quod fieri plerumque assolet, ullam iis Deum nobis conciliandi vim, quæ in sola Christi satisfactione sita est, attribuamus. Quid denique ad pacem conscientiæ, & lætitiam in Christo nostra valent opera? quæ, si ad eorum imperfectionem & qua fœdantur labem attendamus, non nisi bellum clamant: solus Christi sanguis clamat pacem, quam frustra alibi quæras. Ipse est pax nostra.

VII. Sanctitatem actuosam non esse sufficiens indi-

VII. IV. Argumenta ex quibus constet nos in Christo esse a multis hæc creduntur esse præcipua: universalis obedientia, sinceritas animi, & amor erga fratres. Cæterum quamvis hæc in suo genere & intra sphæram suam insignem ad hanc rem usum habeant, tamen quia

per

per carnem debilitata ſunt, vix eſt ut animo ad ſolidam ſecuritatem ſufficiant. Nemo enim eſt quin, modo ad ſe ipſum attendat, facile deprehenſurus ſit, tantis hæc omnia nævis laborare, ut anxius ſalutis ſuæ animus difficulter ſibi in dignoſcendis iſtis ſignis ſatisfaciat. Prius oportet Spiritum Domini gratiam ſuam noſtro revelare ſpiritui, & nos fide donare qua teſtimonium illud Divini Spiritus recipiamus, ut eo teſtimonio contenti animum tranquillemus, antequam ullum ſanctitatis officium tantæ rei evidentiam conciliare queat. At poſtquam teſtimonium Divini Spiritus fide receptum ſecuritatem animo ingeneravit, tunc dona Divini Spiritus una cum Spiritu Domini & corde hominis credentis teſtimonium perhibent. *cium ſtatus gratiæ.*

VIII. v. Quando Paulus Phil. III: 8. omnia ſe pro damno & ſtercoribus ducere teſtatur, propter eminentiam cognitionis Chriſti Jeſu, & ut Chriſtum lucrifaceret, iis verbis, quod ad juſtificationem coram Deo attinet, omnia opera excludit, tum præcedentia, tum conſequentia fidem, uti præclare a *Beza* obſervatum eſt. Ad cujus rei elucidationem conducit animadvertere hæc ſequentia. I. Gratiæ Spiritus ſanctificantis limpidæ mundæque e ſcaturigne ſua profluunt. II. Quando autem cordium noſtrorum vitio infectorum canales permeant, ex illorum ſordibus immunditiem contrahunt. III. Atque hinc eſt quod optima quæque officia atque exercitia noſtra polluta ſint. IV. Et conſequenter pro juſtitia noſtra coram tribunali Dei cenſeri nequeant. V. Idcirco non eſt cur de officiis recte præſtitis gloriemur, aut eorum cauſſa nos commendemus Deo; ſed potius pudore ſuffuſi humiliter precemur veniam. VI. Quidquid a nobis proficiſcitur, comparatum cum puriſſima Dei ſanctitate, reſpectu adhærentis imperfectionis, quæ ex mixtura inhabitantis in nobis peccati eſt, efficit ut officia a nobis præſtita, ſi in ſe conſiderentur, nil niſi ſtercus ſint. VII. Attamen per fidem in Chriſtum omnis illa peccatorum noſtrorum ſpurcities abluitur per Chriſtum, qui ea, ſuo ſolius ſanguine mundata, Deo repræſentat, efficitque ut ei grata atque accepta ſint: quod non facit, niſi nobis ipſis noſtræque juſtitiæ prorſus renunciaverimus, eamque omnem pro damno & ſtercore reputaverimus. VIII. Denique quum nos ipſi, & ſpirituales hoſtiæ quas Deo offerimus, acceptæ Deo non ſint niſi per Jeſum Chriſtum, I. Petr. II: 5. nefas eſt tantum de ſanctimonia noſtra quantacunque præſumere, ut propter eam, in ſe conſideratam, & ſejunctim a Chriſto, Deo nos placere poſtulemus. *VIII. Optima fidelium opera non niſi ſordes & ſtercus eſſe.*

CAP.

CAP. XIV.

De utilitate sanctitatis doctrina Scripturæ.

I. Horridis ejusmodi dictis male consulitur religioni. II. In re ipsa aliquid probandum, alia improbanda videntur. III. Scriptura docet, agendum esse aliquid ut servemur. IV. Sanctitatem esse viam vitæ. V. Non repugnare ut & Christo vivamus, & nostris consulamus commodis. VI. Bene agendum esse quia vivimus, & ut vivamus. VII. Bonum sanctumque esse ut nostræ quoque salutis rationem in studio bonorum operum habeamus: VIII. modo amor ille nostri rite subordinetur amori Dei. IX. Pietatem ad omnia esse utilem. X. Per eam impendentes calamitates evitari, & pacem conscientiæ, ac lætitiam promoveri. XI. Perperam nonnulli videntur negare, quod sanctificatio sit argumentum justificationis. XII. Spiritus quidem Dei testatur nos esse Dei filios. XIII. Sed una cum spiritu nostro; quem excitat ad cernenda quæ in nobis sunt gratiæ charismata. XIV. Ex conscientia virtutum Christianarum est certitudo electionis. XV. Ex iis demonstratur an quis in fide & Christo sit. XVI. XVII. Ipsæ secus sentientium hypotheses eodem ducunt. XVIII. Collatio certitudinis quæ ex testimonio Divini Spiritus est, cum illa quæ ex intuitu gnorismatum gratiæ oritur. XIX. Sanctitas fidelium, quamvis imperfecta, Deo placet propter Christum. XX. Imo etiam, quatenus vera sanctitas est, propter se. XXI. Unde quo quis sanctior eo & acceptior Deo est. Charnocus laudatus.

I. Horridis ejusmodi dictis male consulitur religioni.

I. HOc fere modo Viri Docti mentem suam exponunt, quæ, remota Gorgonea ista durissimarum locutionum larva, longe alia facie se repræsentat. Enimvero nequeo satis mirari, quam ob rem placuerit Viris eruditis ita orationem suam comparare, ut non nisi lapides loqui viderentur; quorum in unum congesta durities audientibus propemodum omnibus cerebrum comminuit. Pessime isthac ratione non suæ solum existimationi, sed & universæ religioni Reformatæ consuluerunt; quæ imprudenter admodum & sine ulla probabili caussa, exposita est cavillis & calumniis adversariorum. Non ita pridem invidiam doctrinæ Ecclesiarum Reformatarum, quasi inimica foret pietatis & bonorum operum, conciliare conatus est *Arnaldus*, celebris Jansenistarum Patriarcha, ne scilicet ullo pacto cum Calvino facere crederetur. Hinc obtentui sumsit innocentissimas quasdam nostrorum hominum ῥήσεις, quas inquissima interpretatione alio quam par est torsit. Quid non fecisset, si insolentissima hæc dicta, & quæ his sunt similia, fuissent

fuissent ei cognita; sique eorum auctores pro Reformatæ Ecclesiæ Doctoribus agnovisset? Et vereor sane ne id fecerit: saltem ex parte. Vide *Jurieu justificat. de la morale lib.* III. *cap.* II. Quid hoc malæ rei est, ita ex destinato consilio loqui, ut mox prolixa explicatione indigeas apud auditores simplices & candidos, & apologia apud minus faventes ac suspicaces? Quum perspicuitas princeps virtus orationis sit, quid obstitit quo minus, prætermissis omnibus illis ænigmatum mæandris, jam inde ab initio illustrate dixeritis, quod sperare poteratis mox se approbaturum esse piorum hominum conscientiæ? At hæc de locutionum rigore satis nunc dicta sunto.

II. In re ipsa est quod probem, est quod improbem. Probo equidem totius hujus doctrinæ scopum; quæ eo collimat ut homines ab omni propriæ justitiæ præsumtione avocentur, atque ad generosæ pietatis, quæ ex puro fonte Divini amoris scaturiat, exercitium instituantur. At non æque probo quod fructum omnem atque utilitatem, toties in Scriptura bonis operibus assertam, magna saltem ex parte iisdem demere videatur. Ita consulendum gratuitæ justificationi est, ut nihil derogetur beneficio sanctificationis. Et quemadmodum ea Divini Spiritus oracula, quæ de illa loquuntur, secundum omnem verborum valentiam interpretanda sunt, ne quid unius Christi meritis delibetur; ita quæ de hac agunt, non sunt quæsitis interpretationibus extenuanda. Accurate distingui oportuit, inter jus ad vitam, & vitæ possessionem. Illud ita Christi obedientiæ vindicandum est, ut omnis nostræ sanctimoniæ valor prorsus excludatur. Ad hanc vero nostra certe opera, vel ea potius quæ Spiritus Christi in nobis & per nos efficit, aliquid conferunt. Et hic rursus nimius ille disputandi rigor τῇ ἐπιεικείᾳ & benignitati Scripturarum dissonus est. Quod partitim atque ordine ostendam.

II. In re ipsa aliquid probandum, alia improbanda videntur.

III. 1. Scriptura docet, agendum aliquid homini esse, ut ad salutis, per Christum partæ, possessionem perveniat. Christus dixit: *operemini cibo qui permanet ad vitam æternam*, quod de fide quidem postea interpretatur, sed sic ut aperte ibi fidem in operum censum redigat: non enim de justificatione agitur. Joh. VI: 27, 29. Et Paulus diserte: *cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem conficite*. Phil. II: 12. Ac rursus: *Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, immoti, eminentes in opere Domini semper, quum sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino*. 1. Cor. XV: 58.

III. Scriptura docet, agendum esse aliquid ut servemur.

IV. Neque quia Christus via vitæ est, idcirco praxis sanctimoniæ Christianæ non est via vitæ. Christus est via vitæ, quia jus nobis ad vitam peperit. Praxis sanctimoniæ Christianæ est via vitæ, quia ea

IV. Sanctitatem esse viam vitæ.

ad possessionem quæsiti per Christum juris contenditur. Hæc enim plus centies viæ nomine designatur: nunc *via Domini*, nunc *via justitiæ*, *via bona*, *via pacis*, imo, nequid desit, *via vitæ & salutis* dicitur. Prov. VI: 23. *Lucerna præceptum est, & doctrina lux, viaque vitæ correctiones erudientes.* Et X: 17. *Iter ad vitam est servantis eruditionem.* XV: 24. *Iter vitæ sursum est intelligenti.* Ps. L: 23. *Qui componit viam suam, faciam ut is fruatur salute Dei.* Et quid Christus ipse intelligit per strictam illam *viam quæ ad vitam ducit* Mat. VII: 14. nisi accuratam religionis Christianæ praxin? quæ *via salutis* vocatur Act. XVI:17.

V. Non repugnare ut & Christo vivamus, & nostris consulamus commodis.

V. Certum equidem est, hominem vere Christianum Christo vivere, id est ad Christi gloriam: at non exinde consequitur nihil ipsum in sua agere commoda. Non est alienum a sancti hominis officio, ut *delectetur vita, amet dies & frui bono.* Ps. XXXIV: 13. Nec male consulit Eliphazus Themanites Job. XXII: 21. *Assuesce, quæso, cum illo & pacem habe: in his obveniet tibi bonum.* Neque nefas est cogitando præcipere, quam bene mihi futurum sit si vivam Christo. *De me itaque propinquum esse Deo mihi bonum est.* Ps. LXXIII: 28.

VI. Bene agendum esse quia vivimus, & ut vivamus.

VI. Denique nihil repugnat aliquid ex eo agere quia vivimus, & ad id ut vivamus. Nemo sane edit quin vivat, sed idem edit ut vivat. Sancte agere & possumus & debemus; quia vivificati sumus Spiritu Dei: sed & sancte agendum est, ut vita ista in nobis conservetur, augeatur, desinatque tandem in vitam non desituram atque æternam. Optime olim Moses Deut. XXX: 19, 20. *Contestor hodie contra vos cœlum & terram, me vitam ac mortem proposuisse tibi: quam vitam eligito* UT VIVAS, *diligendo Jehovam Deum tuum, auscultando voci ejus & adhærendo ei: nam ipse est vita tua.* Deut. VIII: 1. *Observantes facitote*, UT VIVATIS. Et XXX: 6. *Circumcidet Jehova Deus tuus animum tuum ad diligendum Jehovam Deum tuum* UT VIVAS. Quæ sane non legales, sed Evangelicæ conciones sunt.

VII. Bonum sanctumque esse ut nostra quoque salutis rationem in studio bonorum operum habeamus:

VII. II. Indigna profecto generosis Dei filiis mercenaria vilitas est: sed nec interdicit ipsis Pater cœlestis, ne ullam commodi sui rationem in sanctitatis exercitio habeant. Non permittit solum, sed & vult, *ut per tolerantiam* QUÆRAMUS OPERIS GLORIAM *& honorem & incorruptibilitatem;* iisque qui ita faciunt RETRIBUET *vitam æternam.* Rom. II: 6, 7. Et quamvis sui amorem præ omnibus postulet, non tamen omnem nostri amorem prorsus exulare jubet. Neque enim ad amorem proximi tenemur, si non ad amorem nostri. Hoc quoque nostri amore sanctitatis studium accendi in nobis par est. Nam quo quæso spectant omnes illæ promissiones, quibus sua nobis mandata commendavit Deus, nisi ut eorum stimulati desiderio alacrius ipsi obedire-

[redacted]

diremus? Bona promissa non amare, est bonitatem promittentis Dei contemnere. Eorum desiderio non animari ad pietatem, est iis alio abuti quam quo a Deo proposita sunt. David ipse fatebatur præcepta Dei eo quoque nomine desideratissima esse præ auro, & quidem auro purgatissimo quam plurimo, & dulciora melle, ac quidem acœto melle, quia *in observatione eorum est emolumentum magnum.* Ps. XIX: 11, 12. Et Mosis fides propterea laudatur, quod *intueretur in præmii retributionem.* Heb. XI: 26. Imo ab omnibus qui ad Deum accessuri sunt ea fides exigitur, qua *credant præmia largiri iis qui ipsum requirunt.* ibid. com. 6.

VIII. modo amor ille nostri rite subordinetur amori Dei.

VIII. Verum hic quoque amor nostri ex amore Dei scaturire, ei subordinari, & ad eum referri debet. Non licet Deum amare nostri caussa, sic ut nos ipsos veluti finem consideremus, Deum veluti medium, cujus fruitione reddamur beati. Sed quoniam nos res Dei sumus, quem ante omnia amare oportet, ideo etiam nos ipsos diligere tenemur cum illo ad Deum respectu. Bonum nostrum ideo quærendum est, ut in eo suavitatem Domini gustemus, & peculium Dei tanto reddatur auctius. Ita in Oceano isto Divini amoris nostri amor tandem absorbetur. Quæ alibi a me observata, heic repetere res ipsa coëgit.

IX. Pietatem ad omnia esse utilem.

IX. III. Neque id perpetuo Scripturarum tenori consonum est, nullam nos ex officiis recte præstitis veram utilitatem percipere, nihil mali precibus, jejuniis, pœnitentia averruncari; nec conscientiæ pacem animique lætitiam virtutis exercitio promoveri. Certe contrarium hoc Mosaicæ doctrinæ est Deut. VI: 18. *Facias quod rectum est, ut bene sit tibi.* Adde V: 39. VI: 3. *Qui sectatur justitiam & benignitatem, consequetur vitam, justitiam & honorem*, ait Parœmiastes. cap. XXI: 21. Pietatem *magnum quæstum*, eandemque *ad omnia utilem esse, ut quæ habeat promissionem vitæ præsentis & futuræ:* & ea quæ *honesta* sunt, pariter *bona & hominibus utilia esse*, Paulus auctor est. 1. Tim. VI: 6. IV: 8. Tit. III: 9.

X. Per eam impendentes calamitates evitari, & pacem conscientiæ, ac lætitiam promoveri.

X. Pœnitentia impendentes calamitates evitari docet Deus Jer. XVIII: 7, 8. Et insignis est Zephaniæ concio cap. III: 3. *Quærite Jehovam omnes mansueti terræ, qui ejus jus operantur: quærite justitiam, quærite mansuetudinem, fortassis abscondemini die iræ Jehovæ.* Porro *opus justitiæ pacem fore, & effectum justitiæ fore tranquillitatem & securitatem usque in seculum*, apud Jesaiam exstat. cap. XXXII: 17. Idem docet, *si qui desinant male facere, discant bene facere, futurum esse ut eorum peccata, quamvis velut dibapha fuerint, tanquam nix exalbescant; quamvis rubra fuerint veluti coccineum, similia lanæ evadant.* cap. I: 16, 17, 18.

Itemque, si quis *Sabbata Jehovæ* rite *observaverit*, eum *sese in Jehova oblectaturum esse*. cap. LVIII: 13, 14. Quæ dum Scripturæ omnia illi asseveranti credimus, non credimus virtutis aut religionis exercitii tale quippiam mereri, aut tantam esse officiorum illorum efficaciam, ut per se, seposita Dei benedictione, bona producere, aut mala avertere queant: sed credimus tantam esse Patris nostri cœlestis bonitatem, ut sinceros filiorum suorum, placere ipsi gestientium, conatus, propter Christum, liberaliter remuneretur. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & laboriosæ charitatis, quam ostendistis erga nomen ipsius.* Heb. VI: 10.

XI. *Perperam nonnulli videntur negare, quod sanctificatio sit argumentum justificationis.*

XI. IV. De gnorismatis gratiæ multo difficilius dixero quid controvertatur, quam quid secundum sacras literas statui debeat. Aliquando enim negari videtur, ullas inhærentes qualitates esse idonea argumenta justificationis. *Ne tua consolatio*, inquit aliquis, *dependeat ex tua personali sanctificatione, quia hinc nulla certa & constans consolatio fluere potest.* Rursus: *ex sanctificationis effectis est quod homo qui animum suum de justificatione disceptet: quare nullum sanctificationis effectum potest anima monstrare suam justificationem. Anima quæ suam justificationem apprehendit in Christo, non solum novit eam, sed & vivit per eam, suavibusque ejus fruitur fructibus, pace, gaudio, corroboratione, absque ulla in se sanctificatione.* Nequis tamen hinc inferat, sanctificationem a justificatione prorsus sejungi posse, mox additur: *Quemadmodum non debemus inferre justificationem nostram ex aliquo effecto sanctificationis; ita nec illa apprehensio justificationis est a Deo, quæ hominem abstrahit a mediis & regulis sanctificationis: namque indecorum est non ambulare sancte secundum verbum Dei.* Aliquando autem agnosci videtur, *sanctificationem illiusque effecta esse indicia justificationis in suo genere insignia; at non satis convincentia absque testimonio Divini Spiritus.* Quis tam intricata extricet?

XII. *Spiritus quidem Dei testatur nos esse Dei filios.*

XII. Quanto clarior hic rursus est Scripturarum simplicitas? Ea geminam viam docet qua quis ad certam status sui cognitionem deveniat: harum altera ex sola Divinæ gratiæ illuminatione, & liberrimo Sacrosancti Spiritus ad nostrum spiritum testimonio, dependet; altera vero nostræ commissa est diligentiæ. Testimonium Spiritus quale concipiant, & quale in animis suis experiantur, Deus novit, & ipsi. Ego haud negaverim esse internum quendam, nulloque humano sermone explicandum instinctum, qui dilectos Dei arcana conscientiæ convictione justificationis & adoptionis suæ certiores reddat.

XIII. *Sed una cum spiritu no-*

XIII. Attamen quum ordinaria gratiosæ providentiæ Divinæ dispensatio, quæ electis omnibus communis est, distinqui debeat ab extraordi-

traordinariis illis Spiritus revelationibus, quæ propriæ fuerunt Prophetis; quumque hoc de quo nunc agimus Spiritus testimonium non tam in verbis quam factis consistat; credibile est ita plerumque Spiritum Sanctum in animis fidelium operari, ut spiritum eorum, cæteroquin languentem, ad diligentem earum qualitatum quæ animæ insunt, & eorum quæ in atque ab ea aguntur, observationem excitet, oculos mentis supercœlesti luce irradiet, ne per speciosa magis quam solida fallantur, neve ea prætervideant, quæ Deus gratiæ suæ argumenta esse in Scriptura docuit. Ita enim testatur Spiritus Dei, ut una testetur cum spiritu nostro, eum ad verum testimonium perhibendum excitans, illiusque testimonium confirmans, & conscientiam de illius veritate convincens. *Attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum Sanctum.* Rom. IX: 1. Atque ita ne ipsum quidem Divini Spiritus testimonium prorsus sejunctum est ab animadversione gnorismatum gratiæ. Accedit autem non raro, quod Dei Spiritus iis beneficentissimi amoris blanditiis electos suos complectatur, ut, dum spiritualibus illis & ineffabilibus deliciis fruuntur, quas terrestres animæ nec capiunt nec gustant, non minus de electione & justificatione sua persuasi sint, quam si in ipsis Dei manibus nomina sua cœlata cernerent.

stro; quem excitat ad cernenda quæ in nobis sunt gratiæ charismata.

XIV. At præterea officii nostri pars est ut *studeamus vocationem & electionem nostram firmam facere:* 1. Pet. 1:10. id est, operam demus, ut evidentibus indiciis de illo Dei erga nos amore persuasi simus. Qua vero id ratione assequemur? *Si omni collato studio adjiciamus fidei virtutem, virtuti notitiam, &c. Hæc enim si nobis adsint & abundent, non inertes nec infructuosos efficient in Domini nostri Jesu Christi agnitione. Nam cui hæc non adsunt, is cæcus est, nihil procul cernens, oblitus sese a veteribus peccatis suis fuisse purificatum.* com. 5--9. Itaque ex conscientia virtutum Christianarum oritur in hominibus piis certioratio suæ electionis & vocationis: suntque virtutes istæ, uti eleganter *Bernardus* loquitur in *lib. de grat. & lib. arbit. Spei quædam seminaria, charitatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia.*

XIV. *Ex conscientia virtutum Christianarum est certitudo electionis.*

XV. Paulus quoque jubet, ut quisque semetipsum *tentet atque exploret an in fide sit, & an Jesus Christus sit in ipso.* 2. Cor. XIII: 5. Ad quam explorationem rite peragendam necesse est ut primum ex verbo Dei solide erudiamur, quænam sint signa diagnostica status gratiæ; deinde instituamus diligens conscientiæ nostræ scrutinium, an ea in nobis inveniantur. Si verbum Dei consulamus, ubivis fere deprehendemus heredes præsentis gratiæ & futuræ gloriæ describi a qualitatibus ac virtutibus suis, earumque exercitio. Vide sis Ps. XV. & XXIV. & Mat. V. Imo est ubi expressim docemur hinc statum nostrum esse

XV. *Ex iis demonstratur an quis in fide & Christo sit.*

 digno-

dignoscendum. 1. Joh. III: 14. *Nos scimus nos esse translatos ex morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Rursus com. 19. *Et per hoc cognoscimus nos ex veritate esse, & coram ipso secura reddemus corda nostra.* Hæc certe longe diversum sonant, & quod e diametro contrarium est iis quas nuper audivimus assertionibus.

XVI. *Ipsæ secus sentientium hypotheses eodem ducunt.*

XVI. Mirum quoque est, quum fateantur viri eruditi sanctificationem esse sequelam & effectum justificationis, & quidem tale effectum quod saltem a conscientia justificationis sit inseparabile, cur negent eam esse certum justificationis indicium. An ergo ex effectis propriis non potest cognosci caussa? ex duorum beneficiorum inseparabilium uno non potest inferri alterum?

XVII.

XVII. Haud inficiantur Fratres non posse quemquam conscientiam suæ justificationis habere, nisi ex fide & per fidem. At quomodo quisque novit se fidem habere? Ex rei, inquiunt, evidentia. Quum enim anima suarum sibi actionum immediate conscia sit, novit an audiat testimonium Spiritus Dei, an illud recipiat, & credendo respondeat: fides enim est echo & quædam quasi Divinæ vocis animum alloquentis repercussio. Non lubet refragari. At caussam eandem dicant, cur minus animus sui affectus quam sui assensus conscientiam habeat. Qui fit, ut non æque agnoscam me frequenter de Deo cum jucunditate quadam cogitare, illius familiarem communicationem impense desiderare, & cupere, atque in eo esse ut quæ grata ei sunt faciam, dolere denique ubi ab officii norma aberravero: quam ut agnoscam arcanum Dei ad animum meum alloquium vere alloquium Dei esse, eique animum meum fidei assensu respondere. Unde concludo, sanctificationem illiusque effecta nequaquam insuper habenda esse, ubi de animo justificationis suæ certiorando agitur.

XVIII. *Collatio certitudinis quæ ex testimonio Divini Spiritus est, cum illa quæ ex intuitu gnorismatum gratiæ oritur.*

XVIII. Neque inconsultum erit certiorationem eam quæ ex testimonio Divini Spiritus est conferre cum illa quæ ex intuitu gnorismatum gratiæ oritur. Si testimonium Spiritus Sancti in se spectetur, & agnoscatur esse ipsius Spiritus testimonium, profecto nihil eo certius, nihil fide dignius excogitari potest. Quod eximie amplificavit Chrysostomus *Homil.* XIV. *in Epist. ad Rom.* Οὐ τοῦ χαρίσματός ἐστιν ἡ φωνὴ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ δόντος τὴν δωρεὰν παρακλήτου. ὅταν δὲ τὸ Πνεῦμα μαρτυρῇ, ποία λοιπὸν ἀμφιβολία; εἰ μὲν γὰρ ἄνθρωπος, ἢ ἄγγελος, ἢ ἀρχάγγελος, ἢ ἄλλη τις τοιαύτη δύναμις τοῦτο ὑπισχνεῖτο, κἂν ἀμφιβάλλειν ἦν εἰκὸς τινάς, τῆς δὲ ἀνωτάτω οὐσίας, τῆς καὶ δωρησαμένης τοῦτο, καὶ δι' ὧν [illegible] εὔχεσθαι, μαρτυρούσης ἡμῖν, τίς ἀμφισβητήσει λοιπὸν περὶ τῆς ἀξίας; *Non doni solum hæc vox est, sed & Paracleti, qui donum largitus est. Quum autem Spiritus testatur; quæ tandem restat ambiguitas? Nam si vel homo*

[redacted]

vel Angelus, vel Archangelus, vel alia hujusmodi potestas hoc polliceretur, conveniens esset nonnullos hæsitare. Quum autem summa essentia, & ea quidem quæ donum hoc largita est, etiam per ea quæ nos orare jussit, nobis testetur, quis tandem de dignitate ambiget? Non dubito etiam quin testimonium Spiritus, ubi præsens est, tam illustri cœlestis lucis coruscatione in animis fidelium splendeat ut Deum esse qui loquitur planissime persuadeantur. At cupio audire ex hominibus piis, quo modo in se testimonium illud experiantur, an per modum actus alicujus continui; an intermittentis quidem, sed oppido frequenter repetiti; an rarius, & per longa intervalla ac spiramenta temporum dulcissimo isthoc alloquio frui ipsis contingat. Si perpetuo, aut frequentissime tam jucundæ familiaritatis commercio mactentur; est quod ipsi insignes Deo gratias agant. Neque caussa dici potest cur alii tam inusitatam iis felicitatem invideant. At neque ipsi temerario judicio injuriosi sint in progeniem filiorum Dei, quibus non licet esse tam beatis; ut de tam frequenti, nedum perpetuo Spiritus testimonio glorientur: & quorum fides plerumque non est echo, aut repercussio interni istius de peccatorum suorum remissione alloquii, sed assensus Evangelio, uti a Christo & Apostolis prædicatum, & instinctu Spiritus Sancti scripto consignatum est. Ponamus vero, dudum esse quod fidelis aliquis tam dulci Spiritus alloquio gavisus sit; an illius memoria tam alte menti impressa manet, ut post prolixiores moras eadem lucis suæ claritate semper animo obversetur, neque subinde dubitandi rationes oboriantur, ecquid fortasse sua se imaginatione fefellerit, & pro dictato Spiritus arripuerit, quod non nisi deceptæ mentis suaviludium erat? Mihi sane in cura animarum, quam nunc ultra quadraginta annos sustineo, non raro id genus hæsitationes ex iis audire contigit, de quibus sequius suspicandi rationes nullas habebam. Cæterum quum habitus virtutum Christianarum permanentes sint; quamvis non eodem semper gradu actuosi; quumque non eorum æqualis continuo vividitas, sed sinceritas, indicium gratiæ sit; quum denique non admodum difficile sit homini dignoscere, quo modo erga Deum affectus sit; & ex quo principio, quo proposito, in Dei cultu & virtutis exercitio versetur: plerumque comperi plus solidæ & permanentis tranquillitatis gigni ex perpetuo studio bonæ conscientiæ conservandæ, quam ex memoria nubila Divini ad animam alloquii, quod in nostri ævi hominibus Christianis non solet esse creberrimum. Beati illi quibus cum Paulo licet dicere: *Gloriatio nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod cum simplicitate & sinceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed cum gratia Dei versati sumus in mundo. 2. Cor. 1: 12.*

XIX.

XIX. Sanctitas fidelium quamvis imperfecta, Deo placet propter Christum.

XIX. v. De pulcritudine virtutum Christianarum, & de earum εὐαρεστίᾳ in conspectu Domini, sic arbitror. Nullam cuiquam in hac vita contingere tam examussitatam sanctitatem quæ non suis laboret imperfectionibus: ob quas, si ex legis rigore agere, summoque nobiscum jure experiri vellet Deus, pro rejectanea censeri posset. Unde fit, ut justitia nostra apud Deum, in ordine ad justificationem, nullo pacto esse queat. Et si quis ad istum eam finem Deo obtrudere præsumeret, revera ipsi stercus fieret & damnum. Neque in re ipsa hic dissentiunt Fratres. Utrimque enim doceri video, *etiam optimi Christianorum id incumbere officii, ut renuncient omni gratiæ quam possident, omni bono quod faciunt, quasi vel minimum conferat ad expiationem criminum, vel consecutionem juris ad vitam: imo condemnari eos qui negant, præstantissimam quamque obedientiam nostram mereri ex legis rigore maledictionem, & indigere venia: aut qui negligunt auditoribus suis inculcare, omnibus iis rebus renunciandum esse quæ in nobis ipsis inveniantur, ne ullo modo pro caussa expiationis aut condonationis peccatorum habeantur.* At ubi per justitiam Christi fide apprehensam persona hominis credentis grata facta est Deo, tunc virtutes ipsius, quas ex gratia sanctificante nactus est, & exercitium virtutum ex eadem gratia promanans, Deo quoque grata sunt: & quod iis de nostro adhæret nævi, id perfectissima Christi justitia & sanctitate obtegitur.

XX. Imo etiam, quatenus vera sanctitas est, propter se.

XX. Interim quum ea sanctitas ad quam a Patre prædestinati sumus, quam suo nobis sanguine meruit Christus, quæque nobis infunditur efficacitate Sancti Spiritus, revera sanctitas sit, ipsaque Dei ad quam reformamur imago; non potest ea, etiam sui ipsius intuitu, quia est sanctitas, & quatenus est sanctitas, Deo non placere. Atque hac ratione virtutes Christianæ, non sunt sordes & stercora; sed *pulcritudo Regiæ sponsæ, & decus quo tota honorata est intro.* Ps. XLV: 12, 14. *Domui Jehovæ decora est sanctitas in longitudinem dierum.* Ps. XCIII: 5.

XXI. Unde quo quis sanctior eo & accepior Deo est. Charnocus laudatus.

XXI. Porro quum Deus non possit semetipsum non amare, delectatur etiam eo quod sibi simile est; & quo plus suæ imaginis in quaque re animadvertit, eo etiam magis in illa εὐδοκεῖ. Eleganter *Charnocus de Sanctitate Dei p.* 509. *Ita sanctus est Deus, ut non possit non amare sanctitatem in aliis. Per naturam suam non potest quin diligat id quod naturæ suæ consentaneum est, & in quo sapientiæ ac puritatis suæ pulchram deprehendit effigiem. Fieri nequit ut non delectetur sui ipsius imagine. Non esset natura sanctus, nisi sanctitate delectaretur in omni natura. Suam ipse naturam abnegaret, si amore non prosequeretur omne illud in quo expressa quædam naturæ suæ effigies est.* ADEO QUIDEM UT SI IN IPSOS CACODÆMONAS CADERE POSSET ACTUS ALIQUIS JUSTI-

TIÆ, DEUS SANCTITATE SUA INCLINARETUR AD EUM DILIGENDUM IN SPIRITIBUS ISTIS NEQUAM AC REBELLIBUS. Unde consequitur, tam acceptos ipsi esse qui gnaviter sanctitatis Christianæ exercitio incumbunt, quam odiosi sunt qui suis obsequuntur cupiditatibus. Quidquid aliis videatur, ego non dubito, quin generosa sit & laudabilis ea Christianorum φιλοτιμία qua alter alterum in studio pietatis antevertere nituntur, ut, *quemadmodum Evangelio edocti sunt, quemadmodum oportet ambulare & placere Deo, in eo magis excellant.* 1. Thess. IV: 1. Διὸ καὶ φιλοτιμούμεθα, εἴτε ἐνδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες, εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι. 2. Cor. V: 9.

CAP. XV.

Quo modo, atque ordine prædicatio Legis jungenda sit cum prædicatione Evangelii.

I. II. Lex & Evangelium vel arctiore, vel latiore significatione veniunt. III. Lex considerari potest, vel ut norma officii, IV. vel ut conditio fœderis; tam operum, V. quam illius quod est inter Patrem & Filium. VI. Non ita illius quod est inter Deum & electos. VII. Variis tamen respectibus ad fœdus gratiæ refertur. VIII. Evangelium in latiore significatione suam quoque legem habet. IX. At strictissime sumtum meris constat promissis. X. Sub Oeconomia Evangelica legem quoque cum suis usibus prædicari oportet. XI. Sed & Evangelium cum omni gratiæ sua opulentia. XII. Utrumque in summo perfectionis apice. XIII. De ordine non est valde laborandum, quum utrumque simul prædicari oporteat. XIV. Initium novæ vitæ ex prædicatione Evangelii est. XV. At in progressu nunc Lex nunc Evangelium primas secundasve tenent.

I. DEnique quæritur, quo modo, atque ordine, prædicatio Legis jungenda sit cum prædicatione Evangelii. Ad cujus quæsiti determinationem præcognoscendum est, quid per LEGEM, quid per EVANGELIUM intelligatur. *Lex* hic notat eam verbi Divini partem quæ præceptis & interdictis constat, cum pollicitatione præmii conferendi in eos qui dicto audientes sunt, & comminatione pœnæ in immorigeros. *Evangelium* significat doctrinam gratiæ plenissimæque salutis in Christo Jesu, ab electis peccatoribus recipiendæ per fidem. Itaque omnis præscriptio quarumcunque virtutum & officiorum, omnes exhortationes, & dehortationes, omnes increpationes &

I. Lex & Evangelium vel arctiore, vel latiore significatione veniunt.

& comminationes, omnes etiam promissiones præmii ad perfectæ obedientiæ remunerationem, pertinent ad Legem. Ad Evangelium autem pertinet quidquid homini peccatori spem salutis conciliare potest, nimirum doctrina de persona, officiis, statibus, beneficiis Jesu Christi, omnesque promissiones quibus innexa est peccatorum venia, & annexa possessio gratiæ per fidem in Christum obtinendæ. Hæc est arctissima utriusque vocis notio: ad quam in tota hac disputatione est attendendum.

II. II. Notum cæteroquin omnibus sapientiæ nostræ consultis est, Legem aliquando tam lata significatione usurpari, ut totum salutaris doctrinæ systema, cujus potior pars Evangelium est, complectatur. Jes. 11:3. XLII:4. Evangelium etiam quandoque notare omnem illam doctrinam quam Christus & Apostoli tradidere, qua & mandata, & interdicta, & exprobrationes, & comminationes comprehenduntur. Marc. XVI:15. col. cum Mat. XXVIII:20. Rom. II:16.

III. Lex considerari potest, vel ut norma officii,

III. Lex autem in strictiori ista significatione considerari potest bifariam; sive uti est *in se*, sive quatenus inservit alicui *fœderi*. *In se* Lex est absolutissima norma omnis officii, in quocunque statu, ab homine præstandi, sic ut omnium, sine exceptione, actionum rationalium bonitas vel malitia ad eam exigenda sit.

IV. vel ut conditio fœderis; tam operum,

IV. Sed aliam præterea σχέσιν nanciscitur, quando *fœderi* alicui Divino *inservit*. Inserviit autem olim *fœderi Operum*: & inservit etiamnum *fœderi Gratiæ*. In fœdere *operum* præscripta fuit, ut *conditio*, quæ perfecte præstita jus dedisset ad præmium.

V. quam illius quod est inter Patrem & Filium.

V. Fœdus gratiæ vel ea parte spectari potest, quatenus pactum est inter *Jehovam* & *Virum* cujus nomen est *Germen*; vel quatenus intercedit *Deo* cum peccatoribus *electis* & fidelibus. Illo intuitu, certe incredibilis propemodum gratiæ est, quod Sponsorem non admiserit solum, sed & ipse dederit nobis Deus; at Sponsori tamen satisfaciendum fuit secundum rigorem Legis; qui respectu Sponsoris major fuit, quam in prima conventione fœderis inter Deum & Adamum. Ea enim Adamus obligabatur, vel ad obedientiam omnibus numeris absolutam, vel ad pœnam: Sponsor vero noster obligatur ad utrumque simul. Sponsori autem nostro non promittitur operæ suæ pretium, nisi simul & consummatissimam legi præstet obedientiam & pœnam peccatis debitam sustineat. Ideoque *Lex* in omni suo rigore, tam quoad partem sui præcipientem, quam quoad sanctionem pœnalem simul, est *conditio* illius *Fœderis* quod intercedit inter *Deum* & *Sponsorem*.

VI. At

VI. At si fœdus gratiæ attendatur uti conventum est inter *Deum* & *electos*; non puto dicendum esse, quod *Lex*, uti a nobis sincere præstanda, hujus quoque fœderis *conditio* sit. Plurimum enim eos falli, qui contendunt loco perfectæ obedientiæ quæ primo fœdere exigebatur successisse sinceram obedientiam mandatis Christi præstandam, quæ fidei nomine veniat, supra abunde demonstratum est. *VI. Non ita illius quod est inter Deum & electos.*

VII. Variis tamen respectibus Lex ad fœdus gratiæ refertur. I. Quatenus cooperante Spiritu gratiæ, hominem omni propriæ virtutis & justitiæ fiducia exuit, & miseriæ suæ agnitione ad humilitatem subigit, atque ita ducit ad Christum monstratum Evangelio. Rom. X: 5. Gal. III: 24. II. Quatenus ingreditur promissa fœderis, in quibus non est minimum quod de inscriptione Legis in cordibus electorum suorum pollicitus est Deus. Jerem. XXXI: 33. III. Quatenus est icon veræ virtutis, delineatio internæ & externæ probitatis, & exemplar sanctitatis quam Deus approbat, & quàm nos oportet sectari. IV. Quatenus est norma nostræ gratitudinis quam debemus immeritæ Dei gratiæ. V. Quatenus sincera illius obedientia plurimum conducit ad Dei gloriam, ad proximi ædificationem, & ad nobis ipsis conciliandum multa commoda. Nam sincera ejusmodi Divinæ Legis obedientia, argumentum atque indicium fidei non fucatæ, & habitantis in nobis per Spiritum suum Christi, & regenerationis ac reformationis ad Dei imaginem, & adoptionis ad gloriosam hereditatem est. Præterea affert nobis serenitatem conscientiæ, consolationem adversus convitia malignantium, pacis ac familiaritatis cum Deo commercium, & παῤῥησίαν fidei ac spei in ipso mortis articulo. Adeo denique ad consequendam salutis possessionem utilis non modo, sed & necessaria est, ut sine ea nemo visurus sit Deum. Quæ modo fusius demonstrata sunt. Hæc vero omnia præstat Lex, non ex auctoritate suæ potestatis, quæ nil nisi quod perfecte sanctum est admittere potest, damnatque omne illud quod vel minima est taminatum labe: sed ex auctoritate gratiæ Christi, cui nunc ancillatur, & cujus jussu opera, ex gratia sanctificantis Spiritus præstita, quamvis imperfecta, sincera esse declarat, & eatenus tanquam sibi conformia approbat. Hæ sunt σχέσεις Legis, quatenus inservit fœderi gratiæ. *VII. Variis tamen respectibus ad fœdus gratiæ refertur.*

VIII. Atque hinc non difficulter terminari mihi posse videtur vexata quæstio: *an fœderi gratiæ, sive Evangelio, sua quoque sit Lex.* Nimirum si per Evangelium intelligamus totum istius doctrinæ syntagma quæ a Christo & Apostolis prædicata est, dubitari nequit quin quidquid ad virtutum omnium officia pertinet non solum repetatur, sed & luculentius in Evangelio tradatur, cum validioribus ad ea exhorta- *VIII. Evangelium in latiore significatione suam quoque legem habet.*

hortationibus, quam unquam a Mose & Prophetis est factum. Atque hactenus ea doctrinæ Evangelicæ pars *mandatum Christi, lex Christi, & perfecta illa lex libertatis dici potest.* Quid ni enim intrepide dicamus, quod præit nobis ipse Dei Spiritus? Certe non caret emphasi quod Paulus de Novo Testamento dixit, ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται, *præstantioribus promissis in legis formulam redactum est.* Heb. VIII: 6. Nam & ipsa fidei doctrina sub formula mandati aliquando inculcatur. Marc. I: 14, 15. Act. XVI: 31.

IX. *At strictissime sumtum meris constat promissis.*

IX. Cæterum si Evangelii vocem stricte sumamus, prout est formula testamenti gratiæ, quod meris constat promissionibus, sive absoluta exhibitione salutis in Christo, tunc nihil proprie præscribit ut officium, nihil exigit, nihil mandat; ne hoc quidem, Crede, Confide, Spera in Dominum, & quæ sunt similia. Sed refert, nuntiat, significat nobis, quid Deus in Christo promittat, quid facere velit, & facturus sit. Omnis præscriptio officii ad Legem pertinet, quemadmodum, post alios, optime inculcavit Venerabilis *Voetius Disput. tom.* 4. *p.* 24 & sequentibus. Et hoc omnino tenendum est, si, cum omnibus Reformatis, perfectionem Legis, omnes virtutes, omnia sanctitatis officia, ambitu suo continentis, constanter tueri velimus. Verum Lex attemperata Fœderi gratiæ, & juxta illud inscripta cordi electorum, jubet ea omnia quæ in Evangelio proponuntur fide non ficta amplecti, & convenienter isti gratiæ ac gloriæ vitam suam instituere. Quando ergo Deus in Fœdere gratiæ promittit peccatori electo fidem, resipiscentiam, & consequenter vitam æternam, tum Lex cujus obligatio nunquam potest solvi, quæque ad omne se officium extendit, obstringit hominem ut illi veritati assentiatur, promissa illa bona magni faciat, impense desideret, quærat, amplectatur. Porro quandoquidem admiranda Dei Providentia eo ordine promissa disposuit, ut præcedat fides & resipiscentia, sequatur salus, homo eadem lege obligatur, ut hanc Dei ordinationem approbet, & amet, neque aliter nisi juxta illam salutem sibi polliceatur. Homo autem promissa fœderis eo quo proponuntur ordine acceptans, ea acceptione se ipsum obstringit, ut prius officiis quæ anterioribus promissis continentur operam det, quam se speret ad fruitionem posteriorum perventurum esse. Et hac ratione fœdus fit mutuum. Deus promissa sua in Evangelio certo ordine proponit. Homo vi Legis, subservientis Fœderi gratiæ, obligatur ut promissa illa eo ordine amplectatur. Dum id facit fidelis, simul se obligat fidelis, ad vitæ novæ studium, antequam de vita beata præsumat. Et hoc modo conventio est δίπλευρος.

X. Quum

X. Quum itaque nunc perspectum habeamus, quomodo lex fœderi gratiæ atque Evangelio subserviat, dubium non est quin veritates istæ sub Oeconomia Evangelica, etiam Testamenti Novi, prædicandæ sint. Nec persunctorie profecto, sed sedulo ac serio: ut animus intimo peccatorum sensu percitus ad Christi gratiam anhelet: ut agnoscat præstantiam perfectissimæ illius obedientiæ quam pro suis consummavit Christus: ut suo pretio æstimet beneficium inscriptæ in mentibus Legis: ut inflammetur amore castissimæ illius sanctitatis quæ lege delineatur: ut exploret debitæ gratitudinis officia: ut Deo ad decus ac laudem, proximo in exemplum sit, suæ denique saluti ea qua par est diligentia operetur. *X. Sub Oeconomia Evangelica legem quoque cum suis usibus prædicari oportet.*

XI. Interim in omni quoque gratiæ suæ opulentia prædicandum est Evangelium. Ut convincatur animus, salutem suam unice in Dei gratia & Christi satisfactione sitam esse, nihil a se aut esse præstitum, aut præstari unquam posse, quo vel minimam particulam juris ad vitam sibi comparet: Christum sua potenti gratia prævenire homines peccatores, & eopse sæpe momento quo in sceleribus suis incredibiliter insaniunt, exserta manu eos apprehendere ut suum peculium, & absque ulla prævia laudabili dispositione prima communicatione sui Spiritus sibi ad novam vitam unire. Vitam, quam in se recipit fovere, excitare, conservare, & ad beatam æternitatem promovere. Et quamvis fieri haud queat, ut qui per Christum vivificatus est non vivat Christo: nihil tamen esse, de quo etiam qui sanctissime vivit glorietur, quod jactet, quod Deo ostentet, cui denique quatenus a se est renunciare non debeat, quatenus autem a Dei Spiritu est in solidum imputare Divinæ gratiæ. Enimvero & hæc tanta sunt, tamque momentosæ veritatis, ut satis inculcari non possint. *XI. Sed & Evangelium cum omni gratiæ suæ opulentia.*

XII. Atque ita tam Lex quam Evangelium in summo perfectionis suæ apice, sub Oeconomia Evangelica, prædicanda sunt, ut neque Legis obligationi quatenus sanctitatem Deo dignam præcipit quidquam deteratur per Evangelium, neque liberalissimæ gratiæ Evangelii vel minimum derogetur per Legem. *XII. Utrumque in summo perfectionis apice.*

XIII. At quo ordine instituenda prædicatio est? Ea mihi quæstio propemodum supervacanea atque inutilis esse videtur; quum utriusque prædicationem jungi semper oporteat. Cui enim probabitur tam imprudens rerum æstimator, qui animum inducat continuato per menses aliquot legis præconio animos scilicet emollire & præparare Christo, nulla interim facta Christi mentione? Aut quis notabili temporis spatio solis Evangelii blanditiis aures demulceat, neque simul inculcet, vivendum esse sicuti dignum est Evangelio? Frustra legis terrore men- *XIII. De ordine non est valde laborandum, quum utrumque simul prædicari oporteat.*

mentes perculeris, imo ne hoc quidem effeceris, nisi & Jesum monstres quò confugiendum sit. Neque illucet unquam salutifera Dei gratia hominibus, quin mox erudiat, ut, abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & juste & pie vivant in præsenti seculo. *Resipiscite & credite Evangelio*, uno halitu proclamabat Christus. Et Petrus: *Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomen Jesu Christi, in remissionem peccatorum*: & prima ista oratione, aliis sermonibus plurimis *obtestabatur & exhortabatur auditores suos, dicens, servamini ex gente ista prava.* Act. II: 38, 40. Apostoli passim quotiescunque concionaturi accederent, & Jesum prædicabant cum resurrectione mortuorum, & mandabant hominibus ut resipiscerent, eo quod Deus diem statuit quo juste judicaturus est orbem terrarum, per eum virum quem constituit. Act. XVII: 18, 30, 31. At nec privatim cum Felice agebat Paulus, quin dissereret de fide in Christum, sed & simul de justitia, & continentia, & judicio futuro. Act. XXIV: 24, 25. Idem quando suum ad Thessalonicenses ingressum memorat, *nostis*, inquit, *quomodo unumquemque vestrum, tanquam pater liberos suos hortabamur & consolabamur, & obtestabamur, ut ambularetis sicut convenit Deo vocante vos ad suum regnum & gloriam.* I. Thes. II: 11, 12. Adeo semper jungi oportet annunciationem fidei & excitationem ad studium sanctitatis, ut neutrum unquam ab altero divellatur. Nec ulla lege obstringimur, ut vel ea quæ ad legem, vel ea quæ ad Evangelium pertinent, alteris semper præmittamus. Arbitrarius iste orationis ordo est, pro rerum personarumque varietate prudenter variandus.

XIV. *Initium novæ vitæ ex prædicatione Evangelii est.*

XIV. Non dissimulo tamen, in ea me esse sententia, initium novæ vitæ non ex prædicatione legis, sed Evangelii esse. *Evangelium* est semen regenerationis nostræ, & lex Spiritus vitæ quæ liberat a lege peccati ac mortis. Nimirum dum Christus annunciatur & vita in Christo, Spiritus Christi illabitur in electorum animas, inditque iis principium spiritualis vitæ. *Is quia voluit progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiæ quædam eorum quæ creavit.* Jac. I: 18. *Hoc solum velim discere ex vobis, ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditione fidei*, Galatas olim rogabat Paulus. cap. III: 2.

XV. *At in progressu nunc Lex nunc Evangelium primas secundasve tenent.*

XV. Ubi vero vita ista, per Spiritum, mediante Evangelio, infusa, actuosa esse incipit, plerumque, nisi fallor, hoc ordine procedit: ut anima, velut ex profundo somno, aut deliquio, vel morte verius, excitata, semetipsam contempletur peccatis fœdatam, criminum multorum ream, Deo abominabilem, omni ratione miserrimam, & ad sui liberationem prorsus invalidam: atque idcirco ingenti dolore percita, ac de se ipsa desperabunda, ad salutem aliunde sibi obventuram anhe-

anhelet; cui rei inservit ministerium legis: mox Christum videat, Evangelio monstratum, deprehensaque in ipso salutis plenitudine, & gratiæ abundantia, continuo se ad eum recipiat, prorsus sui vacua, ut ab ipso impleatur, in se & a se perdita, ut per ipsum servetur. Porro fieri non potest, ut, Christum apprehendens, & ab ipso apprehensa, tam inæstimabili Christi bonitate non accendatur ad illius amorem, nec se totam impendere velit illius ministerio, cui suam se salutem debere profitetur, neve pro Domino agnoscat quem Sospitatorem experta est. Atque ita rursus Evangelium ad legem deducit tanquam normam gratitudinis. Unde claret, quo modo mutuas sibi operas in promovenda electorum salute lex & Evangelium præstent, & nunc illa, nunc hoc, primas secundasve teneat.

EPILOGUS.

ET hæc quidem hactenus ita nobis disputata sunto. Ex quibus ista veluti consectaria elicio: optime facturos, si relictis extremarum opinionum præcipitiis, facili, plana, tuta Scripturæ via gradiamur, cujus simplicitas omni prætumidæ sapientiæ sublimitati longe anteponenda est: si neque dicere reformidemus quæ Scriptura dicit, stulte sperantes ea quæ duriuscule dicta esse videntur nostris nos commodioribus phrasibus sapienter lenituros; neque moderatas Scripturæ locutiones nostris rigidis, præfractis, hyperbolicis & Spiritui Sancto insuetis exasperemus, μηδεμίαν ἀφορμὴν διδόντες τῷ ἀντικειμένῳ λοιδορίας χάριν, *si, quæ a nobis incautius dicta esse deprehenduntur, ipsi candide & generose inducamus, castigemus, retractemus; quæ vero aliis improvide exciderunt, modo de mente non mala constet, ea benigna potius interpretatione juvemus, quam inclementi vexemus: si ita liberam Dei gratiam asseramus, ne quis licentiæ prætextus detur carni; ita gratuitam justificationem laudemus, ne quid derogetur sanctificationi; ita unicam Christi justitiam, quæ sola coram tribunali Dei consistat, inculcemus, ne nostræ pietati abjudicetur quam Scriptura ei addicit utilitas ac merces; ita denique salutiferam Evangelii gratiam prædicemus, ut & sanctissima legi suus maneat locus & usus. Hæc si sincere utrinque præstiterimus, Deo dante futurum est ut pro caliginosarum controversiarum argutiis, clara Evangelicæ veritatis dies illucescat, & phosphorus oriatur in cordibus nostris: ut pro spinosarum litium carduis & paliuris, justitia & pax e terra progerminent; & valere jussis infaustarum dissensionum jurgiis, junctis omnes vocibus Dei in Christo gloriosam gratiam celebremus, junctis viribus castam Christi sponsam decoræ sanctitatis acupictis vestibus & aurea torque virtutum Christianarum, certatim exornemus. Quo nos beneficio, ex immensa gratia*

gratiæ suæ opulentia, clementer mactet, beatus ille Deus & solus Princeps, Rex ille regum & Dominus dominorum, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem vidit nemo hominum, neque videre potest: cui honor & robur æternum! Amen. Idem Regem GUILIELMUM, *Regii non minus nostri quam vestræ Britanniæ amorem atque delicias, maximorum consiliorum suorum exsecutioni (sic vovemus) destinatum, multos in annos faxit sospitem; bellorum suorum, quamdiu gerenda erunt, Imperatorem fortem atque felicem; pacis solidæ in Europa arbitrum; & sanæ in Ecclesia concordiæ sequestrum. Ita scribebam, & calidis votis concipiebam Trajecti in Batavis.* VIII. *Kal. Mart.* MDCXCVI. & repetebam Lugduni Batavorum MDCXCIX.

ORATIO
INAUGURALIS
FRANEQUERANA,
DE
VERO THEOLOGO.

Dicta

Anno MDCLXXV. XVI. KAL. MAJ.



STupendis rerum vicissitudinibus, pro liberrimo absolutissimæ potestatis suæ arbitrio, sed intaminata semper sanctitate, & imperscrutabili ac inaccessa nobis sapientia, humana cuncta moderatur supremus omnium arbiter, Deus. Quæ nunquam cogitata mortalibus, quæ extra quorundam metum, quæ supra aliorum vota erant, derepente subinde jubet emergere; mirantibus universis, ac directricem Numinis manum, tam inopinatis se eventibus pandentem, prona facie adorantibus. Hinc sacrum illud canticum quo magni quondam gnati pia mater Divinam providentiam devenerata est: *Dominus depauperat & ditat, deprimit etiam & extollit. Ervit e pulvere tenuem, e sterquilinio extollit egenum,* collo-

collocando eos cum ingenuis, & faciendo ut solium gloriæ possideant: nam Domini sunt cardines terræ, quibus imposuit orbem habitabilem. Id ego, si quisquam, in tota vitæ meæ ratione, & præ primis in functione sacratissimi muneris quo me dignatus est Dominus, & in quo jam duodevigesimum annum ago, singulariter expertus sum. Ecclesiæ me quidem tenellum adhuc puerum, pii parentes devoverunt, curaruntque iis doctrinæ ac pietatis præceptis imbui, quibus paullatim ad virum domui Dei non indecorem efformari possem: sed modestorum votorum suorum una mecum damnates fuerunt, quando non procul ab urbe patria, ex humili suggestu, ac in cœtu non admodum frequenti, de Divinis eloquiis disserentem, cum ædificatione aliqua, audiverunt. Nunquam illi in animum induxerant, nunquam ego, fore aliquando ut tot ac tam celebrium & florentium Ecclesiarum ministerio defunctus, & per varias Fœderati Belgii provincias circumactus, tandem honorificentissimam hanc in Alma Frisiorum Academia stationem obtinerem. Non possum quin grata hæc mente pensitans ex imis præcordiis suspirem; *Quis ego sum, Domine, & quæ est familia mea, quod deducis me huc usque? Et quid pergam loqui apud Te? Tu enim nosti servum Tuum, Domine.* Verum enim vero non exiguus, atque is quidem justissimus, rei me bene ordiendæ metus incessit. Non tam exhilarat, quam terret, totoque corpore contremiscere facit, hæc Cathedra; quæ sibi non parem nacta, quum non nisi se dignum nancisci optaverit, majoribus sueta, dedignari hunc homuncionem videtur. Perstringit oculos meos insolitus illis splendor, & dum a catechesi parvulorum vel ætate vel scientia, a cubilibus ægrorum, e teguriolis pauperum, quibus mea nuper opera impendebatur; vel a suggestu Ecclesiastico, ex quo non diserta, sed fortia, & ab omni secularis sapientiæ typho remotissima, plebi Christianæ ingeminabam, novus repente Orator in Augustum hoc Musarum sacrarium, & in frequentissimam Doctissimorum Virorum coronam prodeo, quos omnes nunc a meo unius ore pendulos videre est; ita animum obfirmare non possum, quin labascant genua, lingua hæsitet, totaque mens ingenti horrore percellatur. Sed quid agam? Jacta alea est. Et quamvis proloqui vix possim, silere tamen amplius non datur. Hoc unum solatio est, quod non malis artibus, non ullo meo ambitu, loco huic inhiaverim: sed unanimi Principis Procerumque voluntate, accedente totius Ecclesiæ ardenti desiderio, in quibus rebus ipsam Numinis vocem agnoscere prudentes jubent, huc accitus pertractusque sim. Quidni ergo jucundissima mihi illa Domini verba applicem, quibus servum suum Josuam quondam affatus est.: *Nonne ego præcepi tibi? Confirmare igitur & fortis esto; quia*

tecum est Dominus Deus tuus quocunque iveris. Licet infirmitatis me meæ conscientia anxium reddat, reficit tamen Divinæ gratiæ, nunquam suos deserentis, ad sustentandum prompta facilitas. Illius autem gratiæ, cui lubitum est virtutem suam in infirmitate consummare, quæque abjectissimis sæpe & rei gerendæ minime idoneis instrumentis utitur, ut totius operis gloria in solidum ac illibata sibi remaneat. Faciunt nonnunquam dona Dei minora, quod non possunt majora: quippe quum hæc vulgi captum superent, cui illa magis attemperata sunt. Potest id e digitis minimus, quod non potest maximus. Potest ferrum, quod non potest aurum. Et cur non liceat nobis sperare, non defuturam nunc labori nostro eam benedictionem, qua antea tenues conatus prosecuta Domini benignitas est? Saltem in ipsius nomine, quod felix faustumque esse jubeat, novi muneris auspicium hodie facio. In quo fideliter obeundo ut minus peccarem, ipse mihi VERI AC SINCERI THEOLOGI ideam præformavi, quam ob oculos semper haberem, quamque hac oratione, nativis quantum pote coloribus suis depictam, contemplandam vobis offerre decrevi. Uti Moysi quondam in monte instar monstrabatur tabernaculi ab ipso construendi; ita ego hanc mihi formam officii mei juge exemplar esse volo: ad quod non omnino infeliciter exprimendum, virtute Domini fretus, sedulo enitar, ac ubi cæspitavero identidem recurram; ab infinita Numinis clementia, & vestra, Proceres, facilitate, defectuum mihi veniam pollicitus, quotiescunque magnis ausis excidere continget. Quis enim suæ sibi tenuitatis conscius, non viribus, non rerum experientia, tantæ moli par, mei denique similis, in opere tam arduo, sub onere duplicato, frequentes fatiscentis subinde animi titubationes vitaturum sese præsumat? Juvat tamen perfectam numerisque omnibus absolutissimam sibi speciem deformare, ad quam defectus proprios melius conspiciens quam humillime de te sentias, & coram aliis salutariter erubescas; cujusque intuitu acrius ad officium exstimuleris, certus, quantumcunque præstiteris, immenso te adhuc intervallo a propositi exemplaris accuratione abfuturum.

THEOLOGUM quum dico, eum intelligo, qui solida Dei & rerum Divinarum cognitione, ipso Deo Magistro, imbutus, non verbis duntaxat, sed & universo vitæ suæ instituto, admirandas Dei virtutes celebrat, totusque adeo ad ipsius gloriam est. Tales olim sancti Patriarchæ erant, tales Divinitus inspirati Prophetæ, tales universi orbis Doctores Apostoli, tales aliquot eorum quos Patres nominamus, late splendentia priscæ Ecclesiæ lumina: quorum scientia non in acuminatis curiosarum quæstionum subtilitatibus, sed in devota Dei Christique

ſtique ejus contemplatione, conſiſtebat: quorum docendi ratio ſimplex & caſta, non prurientes aures demulcebat, ſed menti rerum ſacrarum characterem imprimens, earundem amore animum inflammabat: quorum inculpata ipſiſque hoſtibus laudata morum innocentia, profeſſioni reſpondens, irrefragabili doctrinam teſtimonio muniebat, & familiaris cum ſanctiſſimo Numine commercii evidens ſignum erat. Talem nos Theologum ita conſideremus, ut primo inquiramus, quibus in Scholis, ſub quibus Præceptoribus, qua Methodo, ad tam ſublimem ſapientiam proficiat: tum qua ratione ea, quæ ipſe edoctus eſt, alios optime doceat: denique quo animi habitu, qua vitæ politia, doctrinæ ſuæ ornamento ſit; ſive ut tribus verbis dicendorum omnium ſummam complectar, repræſentemus nobis verum Theologum *in diſcendo, docendo, vivendo.* Nemo enim bene docet, niſi qui prius bene didicerit. Nemo bene diſcit, niſi qui diſcit ut doceat. Utrumque vanum & caſſum eſt, ſi praxi deſtituatur.

Ab imo igitur ordiamur. Qui verus Theologus, & magnifico iſthoc nomine dignus cluet, eum oportet ſtudiorum ſuorum tyrocinia in inferiori naturæ ſchola ponere, & ex conditu univerſi, ex Providentiæ Divinæ admirandis, ex veteris ac recentioris hiſtoriæ monumentis, ex quarumcunque artium penetralibus, ex variarum linguarum elegantiis, ea congerere, atque in memoria veluti ſanctiore ærario reponere, quæ, mox ad ſuperiorem Academiam promotus, grandiori ædificio quaſi fundamenta ſubſternat. Non fruſtra Deus viſibiles inviſibilium virtutum ſuarum notas operibus ſuis impreſſit. Non fruſtra hominem ſagaci donatum mente in auguſtum hoc mundi theatrum introduxit. Non fruſtra in univerſi moderamine, rerumque humanarum mutationibus, tam conſtanti inconſtantia, tam ſapienti arbitrio, cuncta diſpenſat. Non fruſtra naturæ opera ita diſpoſuit, ut in iis typum quendam operum Gratiæ & Gloriæ, & melioris mundi quaſi rudimenta cernere ſit. Sed voluit, ut ex iis omnibus attenta conſideratione diſceremus, quis qualiſque ipſe ſit; Æternus, Immenſus, ſumme Potens, ſumme Sapiens, Optimus ſimul & Maximus, ſibi ipſi ad plenam beatitatem ſufficientiſſimus, quum omnibus vitam, & halitum, & omnia det; dignus denique, quem colamus, quem imitemur, cui nos dedamus totos, & in cujus amore & fruitione felicitatis noſtræ apicem collocemus. Voluit ut Majeſtatem ſuam in ipſo cordis noſtri meditullio fulgoris ſui radios exerentem, inibi leges dantem, delicta veloci pœna vindicantem, bene acta placidiſſima approbatione, & jucundiſſima animi tranquillitate remunerantem, ſuſpiceremus. Voluit ut probe animadverſo, quam fluxa, evanida, & plus

quam vitrea ſint, quæ falſo æterna credebantur, ad cœleſtia anhelemus, & ipſum adeo cœli Dominum, qui ſtabilis manens cuncta moveri facit. Neque Dei duntaxat opera Theologus noſter contemplatur, ſed & quidquid humana induſtria ad mentem in veritatis investigatione dirigendam, ad linguam, ut commodus mentis interpres ſit, informandam, excogitavit, in comperto habere allaboret. Logicæ, Grammaticæ, Rhetoricæ magiſtros haut perfunctorie conſulat; illis ut olim Iſraëlitæ Gibeonitis utens, qui lignis findendis, aquisque in uſum Sanctuarii hauriendis, operam navabant. Illi definiendi, dividendi, diſponendi præcepta tradant, hi pure ac terſe, imo eleganter etiam & flexanime dicendi artem doceant, ut ſic utrique Dei tabernaculo inſervientibus aptiſſime famulentur. Præcepta virtutum ex philoſophorum placitis, exempla ex hiſtoriarum monumentis congerat, ut vel ad ulteriora tendenti calcar ſint, vel, ſi id minus præſtant, turpiſſimum languorem & inertiam exprobrare valeant. Varias linguas ſedulo addiſcat, eas ante omnia, quibus cœleſtia oracula ſua edere dignatus eſt Deus: ut Deum proprio idiomate loquentem intelligat, neque interprete apud eum Deus indigeat qui ipſe Dei interpres & os audit. Quicquid in humanis artibus ſani & ſobrii, quicquid in philoſophia veri & ſolidi, quicquid in politioris literaturæ apparatu elegantis & decori eſt, id omne a Patre luminum, omnis rationis, veritatis, elegantiæ, inexhauſto fonte promanat: quod idcirco undique collectum ipſi rurſus ſacrum fieri debet. Minuta licet & terrena hæcce videantur, attamen minuta & terrena iſta acus ſunt, quibus aurea veritatum cœleſtium fila introducamus, & animis noſtris firmiter inſuamus: ſpecula ſunt, quorum adminiculo ſubtiliſſimæ rerum ſupernaturalium imagines oculis noſtris renovatis clarius percipiantur. Rudimenta hæc futuri Theologi ſint, quibus ſuperciliose ſpretis vix eſt, ut cum optato fructu in ſuperioribus verſetur, & nomini ac officio ſuo ſatisfaciat. Sed rudimenta tamen.

Nolim enim hic ætatem terere Theologum meum. Ex humili iſthac naturæ ſchola in ſuperius Scripturæ gymnaſium adſcendat: & ad Magiſtri Dei pedes deſidens, ex ipſius ore abdita ſalutis myſteria diſcat, quæ nec oculus vidit, nec audivit auris; quæ nemo principum ſeculi hujus cognovit; quæ nulla quantum libet ſubacta ratio excogitare potis eſt; & quæ cœleſtes Angelorum chori, jugiter licet Dei faciem contemplantes, cernui ſcrutantur. In arcanis Scripturarum libris, neque uſpiam nunc alibi, ſacratioris ſapientiæ ſecreta panduntur. Quicquid ex iis non eruitur, quicquid iis non ſuperſtruitur, quicquid cum iis non exactiſſime conſpirat, quantacunque ſe ſubli-

mioris

mioris ſcientiæ ſpecie venditet, quantacunque ſe vel traditionis antiquitate, vel doctorum conſenſu, vel veriſimilium argumentorum pondere tueatur, vanum, futile, merum denique mendacium eſt. AD LEGEM ET TESTIMONIUM. Niſi in illam quis loquatur ſententiam, non rutilante gaudebit aurora. Hæc cœleſtia oracula exoſculetur Theologus; hæc nocturna ac diurna manu verſet; hæc meditetur; in his ſit; ex his ſapiat; cum his omnia cogitata ſua componat; nihilque in religione amplectatur, quod hic non reperiat. Non homini, non Prophetæ, non Apoſtolo, non ipſi Angelo magiſtro fidem ſubſtringat ſuam, quaſi vel hominis alicujus vel Angeli dictata norma credendorum ſint. Deo, Deo ſoli fidat. Non humana enim, quam diſcimus, quam docemus, fides eſt; ſed divina plane: eouſque delicata, ut nullum ſibi fundamentum ſtabile ſatis arbitretur præter unicam, nunquam falſi, nuſquam fallentis, Dei Auctoritatem. Habet quoque attenta Scripturarum lectio neſcio quid ἑλκυστικόν. Implet intellectum nitidiſſimis cœleſtium veritatum ideis; quas pure, ſolide, certo docet, ſine ullius erroris mixtura. Mulcet animum ineffabili dulcedine, ſedat ſanctam ſcientiæ famem ac ſitim torrentibus rivis mellis & butyri, penetrat ima & intima cordis virtute inſuperabili, imprimit dictata ſua menti tam firmiter ac fixe, ut non minus ſecure anima fidelis iis acquieſcat, quam ſi in tertium ſubvecta cœlum ex ipſius Dei ore ea audiviſſet: afficit affectus omnes, & ſuaviſſimum ubique ſanctimoniæ odorem exhalans, pio illum lectori inſpirat, etiamſi fortaſſis non omnia quæ legit aſſequatur. Dici non poteſt quantum nobis præpoſtera illa ſtudiorum, quæ nimis eheu! invaluit, methodo obſimus, quotieſcunque ex humanis ſcriptis conceptus formamus de rebus divinis, quibus poſtmodum firmandis Scripturæ aliquot loca inquirimus, vel ab aliis adducta, quaſi eo facientia, ſine ulteriori examine, temere arripimus: quum ex ipſis immediate Scripturis ideas divinarum veritatum haurire debeamus, neque aliter humanis ſcriptis uti, quam ut indicibus, ea nobis loca ad ſingula Theologiæ capita monſtrantibus, ex quibus de ſententia Domini erudiamur. Non poſſum hic mihi temperare, Auditores, quin ſubtiliſſimi TWISSI de JOHANNE PISCATORE, & ea qua uſus eſt ratione, judicium repræſentem: qui poſtquam magnifica omnia de illius doctrina & eruditione ſacra prædicaſſet, in hæc tandem verba fatur: *Tantum dicam vere ſuſpiciendum mihi eſſe illum Theologum, qui ſola ſacrarum literarum profeſſione, communibus tantum diſciplinis in ſubſidium vocatis (Grammaticam dico, Rhetoricam & Logicam, in quibus eminet) adeo accuratam Theologica, non vulgariter, ſed ſcholaſtice tractandi rationem aſſecutus eſt, ut vix inter Scholaſticos ipſi parem, certe agnoſce-*

Chryſoſt. Orat. 3. in Lazar: Μάλιστα μὲν κἂν μὴ εἰδῇς τὰ ἐγκείμενα, ἀπ' αὐτῆς τῆς ἀναγνώσεως πολὺς ὁ ἁγιασμὸς γίνεται.

Vide ſis, Lector, Sculteti præfat: ante Exercitat: ſuas Evangelicas.

Vindic. Grat. p. 254. col. 1. c.

agnoscere non possim superiorem; quasi in ipso curioso hoc ævo, & secularis eruditionis cum sacra confundendæ nimium ambitioso, exemplum exstare voluerit Pater Clementissimus, quo demum accuratæ & Scholasticæ in rebus ad salutem conducentibus eruditionis, vel ex sola Sacrarum Scripturarum lectione, assidua meditatione, in easque commentatione, provehi possimus, missis illis summistis, sententiariis, & scholasticis ad unum omnibus. Ita fortissimus ille Pancrantiastes de hac quam laudamus studendi methodo sensit, ita locutus est. Quæ non eo a me dicuntur, quasi Doctissimorum Virorum commentaria Theologi mei manibus excussa velim, ut a se ipso, id est, a præsumtione, pessimo præceptore, discat; Scripturam interim obtentui habens, cujus verba male intellecta errori suo prætexat. Multa Illustres Ecclesiæ Viri, qui humanis curis altius caput exsertantes toti vacabant Deo, ipsum diligentes & ab ipso dilecti, in sacris literis viderunt, ex iis eruerunt, scriptisque mandata in candidissima luce posuerunt, quæ nos alioquin in tantis tenebris vitæ æternum fortasse ignorassemus, neque proprio Marte in fodinis illis reperissemus ubi abdita latebant. Et quamvis ex Scripturarum lectione plurima ipsi animadvertamus, magno tamen solatio, maximo firmamento est, si ejusdem veritatis, ex eodem fonte manantis, revelationem aliis prius concessam cernamus ab eodem Domino, qui nostras quoque non dedignatur illuminare spinas. Laudanda utique Hieronymi modestia est, protestantis, nunquam se in Divinis voluminibus propriis viribus credidisse, nec habuisse opinionem suam; sed ea etiam, de quibus scire se arbitrabatur, interrogare solitum, quanto magis de iis super quæ anceps erat? Neque sine ratione beatus Athanasius in principio Orationis suæ contra Gentes, amicum suum, hominem Christianum, ad quem scribit, laudat hoc nomine, quod quum idoneus esset ad inveniendum in Sacris Scripturis ea, quæ de fide Christiana ex Athanasio quærebat, attamen & ex aliis modeste audiret. Illud unum duntaxat ingemino, nihil cuiquam mortalium de Scripturarum sensu asseveranti credendum esse, nisi hunc esse Scripturarum sensum ex Scripturis ipsis ad conscientiam demonstraverit, ut indice quidem homine, sed Doctore tamen Deo, ad salutem sapiamus.

Catech. IV. Capi. de Spirit. Sancto.

Hoc ipsi præstantissimi Scripturæ interpretes alta voce inclamarunt. *Nolim*, inquit Cyrillus Hierosolymitanus, *mihi hæc differenti simpliciter credas, nisi eorum quæ prædicantur demonstrationem in Divinis Scriptis accipias*: addita hac cedro digna ratione: *Salus enim hæc fidei nostræ, non est ex quadam orationis profluentia, sed ex demonstratione divinarum Scripturarum.* Cui consonum est quod Justinus Martyr dictitabat: *Non assentior hominibus, ne si vel plurimi illa sentientes mihi dicerent: si quidem non*

ἡ σωτηρία γὰρ αὐτη τῆς πίστεως ἡμῶν, οὐκ

non humanis doctrinis jussi sumus ab ipso Christo parere, sed iis quæ per Prophetas prædicata sunt & ab ipso docta. Sapienter admodum, quem modo laudavi, Athanasius observat, ipsum Paulum Apostolum, doctrinam suam ex Scripturis confirmasse, neque sua simpliciter auctoritate usum. Quod si fecerit ille, qui verba audivit ineffabilia & arcanorum mystes fuit, & Christum in se loquentem habuit, quomodo igitur nunc periculosum non fuerit, alia quam Scripturarum auctoritate, ad credendum induci? Huc omnia quæ dixi recidunt: Verus Theologus humilis Scripturarum discipulus est.

ἐξ εὑρεσιλογίας, ἀλλὰ ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐςὶ γραφῶν.

In dialogo cum Tryphone p. 63. Edit. Steph.

Sed uti sola Scriptura norma est omnium credendorum, ita ut Scripturam spiritualiter ac salutariter intelligat, Spiritui Sancto intus se erudiendum tradere Theologus noster debet; atque ita qui Scripturarum est discipulus, eum Spiritus quoque discipulum esse oportet. Qui limis naturæ oculis cœlestia contemplatur, nativum illorum splendorem pulcritudinemque non videt, sed falsam quandam eorum imaginem intuetur: aliam enim in se ipsis habent, alia vero eorum animis quibus tam obscure obversantur imprimitur. Ut spiritualia assequamur spirituali mente imbui necesse est. Abdita Scripturarum ingenii mere humani, acutissimam licet, aciem fugiunt; neque intellectus naturalis ea melius percipit, quam sonorum rationem nares, vel odorum aures. Magnus igitur hic animarum Doctor Spiritus, ut tantæ infirmitati subveniret, alumnis & discipulis suis novam Cœlestemque mentem tribuit, quam purissimo collustrat lumine, ut supercœlestia mysteria in nativa luce sua intueri valeant. Una cum rebus Divinis animum largitur, qui Divina sapiat & intelligat. Res Christi una cum mente Christi impertit. Ita in spirituali ac cœlesti Academia institutus Theologus, non modo genuinas rerum Divinarum ideas in mente sua formare discit; sed & ipsis illis rebus Divinis, inæstimabili sane thesauro, donatur. Non enim tanquam mera verba, & nulla commenta; non velut vana somnia, vel inania phantasmata, a Spiritu Doctore repræsentantur; sed tanquam solidæ & permanentes, ut ita loqui liceat, rerum substantiæ, in animam vere eas cognoscentem introducuntur, omnibusque affectibus ac toto cordis nisu recipiuntur. Non novit duntaxat, non credit solum, sed & sentit quandoque cœlestis hujus Academiæ alumnus, quid sit remissio peccatorum, & privilegium Adoptionis, & familiare Dei commercium, & Spiritus pectori inhabitantis gratia, & amor Dei effusus in cor, & manna absconditum, & suavissima Jesu oscula, arrhabo denique & pignus consummatæ felicitatis. Multa sunt in secretiori hac sapientia, quæ nisi habendo, & sentiendo, & gustando, nunquam bene discas. Non cognosci-

ὁ τῶν ἀῤῥήτων ῥημάτων ἀκροατὴς, ὁ τῶν ἀποῤῥήτων μύςης, ὁ τὸν χριςὸν ἔχων ἐν ἑαυτῷ λαλῦντα.

Vide hæc fuse deducta a F. Rous in Academia Cœlesti.

gnoſcitur novum nomen, niſi ab eo a quo poſſidetur. Hoc facit Magiſter Spiritus ut videant & guſtent diſcipuli ejus quam ſuavis ſit Dominus. Introducit eos in locum convivii dum pro vexillo illis eſt amor: comedite, inquit, amici, bibite & inebriamini, dilecti: atque ita illo re, non Liberi Patris, ſed Liberatoris Jeſu, liberaliter aſperſi, multo clariores ad cœleſtia cernenda oculos acquirunt, quam Jonathan olim poſtquam de favo mellis guſtaverat. Et quæ quis ita guſtando didicit, ea tam firmiter animæ infixa ſunt, ut nullæ argumentationum argutiæ, nulli tentationum inſultus, impreſſam hujus ſigilli formam delere valeant. Unica reſponſione objectiones omnes diluere in promtu eſt: fruſtra nempe contra guſtum diſputari. Non enim, inquiunt illi, arte compoſitas fabulas ſectati ſumus, quando credidimus Domini noſtri Jeſu Chriſti potentiam & adventum, ſed oculis noſtris adſpeximus illius Majeſtatem: neque poſſumus non vera eſſe credere, quæ oculis noſtris vidimus, quæ auribus noſtris audivimus, & quæ manus noſtræ palpaverunt, & quæ os noſtrum guſtavit de ſermone vitæ. Quæ quum in ſola Spiritus Academia, tam dilucide, tam ſancte, tam ſalubriter diſcantur; quis non videt ſupra omnia neceſſarium eſſe, ut in hujus ſe Magiſtri diſciplinam Theologus noſter tradat? In quam ut recipiatur propriæ ſapientiæ ex animo abrenuntiet: ſtulteſcat apud ſe ipſum, ut vere evadat ſapiens. Novus novæ Theologiæ mundus a Deo creatur ſicut vetus, fundatus ſcilicet in nihilo. Amando prope accedat ad Deum, & amore conſiliorum ipſius communicationem eliciat. *Qui diligit me, a Patre meo diligetur, & ego diligam ipſum, & manifeſtabo me ipſum illi*, blande amatoribus ſuis pollicetur veraciſſimus Jeſus. Dictata Spiritus memori mente reponat, & frequenti meditatione iterum iterumque præſentia ſibi ſiſtat. Non legendo tantum ſed & orando ſtudeat; non cum hominibus duntaxat loquendo, ſed in precibus cum Deo, in meditationibus ſecum. Sancti viri anima parvi Sanctuarii inſtar eſt, in quo habitat per Spiritum ſuum Deus, & ubi Spiritus Dei devotis precibus conſultus, ea ſæpe revelat, quæ principes hujus ſeculi nullo ſtudio unquam ita aſſequantur. Denique operam det, ut niteſcat animæ ſuæ ſpeculum, & ſpiritualiter purum ſit, quo Spiritui puro, & ſpiritualibus illis quas Spiritus exhibet imaginibus recipiendis idoneum comperiatur. *Beati mundi corde quia ipſi Deum videbunt.* Atque his demum gradibus, Spiritu Magiſtro, eo cognitionis Theologus pertinebit, ut in Dei lumine, Deum fontem luminis conſpiciat, & in Deo ac Dei cognitione exſultet gaudio ineffabili & glorioſo.

Porro

Porro a cœlesti illa Spiritus institutione eximiam quandam *docendi artem* Theologus noster consequetur, quod alterum in eo requisitum esse jam ante jecimus. Etenim quum a Sancto contemplationis monte candidissimo fulgore circumfusam & resplendescentem animæ faciem ubique circumferat, repercussos ejusdem lucis radios cum aliis communicare omnium optime idoneus est. Ad intimam verbi Divini venam postquam ductore Spiritu pervenit, eam tam perite incidere potis est, ut uberrimæ aquarum ad vitam æternam salientium scaturigines, sedandæ fratrum siti, erumpant. Idem tamen verbum aliis, hoc lumine cassis, quid nisi torrida rupes est, de qua dicant, *nunquid aquam vobis ex hac petra eliciemus?* Et quandoquidem non audivit solum aliquid, sed & vidit, & palpavit, & gustavit de sermone vitæ, neque meris speculationibus, sed experientia condocefactus est, ea quæ ita comperit, ex certa animi persuasione secure inculcat, & prudenter cujuscunque conditionis hominibus applicat, ex se ipso gnarus quid conveniat cuique. Quantum interest inter expertum militiæ ducem, qui exercitibus imperitavit, urbes expugnavit, hostium insidias detexit, cunctaque belli stratagemata ad unguem callet, ac sæpe per obstantes catervas explicuit sua victor arma, longoque usu didicit

Res gerere & captos ostendere civibus hostes,

& inter tumidum aliquem ac vaniloquum Thrasonem, qui parma inglorius alba, Martem in ventosa lingua gestat, cæterum acies nisi forte in charta depictas nunquam vidit: tantundem interest inter expertum Theologum, qui cum Paulo Christianæ Religionis curriculum, per gloriam & ignominiam, per laudem & opprobrium aliquoties confecit, ut ignotus, & tamen notus, ut moriens & tamen vivens, ut tristis & tamen semper gaudens, ut pauper, & tamen multos ditans, ut nihil habens & tamen omnia possidens; & inter pædagogum aliquem Scholasticum, ac per indices modo sapientem raphsodum, qui mente parum, parum corde, at memoria, & lingua quum possit plurimum, Theologorum Alpha sibi videtur. Quid hic nisi frigidas aliquas de militia Christiana præceptiunculas, quarum usum ipse experiendo nunquam didicit, garrire potest, quæ neque afficiunt Auditores, neque solide instruunt; quum alter ille omnem debellandi Diaboli, superandi mundi, & potiundæ tandem cœlestis Hierosolymæ rationem, sine vaniloquentia & fastu, sed prudenter, sed scite disserat, fortitudinis simul & modestiæ exemplum in se ipso præbens.

Neque satis est Theologo ut comperta sibi & explorata proponat, nisi quoque ex puro id faciat amore. Si Deum sapientiæ omnis

largitorem, si discipulos ut filios vel fratres suos in Christo, si veritatem sibi concreditam, ardenti charitatis affectu prosequatur; fieri non potest quin omni ope operaque multos Deo lucrifacere contendat: ut plures sint qui una secum solum illum Sapientem adorent celebrentque, qua in re animo ipse suo nunquam satisfacit. Id agit praeterea, ut, omni comitate, lenitate, & tædii nescia assiduitate alumnos suos foveat, non modo Evangelium Dei, sed si fieri posset propriam iis animam, aut, quod mallet, Spiritum Christi impertiri desiderans, docens, monens, obtestans, itaque manibus suis quasi fingens & formans, quo tandem eos Deo sistens, plenus gaudii, ad exemplum præceptoris Christi, suo quodam modo dicere queat, *Ecce ego & filii quos dedit mihi Dominus, qui facti sunt uti signa & prodigii in Israële.* Neque servum illum nequam imitabitur, qui talentum Domini, sudario involutum, sub terra recondebat; sed cœlestis veritatis gaza, quæ non præstantissimo Ophiris auro, non pretiosissimis unionibus æstimari potest, quam plurimos conabitur locupletare, gnarus nihil sibi decessurum, si aliis multum accedat, imo plurimum sibi accessurum, si in dispensando fidum, in distribuendo largum Dominus compererit. Atque ita ex sincera caritate docens, non cauponabitur verbum Dei, neque sermone assentatorio utetur, neque avaritiæ causa quicquam prætexet, neque gloriam quæret ex hominibus, iisve placere studebit, sed Deo soli qui explorat corda.

Faciet hæc eadem caritas, ut non nisi certa, sana, solida, quæ fovendæ fidei, excitandæ spei, promovendæ pietati, retinendæ unitati, & paci idonea sunt, proponat: omnia peragens sine præjudicio, nihil in alteram partem inclinando, quam sollicite abstinens *ab omnibus* vocum novitatibus, & vaniloquentia, & verborum odiosis contentionibus & quæstionibus curiosis, stultis & indisciplinatis, quibus animi simplicium turbantur, Ecclesia in partes scinditur, intus omnia suspicionibus ac susurris implentur, foris jucundum hostibus spectaculum editur, atque ipsi denique Satanæ maximæ fiunt deliciæ. Hæc tu fuge, o homo Dei, neque ullam unquam ex inventionum novitate ingloriam gloriam aucupator. Habemus per Dei gratiam, habemus in Ecclesiis & Scholis nostris præclarum Divinæ veritatis depositum, tam luculenter ex sacris literis demonstratum, tam fortiter adversus quoscunque hostes defensum, tam uberi consolationum scaturigine, tantaque ad ingenerandam sanctitatem pollentia, conscientiæ se approbans, tot denique carissimorum Dei martyrum sanguine firmatum: neque dubitari potest quin hoc quod habemus sufficiat fidelibus ad salutem perducendis, & viro Dei consummando, ut ad omne

bonum

bonum opus perfecte instructus sit. Ingrati animi est, nec bona sua agnoscentis, in tam clara Evangelii luce de horrida caligine conqueri; neque secus in Ecclesiis Reformatis trepidare, quam si eundum esset per tristes sine sole domos, & loca senta situ, noctemque profundam. Quænam ergo ista, malum! intempestiva novandi prurigo est, qua nonnulla hodie convelluntur, alia turbantur, cætera miris & insuetis verborum formulis implicantur, quæ sanius & planius & curatius antehac tradita & credita fuerunt? Liceretne id agentibus inclamare, (& quid ni liceat?) quod ille aurei oris Episcopus, novatoribus olim dicebat: *Audiant*, inquit, *quid Paulus dicat, Evangelium eos pervertisse qui vel paululum novitates sectantur.* Neque tamen ii sumus qui profectui velimus intercedere. Nihil dulcius esse potest animæ fideli, nihil utilius Ecclesiæ, quam plurima indies ex Scripturis discere, nitidiores de rebus Spiritualibus ideas formare, arctissimum veritatum salutarium in unam admirandæ sapientiæ catenam nexum clarius cernere, pluribus & novis, sed evidentibus tamen nec contortis argumentis, antiquam veritatem addicere; obscuris lucem fœnerari, ænigmata Prophetarum cum timore ac tremore scrutari, vim demonstrationum Christi & Apostolorum ostendere ad conscientiam, veterum cerimoniarum picturas cum Christo archetypo studiose componere, & hoc sensu se gerere ut Scribam exercitatum in regno cœlorum, qui e bono thesauro cordis sui nova & vetera promit. Hic Rhodus, hic saltus est. Huc comportemus omnes, si quid est in nobis eruditionis vel industriæ. Fiet hoc nemine bono invidente, gaudente Ecclesia, ringente Diabolo, & fortunante Sanctos conatus Deo, qui pollicitus est, tempore finis multos scrutaturos, & auctum iri scientiam. Sed apage vana illa, curiosa, audacia, contorta, solo novitatis illicio quibusdam abblandientia, ab aliis mero partium studio arrepta, quæ tamen nulli bonæ rei sunt, sed potius quæstiones præbent, quam ædificationem Dei quæ est per fidem.

Chrysostom. ad Gal. 1:9. Ἀκουέτωσαν τί φησιν ὁ Παῦλος, ὅτι τὸ Εὐαγγέλιον ἀνέτρεψαν οἱ καὶ μικρόν τι καινοτομοῦντες.

Cui ædificationi ut melius consulatur, caste Theologus cœlestes veritates habeat, neve eloquia Dei humanæ Philosophiæ quibusdam veluti næniis intercalaribus dehonestet: magnalia Dei, quæ grallatis vocabulis non indigent, vi sua nituntur, & omnem intellectum transcendunt, in categoricum ordinem ne cogat: neque vernilem famularum vestitum Dominæ adjiciat ac velut suum accommodare nitatur. Res Dei commodius explicari non possunt verbis Dei. Male putat quisquis præsumit, se accuratius, vel clarius, vel efficacius, vel ad intelligendum aptius Theologiæ arcana explanaturum, quam iis terminis & phrasibus, quibus post Prophetas Apostoli usi sunt, ab eo

dictatis qui homini os & linguam formavit, qui fingit singulorum corda & idcirco omnium optime novit qua ratione cor instrui & moveri debeat. QUI LOQUITUR, LOQUATUR UT ELOQUIA DEI, non quemadmodum otiosa & odiosa Scholasticorum barbaries, sed quemadmodum Spiritus Sanctus dat proloqui. Per umbraticas velitationum formulas augustissima mysteria vexare, Scholarum molesta glossemata & ampullas & vocum ludibria & canoras nugas in Theologiæ quasi venas & viscera trajicere, ac Reginam illam scientiarum in stridentium vocabulorum prædagogicas compedes induere, non est hoc, mihi crede, non est pro tua, non est pro illius quam profiteris sapientiæ, dignitate, Vir Dei.

Dignitatem eam ut decenter tuearis, simpliciter loquere, non persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione Spiritus & potentiæ, totamque institutionem tuam eo dirige, ut discipuli tui non vanis phantasmatibus mentem repleant, sed ædificentur in fide, exardescant in charitate, splendescant in sanctitate, & assurgant in similitudinem Dei. Utinam, utinam aliquando in Academiis Reformatis sancta illa & tot piorum votis expetita Theologica tractandi methodus vigeat, quæ non in casca sidat contemplatione, non in litigiosa disputationum jurgia evanescat, sed vivida luce in mente rutilet, vegeto calore cor accendat, & Naziræos nostros in typum cœlestium veritatum quasi transfundat.

Quod quo animo, quo successu ille allaborabit, qui non prius ipsum sese Deo dignum finxerit? Atque hoc ultimum erat, quod Theologum nostrum consummare diximus, morum scilicet professioni suæ respondentium intaminata castitas. Sanctificari vult Dominus in iis qui ad ipsum accedunt, & sacerdotes suos justitia indui. Nisi ipsi in omnibus virtutibus Christianis fidelium exemplaria sint, nisi dicere queant cum Paulo, *quæ & didicistis, & accepistis, & audivistis, & vidistis in me, hæc facite*: & *Imitatores mei estote, quemadmodum ego Christi sum*: plus improba vita destruunt, quam sana doctrina ædificant, dedecori sunt sanctissimæ Religioni, de veritate eorum quæ prædicant addubitare docent, atque ita Libertinismo & Atheismo latam portam pandunt. Et qua quæso ratione fieri potest, ut is qui veritatem cognoscit uti veritas in Jesu est, non incendatur illius amore, nec sanctificetur in veritate? ut is in cujus tentorio familiare Domini commercium est, non Henochi vel Noachi instar cum Deo ambulet? ut is cujus animo rerum cœlestium sensus quidam ac gustus inditur, conversationem in cœlis non habeat? ut is qui ipsissimas Dei virtutes, resplendescentes in facie Jesu Christi, quotidie intuetur, circumfusus undi-

undique lumine gratiæ, non ad imaginem illam transformetur ex gloria in gloriam, ſicut per Domini Spiritum? Ego aſſeveranter pronunciare non dubito, non eſſe illum vere Theologum, nec hilum cognoviſſe de Divinis myſteriis ſicut oportet cognoſcere, qui non iſta cognitione veritatis pollutiones mundi & dominium peccati effugit. Ita enim dixit Dominus: *Cognoſcetis veritatem & veritas vos liberos faciet.* Intellectum intelligendo omnia fieri, vetus Philoſophorum axioma eſt. Id in Divinarum idearum contemplatione potiſſimum obtinere Platonis Schola contendit, quarum ſublimi cognitione homo quaſi Deus fit, quantum quidem fieri poteſt ut homo fiat particeps Divinæ ſortis & conditionis, quemadmodum pulcherrime Hierocles olim loquebatur. Sed quod Philoſophia cultoribus ſuis præſtare non poterat, quippe non aliter iis Divinas perfectiones monſtrans, quam ſub maligna naturæ luce, id Theologia ſuis abunde præſtat, virtutes Dei & Chriſti ejus contemplandas exhibens in ſplendidiſſima luce gratiæ, atque ita ſuos faciens Divinæ participes naturæ: uti plus quam hominem ſpirans Petrus Apoſtolus ſcribit. Deus autem ſanctitas eſt.

ἀποθεῦται ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ θείας μοίρας μεταλαχεῖν.

In commentariis ad aurea carmina Pythagoræ.

Sanctitatem quum dico, ejus ambitu virtutes omnes complector, quam ſingulas exequi nec temporis hujus nec loci eſt. Cœli deſiderium, mundi contemtus; infucata gravitas; ſua ſedulo agens alienis ſe non ingerens modeſtia; de ſe ipſo modice de aliis præclare ſentire docens humilitas; pacis non minus quam veritatis retinendæ ſtudioſus animus; fervens zelus blanda lenitate temperatus; longa injuriarum & convitiorum patientia; prudens tam rerum gerendarum quam commodæ oportunitatis circumſpectio; rigida ſui exactrix ἀκρίβεια, ſed multa fratribus condonans facilitas; & quæ plura ad auguſtum hoc choragium pertinent, hæc ſunt quæ Theologum non exornant modo, ſed & faciunt. Oſtende mihi virum qui cœleſtibus meditationibus intentus, non barba, non toga gravitatem ſimulat, ſed ad ſuperna & æterna anhelans, divitum pavimenta ridet & totam cum auro & argento ſuo terram: qui Soſpitatoris Chriſti gratia & inhabitantis animo Divini Spiritus conſortio contentus, omnes mundanarum vanitatum illecebras ex alto deſpicit, non voluptatum, non opum, non honorum avidus: qui animarum curæ & Spirituali Chriſti regno tuendo, promovendo, amplificando totum ſe impendens, omnique opera Spartam quam nactus eſt ornans, nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debet; nihil officio advigilat, nulla roſtra præoccupat, nulla prætoria obſervat, cancellos non adorat, ſubſellia non contundit, juſtisque ſpatiis Eccleſiam, Academiam & Curiam diſcriminans, ſuggeſtu ſe ſuo & cathedra continet; qui quo altius in contemplatione Cœle-

ſtium & profectu virtutum ſubvectus eſt, eo minus gloriam proximi obfuſcatum it, ſe ipſum non cum ſe ipſo, ſed cum perfectioribus, & & ante omnia cum perfectiſſima Dei lege metiens: qui quoties cauſa Dei, & ſalus animarum, & defenſio Eccleſiæ, & tutela cœleſtis doctrinæ agitur, totus zelo Dei exardeſcit, & centies mortem oppetere mavult, quam ut minimum in cauſa non ſua, ſed Domini, adverſariis concedat; qui tamen idem privatas injurias nullus ulciſcatur, maledicta in ſuum proprie caput contorta modice ferat, & in rebus mediis, non ſuæ inſiſtens imaginationi, omnia paci & concordiæ condonet: qui, quod de Athanaſio Veteres dicebant, percutientibus adamas, diſſidentibus magnes occurrit: qui prudentia ubique in conſilium adhibita, nihil temere aggreditur, nihil turbulenter molitur: qui denique non ficte aut ſuperficiarie, ſed candidiſſima ſe ſimplicitate omnium pedibus ſubjicit, ſe nemini, neminem non ſibi præfert, omnes honore prævenit, proximum præſtantiorem æſtimans ſe ipſo: oſtende mihi, inquam, talem virum, & eum ego Theologum ſalutabo, eum ſuſpiciam, eum exoſculabor, agnoſcens eum eſſe, & in eo eſſe gloriam Chriſti. Ita mihi, Auditores, Theologi ideam deformavi: cui quam parum ſimilis, quam longe diſſimillimus ſim, nemo me melius novit. Quos non gemitus, quas non lacrymas hæc meditanti excutere deberet, propriæ ignorantiæ, & inertiæ & omne genus defectuum conſcientia? Sancte proteſtor coram Deo & electis Angelis ipſius, voſque omnes declarationis hujus meæ teſtes eſſe jubeo, tremere me ac palpitare, quotieſcunque animo recolo, quot & quanta, ea, quam Deus, quam vos nunc me ſuſtinere voluiſtis, perſona, exigat. Num tamen propterea animum plane deſpondere debui? num exactam officii normam adulterare, ut deviationes meas minus arguat? Ne ſirit hoc unquam Deus. Malo equidem, Auditores, ut quam exiguus præ eo quod eſſe debeo, quam nullus ſim, deprehendatis omnes: malo ut centies quotidie de defectibus meis erubeſcam, quam ut imperfectius exemplar proponens, minus aliis diſpliceam, mihi dulcius ſed ſtultius blandiar. Polliceri tamen per gratiam Dei audeo, omni me niſu conaturum ut fidem vobis meam & diligentiam probem. Veritatem docebo, pietatem inculcabo, ſolida ſectabor, vana, curioſa, litigioſa, ex eſſe jubebo. Quod de ſe olim apud Tacitum Segeſtes Germanus, id ipſe de me germana fide dixero: *Vetera novis, quieta turbidis antehabeo;* neque aſſurgo quorundam, qui libertatem prophetandi crepare amant, conſiliis, quæ *ſpecioſa verbis, ſed re inania ſunt ac ſubdola; quantoque majore libertatis imagine teguntur, tanto eruptura in infenſius ſervitium*: ut

hæc

hæc quoque Taciti verba mea faciam. Ita veritati litabo, ne pacem turbem. Ita pacem colam, ut nullo tamen eam veritatis dispendio redemtam velim. Ac nisi me, quod ne unquam mihi eveniat, ex imis præcordiis deprecor, Divina destituat gratia, faxo ut vobis, *Clarissimi Collegæ*, non injucundus convictor; vobis, *Præstantissimi Juvenes*, non seducens ductor sim. Et Te quidem, *Celeberrime* ARNOLDE, Orthodoxias in Frisia nostra Propugnator Acerrime, qui in Palæstra hac Academica veteranus es, oro atque obtestor, ne novitio mihi atque inexperto, exemplo, voce, ope, consilioque desis. In vindicanda veritate, in debellandis hæresibus, in commendanda pietate, duc, dirige, præi: non passibus æquis, sed sequar tamen. Tu, ut aquila in nubibus altum evola, mihi volupe erit pullum non omnino degenerem e propinquo advolare. Socias jungamus dextras: non pallidus livor, non dira Erynnis, non malesuada æmulorum obtrectatio, animos in Deo unitos distrahat. Ego canis tuis verum pretium suum statuam. Tu mihi, operi, quod jam aggredior, minus sueto, præsidio & solatio esto.

Vos autem, *sacri Deo Juvenes*, mea olim futuri lætitia, & gloria, & corona in Domino, dociles vos, & ductiles nobis præbete. Quicquid habeo, si quid habeo, vobis de hinc habebo. Quicquid possum, vobis potero. Quicquid sum, vobis ero. Vobis studebo, vobis laborabo, vobis commentabor. Vos in oculis, vos in sinu geram. Neque macerari ac consumi detrecto, dum vobis inserviam. Tunc demum vivere mihi videbor, si propitio conatibus nostris numine id consequar, ut ex disciplina nostra venientes, probatos vos parentibus ac Mecœnatibus, idoneos Ecclesiæ, sanctos & gloriosos Deo sistam. Vos modo vobis ipsis non desitis, sed dum virent genua, dum oportunum gratiæ tempus affulget: dum Cœlestis sapientia ædis suæ portas pandit, tantam salutem non negligentes, indefessa diligentia, devotis precibus, inculpata probitate, dignos vos Deo, dignos ministerio ejus fingite.

Hæc utrinque agentibus, imo ut hæc utrinque agamus, adsis nobis Spiritu tuo omnis sapientiæ Doctor Datorque Deus. Illumina oculos nostros, ut videamus mirabilia legis tuæ. Sint castæ deliciæ nostræ Scripturæ tuæ Sanctæ: nec fallamur in iis, nec fallamus ex iis. Sanctifica nos in Veritate tua, Verbum tuum est Veritas. Serva, tuere, amplifica Academiam hanc gloriæ tuæ consecraneam. Invidia, lites, schismata, hæreses, æternum exsunto. Vigeat orthodoxia, floreat pietas, benignitas & fides sibi mutuo occurrant, justitia & pax se invicem osculentur. Charissimam patriam mirifica tua dextra tot malis ereptam, incolumem ac pacatam præsta. Benedic Principi Gubernatori nostro, ad maxima nato, ad magna in

dies

dies assurgenti, qui una cum Arausionum Principe, ævi nostri miraculo, columen Patriæ, mora fatorum est. Benedic Heroinæ Matri, in qua antiqui temporis Deboram sæculo nostro reddidisti, quicquid scævum sævumque est, a caris istis capitibus æquus averrunca. Benedic Proceribus, ut prudenter, cordate, feliciter Reipublicæ consulant. Benedic universis civibus; nulla eruptio, nulla querela in plateis nostris sit. Et post exactos in prolixa felicitate vitæ nostræ dies, tandem nos cum omnibus electis tuis transscribe cælo. Hæc voti, hæc spei nostræ summa est. Audi, Exaudi nos in simplicissima unitate adoranda Trinitas.

ORATIO
INAUGURALIS TRAJECTINA
DE
PRÆSTANTIA VERITATIS EVANGELICÆ,
Dicta

II. KAL. MAJ. CIↃ IↃC. LXXX.



Uemadmodum inviolabili naturæ lege ortus quæque suos repetunt; ita etiam officii ratio exposcit, ut cui rei initium sui singula debent, ad eam rem omnis eorum usus fructusque pertineat. Qui in ipsis rerum primordiis e terra ascendebat vapor, idem in terram recidens limpidi roris sui guttulis almæ matris gremium fæcundabat. Æquitati & justitiæ quid magis est consentaneum, quam ut is qui plantavit vineam uvis illius vescatur, qui pascit gregem lacte illius ac vellere fruatur, qui spe messis agrum colit spei suæ compos votorumque damnas evadat? Deus ipse, qui rerum omnium principium,



pium, idem & finis eſt, Α pariter atque Ω: uti ex ipſo, & per ipſum, ita & ad ipſum omnia. In humana quoque ſocietate nemo eſt liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui atque doctores, cui non locus ille mutus ubi ipſe alitus atque doctus eſt, cum grata recordatione in mente verſentur. Honeſtum eſt, ut quid cuique acceptum ferre & pro tua copia rependere debeas, ſollicitis animi cogitationibus identidem expendas. Omnes in hoc urbes, omnes etiam ex Barbaris regionibus gentes conclamant. In tanta judiciorum diverſitate, referendam bene meritis gratiam eſſe, omnes uno ore adfirmant. In hoc tam diſcors turba conſentiens eſt. Ne igitur fœdiſſimo crimine in æquiſſimas eas leges peccare comperiar, quas & natura Barbaros, & ratio eruditos, & Sacer Dei Spiritus Chriſtianos docet: primum atque ante omnia profiteor, nihil in me vel ingenii, vel doctrinæ, vel eloquentiæ eſſe, quantulum illud cunque eſt, ſi tamen aliquid eſt, nihil eſſe quod meum ſit: nihil, quod non immortali Deo debeam; Deo inquam, qui docet nos præ beſtiis terræ, & ſapientiores facit volatilibus cœli; qui conſiliorum ſuorum arcana timentibus ſeſe pandit; qui, uti avicularum linguas ad laudum ſuarum cantillationem mirifice ciet; ita & homini os ſtatuit, & loquelam indidit, & pſalmos dat noctu. Ejus itaque ut & uſu, quemadmodum mancipio, totus ſim, jus & fas omne exigunt. Ubi ubi terrarum degam, faxo ut Dei me ſemper eſſe meminerim. Ejus gloriæ illuſtrandæ, ejus regno amplificando, ejus cultui promovendo, ejus peculio exornando, ſi quid in me vel ingenii vel induſtriæ eſt, in ſolidum impendetur. Id non ore magis quam corde proclamo (audiat jus, audiat fas, audiat ipſe cordium renumque ſcrutator Deus,) nullum unquam mancipium magis Domini ſui fuiſſe, quam ego me Dei eſſe velim. Quamobrem omni honoris proprii, aut privatæ utilitatis, & qualiſcunque commodi ambitioſæ inhiationi renuncians, non quæ mea, ſed quæ Dei Chriſtique ejus ſunt, unice poſt hac quærere, curare, ſatagere, animum induco. *Os meum narrabit juſtitiam tuam, Domine, toto die ſalutem tuam: quamvis numeros illius ignorem. Veniam per præpotentias Domini Dei, memorabo juſtitiam tuam, tuam ſolius.* Sed & illud mihi profitendum eſt, VIRI ULTRAJECTENSES, ſi non omnia, pleraque ſaltem mea, poſt Deum O. M. veſtræ me inclutæ Urbi, veſtræ in ea Eccleſiæ, & celeberrimæ huic Academiæ debere. Hic ego ex domeſtica meorum inſtitutione emancipatus primum ſolidioris doctrinæ ſuccum hauſi. In hujus me Eccleſiæ gremio renatum ex ſemine incorruptibili, per ſermonem Dei vivi & manentis in æternum, in Domino gloriari licet. Hic primum myſticæ dapis particeps, ac Domi-

nicæ mensæ conviva factus sum. In hoc ipso secretioris sapientiæ sacrario, in iis ipsis subselliis, quæ nunc stipata studiosæ juventutis corona conspicio, ad Doctissimorum Virorum pedes quondam me consedisse memini? & ex hac ipsa cathedra, quæ suis & olim & nunc Doctoribus superbiens, tam disparem illis homuncionem tantum non dedignatur, ex hac ipsa, inquam, cathedra, VOETIOS, HOORNBEECKIOS, BRUNIOS, ESSENIOS, NETHENOS, at quanta nomina! qui tunc Academiæ hujus lumina erant, de Divinis rebus sapientissime & copiosissime dissertanteis audivisse me grata mente recordor. Et profecto citius oblivifcetur sui dextra mea, citius arido palato adhærescet lingua, quam ego Ecclesiæ atque Academiæ hujus, beneficiorumque ab utraque in me collatorum oblivifcar, desinamque & illas & hæc efferre supra summam lætitiæ meæ. Neque possum quin gratias agam immortali Deo gratissimas, quod occasionem nunc mihi suppeditaverit affectum hunc non verbis modo testandi, sed & effectis comprobandi. Non quod FRISIÆ me meæ piguerit, quam ego studiorum, honorum, commodorum meorum altricem prædicare nunquam desinam: aut quod ad stationis hujus sublime decus ambitiose anhelaverim; cujus rei præter Deum & conscientiam, Amplissimum Urbis hujus Magistratum, & Venerandum Ecclesiæ Presbyterium testes habeo: sed quum jure suo repetitum venirent quod liberaliter pridem impertierant; non debui committere ut malum nomen videri possem; aut Deo me vocanti subducere, quo minus cum fœnore refunderem, quod non nisi mutuo olim acceperam. Mentiarque nisi gavisum me dicam incredibili illa tam Politici quam Sacri Ordinis benevolentia, qua me mirabili animorum consensione *ad bene* de egregio publico merendum invitaverunt. Hac ergo fini nunc adsum, VIRI ULTRAJECTENSES, ut quam capessivi erudiendæ pubis Academicæ provinciam eam nunc cum bono Deo auspicer. Deliberanti autem quam primo sermoni materiam seligerem, nihil opportunius visum est, quam ut Veritatis inter vos Evangelicæ Doctor designatus, de ejusdem EVANGELICÆ VERITATIS PRÆSTANTIA perorarem. Quod dum procul omni conquisitorum verborum lenocinio, procul omnibus artis Oratoriæ pigmentis conabor, quippe quæ casta nostra Diva, ingenita sibi contenta pulcritudine, spernit atque aversatur: Vos mihi, AUDITORES, aures animumque advertite, & a carceribus nunc prodeunti, ad cursum alacriter inchoandum, feliciter persequendum, benevolentia vestra veluti stimulos & calcaria admovete.

EVANGELIUM quum dico, intelligo lætissimam illam annunciationem salutis per Christum æternum æterni Dei Filium humano generi

generi partæ. Postquam malesuadi veneno serpentis infecti mortalium primi vetitæ arboris fructum nefario ausu temeraverunt, & ipsos sese, & posteros secum omnes, ejusdem reatu criminis implicitos, ea qua tunc fruebantur felicitatis continuatione, & amplioris beatitudinis consequendæ spe exturbarunt, præcipitaruntque in barathrum inevitabilis exitii. Contemta Numinis Majestate, violata præcepti religione, spreta intermintione dirissimæ æternæque mortis, insuper habitis præstantissimorum bonorum promissis, &, ut numero dicam, rupto contumaciter fœdere quo obstricti D. O. M. erant, amicitiam ejus justissimo odio atque ira infeliciter commutarunt. Quæ ira Dei ab eo tempore cœlitus manifesta facta est adversus omnem hominum impietatem & injustitiam: & persentiscitur in conscientia ad quamvis Numinis vocem trepidante: & omnium denique ærumnarum, quæ æterni interitus prænunciæ sunt, amara scaturigo est. Quod autem omnium est hac in re miserrimum, repudiata semel immortalis Dei amicitia, omnis coaliturae iterum pacis spes prorsus decollasse videtur. Non enim sinit Dei sanctitas, ut communionem sui peccatori indulgeat, ne ipsi videatur esse similis. Justitia vindictam exigit: Veritas interminata est mortem. Ac nequaquam exspectandum est, ut Deus, in hominis peccatoris gratiam, pacem redintegret cum ulla virtutum suarum læsione. Accedit quod ipse homo tam mente captus, tam sibi ipsi inimicus sit, ut vel oblatam Dei gratiam sit rejecturus, ad interitum suum insane obdurans. Adeo eum sibi mancipavit Diabolus, ut libere admodum ac liberaliter ei serviat, pristinæque oblitus felicitatis, & suas nunc ipse catenas deperiens, de se in libertatem asserendo, & cum Deo in gratiam redeundo, cogitare nec velit nec possit. In eo rerum statu natura nos omnes deprehendit: quoquo versemus oculos, nulla alicunde spes affulget, nisi ut fortiter æternumque nos miseros esse jubeamus. Deus tamen, qui non sibi tantum & creaturis suis rationalibus ad omnem felicitatem sufficientissimus est, tantam in se opulentiæ ubertatem possidet, ut, quod incredibile esse modo jecimus, illæsis virtutibus suis, Deus & salus fieri possit peccatoris. Et quum intelligentiæ ipsius nulla sit pervestigatio, non difficile ei fuit viam invenire, qua quidquid se miserorum hominum saluti objiciebat superaretur. Filium enim habet, qui suscepto vadimonio humana se carne induere, & pro hominibus omne jus legis tam agendo quam patiendo exsequi, atque ita Divinæ Sanctitati, Justitiæ, Veritati nostro loco satisfacere possit. Porro is Filius Spiritum habet longe valentiorem spiritu inferorum, qui merita Filii mortalibus applicare, & flexanima ac vorticordia virtute sua odium Dei mentibus

tibus expectorare, ejusdemque amorem indere iis norit. Hoc est *mysterium illud Dei & Patris & Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque notitiæ absconditi.* Ex ista Divinarum opulentia perfectionum profluxit CONSILIUM illud PACIS quod est inter JEHOVAM, & inter virum cujus nomen est GERMEN. Quo consilio & hereditas Testamento descripta, & heredes nominatim designati sunt, & modus constitutus est Deo dignus, quo destinata hereditas ad heredes deveniret. Eam voluntatis suæ partem, cui cætera omnia cum sapientiæ tum potentiæ opera inserviunt, mox a peccato protoplastis Deus significavit. Verum iis verborum involucris, & ænigmatum ambagibus, ut, nisi uberior accessisset explicatio, de mente Dei ambiguus manere necesse fuisset. Credibile ergo est familiaribus colloquiis plura de consilio suo Deum exposuisse, quam in tanta scripti brevitate narravit Moses. Hoc utique constat, primævæ promissioni de semine mulieris caput serpentis contrituro, multas alias cum tempore accessisse, quæ illi non confirmandæ solum, sed & illustrandæ atque amplificandæ inservirent. Donec tandem Messiæ persona, & duplex quoad utramque naturam egressus, & nativitas e Virgine Regia, & ortus ex Bethlehem, & vita quam privata quam publica, & passiones, & mors, & resuscitatio e morte, & ascensio in cœlum, & officia omnia, & beneficia suis conferenda, prophetiarum præconiis, typorum emblematibus, cerimoniarum figuris, pro œconomiæ istius ratione artificiose admodum delineata atque expressa sunt. Additis temporum characteribus, quo ea quæ fieri cernebat populus Israëliticus facilius dignoscere, & cum priscis oraculis certius contendere posset. Quum autem plenitudo temporis advenisset, e cœlo descendit Dei Filius, & quum humanum sibi corpus ex carne & sanguine Virginis Mariæ in vivum Deitatis suæ templum formasset, plaudentibus cœlestium Angelorum choris, homines ut fratres suos visitavit. Et postquam depositis pueritiæ tyrociniis, quibus Hebræorum sapientissimos quosque in templo secum differentes in stuporem dederat, in virilem ætatem maturuisset, a Johanne Baptista, insigni Viro, quem Deus exulceratis istis temporibus velut alterum Eliam commodaverat, palam pro Messia agnitus atque prædicatus est. Ipse quoque se eum esse quem promiserat Deus, quem exspectaverant Patres, ad cujus adventum omnium passim animi ea tempestate anhelabant, sermonum suorum admirabili sapientia ac potentia, & incredibilium miraculorum patratione, ceu totidem invictis argumentis, comprobavit. Et quemadmodum omni vita exactissimæ sanctitatis exemplar expressit, ita & dirissimis cruciatibus, atque immeritæ morti, impiorum sibi manibus inferendæ, ultro sese

ſeſe & alacriter obtulit. Ut & pro peccatis noſtris patiendo reatum eorum expungeret, & omnem juſtitiam præſtando jus nobis ad vitam æternam acquireret. Sed fieri non poterat, ut morte, quam moriendo vicerat, detineretur. Quapropter tertio a ſepultura die, tremente terra, miniſtrantibus Angelis, ſtupentibus monumenti cuſtodibus, ſua ipſius virtute, vivus exiit, glorioſam indutus immortalitatem. Neque voluit inferiores has mundi partes relinquere, niſi poſtquam frequentibus apparitionibus vivum ſe ſuis exhibuiſſet, ad indubiam veritatis demonſtrationem una cum iis prandens cœnansque. Tum demum aſpectantibus undecim Apoſtolis, pleno die, per medium aëra, in cœlum raptus eſt; donec interveniens nubes intenſam oculorum aciem fregit. Ibi vero ſe & vivere, & regno potiri, effuſo, ut prædixerat, ubertim Spiritu manifeſtum fecit. Eo quippe Spiritu, qui momento temporis omnem ingenii ruditatem Apoſtolis defricuit, fecitque ut inſciti hactenus idiotæ, qui patrium modo ſermonem vix balbutierant, nunc quarumvis nationum linguis magnifica Dei opera ſapienter & copioſe prædicarent. Hic eſt ille Jeſus quem præſtituit Deus placamentum per fidem in ſanguine ipſius, ut quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et doctrina tantæ ſalutis nuncia, ea demum eſt quam EVANGELIUM vocamus. Quid enim hoc nuncio lætius jucundiuſque contingere poteſt homini criminum ſibi ſuorum conſcio, anxioque ſalutis? Lætum, inquies, & jucundum profecto eſt; modo VERUM ſit, neque arte conſutis fabulis, veluti ſomniorum ludicris, avidus animus decipiatur.

Imo, inquam ego, adeo verum eſt, adeo certum, nulla ut veritas Geometrica ſolidius demonſtrari queat. Quod dum firmiſſimis rationibus addictum eo, non exiſtimo mihi neceſſe eſſe, ut iterum benevolentiam attentionemve veſtram emendicem. Sive enim ipſa diſciplinæ hujus DOGMATA ſpectemus, ſive eorundem INTER SESE & NOVORUM cum ANTIQUIS CONNEXIONEM atque harmoniam, ſive HISTORIAM Chriſti & rerum ab eo geſtarum, ſive MIRACULA ad harum confirmationem patrata, ſive denique horum omnium EFFICACITATEM in qualiumcunque animorum convictione: in ſingulis quidem ſeorſim ſumtis, magis tamen in omnibus junctis, non veritatis ſolum, ſed & Divinitatis certiſſima deprehendemus argumenta.

Ad DOGMATA quidem quod attinet, ea partim talia ſunt ut eorum cognitionem aliquam confuſam atque vacillantem a natura habeamus, quæ tamen Evangelium multo patefecit luculentius, ac firmius mentibus hominum perſuadet. Unde factum, ut tametſi ex libris Philoſophorum, & omnium populorum conſenſu, & ipſo ſenſu con- *Vide Amyral. Theſ. de Auctor Script.*

ſcientiæ, conſtet, Evangelium in iis verum eſſe, miremur tamen, poſtquam tanta lux nobis affulſit, res tam certas & indubitatas non niſi dubitanter præſtantiſſimis ingeniis perſpectas explicataſque fuiſſe. Talia ſunt quæ de Deo illiusque virtutibus, quæ de mundi conditu, quæ de hominis ad Dei imaginem primæva creatione, quæ de lege menti inſcripta, quæ de peccatorum atrocitate & meritis, quæ de immortalitate animæ & de diverſa piorum impiorumque poſt hanc vitam conditione, vel traduntur in Evangelio, vel ſupponuntur. Sed & alia docentur de quibus ne hilum quidem homines ſuſpicati erant, quæ tamen poſtquam innotuerunt, apparuerunt manifeſto & rectæ rationi eſſe admodum conſentanea, & cum iis quorum notitiam aliquam ex ipſa natura hauſeramus arcte cohærere, & ad ſummum bonum conſequendum eſſe abſolute neceſſaria: unde fit ut in iis ex animo acquieſcamus. Atque eorum ſane eſto exemplum ſatisfactio valoris infiniti, quæ Deum atque homines immenſa voragine diremptos veluti ponte facto junxit. Poſt tot irritos hominum conatus in reperienda ratione ſalutis hominibus impetrandæ, re deſperata, quis dubitabit Deum illum eſſe qui princeps vitæ rationem invenit, &

Fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris
In tam tranquilla ac tam clara luce locavit?

Denique nonnulla nos edocet Evangelium, quæ mentem humanam ſuperant, quæque ideo prima fronte eam perturbare & offendere poſſe videntur. Attamen ſi quis in ea paullo diligentius animum intendat, comperiet primum non everti iis veritatis principia, quæ natura mentibus noſtris impreſſit; deinde animadvertet, cum aliis rebus, quæ vel natura quadantenus cognitæ, vel poſtea revelatæ ſeſe mentibus noſtris evidentia veritatis perſuaſerunt, ita apte conjuncta & connexa eſſe, ut hæc negari non poſſint, quin & illa labefactentur ac corruant: denique perſpiciet tantam in iis eſſe tamque Deo dignam ſublimitatem ac ſapientiam, ut neque ignota reperiri, neque reperta componi connectique ab humano ingenio potuerint. In hunc cenſum refero adorandæ Trinitatis myſterium, &, quæ illud conſequitur, incarnationem Filii Dei ex intacta Virgine. Quæ hominum, quæ Angelorum ſolertia, hæc tam abdita, tam ſublimia, tantoque intervallo omnem omnium creaturarum captum tranſcendentia, excogitare valuiſſet? Cui id in mentem venire potuit, unam atque individuam D. O. M. eſſentiam tribus ſubſiſtere Perſonis, quæ, licet ſuis diſcretæ characteribus, unus tamen Deus ſint: aut æternum Dei Filium hominem, in tempore naſci, quo legem hominibus latam impleat: & quidem ex hominibus

bus nasci, uti eos ceu fratres, ac proximos sibi diligat ac vindicet: e Virgine tamen illibata, nequicquam ex humanæ vitiositatis spurcitie, per ordinariam connubii viam in posteros sese diffundente, contraheret. Hæc quam arcte cum toto salutis nostræ negotio cohærent? quam satisfaciunt animæ beatitudinem sitienti, & nusquam alibi securæ? quantam habent secretioris sapientiæ profunditatem? quam inaccessa semper hominibus mansissent, nisi per scripturas Propheticas ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei omnibus gentibus essent notificata?

Sed & Connexionem omnium dogmatum suavissimumque concentum videamus; sive *inter se* conferantur singula, sive ea, quæ *Novi Testamenti* monumentis exposita sunt, cum iis contendantur quæ *antiquis* sunt prodita *oraculis*. Verum vero esse consonum, falsum autem multiforme sibique dissonum, communis ratio dictat. Porro nulla est scientia, ars nulla, cujus præcepta arctius aptiusve cohæreant, quam instituta Evangelii: quæ omnia uni superædificata fundamento mirabili partium coagmentatione in augustæ pulcritudinis templum assurgunt. Artificiosæ catenæ instar habent, cujus nullus unus annulus solvi potest, quin tota mox luxetur compages. Ex uno omnia principio, concatenatis seque invicem firmantibus conclusionibus, nullo uspiam hiatu, ordine deducuntur. Adeo, ut qui principium illud norit, is norit omnia; quatenus id novit, in quo omnia veluti in centro suo conveniunt, e quo deduci, ad quod reduci debent. Quam rem singulatim ostendere quamvis in proclivi sit, non horæ tamen unius, sed dierum aliquot, vel mensium etiam spatio opus est.

Id tamen prætermittere non possum, quantum Evangelii placita firmamen in Mosaicis institutis habeant. Cum Mose olim locutum esse Deum, e medio tonitruum & fulgetrorum, spectante & audiente innumerabili populi Israëlitici multitudine, negare nemo potest, nisi qui eadem opera solem mera meridie lucere neget. Quid enim tandem ex omni historia verum est, si non hoc sit, quod eo conscriptum est tempore ac loco gestum; & conscribi, populoque commendari, ab eoque filiis serisque nepotibus tradi non potuisset, nisi revera ita gestum esset? Quis unus homo sibi scienti volentique ita imponi passus est, ut crederet atque adstrueret a se visa atque audita, quæ nunquam viderit atque audiverit? Nedum ut tanta multitudo, eaque satis procax atque immorigera, in tanti mendacii auctorem impetum factura non fuerit. Ponamus igitur Mosi locutum esse Deum, eumque commendasse populo ut fidelem servum in tota domo sua, cujus ministerio de omni veritate in omne tempus omnes filii Dei erudiendi sunt.

ſunt. Addamus, a Deo ipſum accepiſſe quicquid rituum cerimoniarumque Iſraëlitis tradidit, quod Aaronidarum non ſatis ex præſcripto facientium prodigioſa mors, & Coræ, Dathanis atque Abirami contra litigantium fœdus tremenduſque exitus, ut cætera taceam, abunde comprobant. Sed & id jaciamus: ineſſe ſtatutis illis ſapientiam rationemque Deo dignam: neque enim ſummum Numen ludicris quibusdam ac ſcenicis ſine mente exercitiis populum ſuum fatigare voluiſſe credibile eſt. Hoc tandem fidenter aſſevero, non poſſe eorum commodam aptamque rationem inveniri, niſi umbræ ſtatuantur eſſe earum rerum quarum corpus panditur in Evangelio. Veniamus in rem præſentem. Concurrant omnes novitii Hebræorum Magiſtri; accedat ipſe Moſes Maimonius, qui fato quodam ac ſorte naſcendi primus ſoluſque in ea gente intellexiſſe dicitur, quid ſit hoc, non ineptire; intendant omnes ingenii nervos; omnes excutiant induſtriæ facundiæque ſuæ loculos: nihil in aſſignandis Moſaicorum rituum rationibus ex hypotheſibus ſuis extundent quod non Hibera nive frigidius ſit. Librum compoſuit is quem modo laudavi Maimonius: in eo ſe Doctorem perplexorum eſſe gloriatur: hunc enim, ſuperbum ſatis, libro titulum fecit. Atque id potiſſimum agit ut Moſaicarum legum cauſſas inveſtiget. Neque diffitendum eſt, quin occurrant ſubinde nonnulla quæ legiſſe haut pigeat. Ubi tamen eo deventum eſt, ut externarum illarum cerimoniarum arcani ſignificatus explicandi ſint? dici non poteſt quam ipſe hic Doctor perplexus hæreat, & in quam futiles nænias tota ipſius exeat commentatio. Verum ſi Evangelii noſtri lux acceſſerit, tum demum patebit, omnia iſta picturas figurasque eſſe, ſumma arte a Spiritu Dei elaboratas, ad Meſſiam, *illius*que officia, & beneficia, populo repræſentandum. Hæc doctrina clavis ſcientiæ eſt, qua abditâ fieri non poteſt quin Moſis Prophetarumque commentarii craſſiſſima caligo ſint: ea autem rite uſurpata quicquid in ſermonibus Dei impervium eſſe videbatur in clara luce collocat. Hinc nullo negotio exponitur, quid Tabernaculum cum aulæis ſuis & aſſeribus diſcretiſque receptaculis; quid altare, tam æneum holocauſtorum, quam aureum ſuffitus; quid candelabrum cum ſeptem ſuis lampadibus; quid menſa aurea cum panibus propoſitionis; quid Arca fœderis cum propitiatorio & Cherubinis; quid Pontifex cum omni ſuo ſacro apparatu; quid ſacrificia; quid frequentes illæ luſtrationes; quid cinis vaccæ rufæ; & quicquid denique in religione Moſaica Hieroglyphicum eſt, ſignificare Eccleſiæ debuerit. Quo pacto autem id non verum, non Divinum eſſe poteſt, ſine quo priſca illa inſtituta nec veritatem habent nec ſapientiam; quodque cum

figuris

figuris illis tam exacte convenit, ut si singula conferantur, neque figuras istas artificiosius conformari potuisse ad eas res exprimendas; neque res ipsas a figuris ulla in parte discrepare, manifestum sit?

Transeamus nunc ad *HISTORIAM* Jesu rerumque ab eo gestarum prout eas scriptis Evangelistæ persecuti sunt: & ipsa mihi dicat pertinacia, dicat in perniciem suam conjurata impietas, quid ulli unquam historiæ fidem conciliaverit quod huic desit. Quatuor æquales scriptores, homines uti non mali, ita nec stulti profecto aut stolidi, suæ gentis, sui ævi res memorantes, quibus maximam partem ipsi interfuerant, vel quarum ipsis aliunde plena fides facta erat, ea de Jesu Christi nativitate, vita, sermonibus, miraculis, morte, resurrectione, adscensioneque in cœlum narrant, quæ notiora vobis omnibus sunt quam ut repeti hic debeant. Quid caussæ dici potest, cur minus huic historiæ adhibeatur fides, quam aliis omnibus de quarum veritate nemo dubitat? Alexandrum Magnum Persarum monarchiam debellasse, Augustum Romæ rerum potitum esse, Constantinum Imperii sedem Byzantium transtulisse, quam de suo nomine Constantinopolim dixerit, nemo tam bardus ac stipes, nemo tam opiniosus & pertinax est, qui non credat ac fateatur. Et qua re inductus? Nimirum quia temporum illorum scriptores constanter id asseverant. Atqui idem hic obtinet: & qui gesta Jesu memorant, in iis quæ fidem quam maxime exsuperare videntur, ad populi procerumque conscientiam, & plus quam quingentos testes provocant. Denique circumstantias omnes enarrant; tempus, diem, horam, locum, urbem, pagum, domum; personas, viros, mulieres: quæ quo plura, eo ad convincendum faciliora. Nec vero in Judæa de rebus in India gestis loquuntur; sed ad portas urbis, apud Bethaniam & Betsaidam, in suburbiis, in urbe ipsa, eo vico, ea porta, ea piscina. Vivebant testes, videbant cœci, ambulabant mortui. Iis se circumstantiarum angustiis arctare non est profecto mos mentientium. Et quæ tandem hæc fuisset tam demens impudentia, de rebus eopse tempore & loco gestis, apud homines cuncta sollicite observantes, eosdemque rerum Dominos, tam petulanter mentiri? Aut quæ mendacii merces? Non opes enimvero, non honores, non voluptates: sed contraria omnia, odium plebis & primatum, carceres, flagra, exilia, mortes dirissimæ. Quæ cuncta obsequioso harum rerum silentio redimere potuissent. Jam vero ut quis sensus sui compos talia toleret ob conceptam animo opinionem, fieri fortasse possit: at ut ob falsum quod falsum esse norit tam dura pati velit, non unus aliquis, sed plures, quorum id falsum credi nihil intersit, res est plane incredibilis. Aliud

dicam quod pervicacissimo cuique adsensum extorqueat. Ipsi illi qui ætatis istius proximi, Christianæ tamen rei hostes fuere infensissimi, suo Evangelii historiam testimonio confirmaverunt. Viculo terræ Judææ ortum fuisse Jesum, puella paupercula, fabri materiarii uxore, & in Ægyptum profugisse, agnoscit Celsus, Christianismi impugnator acerrimus. Betlehemi natum probant tabulæ censuales Romanorum, ad quas Justinus, Tertullianus & Chrysostomus provocarunt, quod profecto non fuissent ausi, nisi perspectum id certo exploratumque habuissent. Novum sidus post Christum natum apparuisse, ad eumque Magos venisse, non diffitetur Julianus; sed ad caussas naturales stellæ ortum accommodare studet. Prophetam fuisse Jesum, a quo futura cognita atque prædicta sint, tradidit in Chronicis Phlegon, Adriani Imperatoris libertus. Edita esse ab ipso prodigia, neque Celsus, neque Julianus, quum in Christianos scriberent, negare ausi sunt: Hebræi vero, Talmudici conditores operis, aperte fatentur. Dæmonum vero vim ac potestatem adventu Christi infractum, Porphyrius ipse agnovit. Eundem Jesum a Pontio Pilato Judææ præside cruci affixum, & Judæi tradunt, qui in vespera Paschatis suspensum Jesum scribunt, quum tamen non ignorent eo se nomine, quod majores sui Pilato id statuendi auctores fuerint, gravissimam invidiam apud Christianos, quorum sub imperiis passim degunt, sustinere: & pagani scriptores idem memoriæ prodiderunt. Imo multo post tempore exstiterunt acta Pilati, ad quæ Christiani nonnunquam provocabant. Mirabilis illa Solis defectio, & ingens terræ motus, quæ moriente Christo contigerunt, itidem narrantur a Phlegonte illo, supra nobis laudato. Atque hæc ipsa in aliis etiam Ethnicorum commentariis reperiri, testatur in Chronicis Eusebius, testantur & alii. Thallum quoque eandem eclipsin memorasse, prodidit insignis temporum metator Africanus. Eundemque mundi casum in Romanorum Archivis relatum, Tertullianus, & ante eum Lucianus Antiochenus Martyr, in Apologiis suis urserunt. Imprimis memorabile est quod ex Sinensi Historia Hadriani Gressonii observavit Petrus Daniel Huetius, Vir Clarissimus, adnotasse Sinas in rerum suarum monumentis, ad id tempus ad quod annum ætatis Christi XXXII. nos Christiani conferimus, circa mensem Aprilem, solare deliquium præter ordinem naturæ & leges curriculis astrorum præfixas contigisse: qua rei novitate Quamvutium Imperatorem vehementer fuisse commotum. Nescio an adjungere debeam illustre illud Josephi de Christo testimonium, quod rejectum a quibusdam, assertum ab aliis, doctissimis seculi nostri Viris eruditissimarum dissertationum materiam exhibuit. Pro eo certe facit constans

Ipsa testium laudatorum verba exhibent Grotius & Huetius, nonnulla quoque Mornæus.

De Eclipsi hac a Sinensibus observata, vide prolixe in Actis erudit. Lipf. ad Mens. Mart. 1687. p. 130.

Prolixas testimonii hujus vindicias vide apud Huetium, Demonst. Evang. Propos. III. Thes. XI. seqq.

ſtans & perpetuus codicum omnium, ſive exaratorum calamo, ſive typis impreſſorum, conſenſus. Facit & Euſebii & Hieronymi & Iſidori Peluſiotæ auctoritas, qui illud tanquam legitimum & genuinum repræſentarunt. Suadet idem præterea & ratio: cui enim credibile ſit, Joſephum ſcriptorem diligentiſſimum, quum res Judæorum perſequeretur, de eo viro tacuiſſe, qui maximos in ea gente ac per univerſum fere orbem excitavit motus, ſectamque longe lateque diffuſam de nomine ſuo condidit? Quis eum putet elogio dignos cenſuiſſe Johannem Baptiſtam, & Jacobum Domini Fratrem, indignum vero mentione Chriſtum Jeſum exiſtimaſſe, cujus longe clarius nomen fuit? Quum præſertim Jacobum laudans, ut notum hunc faceret, fratrem eſſe ſcripſerit Jeſu qui Meſſias dictus eſt, quem videlicet longe notiorem eſſe ſciebat. Sed quid conquirendis extraneorum teſtimoniis ultra laboro? quæ tamen maximi in hoc negotio valoris eſſe nemo prudens negaverit. Vel me tacente Prodigia a Chriſto, ab Apoſtolis, a primorum ſeculorum Chriſtianis edita, non veritatem modo, ſed & Divinitatem vociferantur doctrinæ illius cui confirmandæ patrata ſunt. Prodigia, inquam, non in uno loco facta, ſed pluribus; non in hypogæo, ſed frequenti foro; inſpectante toto populo, & in populo multis eruditis, qui ut Chriſto illiusque diſcipulis male volebant, ita cuncta ipſorum opera obſervabant: eademque ſæpe repetita, & quorum effectus non momentanei fuere, ſed permanentes: nequis præſtigias fuiſſe impudenter cauſſetur. Ubi ægrotis repente valetudo, claudis inceſſus, cœcis natis viſus, ſurdis mutiſque auditus & loquela, mortuis vita reſtituitur; ubi rudes animi ſubito rerum Divinarum ſcientia, futurarum præſcientia, cœleſtium viſionibus, & incognitarum antea linguarum peritia imbuuntur; ubi exciſa evulſave penitus linguæ ſermonis facultas uſuſque remanet, quis non ibi virtutem humana omni creataque majorem agnoſcere cogatur? Atqui hæc in initio Chriſtianiſmi tam fuere frequentia, ut nuſquam prædicaretur Evangelium, quin eadem ſimul conſpicerentur admiranda. Nec paucorum modo hæc virtus annorum fuit, aut certis adſtricta locorum finibus; ſed qua patet orbis, ubicunque publicata fuit doctrina fidei, ſolidis ſe aliquot ſeculis exſeruit; donec ſufficienter confirmato Evangelio, tot Divinitatis argumentis & arcana Spiritus obſignatione contentos nos eſſe Deus voluit. Illuſtria, neque ignota eruditis ſunt Juſtini Martyris, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Lactantii, aliorumque teſtimonia, qui ad prodigia ſuis adhuc temporibus frequentata paſſim provocant. Quod autem de ſermonibus eorum quibus reſciſſa a Ty-

rannis lingua erat modo allegavimus, illius rei non in solo Romano martyre habemus exemplum,

> *Plectrum Palati ac faucium sævus cui*
> *Tortor convulsit, nec tamen silentium*
> *Indixit ori, quo fatebatur Deum.*

Sed idem Reparato aliisque confessoribus Vandalis contigit. Cujus miraculi non Victorem modo Uticensem, & Marcellinum Comitem, & Æneam Gazæum, & Procopium, & Gregorium Magnum, & Isidorum Hispalensem testes laudare possum; sed ipsum Romani Imperii Principem JUSTINIANUM. Cujus, in codice Lib. I. Tit. XXVII. de officio præfecti prætorio Africæ, hæc verba exstant: *Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis pœnas suas miserabiliter loquebantur.* Quid tandem, AUDITORES, quid ad tanti prodigii confirmationem desiderari ultra potest? Non de plebe aliquis, non ex honoratiorum civium numero, non ex Senatorio aliquis ordine gravitate ac sapientia cum maxime conspicuus, ad testimonium dicendum evocatur; sed ipse Romanæ Imperator Reipublicæ, cujus post Deum majestas humano generi veneranda est, ultro testimonium dicit; nec dicit tantum, sed & rescripto in omne ævum perennaturo inserit; idque de re non olim aut procul gesta, quam fando a viris fide dignis acceperat, sed quam præsentem suis ipse oculis auribusque usurpaverat. Quo nunc confugient quibus tantæ veritatis evidentiæ cedere nondum lubet? Num veram eam doctrinam esse inficiabuntur, cui testimonium præbuit Deus tot signis & prodigiis variisque virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus pro sua voluntate? Num vel sine Deo hæc fieri *possunt*? vel Deus virtutem suam, non semel atque iterum, quod forsassis explorandæ suorum fidei interdum faciat, sed toties tamque constanter, commodaret mendacio? Aut malorum hæc attribuent illusionibus dæmonum, magicæque artis præstigiis? Verum doctrina Christi cui probandæ opera ista adhibebantur, malis spiritibus plane adversatur, hominesque avocat ab eorum cultu, & omni morum immunditia, qua tales spiritus delectantur. Et quantumcunque olim valuerit Magia, quæ tamen *non tam ars est, quam vanissimi cujusque ludibrium*, id certum est, invicta Christianismi valentia vim illius plurimum infractam atque imminutam esse. Si quid tunc potuit Magia, si quid adhuc potest, cur id non imprimis efficit, ut Christianorum nomen, tam suo inimicum honori atque efficacitati, prorsus obliteretur atque intereat? Vel an eo tandem devenient, ut præfracta mente, perfricta fronte, miracula hæc omnino facta esse negent? Sed quo pacto id negari potest, quod tot

tot conſciis factum eſt hominum millibus? Si tamen negent, quid hoc igitur miraculi eſt, quod tot tantique populi, homuncionem miſerum, inopem, humilem, nullis miraculis perſuaſi, inter tela ſequantur; mortuo immoriantur; & pro crucifixo mortem, ignominiam, & cætera extrema pati, felicitatem, decus, gloriam putent?

Singularem doctrinæ illius genium eſſe neceſſe eſt, cujus tanta eſt in alliciendis ac devinciendis hominum animis Efficacitas. Atque hoc ultimum ex iis argumentis erat, quibus Evangelii veritatem confirmare inſtituimus. Perpendite mecum, Auditores, quantum ea res admirabilitatis habeat. Duodeni primum homines, nulla re niſi probitate ſua, & infucata morum ſimplicitate commendabiles, orbem inter ſe partiti terrarum, non tantum per omnes Romani Imperii partes, ſed ad Parthos quoque & Indos progreſſi, intra triginta annos circiter, Evangelii fama cuncta repleverunt. Craſſam ubique offendebant ignorantiam, præjudicia valida, animoſque falſæ religionis circa fictitia numina veluti œſtro quodam percitos. Obſtabant iis inſtituta majorum, philoſophorum doloſæ diſputationes, vis omnis poteſtaſque imperantium. Non oſtentabant Geometriæ ſtudium cum Platonicis, aut plantarum & animantium hiſtoriam cum Peripateticis, aut Stoicorum dialecticam ſubtilitatem, aut Pythagoricam numerorum & concentuum peritiam: nulla iis facundi ſermonis concinnitas, qua Græci olim Romanique Oratores plebis animos veluti incantabant. Sed nullo hominum auxilio nixi, nullo ſecularis ſapientiæ apparatu inſtructi, ſine ullis verborum illecebris, Chriſtum crucifixum prædicant, eo ſucceſſu, ut viri, feminæ, dites, inopes; nobiles, plebeii; ſapientes, idiotæ, abjuratis priſcæ ſuperſtitionis vanitatibus, in omnibus quocunque venirent orbis terrarum tractibus, Chriſto nomen dent: tam conſtanter, & quemadmodum Paulus noſter dicit ἀπερισπάστως, ut nulla deinceps ſermonum vafritie, nullis promiſſionibus, nullis minis, nullis cruciatibus mortibuſve dimoveri ab incepto potuerint. Ab India uſque ad Britanniam, a rigida ſeptentrionis plaga uſque ad fervores Atlantici Oceani, in inſulis & provinciis omnibus quas ſol oriens atque occidens luſtrat, innumerabiles populi, & tantarum gentium multitudines Chriſti crucifixi leges acceperunt. Beſſorum feritas & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce crucis fregerunt melos, & totius mundi una vox, Chriſtus eſt. Depoſuit pharetras Armenius, Hunni diſcunt Pſalterium; Scythiæ frigora fervent calore fidei: Getarum rutilus & flavus exercitus Eccleſiarum circumfert tentoria. Hæc enim a Patribus olim obſervata, & magnifice, uti merentur, prædicata,

in usum nostrum libentes transferimus. At non in eo solum vis elucet veritatis Evangelicæ quod tot gentes tam subito ad fidei obedientiam edomaverit; sed vel in hoc maxime, quod ii qui semel Evangelium ex animo amplexi sunt, omnia quantumvis sibi charissima deserere, & extrema quæque experiri maluerint, quam ut suscepto Evangelio renunciarent. In proverbium abiit Christianorum constantia. Galenus, Medicorum post Coum senem celebratissimus, quum Medicorum & Philosophorum quorundam sui temporis pertinaciam notare vellet, *citius* ait *Christianos religionem suam ejuraturos esse quam ut ipsi meliorem induant sententiam.* Et quid ulla unquam ætas huic rei simile conspicata est? Non incestus, non parricidii, non veneficii scelera atrociore tunc pœna vindicabantur, quam nudum Christianismi nomen: non crimine aliquo, ut Tacitus ait, sed odio generis humani convictum. Non sufficiebant sueta tormentorum instrumenta, non unci, non laminæ, non gomphi, non equulei, non cruces, non metalla, non bestiæ, non visa pridem vivicomburiorum exempla. Nova conquirenda erant expiandæ nominis hujus atrocitati. Nimiæ videbatur clementiæ, Christianos homines ad stipitem dimidii assis vel asseris devinctos sarmentorum ambitu exuri, idque tam frequenter, ut *sarmentitiorum* & *semaxiorum* exinde iis nomen hæreret: ignota priscis severitas exigebat, ut ubi dies defecisset in usum nocturni luminis flammarentur, tæda, papyro, & cera, tunicaque alimentis ignium illita atque intexta circumvestiti, stipite interim qui in os emergeret, per vivos homines adacto. Usque tamen adeo inviso Christianorum nomine exsultabant fideles, ut ne mille quidem mortibus permutatum illud vellent: sed vel rogati, vel sponte etiam, se *Christianos* esse non faterentur modo, sed & gloriarentur: etiam tum quum minus opportuna professio illa videri poterat. Christianismi rei, gaudebant: accusatio, votum erat; pœna, felicitas; denotati gloriabantur: accusati non defendebant: damnati agebant gratias. Et dum vel ungulæ fodiebant, vel cruces suspendebant, vel ignes lambebant, vel gladii guttura detruncabant, vel bestiæ insiliebant, obfirmato animo hilarique facie Christianos se esse prædicabant. Quantam oportuit doctrinæ illius efficacitatem, quam alte, quam valide infixam animis virtutem esse, quæ tam immani cruciamentorum sævitiæ par, ex iis omnibus victrix emersit?

Hæc omnia, AUDITORES, non modo veram esse Evangelii doctrinam evincunt, sed & simul veritatis istius præ cæteris omnibus PRÆSTANTIAM arguunt. Ita enim hæc duo conjuncta sunt, ut quibus rationibus Evangelii VERITATEM confeceris, iisdem illius DIVI-

NITA-

nitatem conficias. Quæ autem a Deo est profecta, & tot cœlestibus prodigiis confirmata, tamque incredibili virtute prædita veritas, quomodo non hæc eadem rebus omnibus anteponenda sit, concipi nullo pacto potest. Lubet tamen meditationi huic aliquantulum immorari, & quantum Evangelii doctrina cæteris disciplinis omnibus Præcellat, quæ quam maxime ad generis humani decus atque utilitatem pertinere judicantur, instituta utrarumque comparatione docere. Latus hic iterum nobis dicendi campus aperitur: sed in gyrum compescam gestientis orationis impetum, & tribus quatuorve ad summum capitibus quicquid animo meditatus eram complectar. Contendo igitur veritatem Evangelicam primo Sublimitate sua, dein Jucunditate, postea Sanctitate, & denique Utilitate, quicquid alibi veri cernitur immenso propemodum intervallo post se relinquere.

Cæteræ disciplinæ, scientiæ artesque omnes ita comparatæ sunt, ut quod in quaque veri est sagacium ingeniorum industria inveniri, inventum accurato sermone exponi, & ab omnibus qui non prorsus stolidi sunt, modo animum adverterint, percipi & in usus suos transferri queat. At Evangelii arcana tam sunt humanis mentibus Impervestigabilia, ut ne a cœlestibus quidem geniis primum excogitari potuerint, & postquam a Deo revelata, Propheticisque atque Apostolicis scriptis consignata, aut viva etiam voce prædicata sunt, a nemine mortalium rite atque salutariter intelligantur, cui non singulari Dei dono nova mens indatur, quæ sola spiritualium ac cœlestium rerum capax est. Sunt enim talia ut neque oculus ea viderit, neque auris audiverit, neque ulli unquam mortalium in mentem venerint, Deusque solus ea retegat per Spiritum suum. Ad incomparabilem hujus lucis splendorem mortalium omnium oculi, veluti noctuarum ad solem, caligant. Prodeant e Synagogis, aut Templo, Sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum versatissimi: accedant, ex Academia, aut Peripato, Porticuve, Philosophorum subtilissimi; suo omnes ingenii acumine ac multiplici eruditione superbi: exponantur iis secretiora Evangelii placita, fatebuntur aut scandalum sibi esse aut stultitiam: non deprehendent in iis, quos tamen Angeli stupent, Divinæ sapientiæ inæstimabiles thesauros: & quæ percepisse se credent in illis fœdissime hallucinabuntur, res Dei ad confusas distortasque suorum conceptuum ideas prave torquentes, non conceptus suos, uti par est, ad res Dei conformantes; breviter, nusquam veritatem in nativa sua luce, forma, ac pulchritudine conspicient, sicuti veritas in Christo Jesu est. Quicunque unctionem habent a Sancto illo profectam, quæ

docet

docet de omnibus, illi demum idonei disciplinæ hujus auditores sunt: illi soli assequuntur sapientiam Dei in mysterio, occultam illam, quam præfinierat Deus ante secula ad gloriam nostram, quam nemo principum seculi hujus cognovit: illi puro in lumine lumen conspicantur; tremendorumque secretorum mystæ primum, mox epoptæ, cominus ea cernunt, quæ Angelorum diu fatigarunt satagentiam.

Quæ quum cernunt, dici non potest, quanta JUCUNDITATE fruantur, quanta voluptate perfundantur. Est sane veritas omnis quidam veluti animorum pastus; sed quo illa momentosior, quo abstrusior est, eo inventa & cognita exuberantius adfert gaudium. Quid illud est quod literatis tantum studiorum ardorem injicit, ut projecta sæpe rei familiaris, neglecta corpusculi cura, perdii ac pernoctes chartis impallescant, meditationumque intentione atque assiduitate vitales spiritus exhauriant, nisi veritatis inveniendæ spes? Eam autem ubi invenerunt, vel invenisse se putant, quam gestiunt? quam exsultant? quam triumphant? quam cæteros ignavos illos & inficientes, aversisque Musis natos, præ se despiciunt, suum illud cum Archimede ἙΥΡΗΚΑ miro gratulantis sibi animi applausu ingeminantes? Juvat imprimis abditas rerum caussas rimari, & naturam universi non ab hac solum parte videre quæ publica est, sed & in secretiora ejus penetrando collectis admirandorum effectuum experimentis, quid naturæ opifex Deus quotidie faciat in comperto habere, & quid ipse facere possis, naturæ leges tuis accommodando institutis, cum rudiorum stupore experiri. Nisi ad hæc admitterer, exclamat aliquis, non fuerat nasci. Quid enim erat, cur in numero viventium me positum esse gauderem? An ut cibos, ut potiones percolarem, ut hoc corpus caussarium ac fluidum periturumque nisi subinde impleretur farcirem, & viverem ægri minister? Detrahe hoc inæstimabile bonum, non est vita tanti ut sudem, ut æstuem. Tunc animus consummatum habet plenumque bonum sortis humanæ, quum, calcato omni malo, petit altum, & in interiorem naturæ sinum venit. Tunc juvat inter sidera ipsa vagantem divitum pavimenta ridere, & auratas porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & tonsiles silvas, & derivata in domos flumina.

Et sane pias quoque mentes contemplatio ista operum naturæ mirifice quandoque afficit. At ubi animus limpidiori circumfusus luce, & generosiori agitatus spiritu, supra naturam se extollit, Deumque sibi repræsentat, non ut conditorem modo rectoremque universi, sed ut sospitatorem perditi peccatoris, qualis in Evangelio describitur; tum demum illud in se gaudium præsentiscit, quod Petrus Apostolus gloriosum & ineffabile vocabat. Ubi singulatim lustratis immortalis

Dei

Dei virtutibus, quas natura confuse duntaxat & quodammodo docet, at Evangelium distincte atque plenissime, admirabilem illam Oeconomiam trium in una Deitate personarum attentius meditatur; ut in facie æterni Patris immensi erga se amoris pietatem cernat, in facie coæterni Filii sanctissimæ φιλαδελφίας comitatem: in lumine Spiritus Sancti vinculum suæ cum Deo unionis; tunc lubet exclamare, Inveni te o rupes Salutis, o Deus plenissimæ exsultationis meæ. Inveni & agnosco te, quem reliquus mundus ignorat, & sapientissimi mortalium Athenienses ΑΓΝΩΣΤΟΝ sibi esse fatebantur. Ea nunc de te scio & in te agnosco quæ omnem sermonem, intellectum omnem superant: quæ incomprehensibili infinitate tua digna sunt: quibus denique ab omnibus gentium idolis, & quæ quisque sibi formavit falsis numinibus, distinctus, solus homini ad salutem sufficis. Quando vero ipsum illud salutis opus menti obversatur, inde ab æterno Dei consilio quo universam illius rationem deformavit, usque ad executionem per Christum, & applicationem per Sacro-Sanctum Spiritum; præprimis si inspecto Patris testamento suum quoque nomen inter heredes deprehendat, Christique sanguine ablutus, & Spiritu in libertatem assertus, charitatem Dei in corde effusam sentiat gustetque; tum sui propemodum impos in excessu isto spiritualis lætitiæ lymphatur. Cujus vel minima guttula, anhelanti instillata ori, maximas ægritudines facile dispellet, amarissimas amaritudines edulcorat, & ad acerbissima quæque pro Deo Christoque alacriter atque intrepide subeunda vehementer animat. Hæc illa est interioris gaudii immensa suavitas, quæ lapides torrentis dulces fecit Stephano, crucem Andreæ, violentam pellis detractionem Bartholomæo, craticulam Laurentio, virgas, ungulas, equuleos, rotas, flammas, ut de carceribus & exiliis nihil dicam, tot myriadibus sanctissimorum Dei martyrum, viris, fœminis, pueris etiam innuptisque puellis, qui dulcedine hac Evangelii degustata, ad immanissima tormenta, tanquam ad lautissimas epulas, læti cantantesque ducebantur, & in mediis cruciatibus, Deo pleni, & quasi extra dolorum sensum positi, sævissimorum tyrannorum carnificumque crudelitatem lassaverunt.

Neque tamen metuendum cuiquam est, ne in excessu hujus gaudii peccet, quum Deus ipse non ad hilaritatem tantum, sed & ad sanctam quandam mysticamque ebrietatem invitet. Quo quis de spirituali hoc nectare uberius hausit, licet aliis deliciarum istarum ignaris insanire videatur, eo tamen & sapientior & sanctior est. In vino corporeo spiritus sunt, qui corporeos spiritus exhilarant: sed ubi justo copiosius bibitur, turbat cerebrum, & insanire facit sapientes. At vinum

num ſpirituale, quod totum eſt ſpiritus, & ſpiritus in apice atque exceſſu ſpiritualitatis, ſumma quidem vi, & quaſi exſtatica, animum invadit, & abripit: non tamen turbat, niſi ſalutariter, & ſapienter, & ſancte; ut ſui impos, Dei plena, cœlo proxima, ſupra hominem ſapiat & loquatur.

Nam & hoc ſibi Evangelica veritas præcipuum vindicat, quod SANCTITATEM eximiam, & ad ipſius Sanctiſſimi Numinis exemplar caſtigatam, DOCEAT, URGEAT, & REIPSA mentibus INSPIRET. Non inficior gentium Legislatores præclara quædam inſtitutis ſuis inſeruiſſe; laudo etiam celebroque ea quæ de virtutibus, Socrates, Plato, & poſt eos Cicero, Seneca, Marcus Antoninus Imperator, & quem omnibus anteferre non dubito Epictetus, copioſe atque eleganter diſſeruerunt. Sed utut magnifica prima ſpecie appareant, præ ea tamen ſanctitate quæ Evangelio traditur, frigida prorſus, inania, inanima ſunt, veluti ſtatua quædam fabre facta, at mentis ac ſpiritus expers. Præclare admodum cum cunctis omnium nationum honeſte factis agebatur, ſi ex virtutis illius quam cognoſcebant amore procederent, qui quum ad Deum ipſum non adſcenderet, ſed in rei creatæ ruinoſa celſitudine, qualis eorum virtus erat, terminaretur, non erat Sancta Charitas, ſed vitioſa cupiditas, quæ in obliquo ad ipſum hominem reſpectu male deſinit. At Chriſtianæ Sanctitatis praxis ex puro Dei amore procedit, enixoque ſtudio (φιλοτιμίαν vocat Apoſtolus,) ipſi placendi: ut Deus e cœlis deſpiciens, vivamque virtutum ſuarum imaginem in creaturis cernens, ad tam jucundum ſpectaculum veluti ſubſiſtat. Non quod noſtri nobis amorem Evangelium plane prohibeat: ſed eum rite temperare, Deo *ſubordinare*, & ad Deum referre doceat. Non licet nobis Deum amare noſtri cauſſa: ſic ut nos ipſos ut finem conſideremus, Deum in mediorum redigamus ordinem, cujus fruitione reddamur beati. Sed, quoniam nos res Dei ſumus, quem ante omnia tenemur amare; ideo etiam nos ipſos diligere debemus cum illo ad Deum reſpectu. Bonum noſtrum idcirco quærendum eſt, ut in eo ſuavitatem guſtemus Domini, & ut peculium Dei tanto reddatur auctius. Ita in Oceano illo Divini amoris noſtri tandem amor abſorbetur; quo quid poteſt dari purius atque generoſius?

Philoſophi Sanctitatis ſuæ normam ſtatuerunt Naturam hominis, Rationem Rectam, & præſtantium Virorum Exempla: pauci præceptorum Dei meminerunt, & Exempli quod ipſe nobis dat, idque parce admodum ac tenuiter. Evangelica autem Sanctitas normam longe præcellentiorem habet, ſive Præcepta attendas, ſive Exempla. Præ-

cepta

cepta illius ex perfectiſſima Dei lege petita ſunt: non illa modo, cujus rudera & quaſi fugientis imaginis tenues umbræ in conſcientia hominis naturalis ſuperſtitant; ſed & illa quam tanta cœleſtis gloriæ magnificentia, in frequentiſſima populi ſui panegyri, olim publicavit Deus, quam ſuis ipſe digitis tabulis lapideis inſculpſit, quam luculentiſſimis Prophetarum commentariis auxit, quamque ſecreta Spiritus ſui efficacitate electorum inſcribit animis: quæ non modo ſanctiſſimæ ſuæ voluntatis, ſed & naturæ & virtutum ſuarum, in quantum imitabiles homini ſunt, accuratiſſima expreſſio eſt: neque ſolum externas actiones, & dicta aliis audienda, componit & ordinat; ſed & in penetralibus ſuis hominem ſequitur, intima cordis regit, penitaſque vitiorum fibras, uſque ad primos ſubnaſcentis concupiſcentiæ motus, evellit; omne illud rigide damnans in quo vel minima mali labes aut ſpecies eſt. Pro Exemplis autem ſibi proponit non Socratem aliquem, vel Catonem, aut Lælium, quos hac fini Seneca commendat: ſed viros generoſiore Dei Spiritu agitatos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, ſimileſque in utroque ſexu heroas, quos ſuo commercio & elogio ipſe dignatus eſt Deus: ſed cœleſtium turmas geniorum, qui candidiſſima luce perfuſi, & puriſſima charitate flagrantes, & faciem Dei contemplantes jugiter, nunquam non creatoris ſui laudes celebrant, illiuſque juſſa incredibili alacritate exſequuntur: ſed denique ipſum Dei Filium humana carne indutum, qui omnium ſine exceptione virtutum nitidiſſimum nobis exemplar reliquit. Scilicet hoc poſt protoplaſti fatalem lapſum mundo hactenus defuerat, hominem habere qui intactus vitiis, quaſi viva ſpiranſque lex, in medio fratrum ſuorum verſaretur. Eum nobis in Chriſto Deus exhibuit: in quo virtutem ſanctitatemque ipſam quaſi ſpiritu animatam cernimus. Quis non fateatur magnam hic eſſe Evangelii præ quibuſvis aliis diſciplinis, in excolenda vitæ ſanctitate præſtantiam?

Sed quam docet Sanctitatis ſublimitatem; eandem etiam validiſſimis rationibus Urget, quibus non dicam pares, ſed vix ſimiles, haut temere alibi reperias. Hic, hic ad vivum repræſentatur tetra peccatorum fœditas, & quæ eorum non patrationem modo, ſed & deſtinationem & cogitationem, comitatur animi labes, ſequitur damnantis conſcientiæ carnificina, & iræ Dei ſenſus, & infernalium æternitas cruciatuum. Quibus quid cogitari poteſt ad animos hominum a peccato abſterrendos potentius? Hic ſe patefacit admiranda illa Dei Chriſtique erga miſeros peccatores charitas, quæ vel glaciè congelata corda liquefacere, & ardentibus mutuæ redamationis flammis accendere,

dere, ſupra res omnes apta nata eſt. Hic virt
deſcribitur, & conſequenter maxima creaturæ
felicitas, quæ non poteſt in alia re quam in ſi
Dei conſiſtere. Hic præmia virtuti proponunt
& exſpectanda impoſterum, quibus nihil augu
vel deſiderio expeti poteſt: ſerena nimirum co
& libertas ad Deum accedendi, & familiare
& blandiſſimæ Divini Spiritus conſolationes,
curitas; donec id quod credidit, quod ſperavi
imaginatione celſius attamen quodammodo præ
ſime conſequatur. Et hæc quidem omnia cun
gemina ſunt, tanta ſententiarum denſitate, ta
ac pondere, tam vehementi dicentium affectu, i
tur, ut ferociſſimos mortalium primo attender
re, dein ſperare, & vel invitos propemodum
ſubigant. Paulum modo vobis repræſentate,
Procuratorem de juſtitia, temperantia & æter
uti Chriſtianiſmi cauſſam apud Agrippam rege
tato Dei terrore Corinthios ad fidem ſollicitat,
Dei, quaſi obteſtante per ipſum Deo, ad reco
invitat: ſive uti Romanos per miſerationes Dei
ſua Deo ſiſterent, hoſtiam vivam, ſanctam & pl
lippenſes ad ſacræ concordiæ ſtudium excitat,
latio in Chriſto Jeſu eſt, ſi quod ſolatium cha
ac miſerationes, ſuum in hac re gaudium exple
lum vos perorantem audire exiſtimate, & tunc
quam alibi legeritis, vel fando unquam accep
monis pollentia virtutem mentibus inſinuet.

Amplius dicam. Ea eſt veritatis Evangelic
imbuendos efficacia, ut recte cognoſci ab homi
eum a peccati ſervitute in libertatem aſſerat,
Divinæ imaginem puritatis. Quod Plato de Sa
merito de virtute dixerunt; tantam eſſe illius p
do oculis conſpici poſſet, incredibilem hominu
pelliceret amorem. Nuſquam autem virtus pul
det, quam in Evangelio: quæ in lege quidem
preſſa coloribus, ſed picta tantum eſt, ſine ſ
vita & motu: hic autem viva ſpiranſque cernit
pius mentis oculis uſurpata, contemplantem in ea
formet ex gloria in gloriam, ſicut a Domini Spiri



familiare Dei commercium in sacro monte admissus quadraginta ibi dies exegisset, cutis faciei ejus tanto coruscabat fulgore, ut ferre eum Israëlitarum oculi nequiverint. Idem iis contingit, qui Jesum, Regem gloriæ, retecta facie in pulchritudine sua intuentur. Cœlestis spiritus radii copiose ex ipso emanantes, intimas animæ partes permeant, novumque iis spiritualis vitæ vigorem largiuntur. Quo sæpius eum fidelis animus intuetur, eo clarius perfectiones ejus, quorum ornamentum sanctitas est, cognoscit. Quo clarius eas cognoscit; eo ardentius diligit. Quo ardentius diligit; eo similior iis evadere cupit. Amor enim tendit ad similitudinem cum amato. Imo in ipsa charitate jam magna similitudo est: nam Deus est charitas. Ita sanctificantur animi in veritate: & quæ eam tradunt utriusque fœderis instrumenta, merito a Veteribus dicta sunt τὰ ἱεροποιοῦντα καὶ θεοποιοῦντα γράμματα.

Et quid tandem de Evangelicæ veritatis Utilitate dicam? quæ non hujus inclusa ævi angustiis in interminabilem se protendit æternitatem. Non pollicetur quidem Evangelium opes honoresve seculi, & quæ hominibus glebæ addictis in pretio esse solent: (quamvis & hæc polliceatur, ut majoris boni adjectiones, modo ei quod summum est non obsint) præstantiora longe & pulchriora ostentat bona, quæ non pretiosissimo Ophyris auro, non gemmis aut unionibus, non omnibus Crœsi divitiis, aut Persarum gazis, æstimari queant: quippe quæ permanentia sunt, & solida, neque fallunt quærentes, neque destituunt possessores. Non sistit nos Evangelium ad quosdam creatorum, ideoque imperfectorum & finitorum, bonorum quasi rivulos, qui, ut ut suaves videantur, sitim acuunt magis quam ut exstinguant: sed ad ipsum boni fontem deducit, in quo quidquid desiderari potest, sine modo ac mensura abundantissime invenitur. Ex quo non haurire solum sitibundis licet, sed & immergere se ei ad plenissimam satietatem. Quod frustra Philosophia quæsivit, summum bonum, id Evangelium & docet, & monstrat homini, & præstat. Nusquam id invenias nisi in Deo; neque Deum nisi in Christo; neque Christum nisi in Evangelio. Quæ de animæ immortalitate negavit cum suis Epicurus, dubitanter disputaverunt Plato & Socrates, suspicati sunt Indorum Brachmanes & Druides Gallorum: quæ de futura illius post hanc vitam conditione infinitis fabulis involverunt Poëtæ, ea nobis & dilucide & asseveranter exponuntur Evangelio, non credenda solum, sed & prælibanda, ut ex iis quæ nunc possidemus, cernimus, gustamus, certa fiat fides futurorum.

Christiana veras voces emisisse. Et hic *Marcellinus* etiam *alter* est oculatus testis: namque adjicit multos ex iis religiosissimos se vidisse viros Constantinopoli sine linguis, integra voce. Est & *tertius*, *Æneas Gazæus* in *Theophrasto* his verbis, εἶδον ἔγωγε τὺς ἄνδρας καὶ λαλούντων ἤκουσα, καὶ τὸ στόμα διανοίγων ὅλην ἐκ ῥιζῶν ἀνασπασθεῖσαν ἐθεώρουν τὴν γλῶτταν. Et *quartus*, *Procopius* de *Bel. Vandal.* cujus hæc sunt verba perperam interpretata a *Volaterrano*. πολλῶν καὶ τὰς γλώσσας ἀπέτεμεν ἀπ' αὐτῆς φάρυγγος· οἱ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ περιόντες ἐν Βυζαντίῳ ἐχρῶντο ἀκραιφνεῖ τῇ φωνῇ, οὐδ' ὅπως τί οὖν ταύτης δὴ τῆς τιμωρίας ἐπαισθανόμενοι, ὧν δὴ δύο ἐπειδὴ γυναιξὶν ἑταίραις πλησιάζειν ἔγνωσαν, οὐκ ἔτι φθέγγεσθαι τὸ λοιπὸν ἴσχυσαν. Multos ait sua ætate fuisse *Constantinopoli* superstites adhuc, quibus tametsi *Honoricus* linguas radicitus amputasset, tamen integer erat vocis usus, perinde ac si nullam talem ab eo pœnam pertulissent. Duos tantum ex iis cum se scortis miscuissent amplius loqui nequivisse. Tot testibus etiam addi potest *Victor Uticensis* libro de *persecutionibus Africæ*, & *Paulus Diaconus* in *Odoacro*. Hactenus Cujacius: ex quo plerique alii juris interpretes eadem fere descripserunt. Conferri potest *Johannes Gerhardus Vossius* de *Idololatria lib.* III. *cap.* XLIV. Memoratu dignum est quod ex Actis Martyrum sub Commodo refert *Baronius* ad Annum Christi CXCII. *Tom.* II. *p.* 249. *Julius* Senator Romanus, Christiana religione imbutus, renuebat cum cæteris in eam impietatem consentire ut Commodo, tanquam Herculi, sacra faceret. Hanc ob rem Vitellio militum tribuno ad necem traditur; qui eum tam diu ignominiose fustibus cædi jussit donec animam exhalaret. Cujus corpus quum Christiani sublatum curassent ac sepeliissent, in crimen vocati quod bona Senatoris diripuissent, ejus rei occasione diram de illis *judex* quæstionem habuit, equuleo torquens. QUUMQUE EUSEBII, UNIUS EX ILLIS, LINGUAM RADICITUS PRÆCIDI JUSSISSET, EO NIHILOMINUS RECTE LOQUENTE, ANTONIUS CARNIFEX, VISA RE TANTA, CHRISTO CREDIDIT, ATQUE CAPITE TRUNCATUS EST. At neque recentiora tempora ejusmodi prodigiis caruere. Referunt Martyrologia nostra de STEPHANO-MANGINO, qui *Meldis* Christum confessus est Anno MDXLV. eum amputata sibi a carnifice lingua, distincto sermone ter dixisse: *nomen Domini sit benedictum.* Similiter GABRIEL BERAUDINUS *Chamberiaci*, ob testimonium Jesu combustus Anno MDL. præcisa quamvis lingua non cessavit mirabilia Dei prædicare. Indignanti hoc carnificemque increpanti judici, quod non satis accurate linguam excidisset, non minori cum indignatione respondisse fertur carnifex, *in sua non esse potestate sermonis usu martyrem privare.* Imprimis autem memorabilia sunt exempla JOHANNIS FILLEUL, & JULIA-

Juliani le Veille, *Sanpetri* in Gallia igne absumptorum Anno MDLV. quorum linguæ ex sententia judicum excisæ postridie in curia repertæ sunt; attamen, Deo defectum naturæ miraculose supplente, præclare de Divinis rebus, audiente stupenteque civitate, disseruerunt. Inter cætera hanc edentes vocem, quum ad locum supplicii devenissent: *Nunc tandem res suas habere sibi jubemus peccatum, carnem, mundum, diabolum: nihil nobis ex hac hora facessent negotii.* Carnifici denique pulverem pyrium iis præparanti, *probe*, inquiebat *Filleul*, *probe salito putridam hanc carnem.* Nec abludit historia Bertrandi le Blas, qui eodem anno horrendum in modum Tornaci excruciatus, præcisa lingua Deum laudavit, donec ferro in os adacto vocem veritatis hostes præcluderent. Non debet nobis incredibile videri, Deum suis quoque prodigiis testimonium veritati perhibere, quando ad tam incredibilem constantiam non minori prodigio martyrum suorum animos obfirmat.

ORATIO INAUGURALIS LEIDENSIS, DE THEOLOGO MODESTO.

Dicta

XVI. Octob. MDCXCVIII.



Uod non solum votorum semper meorum superavit verecundiam, sed & meæ sortis homini, suo se pede metiri gnaro, pertimescendum magis quam expetendum videri poterat, id mihi hodierno die usu venisse, non sine insigni quadam animi ad inopinum Divinæ Providentiæ ductum trepidantis commotione, experior. Placuit supremo rerum nostrarum arbitro, post crebras stationum in florentissimis Belgii Ecclesiis & Academiis mutationes, indignissimum

famulorum suorum, inclinata jam ætate, in Augustissimum hoc sapientiæ Templum producere, quod totius Europæ celeberrimum, & doctissimorum virorum copia instructissimum esse, consentiente fama prædicatur. Heic loci ad eam me redactum esse necessitatem video, ut neque tacere liceat, quippe ad dicendum vocato, neque sperare detur, ea me oratione dicturum, quæ & vestræ exspectationi, & meo desiderio respondeat: nedum ut teretibus istis delicatisque auribus satisfaciat, quibus placere nihil solet nisi quod sufferti aliquid tinnit, aut Arpinis possit comparari chartis. Novissime quidem Ultrajectum me habuit, & ipsa amœnissima cultissimaque Musarum sedes; tuæque, Leida (ne succenseas) laudis & gloriæ æmula. Ibi ultra duodeviginti annos, grande mortalis ævi spatium, in aliqua hominum luce vixi: atque ita vixi, præfiscine dixerim, ut neque me Ultrajecti, neque Ultrajectum mei pudere ac pœnitere debeat. Eo certe Procerum favore, ea plebis Ecclesiasticæ gratia, eo pubis Deo consecratæ studio atque concursu, eo laborum fructu ac præmio gavisus sum, ut ob eas res oculos sibi aliquoties doluisse ipsa fassura sit invidia. Quæ ex quibus profecta sint caussis, alios arbitrari malo. Equidem ut eorum quibuscum tunc versabar benevolentiæ ac facilitati potius, quam meis, si quas habeo, virtutibus ac meritis imputem, suadet jubetque ea quam toto vitæ meæ instituto professus ac sectatus sum modestia. Nimirum ita, nisi fallor, res erat: ego assueveram Ultrajecto, Ultrajectum mihi; quæ diuturno multorum annorum usu edocta quid valerent, quid ferre recusarent humeri mei, neque ea quæ vires meas superare norat improbe efflagitabat, & defectibus meis clementer indulgens veniam, in ea quam tenebam docendi ratione, sincera certe, neque indiligenti, placide acquiescebat. Nunc vero alia mihi prorsus rerum facies surgit. Labentibus cito pede annis senectuti propior factus sum: quæ licet vigorem omnem viroremque nondum sit depasta, neque animum bene de publico merendi fregerit; attamen de ingenii vivacitate, de memoriæ tenacitate, de laterum firmitate, de vocis canora suavitate, plus quam vellem delibavit. Ita comparatus in novum, idque amplissimum orbis literati prodeo theatrum; post tot Roscios, iisque inspectantibus, acturus. At quod ego theatrum memoro Theologus? qui sane nunquam me theatro venditare volui, nihil admodum vitreæ illorum felicitati invidens

Quos vehit ad scenam ventoso gloria curru.

Quid Roscios laudo? qui tota vita, a mimis maxime abhorrui, & in exempla mihi præstitui Apostolos Apostolicosque viros, & proxime

ad

ad eos accedentes five prifci five propioris ævi Theologos, nulla magis re quam vitæ fermonifque fimplicitate commendabiles. Ne erretis, Auditores, illud intueor theatrum, ubi editor Deus eft, actores fancti Dei homines, fpectatores cœleftium myriades geniorum populique Chriftiani panegyris, ludus ipfe nihil minus quam ludus, fed jucundiffima, eademque caftiffima rerum fpiritualium ac cœleftium repræfentatio, non ad inanem brevis horæ voluptatem comparata, fed ad delectationem perennem, & gaudium gloriofum atque ineffabile. Rofcii autem mihi funt, non qui in religionis negotio hiftrioniam exercent, damnata orco capita: fed qui Divini, quod promitto, juris incomparabiles Anteceffores, & inimitabiles artis fuæ magiftri funt: nufquam fortaffis terrarum, abfit dicto invidia, præftantiores, quam in illuftri hac concione inveniendi. Talibus ego viris nunc five addor, five fuccenturior. Mirumne igitur eft, fi infolita hactenus hujus loci Majeftas, tot clariffimorum hominum venerabilis præfentia defixique in me oculi, & meæ denique confcientia tenuitatis, animum valde percellant, efficiantque ut mens hæfitet, lingua tertiata verba balbutiat, ipfeque toto corpore contremifcam, non fecus atque olim

Lugdunenfem Rhetor dicturus ad aram.

Non quod veftræ, OPTIMI AUDITORES, benignitati indulgentiæque prorfus diffidam: harum enim nifi fpe fultus effem, haud profecto hic me hodie videretis. Sed quod nondum diligentiam meam, & in indaganda tradendaque veritate induftriam, & candorem, & fidem, & moderationis ftudium, ipfo facto comprobare vobis potuerim; quibus folum virtutibus, defectus meos, primo fe congreffu prodentes, redimi, eorumque veniam impetrari poffe perfuafus fum. Utcunque res cadat, jacta, quod ajunt, alea eft: fufceptam femel provinciam detrectare non licet, nec libet, etiamfi liceret. Non enim nifi rite prius in confilium auxiliumque vocato Divino Numine, poftquam a Vobis, ILLUSTRES PROCERES, honeftis conditionibus propenfique animi haud obfcuris indiciis invitatus eram, in ampliffimam hanc, & modeftis femper votis meis longe fublimiorem cathedram adfcendi. Deo fretus, ut qui in hunc ufque diem fuam in mea infirmitate virtutem confummavit, laffoque vires fuffecit, ne nunc quidem fervum fuum unice ab ipfo pendentem prifco gratiæ fuæ favore deftituat. Quod itaque Academiæ huic, quod Ecclefiæ univerfæ, Chriftus O. M. felix fauftumque effe jubeat, ipfo auctore, duce, aufpice, demandati mihi apud vos muneris periculum hodie facio. Eam autem habendæ nunc orationis felegi materiem, quam neque ab hoc

loco & tempore alienam, neque ætati & professioni meæ indecoram, neque benevolis auribus vestris ingratam fore arbitratus sum. Nimirum de MODESTIA dicam, ea imprimis quæ hominem THEOLOGUM decet, quæque in rerum Divinarum tractatione religiose servanda est. Virtus enimvero omnium prope mortalium laudibus celebrata, sed a moribus hujus seculi adeo abhorrens, ut in disputantium Theologorum cathedris & scriptis, cum affinium sibi ac necessariarum virtutum choragio, rara admodum appareat. Modestiam quum laudo, eam intelligo animi bene compositi æquabilitatem, qua quis de semetipso modice, de aliis præclare sentiens, tractanda sibi negotia prudenti moderatione expedit, uti singulorum naturæ, indoli, ac momento consentaneum est. Monstra mihi hominem, qui sui neque contemtor neque admirator sit; qui Divinæ munificentiæ dona, procul invidia, æquo pretio in aliis æstimat; qui affectus in ordinem cogere, & animum, linguam, stilum moderari didicit; qui res quasque suis prudenter momentis librat, easque ita prosequitur uti singularum genio convenit; qui neque rigidus neque mollis est, sed tractabilis; sine pusillanimitate lenis, sine lentitudine patiens, sine temeritate gravis, sine jactantia fortis, sine contumacia constans: talem, inquam, mihi monstrato hominem, & eum ego vere MODESTUM VIRUM appellabo. Qui idem si omnes hasce virtutes ad rerum Divinarum tractationem conferet, iisque reverentiam addet quæ tremendis religionis nostræ mysteriis debetur, eundem ego MODESTUM salutabo THEOLOGUM: illi assurgam, in illius amplexus ruam, illum exosculabor, illius pectori admovebo meum, arctoque amoris nexu comprimam, donec venerabilem istum characterem menti meæ impressero, exprimendum moribus. Quemadmodum oculi a jucundis aut admirandis spectaculis non facile recedunt, & si per vim eos abstrahas, sponte sua eodem rursus feruntur; ita & mens vix ab earum rerum contemplatione avellitur, quæ primo intuitu suis se illecebris animo insinuarunt. Et sicuti ingentis pretii cimelium ex auro, adamantibus, margaritis, ordine concinno locatis, artificiose compositum, ad primum confusumque adspectum, tot in unum fulgorem collectis rutilantium gemmarum radiis, oculos percellit, sed & mox eosdem ita in se defigit, ut singula undique repetitis vicibus intueri volupe sit; ad eundem modum ea quam animo deformavi MODESTI THEOLOGI effigies, tam pulcra tamque amabilis menti obversatur, ut & diutius ejus contemplationi inhærere, & singula quæ ipsam absolvunt propius lustrare, non jucundum minus quam utile futurum esse credam: si fortassis attenta tot quæ hic concurrunt

virtutum

virtutum meditatione ad eandem nos imaginem gloriose transformari contingat. Agite igitur, Auditores, & quo modo MODESTUS THEOLOGUS DISCAT, quo modo DOCEAT, quo modo VIVAT, partitim expendamus.

Docere nemo potest, nisi qui prius rite DIDICERIT. Nec rite discet, nisi pro studiorum suorum fundamento illam collocaverit virtutem, cui prisci Romuli nepotes nomen non invenerunt, sed quam nos Christiani humilitatem dicimus. Propriæ enim insipientiæ agnitio primus est ad veram sapientiam gradus. Id discendum ante omnia, quantumvis cæteroquin polleamus ingenio circa res naturales & humanas; ad spirituales tamen & divinas ubi deventum est, stultos nos esse, bardos, stipites, caudices, & ut in antiquissimo Israëliticæ Ecclesiæ monumento exstat, velut onagrorum pullos. Hoc Sophar ille Jobi necessarius, hoc Asaph, hoc David, hoc Salomo, sapientum principes, ingenue de semet ipsis professi sunt. Neque alia cuiquam conditione introitus in cœlestis sapientiæ scholam conceditur: quippe cujus augustæ portæ aureis inscriptum esse literis Divinum hoc Pauli monitum existimate: NULLUS SE IPSUM SEDUCAT; SI QUIS SIBI VIDETUR ESSE SAPIENS IN HOC SECULO, STULTUS FIAT, UT FIAT SAPIENS. Qui præceptarum arroganter opinionum fastu tumidam distenderunt mentem, non absimiles pueris esse videntur, qui obviis in littore conchis & umbilicis saccos suos replevere, deplendos utique, ut argenti, auri & custoditu dignorum thesaurorum capaces sint. Ita exornare animum oportet omni vana scientiæ præsumtione, ut veræ sapientiæ locus paretur; quæ quo spatiosius invenerit vacuum eo & lubentius intrabit, & copias suas liberalius explicabit. Hoc modo præparatam, & noxia præjudiciorum saburra vacuefactam mentem, modestus Theosophiæ candidatus Deo, supremo cœlestium veritatum doctori, unice formandam fingendamque tradat: ab ipsius ore pendeat, cunctaque sine exceptione oracula, in solis nunc utriusque instrumenti tabulis exstantia, obsequiosa fidei submissione recipiat. Id unum imprimis agens, ut limpidissima Spiritus Sancti luce undique circumfusus, evidentibus & infallibilibus indiciis convincatur, & superata omni hæsitatione firmissime persuadeatur, Deum esse qui in Scripturis loquitur. Hoc ubi semel fixum animo sederit, omnes in contrarium murmurationes, omnes falsi nominis scientiæ objectiones, omnia factiosæ carnis sophismata, ad tanti luminis jubar dispalescere necesse est: uno hoc, quod modestiæ sufficit, argumento; Deo loquente omnis sileat, audiat, credat intellectus. Neque hæc est, quod quidam garriunt, abjecti nec

suo se pretio æstimantis animi vana credulitas; sed bene certioratæ intelligentiæ sub clare perspecta primæ veritatis firmitudine generosa subjectio. Habet sane cœlestis sapientia arcana sua, & inaccessa mentibus humanis mysteria, quæ sua quidem & digna Deo luce radiant, nostri tamen intellectus respectu venerabili sunt involuta caligine, nulla propioris intuitus curiositate temeranda. Ea non admittere nisi prius omnibus sui partibus explorata, & ad suetarum nobis ratiocinationum libram expensa, insanientis sapientiæ superbia est. Modestia autem homine Theologo digna, omnia Deo de se testanti, eo solum nomine quod testatur, credenda esse sciscit: justis persuasa rationibus, Divinarum perfectionum immensitati consentaneum esse ea de se deque consiliis suis patefacere, quæ humani angustias intellectus immane quantum excedunt: ubi mirari, non rimari, sapientia summa est. Ipsa etiam sciendi, quantumvis cæteroquin laudabilis, ambitio, modestiæ est circumscribenda limitibus: multaque cum laude ignorantur, ad quæ scrutanda non nisi temerario & in cassum recasuro nisu adspires. Quæ certe non eo a me dicuntur, ut præsidium hic sibi ignavia inveniat. Hujus enim rationes ab illis modestiæ longo intervallo remotæ sunt. Non advertere Divinæ institutioni animum, consulto nescire quæ disci tamen poterant, adscendendi labore deterritum ad culmen non eniti, sed in inferioribus otiose consistere, in eodem primorum elementorum orbe repetito identidem gyro circumagi, & in hoc instituto tanquam tutissimo prudentissimoque sibi placere, aliorum autem magna industria profectus suos urgentium, & secundum Pauli monitionem omisso qui in Christo rudes inchoat sermone ad perfectionem anhelantium, conatus fastidiose insectari, non est hoc, quidquid honesti nominis prætexatur, non est hoc, mihi credite, Auditores, laudabilis modestia, sed culpabilis socordia, & damnabilis inertia: & quidquid sibi ille segnis ac molestiarum impatiens plauserit, a Domino tandem servus decoctor ac nequam audiet.

At quam in discendo, eandem etiam in DOCENDO modestiam Theologus adhibeat: atque imprimis meminerit, se non nisi interpretem verborum Domini esse; quibus nihil addere licet, nihil demere. Summa fide, prudentia ac religione in tractandis Dei oraculis versandum est, quibus de suo vel aliunde haustam mentem inferre, eave quovis, vel levissimo, torquere modo, ut præjudicatis respondeant hypothesibus, nefas ac propemodum scelus est: sed verus eorum ac genuinus sensus ex accuratissima verborum & rerum omnium eo facientium indagatione eruendus, apertoque sermone ad conscientiam auditorum demonstrandus est; ita quidem ut Divinorum eloquiorum sapientia,

pientia, ſanctitas, ſimplicitas, majeſtas, & quam Græci eleganter dicunt θεοπρέπεια, in candida luce collocentur. In re religionis nihil audere dicere, niſi quod dicentem audiveris Deum, quodque ex Dei ſermone, omni adhibita animi contentione, probe intellexeris, hæc demum vera eſt Theologi modeſtia. Sed in Sacroſancta ſapientiſſimi Numinis oracula dictatoriam ſibi quandam arrogare cenſuram, ut, quod quidam faciunt, miniatulis ceris tuis eorum dictionem caſtiges, & nunc demendo, nunc addendo, nunc tranſponendo, nunc alia aliis ſubſtituendo, ex conjecturis tuis corrigas, & clementer te cum Prophetis & Apoſtolis agere opineris, quando veniam ſcilicet iis facis incommodæ locutionis: vel etiam, res ipſas arcanis voluminibus proditas, ubi a ſueto naturæ tramite recedunt, earumque occulta ratio noſtræ forſan mentis ratiocinationibus expediri non poteſt, ita tractare, ut quod in iis extraordinarium, miraculoſum ac prodigioſum eſt, prodigioſa ſimplicium verborum torſione tollas, quod nonnulli ſibi licere poſtulant, id non immodeſtia, molliore quam pro re vocabulo, ſed audacia, protervia, contumelia, impietas dicendum eſt. Cæterum quandoquidem in ſacris noſtris non omnia æque cuivis obvia, nonnulla etiam ob priſci temporis ſermoniſque ignorantiam obſcuriuſcule propoſita, alia denique ex ipſa rerum natura a multorum perceptione remota ſunt, modeſtiæ eſt ita in eorum expoſitione verſari, ut nihil temere definias, nihil ſuperciliose præſcribas, ſed potius quid tibi, omnibus expenſis, probabiliſſimum & veriſimillimum videatur, verecunde profitearis, relicta prudentioribus diſſentiendi libertate. Enimvero nihil indecentius, nihil a Chriſtianiſmi genio, & Novi Teſtamenti libertate magis alienum eſt, quam unum aliquem exſurgere, qui ſe ſupra fratres ſuos æque pretioſæ fidei conſortes efferat, eoſque, in Cæritum tabulas relatos, ad ſuorum verborum formulam adigat. Quod utique procul repulſum eſſe debet ab homine ſui non ignaro, & quid ſibi deſit, quoties erraverit, tum etiam quum minime ſe errare crederet, tam aliunde, quam ex quotidianis profectibus ſuis, experto. Chriſtianæ fidei Doctores quotquot ſumus, fratres ſumus ad unius magiſtri, Chriſti, pedes ex æquo adſidentes. Rebellis in magiſtrum eſt, & fundamentales ſcholæ leges proterviter conculcat quisquis ſibi imperium arrogat in condiſcipulos. Iſti autem imperio, ſive unius, ſive plurium in eandem tyrannidem conſentientium, ſponte ſe ſubmittere, iſti jugo colla ſubdere, iſti cippo crura dare, non generoſa modeſtia, ſed abjecta puſillanimitas, & indigna res libertate Batava eſt. Ferreum iſtum, qui volet, calceum ignavus induat: ad meum certe pedem non facit, non faciet. Ipſis etiam diſcipulis, ſi quid forte

aliunde

aliunde iis patefactum sit, animi sensum coram doctore, salva modestia, promere fas est: qua libertate qui eos privat, perinde facit, ut in Hebræorum est adagiis, ac si filium familias arceret a cernenda hæreditate paterna. Modestus itaque Theologus sua nemini vehementer obtrudit, nec ab aliis obtrusa pavidus credulusque suscipit: attamen ex aliorum inventis amat proficere, iisdemque id quod debet lubenter & grato animo acceptum fert. Ex plagio, male dissimulato, congestas jactare divitias, aliarum se avium plumis exornare, interimque primæ vindicare inventionis gloriam, ridiculæ cujusdam, ipsisque adeo Poëtis explosæ, arrogantiæ est. Tempestive in mentem mihi venit præclarum ac memorabile Nepotiani exemplum, cui elegantissimum Hieronymus Epitaphium scripsit; ubi cæteris laudibus ipsius hanc quoque, de qua nunc agimus, modestiæ laudem adspergit. Quamvis Nepotianus ille *lectione assidua & meditatione diuturna pectus ipse suum Bibliothecam fecerat Christi, tamen ingenuo pudore qui ornabat ætatem, quid cujus esset, simpliciter confitebatur. Atque hoc modo eruditionis gloriam declinando habebatur eruditissimus. Illud*, ajebat, *Tertulliani, istud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii est. Sic Minutius Felix, ita Victorinus, in hunc modum locutus est Arnobius.* Pulcre enimvero! ac laudabiliter! Non tamen idcirco existimandum est, modestiæ leges ab eo migrari, qui in tractandis Divinis voluminibus summa diligentia diu multumque versatus, aliquid in iis deprehendit, aliis, quantum constat, nondum animadversum, illudque ad communem ædificationem candide fratribus impertit. Male profecto cum liberalibus ageretur ingeniis, si, interdicta iis ultra tendendi facultate, nihil in publicum proferre liceret, cujus non alium ante se auctorem laudare quirent. Pessimeque consultum fuisset rei Theologicæ, si eadem lege vixissent majores nostri. O quam multis ac præclaris careremus observationibus, quas nunc tanquam sacræ eruditionis gemmulas quasdam suspicimus! Nondum ita exhaustæ Divinarum literarum aurifodinæ sunt, ut non sedulo scrutantibus novi quos reperiant thesauri, dignum diligentia sua præmium, supersint. Quam novæ inventionis laudem, cunctis expositam, adspernari, non modesti, sed segnis ingenii, eam autem aliis invidere, malevoli animi argumentum est. Uti nec modestiæ imputare velim, quod, quem semel studiorum ducem sive casu nactus sis, sive judicio elegeris, eum ita tibi in omnibus sequendum putes, ut ne latum quidem unguem ab illius recedas placitis. Pulcrum est quod Galenum de Posidonio tradidisse memini, MALUISSE EUM SECTAM QUAM VERITATEM DESERERE. Ast non paucos hodie sic videmus esse animatos, ut in omnia magistri sui dictata,

nullo

llo prævio examine, nulla admissa meliori informatione, jurent, & nere arreptas opiniones præfracte tueantur, pro iis tanquam pro aris focis dimicent, &, quia decretoriis armis non possunt, rudibus sæ- & cæstibus pueriliter batuant, in iis solis omnis sapientiæ proram puppim collocent, & qui iisdem non pariter cum ipsis assurgunt, tanquam inscitos homunciones adunco suspendant naso, vel, quod te nihilo melius est, tanquam pravæ novitatis suspectos calumniose ducant. Hoc, si vera rerum vocabula nondum prorsus amisimus, tio est, modestia non est.

Quam ego modestiam non minus in *simplici, placido & æquabili cendi modo*, quam *in ipsarum rerum expositione* elucere velim. Casta ei eloquia religiosa fide, facili vena, integro candore, procul omni idio, casto spiritu ac sermone tractanda sunt. Non dehonestanda manæ philosophiæ veluti næniis quibusdam intercalaribus, non de- rmanda barbararum & insulsarum locutionum incondito strepitu; i nec contra verecundiæ leges Rhetorum pigmentis fucanda. Omnis rebus Divinis sermo eo melior est, quo simplicior. Addo etiam, to placidior. Tunc enim omnium facillime in mentes auditorum il- bitur, quando blanda ac mansueta se veritatis & charitatis demon- atione insinuat. Non ignoro equidem contingere aliquoties, ut in ie standum viris Dei sit, armaque a dextris & sinistris adversus con- ratos veritatis & pietatis hostes expedienda veniant. Mollibus tunc ticulis tractari sese res non patitur. Dulcissima Christi columba & itissima sponsa, cujus labia cæteroquin favum stillant, cujus linguæ el & lac subsunt, tunc terrifica evadit ut instructæ vexillis; similis- te est turri Davidis ædificatæ ad armaria, de qua millena scuta pen- nt, omnes umbones potentum. Tunc cernendum præclarum certa- en. Tunc pugnandum pro fide semel sanctis tradita: neque per im- lliam nostram committendum ut illius syllaba vel apex corrumpi atur. Tunc pacis præcones cataphracti evadunt milites, fortissimi ncratiastæ, non minus quam sexaginta illi Heroës, qui Salomonis ctum circumstabant, omnes stringentes gladium, edocti bella Je- ovæ. Cæterum, in his ipsis præliis non minus mansuetudinis quam rtitudinis Christianæ spiritum elucere oportet: ut cum erroribus & tiis potius bellum geri appareat, quam cum errantibus: ad quorum lutem promovendam piæ istæ concertationes comparatæ esse debent. unquam ab animo meo impetrare potui, ut absque exceptione lau- rem immoderatam illam sive veterum sive recentium Theologorum hementiam, qua adversarios sæpe suos exceperunt, vix aliter quam num, porcorum, nebulonum, aliisque id genus elogiis, eos prose-

 quen-

quentes, & impetuosi sermonis nimbo ac grandine obruentes. Fecerint illud Athanasii, Nazianzeni, Basilii, Hieronymi, alii, qui doctrinæ suæ oblocutores, aculeatis orationibus ac steliteuticis, quamvis alioqui virtutibus abundantes, & imperatoria quandoque majestate verendos, traduxerunt palam, infamiæque objectarunt: fecerint illud patrum nostrorum ætate magni illi & immortalis memoriæ Heroës, quorum opera ad pellendam crassissimam ignorantiæ ac superstitionis caliginem uti Deo libuit; ego, Auditores, istam verborum duritiem, seculi vitio, hominumque illorum ingenio (nam quantumvis sancti, homines tamen fuerunt) imputare, cæterisque maximis virtutibus ipsorum condonare, quam Prophetarum & Apostolorum, ipsiusque adeo Christi exemplo exculpare, & ad imitationem commendare malo. Potior mihi semper Apostoli & fratris Domini nostri Jesu Christi ratio erit, cui Divinas has debemus sententias: *Quis sapiens & scientia præditus est inter vos? demonstret ex bona conversatione opera sua cum lenitate sapiente.* Et rursus: *Ea quæ superne est sapientia, primum quidem casta est, deinde pacifica, æqua, obsequens, plena misericordiæ & fructuum bonorum, absque disceptatione, & minime simulata.*

Talem etiam Theologum nostrum præstat, non in doctrina duntaxat sua, sed & in UNIVERSO VITÆ INSTITUTO. Ubicunque enim cœlestis illa sapientia animum penetravit, sibique, ut par est, mancipavit, ibi amarulentia, invidia, & rixa, & inquieta vita, & omne opus pravum, exesse jubebuntur: ibi lenitas, & mansuetudo, & injuriarum patientia, & aurea pax, cum omnium bonarum rerum affluentia, prosperum felixque obtinebunt imperium: ibi redivivos habebimus Satyros, *satisfactioni faciles, difficiles ambitioni, sanctos pudori:* sic enim fratrem illum suum depingit Ambrosius. Non audientur stultæ immeritarum, multo minus propriarum laudum ebuccinationes, cum aliorum, multo fortassis meliorum doctiorumque, contemtu. Non turbabuntur res Ecclesiæ aut Academiæ, audacium hominum, cuncta ad suam curam rapientium, improbis moliminibus, & damnata Petro πολυπραγμοσύνῃ. Quisque eo quod rodendum sibi contingit osse contentus, suis se involvet negotiis; ab alienis manum abstinebit. Non ibitur in partes, non reciprocabuntur Tusca jurgia, non gerentur fraterna & triumphis caritura bella. Nullius eruditioni ac virtuti invidiæ obtendetur nebula. Non promovebitur indignus, quia favet factioni. Non arcebitur dignissimus, quia in pauculis fortasse levibusque dissentit. Dici denique non potest, quantum commodorum in rem literarum ac religionis publicam illatura modestia sit. Quid animum Deo loquenti docilem & obsequiosum præstabit? Modestia.

Quid

Quid eundem à tremendorum mysteriorum male consulta temeratione arcebit ac deterrebit ? Modestia. Quid sanctissimæ religionis nostræ dogmata felici in animos illapsu veritatis amantibus persuadebit ? Tractantium ea interpretum Modestia. Quid infaustas lites vel præveniet, vel dirimet ? quid inutiles, sed magno sæpe animorum motu agitatas, controversias componet ? Modestia. Quid, ubi pugnam pro Dei caussa detrectare nullo pacto licet, victoriam conciliabit & faciliorem & laudabiliorem ? Dimicantis Modestia. Quid insanum novaturiendi pruritum, quid partium studia, quid nocentissimarum factionum pestem è Scholis & Ecclesiis pellet ? Modestia. Quid animos manusque in sancta inviolabilis pacis & amicitiæ fœdera junget ? Eadem Modestia. O sancta & beata Modestia, tot averrunca malarum pestium, tantorumque conciliatrix bonorum, quo te terrarum proripis? Cur oculis te nostris subducis, tuique tabentes desiderio misere destituis ? Siste gradum, redi propitia, occupa animos nostros, inque iis placidissimi dominatus tui thronum : occupa hanc Academiam, hanc Cathedram, tuis devotam sacris : crepante invidia, frendente discordia, fremente ambitione, conculcatisque omnibus Erebi monstris, & exulare jusso quidquid perpetuæ adversatur tranquillitati, tuo nos præsidio, tuis muneribus æternum bea.

Ignoscite Enthusiasmo huic, Auditores, in quo Sacrosanctæ modestiæ flagrantissimo amore ac desiderio correptus, & mihi & vobis propemodum ereptus, & utrorumque oblitus videri possem. At certe non obliviscor, dum modestiam, reginam virtutum, propitiam mihi vobisque conciliare conor, & ad perpetuos hic sibi lareis figendos enixissima prece invito.

Cæterum ipsa nunc illa Modestia aurem mihi vellicat, lenique monet susurro, non esse committendum ut patientia vestra longiore oratione abutar. Finem itaque dicendi faciam, ubi eos primum paucis compellavero, quibus vel obsequia, vel officia mea debentur.

Ad vos igitur, ILLUSTRES ACADEMIÆ ET REIPUBLICÆ HUJUS PROCERES, mea se convertit oratio. Vobis pro benevolo vestro de me judicio, præstitoque in hac vocatione honore, immortales habeo & ago gratias. Ut multa de me pollicear, non permittit, quam tota oratione laudavi, Modestia. Una hac protestatione defungi liceat : si quid dedit mihi Deus, si quid dabit, si quid possum, si quid sum, id vestrum vestræque Academiæ usu erit & mancupio totum.

Vos vero, Clarissimi Divinæ humanæquæ sapientiæ PROFESSORES, eruditionis fama per universum terrarum orbem,

surgente a sole ad eum quo
Vespertina tepet regio, ——

celebratissimi, in vestrum me ordinem haud illubentes recipite: quem collegam non prorsus incommodum, certe nihil minus quam morosum, futurum esse, optima fide spondeo. Vos imprimis *Rei Theologicæ Antistites*, Tu inclute SPANHEMI, grande ordinis nostri decus, cujus

uno se pectore cuncta vetustas
Condidit, & major collectis viribus exit:

Tu facundissime TRIGLANDI; Tu doctissime MARCKI, veteri mihi necessitudine juncti sodales,

animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter;

socias porrigite dextras, quibus cæspitantem firmetis, labantem sustineatis, fessum viæ protrahatis, molestiarumque, sine quibus hæc vita non est, saturum amicitiæ suavitate focilletis.

Vos denique, NOBILISSIMI JUVENES, sacra Deo, chara mihi pignora, si quid est, quod ars mea, efficere vobis queat, id vestris ab hinc commodis addictum dicatumque esse scitote. Quod Frisiis olim meis, quod postea Ultrajectinis dixi, id vobis nunc eadem propensi animi alacritate repeto. Quidquid habeo, si quid habeo, vobis habebo. Vobis studebo, vobis laborabo, vobis commentabor. Vos in oculis, vos in sinu geram. Neque macerari me detrecto, modo vobis prosim. Vos vicissim vobis ipsis ne desitis: sed dum virent genua, dum oportunum gratiæ tempus affulget, constanti diligentia, sincera pietate, & inculpata probitate, dignos vos Deo fingite. Mea etiam, si lubet, fruimini disciplina: cujus utilitatem & fructum vos experiri, quam me prædicare malo. Rogate modo, postulate, obtundite: omnia quæ mea sunt vobis exigite; quia vestra non minus quam mea esse volo. Ita denique hoc homine utimini, uti qui vestri nunc juris factus, injuriam sibi fieri credet, nisi vobis inserviendo consumatur.

Tu, Alme Deus, omnis gratiæ & sapientiæ fons perennis, conatibus adspira nostris, & Nominis Numinisque tui reverentiam docentibus pariter discentibusque inspira. Incolumem servato, & gratiæ tuæ opulentia locupletato, Academiam hanc, Patriam, Ecclesiam. Incolumem servato, vitaque & valetudine in multos producta annos satiato, Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem, Academiæ Statorem, Patriæ Liberatorem, Ecclesiæ Vindicem. Incolumes servato, omnique benedictionum genere cumulato, Illustres ac Nobilissimos, non

Athe-

Athenæi modo hujus, sed Universæ Reipublicæ Proceres, & veri nominis Curatores. Sub felici ipsorum regimine

redeat concordia, virtus,
Cumque fide pietas alta cervice vagetur.

Procul a nobis, quæ meruimus, mala, clementer arceto: quæ non meruimus, bona, benigne concedito: & tunc ipse tuis fave muneribus, ac felicitati nostræ adde perpetuitatem.

D I X I.

O R A T I O
P A N E G Y R I C A
D E
T H E O C R A T I A
I S R A E L I T A R U M.

Dicta

ULTRAJECT. XVI. MART. MDCLXXXVII.



Nnus nunc est, AUDITORES, quod quinquagesimum Academiæ hujus natalem, lætis omnium ordinum acclamationibus, solenniter atque auspicato celebravimus. Deo primum O. M. pro tanto tamque constanti erga literariam hanc Rempublicam favore, tum & Amplissimis Magistratibus nostris pro singulari sua cura atque munificentia, immortaleis agentes gratias. In eam rem verba tunc nobis præibat, JOHANNES GEORGIUS GRÆVIUS, Vir disertissimus, qui Lycei nostri ortum, progressum, incrementa, candidos atrosque dies, fata denique omnia, prospera, adversa, sed mox excepta lætioribus, facundissima oratione enarravit. Hodie autem, ne quid

dissimulem, alia plane res agitur: cui nisi aliunde decoris aliquid splendorisque accedat, metus est ne præ alterius illius magnitudine hæc prorsus vilescat, & vix digna tam Illustri gravissimorum hominum concione videatur. Nimirum Academiæ fasces, quos præferri mihi hoc anno Patres Conscripti voluere, uti non invito animo susceptos, ita pari lubentia ei ex Collegis tradendos nunc habeo, quem Recturæ meæ successorem literariæ rei Proceres designarunt. Quod quidem intra privatos Curiæ nostræ parietes factum hactenus; nunc haut paullo solemnius in Amplissima hac Panegyri fieri jusserunt, quibus nostra debentur obsequia.

Cæterum si intra angustos hujus qualiscunque cerimoniæ cancellos claudi nostra deberet Oratio, tralatitiam admodum ac sterilem eam esse oporteret, & cui graviores vestras melioresque occupationes male postpositas esse non immerito jure quereremini. Quid ni hic liceat, libeatque, generosiorum meditationum veluti alis quibusdam in sublime evolare, & occasione sceptrorum, quæ Academici sunt insignia Magistratus, quæque mihi hactenus prægestata, alteri mox præferri videbitis, ad æterni illius sceptri attentam cogitationem eniti, quo Universi quidem totius, sed Ecclesiæ præcipue fata moderatur summus omnium Arbiter Deus. Abjectæ mentis est circa exilia ista & propemodum ludicra hærere: majora nos ac celsiora decent, quos generosior spiritus agitat, & non homines solum, non Philosophos, sed quod iis omnibus longe augustius est, Christianos, id est, *cœlicandidatos*, facit. Et quem præter hunc de Regno Dei sermonem ab hoc homine exspectetis, qui neque didicit aliud, neque docere potest: qui magni Regis sui incomparabili fulgore unice perstrictus ad cætera omnia caligat: cujus idcirco in quovis alio argumento langueret, frigeret, serperet oratio, non edocta assurgere, nisi quando Divini amoris flammis illustratus pariter accensusque animus, de Deo & Christo ejus loquendum habet.

At ne per immensa Regni Dei spatia libere nimis, justoque diutius, nostra vagetur Oratio; de illo nunc solum REGNO DEI dicturi sumus quod in prisco erexit ISRAELE. Imo & hoc ipsum ea solum facie intuebimur, qua *Civilis Regiminis* formam habuit, cujus nomine Israëlitarum Respublica THEOCRATIA dici mereatur. Illius tenuia quidem *initia*, sed mirabilem prorsus *auctum*, totamque adeo *indolem* & rationem, quanta fieri poterit brevitate, exposituri.

Deum REGEM esse, & inanimata sentiunt, & bruta loquuntur, & mali dæmones, quamvis ejurato Regis obsequio, frementes frendentesque agnoscunt, & qui proxime iis accedunt Athei, insanien-

insanientis contra Deum sapientiæ magistri, arcanis animi sui convictionibus inviti experiuntur.

Sed præter hoc Universale Regnum Dei, cui sol cum omnibus astris suis, cui mare cum suis fluctibus, cui venti cum omni flatuum suorum vehementia, cui anni tempestates cum suis vicissitudinibus, cui diei noctisque alternæ reciprocationes, cui omnia terræ imperia, quantumvis sibi invicem minitantia, subsunt; cui cœlestes genii obsequiose parent; cujus jussa Diabolorum ferocissimi, quamvis renitentes, exsequuntur tamen; præter, inquam, illud universale Regnum in omnes & omnia, quod Naturæ merito dixeris, aliud sibi formavit Deus in populo huic fini speciatim electo. *Abrahamum* e Syria accitum sibi vindicavit, ingentibus quidem oneratum promissis, sed quorum exsecutio, in multos protracta annos, infatigabilis spei longum exercitium fuit. Etenim quum centesimum ætatis annum sine prole exegisset, pulcræ quidem uxori junctus, sed pertinaciter sterili; ex ea jam effœta ac nonagenaria majore unicum tandem suscepit filium, *Isaacum*, promissionum omnium ex asse hæredem. Hujus ex *Israële* nepotes, numero septuaginta, fame urgente in Ægyptum venere, initio quidem haut incommodam ibi peregrinationis suæ sedem nacti; sed mox sub sævissimorum Tyrannorum truci iniquitate adeo pressi, ut vilissima mancipiorum invidenda præ iis sorte gauderent. Hi tamen sunt ex quibus populum sibi formare Deo lubuit: quem valida manu, ac fidem propemodum superantibus portentis, ex ergastulis suis extractum sibi asseruit. Edomito primum & ad manumissionem adacto Pharaone, mox eodem cum omnibus suis copiis rubri maris fluctibus absorpto, ut ne nuncius quidem tantæ cladis Tanim reverteretur. Et quod incredibile dictu est, ejusdem maris undas, ad extensum Mosis ministri sui baculum hinc atque hinc divisas, murorum instar utrinque consistere jussit, ut siccum Israëlitarum agminibus transitum fundus præberet. Cujus prodigii memoria non sacris solum voluminibus nostris prodita, sed & sinus Arabici accolis, Barbaris licet ut qui maxime, per multa secula conservata fuit; exstantque illius in Diodori Siculi commentariis non contemnenda vestigia.

Ecquis dubitet, quin Deus ille, cui creationis jure absolutum in omnes atque omnia dominium est, singulare sibi in eum populum imperium vindicare potuerit, quem præ cunctis mundi nationibus tam inauditis beneficiis obstrinxerat? Sed qua est lenitate atque clementia, omni suo summoque jure uti in hoc negotio noluit. Consultius arbitratus, populi se suffragiis votisque in Regem eligi, quam invitis aut refragantibus obtrudi. Idcirco, hominum more munus aliquod ambien-

ambientium, (quod tamen citra ullam Divinæ Majestatis læsionem dictum esto,) egregia illa potentiæ, sapientiæ ac bonitatis suæ specimina nuper edita populo in memoriam revocat: ut exinde constaret, neminem ne cogitando quidem fingi posse, qui Regis personam majore cum dignitate, magisve ex usu populi sustineret. Sancte insuper promittit, se in fidem ac clientelam suam eos recepturum, ex servili conditione in regnum sacerdotum evecturum, in fœcundissimas regiones hæreditario jure possidendas introducturum, & ut peculium præ rebus sibi omnibus charissimum diligenti cura conservaturum, modo morigeros se dictoque audientes exhiberent. Hæc iis per Mosen internuncium dici jussit; eo successu ut uno ore omnes sibi Deum Regem deposcerent, nihil se detrectaturos polliciti.

Exod. XIX: 3, 4. & seq.

Mox Regem agere cœpit: convocatoque ad radices montis Sinai populo, ipse è montis cacumine, coruscantibus fulgetris, crepitantibus tonitruis, mugientibus ventis, horrida caligine, trepidante ad præsentiam Numinis terra, & si quæ plura aderant plena Majestatis prodigia, sacratissimas leges suas universæ panegyri promulgavit. Quis unquam post ultimam hominum memoriam fando audivit, fuisse sub cœlo gentem, quam tam familiari, sed tamen augusto, alloquio compellare dignatus est Deus? Cæterum quum populus, ferendo tantæ Majestatis fulgori impar, enixe contenderet, ne amplius ad eum modum loquentem sibi Deum audire cogeretur: ipse cum Mose agere occepit, de Tabernaculo sibi in habitaculum Regium parando, & legibus de Republica ac Religione sanciendis.

Exod. XIX: 16. XXI. Deut. IV. 32. Deut. V: 29, 34.

Quarum absolutissimum Systema antequam Mosi traderet, certis quibusdam ritibus fœderalibus se populo, populum sibi *obstrinxit.* In pangendis fœderibus vetustissimi moris cerimonia est, ut puræ castæque mactentur victimæ, earum sanguine adspergantur confœdusti, iique oblatarum victimarum partem una comedant. Nihil eorum in fœderis hujus confirmatione desiderari passus est Deus. Etenim postquam Moses promissa ac præcepta quædam Dei inscripsisset libro, populusque iterato assensum suum testatus esset; Moses cæsis ex more hostiis, sanguinis partem sparsit super altare, quod Dei locum repræsentabat, partem alteram super populum addito hoc carmine: *Hic est sanguis ille fœderis quod pepigit vobiscum Jehova super cunctis sermonibus hisce.* Dein in montem adscenderunt Moses & Aaron, Nadab & Abihu, & LXX Seniores, qui populi personam gerebant, & postquam singulari Numinis indultu gloriam ejus, quatenus mortalibus fas est, oculis usurpassent, & sub pedibus ejus vidissent veluti opus pavimentatum Sapphyro; sacris divinæ mensæ epulis admoti, ederunt biberuntque.

Exod. XXIV.

Firmato

Firmato in hunc modum fœdere, omnia sibi Deus ad quæsitissimam Regiæ magnificentiæ pompam, in ipsis quoque Arabum desertis, parari jussit. TABERNACULUM ad monstratum e cœlo instar constructum est, multa cedro conspicuum, multo auro splendidum, vasisque tam materia quam arte pretiosissimis superbe ornatum; variis etiam distinctum receptaculis. *Exterius Atrium* populo omni, nulla immunditie polluto, ad obsequia precesque Regi offerendas patebat. In *interiori Aula* consistebant Sacerdotes, veluti Purpurati Regis, & interioris admissionis ministri. Ibi candelabrum aureum cum septem affabre factis lampadibus: ibi mensa aurea cum panibus quos vocant propositionis: ibi altare aureum ad suffitus. At in *intimo Adyto*, cui oppansum artificiosissimum aulæum erat, & quod *Sanctum Sanctorum* dicebatur, solium erat divinæ gloriæ, quo pedem penetrare mortalibus omnibus sub mortis pœna interdictum, solo excepto Pontifice; idque non nisi semel quotannis. Ibi *propitiatorio operculo* aureæ cujusdam *arcæ*, prodiga arte factæ, & *Cherubinis* aureis, monstrosæ formæ animantibus, facie ad operculum conversa, & alis operculum tegentibus, symbolo singulari præsentis Majestatis suæ, insidebat Deus. Inde consultus responsa dabat: inde precibus votisque annuebat: inde Psal. xcix. 1.
velut ex abdito venerabilem se faciebat suis. *Jehova Rex est, contremiscant populi, insidet Cherubinis, contremiscat terra.*

Adeo ne hac quidem parte Israëlitarum Rex, Deus, maximis Orientis Regibus minor esse voluit. Nam habebant & illi tentoria sua, quorum recessibus plurimum obtecti sedebant; nisi quod aliquando subjectis se exhibere, & responsa velut oracula dare dignarentur. Quumque ista quæ dixi tentoria in tholum surgerent, & aurea essent, vel auro magnificentius ornata, χρύσεοι οὐράνισκοι *aurei cœluli* dicebantur, quasi terrestrium numinum habitacula, & propter Regum responsa, ἐπιφανεῖς καὶ χρηματιστικαὶ σκηναί, *illustria & oracularia tentoria*: quo nomine *Ptolomæi Evergetis* cœlum insignivit *Polybius*.

Sic nunc prospectum Israelis Regi de *Palatio* erat. Instruendum porro *famulitium* tanto Rege dignum. Eo autem honore mactata *Aaronis* familia est. Hinc universus *Sacerdotum* ordo, quæ vox Hebræorum lingua *Principes Regis ministros* notat. Quibus omnibus Aaron, Maximi Pontificis titulo, præfectus fuit: ipsi vero pro inferioris ordinis famulis, contribules suos, *Levitas*, habebant.

Et hic quoque ex decoro composita fuerunt omnia. Integro corpore viri, omnis labis vitiique expertes, candidis vestibus ad decus ornatumque induti, die noctuque, redeuntibus ordinum vicibus, Regi suo ministrabant, velato quidem reverenter capite, sed nudis semper

pedibus coram eo consistentes. Nihil autem magnificentius Pontificis Maximi apparatu cogitari potest. Cujus pectorale sacrum, & amiculum, & pallium, & tunica tessellata, & cidaris, & baltheus, ex lino, ex lana, ex hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, & xylino internexo, & auro, prout singula requirebant, opere artificiosissimo contexta, cum insitivis pretiosissimis lapidibus, & dependentibus ubi conveniebat tintinnabulis aureis & malogranatis, & lamina aurea inscripta nomine Jehovæ, nostra quidem oratione dignissima sunt, sed prolixiora quam ut singulatim exponantur. Cæterum ita comparata fuerunt omnia, ut sacrum quendam horrorem tanti decoris apparatus intuentibus incuteret, & vel stolidissimi cogerentur Regis illius Majestatem cum stupore venerari, cujus minister vix sine stupore videbatur.

Ea itaque tentorii sacri, ut & deinceps templi ratio, quæ Regii cujusdam domicilii Deo in habitaculum destinati: ut ita fere inter populum suum Deus habitasse censeatur, quemadmodum inter suos terrarum Reges solent. Hinc splendidissima Sanctuarii supellex, & quasi rei familiaris magnificus admodum apparatus. Hinc amplissimum, suisque discretum ordinibus, ad varia ministeria famulitium. Alii a sacris, alii a custodia, alii qui Musicæ operam darent, qui, dum flagrabant holocausta, vinumque rite libabatur, voce, buccina, chordisque, veluti inter Regias epulas, canerent. Hinc mensa semper panibus instructa, ignis in ara perpetuo ardens, suffitus bis quotidie incensus, totiesque prosecta victimarum ad aram, ceu mensam Dei, admota, prosectisque sal, vinum, & serta addita. Atque hæc quidem ad *Regiam Dei pompam* pertinebant.

Nolim tamen ita de Israëlis Rege arbitremini, *Auditores*, quasi terrenis hisce & egenis mundi elementis, non dicam valde, sed quodammodo afficeretur. Non habitat in templis manu factis, qui pro throno cœlum, & pro scabello terram habet. Non indiget hominum ministerio, cui cœlestes Angelorum turmæ ad nutum semper præsto sunt. Imo ne cœlo quidem Angelisve indiget, qui, suis se involvens virtutibus, sibi solus ad omnem beatitatem sufficit: in perfectionum suarum infinita opulentia contemplanda, amanda, fruenda, omnes felicitatis numeros inveniens. Sed crasso Israëlitici populi genio id datum est, qui per externa hæc & visibilia ad sublimiorum rerum cogitationes, & invisibilium Dei, Regis sui, virtutum contemplationem evehi necesse habebant. Ne de Messiæ nunc mysteriis dicam, quæ hisce omnibus adumbrata fuisse, nos quidem Christiani pro indubitato agnoscimus.

Sed

Sed nec illud velim existimetis, Israëlitarum Regem ignavis illis & inficientibus Orientis Regibus similem fuisse, qui abjecta Reipublicæ cura, solis opulenti otii deliciis Majestatem tuebantur. Quidquid exspectari a vero Rege potest, abunde a Deo Israëlitis est præstitum.

Regis est, convenientes Reipublicæ *leges* præscribere. Id tanta sapientia, justitia, sanctitudine fecit Deus, ut gentes quævis aliæ Israëlitici populi hac quoque in parte felicitatem præ cæteris omnibus prædicare debuerint. Quidquid in Lycurgi legibus, quidquid in Atticorum Axonibus, quidquid in Romanorum XII Tabulis præclari fuit, ex Mosaicis constitutionibus haustum fuisse, certe nihil in iis laudabile esse quod non multo sit in hisce excellentius, longa exemplorum inductione pridem a Viris eruditissimis est demonstratum. Deut. IV: 6. 7.

Regis est, *jus dicere* civibus; in minoribus quidem causis per Judices a sese constitutos, in majoribus aut obscuris sic ut ipse quod ex æquo & bono est pronunciet. Id fecit in Israële Deus, non solum ubivis locorum Judices constituens; quibus sollicite inculcabatur, judicium non hominum, sed Dei esse; verum etiam nonnulla legibus haut definita sibi reservans, de quibus per Mosen, aut Pontificem Maximum, consuli se volebat: adeo ut singulari casu ne de familia quidem herciscunda respondere dedignatus sit. Deut. I: 17.

Regis est, populo de omnibus *necessitatibus prospicere*, ne annona desit, cæterave sine quibus vita aut nulla, aut vitalis non est. Id Israëlitis præstitit Deus, quos per fabulosa Arabiæ deserta palantes, omnique destitutos commeatu, rore quidem purissimo, sed incrassato, quem *Manna* dixerunt, pavit, & fluentibus ex rupe, Mosis baculo percussa, aquarum rivis, liberaliter totos quadraginta annos potavit, effecitque ne vestimenta veterascerent, aut calcei detererentur: quibus prodigiis mirabilitatem demere, ut fides adstruatur, seculi nostri non laus, sed probrum est. Deut. XXIX: 5.

Regis est, non pacis solum sed & *belli negotia* curare. Neque hic sibi suisve Deus defuit. Ex nutu Jehovæ aut offerenda pax, aut inferendum bellum erat. Ex nutu Jehovæ struendæ acies; & quæ in principiis, quæ post principia, Israëlitarum tribus; quibus primus in hostem faciendus impetus esset, Jehovæ oraculo, per Urim & Thummim, tam nota priscis quam ignota nobis instrumenta, definiebatur. In ipsis quoque Israëlitarum castris metandis, dum per inculta locorum oberrabant, militiæ ordinem servari voluit. Si quo movendum esset, duce nubis ignisque columna præibat arca cum Cherubinis, luculenta præsentis Imperatoris symbola, & quod Romanæ Aquilæ, id ipsis, tanquam omen victoriæ in quoscunque irent. Si figenda alicubi Num. II.

ſtatio, in medio caſtrorum Dei ſtruebatur Tabernaculum, cui proximi cum ſuis tentoriis Levitæ, ad excubias, erant: reliquus Iſraëlitarum exercitus, in quatuor tributus agmina, circum Tabernaculum tentoria collocabat. Ubi in hoſticum ituris via invia, aut rapidus obſtabat amnis, id ſibi imprimis negotii ſumſit Deus, ut complanaret omnia, & præeunte arca, non, quod Imperatores alii, pontibus
Joſ. III: 11. fluvios jungeret, ſed incredibili prodigio maximorum amnium alveos repente depleret, conſiſtere juſſis aquis donec tranſmiſiſſent legiones.

At quid ego nequicquam orationis meæ humilitate tantorum miraculorum gloriam detero? dum Regiis verbis magnifica ſupremi Regis opera exponere licet. Regem itaque audite Regis ſui encomia
Pſ. CXIV. grandiloquo ore canentem. EXEUNTE ISRAELE EX ÆGYPTO, FAMILIA JACOBI E PEREGRINI SERMONIS POPULO, FUIT JUDA SANCTITAS, ISRAEL DOMINIUM EJUS. VIDIT MARE ET PROFUGIT, JORDANES DIVERTIT RETRORSUM. SUBSILIERUNT MONTES VELUT ARIETES, COLLES UT SUBRUMÆ PECUDES. QUID TIBI MARE, CUR FUGERES? QUID VOBIS MONTES, CUR SUBSILIRETIS UT ARIETES, COLLESQUE UT SUBRUMÆ PECUDES? AD PRÆSENTIAM DOMINI CONTREMISCE TERRA, AD PRÆSENTIAM DEI JACOBI, QUI MUTAT RUPEM IN STAGNUM AQUARUM, SAXUM ADAMANTINUM IN FONTEM RIVORUM.

Ita ſuos Deus in promiſſas patribus regiones deduxit: ubi quum ſuperanda immanium gigantum ferocia eſſet, & expugnandæ urbes
Joſ. VI. munitiſſimæ, Joſuam, Heroëm fortiſſimum, exercitus ſui Imperatorem creavit: ſic tamen ut ſuis omnia auſpiciis geri ipſo facto demonſtraret. Tunc præcipue quum Jerichuntis mœnia, quæ prima ipſis urbium in Cananæa poſt permeatum Jordanem erat, ad clangorem tubarum & circuitum arcæ, nulla admota machina, ſua ſponte concidere juſſit: tantoque cæteros terrore perculit, ut ejectis veteribus colonis, optatis ſibi ſedibus haut difficulter Iſraëlitæ potirentur.

Sic omnes Regis partes Regni ſui *initio* præclare implevit Deus. Neque minus ſe mirabilem in *progreſſu* præſtitit. Suorum quidem rebellionem acriter quandoque, per injurias a vicinis illatas, vindicans, ſed quoties preſſi calamitatibus gratiam ipſius opemque implorarunt, toties egregios publicæ libertatis vindices conceſſit. Qui, licet ad illos actus cum ſummo præeſſent imperio, non tamen niſi *Judicum* titulo ac dignitate cenſebantur; Deum ſemper ut Regem venerantes. Memoratu imprimis digna ſunt generoſi illius Gideonis verba: cui quum hereditarium regimen inconſulto deferret populus, *Apagite*, inquit, *neque ego dominabor vobis, neque filius meus dominabitur vobis, ſed Jehova*

bova dominabitur vobis. O felices sub cœlesti hoc Rege Israëlitas, si bona sua novissent!

Sed nescio quibus malæ mentis furiis agitatos pigere tandem Divini Imperii cœpit. Tumultuose Samuëlem Judicem adeunt, præfracte petentes Regem sibi præfici, qualem vicinæ gentes habebant: fortassis & secreto & alte dissimulato rituum & numinum gentilium desiderio. Ægerrime, ut par est, id tulit Deus, in sui hæc omnia contumeliam spretique injuriam regiminis interpretatus. Et quum in promptu haberet tam fœdæ rebellionis vindictam, maluit tamen populi votis satisfieri, quibus meritas stultitiæ suæ pœnas ipsi sibi arcessebant. 1. Sam. VIII.

Juris ergo Regii rationem omnem diligenter a Samuële conscribi jussit, quod quantum a sui regiminis justitia & æquitate abesset, facto utriusque conflictu liquido constabat. Perseverantibus tamen insana flagitatione Regem, sed sortito, dedit; id est, sua eum monstrante providentia, ne abdicasse se Regno videretur. Atque hunc ipsum a suo adeo pendere voluit arbitrio, ut ne de tempore quidem ineundæ pugnæ, de trucidandis aut parcendis victis hostibus pecudibusve, disponere pro lubitu suo licuerit. Quod quum sibi arrogasset *Saulus*, (id primo Regi nomen erat,) regni jactura luendum habuit. 1. Sam. XIII: 8. XV: 16.

Suffectus ipsi, sed a Deo iterum, interveniente vatis opera, *David* est; qui reverenter admodum Divinam Majestatem coluit, quod omnia Regum omnium superba palatia longo post se intervallo relinqueret. Ex Davidis filiis, quos multos nobilissimosque habebat, non David, sed Deus iterum successorem elegit *Salomonem*, qui meditata Patris feliciter exsecutus, incomparabili structa æde, sed ad formam ab ipso descriptam Deo, ne quid humani consilii Divina corrumperet, gloriam Dei illustribus in Israële incrementis auxit. 1. Sam. XVI. 1. Chron. XXVIII: 5.

Tantum à vero repulsa eorum opinio est, qui Regnum Dei extremum fere spiritum in Salomone efflasse pugnant, quum nunquam magnificentius opulentiusve quam Salomone regnante cultum sit; ipseque Salomon in *Throno Jehovæ* consedisse dicatur. Arcam quidem in Sanctuarium intulit Salomon, perpetuo ibi quieturam, quam Moses, Josua, Judices, Saulus, David, itinerum bellorumque suorum comitem habuerant; verum id ipsum quantum ad commendandam Dei Majestatem pertineret, & David innuit, dum tanta sollicitudine locum quieti arcæ idoneum quærit, inventoque exsultat, proclamans: SURGE JEHOVA, ADITURUS REQUIEM TUAM, TU ET ARCA FOEDERIS TUI: & Deus approbat dicens: HÆC EST REQUIES MEA IN ÆTERNUM, HIC HABITATURUS SUM, QUIA HOC EXPETIVERAM. 1. Chron. XXIX: 23. Ps. CXXXII: 8. 14.

Dolendum equidem est affecta ætate Salomonem ad gentilium deflexisse Idola, atque hinc regni primum dilacerationem, dein labentibus seculis ruinam, populique universi in Assyriam & Babyloniam deportationem consecutam esse: nunquam tamen Deus, quam semel sibi vindicaverat, Regis dignitatem potestatemque deposuit. Nam & exilia ista a se indicta sunt populo, Assyriorum & Babyloniorum Regibus non nisi iræ Divinæ ministris: & in exiliis istis non modo suos est tuitus, sed & hostibus immortalis Regni sui confessionem extorsit.
Dan. III: 17. REVERA, inquiebat Danieli Nebucadnetzar, DEUS VESTER EST DEUS DEORUM ET DOMINUS REGUM. Iterumque, EXCELSO BENEDIXI, ET VIVENTEM IN PERPETUUM LAUDAVI ET GLORIFICAVI, QUOD DOMINATUS ÆTERNUS, ET REGNUM EJUS IN OMNES GENERATIONES. OMNES HABITATORES TERRÆ NIHIL REPUTANTUR, PRO VOLUNTATE SUA FACIT EXERCITUI COELI ET INCOLIS TERRÆ, NEQUE EST QUI PROHIBEAT MANUM EJUS, DICATVE EI, QUID FACIS? (Dan. IV: 34, 35.)

Desperatas quidem Israëlitarum non pauci in istis exiliis cogitationes fovebant; fore in posterum ut, omnibus Divini Regiminis beneficiis exclusi, a cæteris mundi nationibus nullo discrimine sejungerentur, renunciantes fœderi perpetuo, quod cum majoribus ipsorum
Ezech. XX: 32. pepigerat Deus: *Et nos*, inquiebant, *erimus aliquando sicut istæ gentes, servientes ligno & lapidi.* Sed indigne admodum id tulit Deus, juratque *minime omnium futurum esse quod animo ipsi suo meditabantur: sed se in ipsos regnum habiturum manu valida, & brachio extenso, & excandescentia effusa, atque ita eos ex populis, in quibus dispersi erant reducturum.* Quod & re ipsa præstitit: asserto sibi in Israëlitas dominio, notabilibus gratiæ, potentiæ atque iræ suæ effectis. Iræ, inquam, primo in Israëlitas, dein & gentes, inter quas captivi degebant.

Et quid illustrius Divini in Israëlem Regni documentum esse potest, quam quod celebrem illum Persarum Regem Cyrum, ducentis fere antequam nasceretur annis, suo illo nomine prædictum, ad obsidendam Babylonem animavit atque accinxit, ipsi adventanti aspera viarum planans, valvas chalybeas frangens, vectes ferreos succidens: *ut cognoscas*, inquit, *me Jehovam qui voco te nominatim, Deum Israë-*
Jes. XLV: 3, 4. *lis esse. Propter servum meum Jacobum, & propter Israëlem meum, propterea te vocavi de nomine tuo, cognominavi te, quamvis ignores me.*
Esr. I: 2, 3. Neque ipse id Cyrus dissimulavit, scripto in omne ævum duraturo protestatus, *omnia sibi Regna a Jehova Deo cœli tradita esse, jussumque ædificare Deo domum Hierosolymis, populoque liberam in avitas sedes remeandi potestatem promulgare.* Sic Israëlitarum exilio sola Regis sui potentia ac bonitate impositus finis est.

Non

Non ea profecto mente, ut in patriam reduces præsidio suo destitueret: quamvis enim initio solutæ captivitatis in re tenui fuerint, vicinarumque gentium odio atque ludibriis multifariam vexati, Dei tamen Regis sui clementi tutela non substitere tantum, sed immensis incrementis aucti, & terram suam frequentissimis urbibus vicisque impleverunt, & in quibusvis Europæ, Asiæ atque Africæ partibus suas habuere colonias. Multa hujus tutelæ Divinæ exempla proferre possem: sed parcendum tempori est. Unum ex plurimis præterire non possum.

Alexander dum Tyrum oppugnabat, scriptis ad Jaddum Judæorum Pontificem literis petebat auxilium, & commeatum, & quidquid prius Dario conferre solitus fuerat. Pontifex, vir integerrimus, & intemeratæ fidei, renunciat, sacramento se Dario obstrictum esse, idque ratum fore quamdiu vixerit. Coxit iram Alexander, donec expugnata Tyro, propere Hierosolymam cum victricibus copiis movit. Ibi Jaddus, irato Regi impar, & consilii inops, in varias animum partes incassum rapit. At Deus in somniis apparens, bono animo esse jubet, & coronata urbe portas aperire: utque populus albis vestibus prodiret obviam, ipse vero cum reliquis sacerdotibus solenni ordinis sui cultu sequeretur, securi de Dei providentia. Læti mandatis parent. Audite vero rem prorsus admirabilem. Dum Phœnices & Chaldæi omnia sibi in Judæos pollicentur quæcunque ab irato Rege sperare poterant, plane contrarium evenit. Alexander enim, ut vidit e longinquo candidatum populum, & sacerdotes in amictu byssino, Pontificemque in stola hyacinthina auro distincta, tiaram in capite gestantem cum præfixa lamina aurea insculpta nomine Jehovæ, solus ad eum accedens nomen illud adoravit, ac salutavit Pontificem. Judæis uno ore Alexandrum consalutantibus, & in orbem cingentibus, Syriæ Reges & reliqui obstupuerunt, vix credentes Regem mentis esse compotem. Solus Parmenio propius accedens rogavit familiariter, *quid ita, quum ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Judæorum Pontificem?* At ille, *non hunc se adorasse* respondit, *sed Deo, cujus Pontifex esset, eum honorem exhibuisse: Hunc enim*, inquit, *eadem specie habituque vidi quum in Dio Macedoniæ essem, qui me, de Asia subjuganda deliberantem forti animo esse jussit, & sine mora exercitum trajicere: suo quippe ductu Persarum imperio potiturum.* Hæc Parmenioni locutus, & comiter complexus Pontificem, deducentibus Sacerdotibus in urbem ascendit, sacra Deo facturus. Ostensoque Danielis libro, qui Græcum quendam Persas debellaturum vaticinatus fuerat, id de se interpretatus, Judæos non pœna solum absolvit, sed & omnibus eorum postu-

Joseph. Antiq. XI: VIII.

Dan. VIII: 21.

postulatis abunde satisfecit. Potuitne Deus luculentiori argumento asserere, Israëliticum populum sibi, ut Regi, cordi ac curæ esse?

Ingens certe rerum mutatio accidit, quando *Herodes Idumæus*, totus a Romanorum nutu pendens, thronum Israëlis invasit; major adhuc, quando Judæa Syriæ attributa, & in Provinciæ formam redacta, Romani præsidis imperio paruit. Aperta denique Regni Dei ejuratio ex Primoribus populi audita est, clamantibus *nullum se Regem agnoscere nisi Cæsarem.* At nec sic tamen throno cessit Deus. Mansit Hierosolyma Civitas Magni Regis, donec mansit.

Joh. XIX: 15.

Sed non diu mansit. Spretus a populo Deus, sprevit populum, & Romanorum, quos sibi impie prætulerant, armis usus, civitatem ac templum funditus evertit, terram Israëlis universam anathemate percussit, innumerabilem Judæorum multitudinem ferro, fame, peste necavit, plurimos sub hastam misit, superstites per omnes sub cœlo gentes dispersit, ubi cœli solique sui extorres, neque Deo placentes, & omnibus hominibus adversi, spectaculum facti sunt mundo & Angelis, omnium purgamenta & ramenta in hunc usque diem.

Atque hic quidem finis est Theocratiæ Israëliticæ, non restaurandæ in æternum. Etenim quamvis populi Israëlitici futuram aliquando ad spirituale Messiæ Regnum reductionem, disertis utriusque instrumenti oraculis nixi, firmiter credamus: neque eos de suo olim in terram reditu desperare jubeamus; ut in illo quoque populo, illa terra, illa urbe, ubi crucifixus est Christus, dominetur, colatur, adoretur, & adventanti cum gratia sua lætis acclamationibus accinatur, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Non tamen patitur spiritualis Regni Christi indoles, ubi non est Judæi & Græci, Barbari & Scythæ, discrimen ullum, ubi remoto pariete intergerino in unam summam redacta sunt omnia; non patitur, inquam, Regni istius genius, ut unus aliquis populus, seorsim a cæteris, Theocratici Regiminis prærogativa gaudeat. *Eo die Jehova Unus erit, & nomen ejus unum in universa terra. Tempore illo erit Israëlitarum gens tertia Ægyptia & Assyriæ, Benedictio in medio terræ. Cui benedicturus est Jehova exercituum, dicendo*, BENEDICTUS POPULUS MEUS ÆGYPTIUS, ET OPUS MANUUM MEARUM ASSYRIUS, ET ISRAELITICUS POSSESSIO MEA. Ad quæ beata tempora uti calidis votis suspiramus, ita eadem euntibus ordine fatis, in spe ac silentio exspectamus.

Matt. XXIII: 39.

Zach. XIV: 9. Jes. XIX: 24, 25.

Cæterum, *Auditores*, ea quæ de civili hoc Dei apud Israëlitas Regimine dicta sunt, non ista solum vos parte intueri volo quæ Politiis hujus mundi haut usquequaque dissimilis in oculos incurrit. Altius penetrandum est, levatoque externæ hujus pompæ aulæo, in latentia intro-

introspiciendum mysteria. Vix a me impetro ut non irascar mihi ipsi, quod, aliis prolixius immoratus, præterlapsum nunc tempus animadvertam, quod sublimioribus hisce cogitationibus majori cum fructu impendi potuisset. O quam vellem occasione *mundani* hujus, sic enim & ipse Paulus loquitur, mundani, inquam, hujus regni occasione *spirituale* illud ac *cæleste* Christi Domini regnum exponere! Quam Hebr. IX: 1. volupe mihi esset Jesum vobis ostendere, qui electos suos ex plus quam Ægyptiaca Diaboli, mundi, peccati servitute liberatos sibi asseruit: qui assertos inviolabili fœdere sociat: leges suas non tabulis, sed cordibus inscribens: qui non portatile tabernaculum, sed ædificium vivis lapidibus constans sibi fabricat; in quo non symbolis quibusdam, sed Spiritus sui efficacia, habitet: qui per inculta mundi hujus, variis anfractibus, ad cœlestem patriam suos deducit: qui, quidquid prisca illa magnificentia figurari potuit, revera confert. Qui non Arcæ alicui aureæ, aut Cherubinis humana arte factis, insidet, sed throno Patris sui cœlestis, stipatus Sanctorum Angelorum turmis, Ecclesiam gubernat, tuetur, omnique bonorum opulentia locupletat: cujus regnum non cum externo ullo apparatu venit, sed est mera *justitia, per Spiritum Sanctum*, neque pauculos solum Israëlitas comple- Rom. XIV: 17. ctitur, aut angustæ continetur regionis terminis, sed totum Israëlem mysticum comprehendit, diffusum per omnes partes orbis habitabilis, quas sol oriens aut occidens lustrat. Utinam quidquid est in noto ignotoque orbe mortalium, extra anni solisque vias, Regis hujus Majestatem cognosceret, agnosceret, adoraret; & in illius cultu atque amicitia, ubi sola sita est, veram solidamque felicitatem inveniret! Utinam ea sonoræ vocis intentione, quæ per omnia regna, provincias. urbes, ædes audiretur, clamare possem: ATTOLLITE PORTÆ CAPITA Psalm. VESTRA, ET ATTOLLITE VOS OSTIA SECULI, UT INGREDIATUR XXIV: 6. REX GLORIÆ. QUIS EST ISTE REX GLORIÆ? JEHOVA ROBUSTISSIMUS ET POTENTISSIMUS BELLATOR. ATTOLLITE PORTÆ CAPITA VESTRA, ATTOLLITE, INQUAM, OSTIA SECULI, UT INGREDIATUR REX GLORIÆ. QUIS EST ISTE REX GLORIÆ? JEHOVA EXERCITUUM, JESUS SOSPITATOR NOSTER, IS EST REX GLORIÆ. Imo vero Christe Jesu, aperimus tibi portas, intra tu modo cum omni gratiæ tuæ opulentia; intra in provincias, urbes, ædes, corda nostra; ibi vive, ibi regna; istoque regno tuo pio, felici, augusto, nos æternum bea.

D I X I.

ORATIO DE FELICI an INFELICI REIPUBLICÆ LITERARIÆ, HOC SECULO, STATU.

Dicta

ULTRAJECT. XVI. MART. CIƆIƆCXCVIII.
Quo die Fasces Academicos iterum deposuit.



SI, quemadmodum hodierna lux necessitatem mihi quandam in Augustissimo hoc bonæ mentis templo dicendi imponit, ita eadem orationis definivisset argumentum, solutum anxia deliberatione animum, ad præscriptæ tractandæque materiæ meditationem haud paullo alacrius appulissem. Sciebam equidem, dandam mihi operam esse, ne quid pro amplissima hac clarissimorum doctissimorumque hominum concione dissererem, quod non & loci hujus sanctitudine, & vestra gravitate, & mea denique persona atque ætate dignum foret. Sed quum huc illuc circumspicienti aliquammulta occurrerent, quæ neque auribus vestris ingrata, neque juventuti Academicæ inutilia, neque a mea vivendi ratione aliena videri poterant; longa tandem fluctuatione lassatæ menti hæc sententia sedit, ut *de felici an infelici Reipublicæ literariæ hoc seculo statu compendiosa oratione disputarem.*

Quæ caussa nec tam in liquido posita est, quin multarum utrinque rationum conflictu controvertatur; nec tam remota a cognitione vestra, ut non & animadversionem vestram mereatur, & insigni isti, qua polletis, prudentiæ atque integritati decidendam sese tuto committat. Interest quoque omnium nostrum, ut quid gratulandum nobis in hac rerum conditione sit, quid deplorandum; quid laudandum, quid

quid desiderandum, exploratum perspectumque habeamus. Quam ob rem, ut mihi nunc potissima tam notabilis caussæ momenta libraturo benevolas aures præbeatis, ab æquitate vestra (videte fiduciam meam) non tam posco, quam exspecto.

Patrum nostrorum ætate, post longam, quæ universo terrarum orbi incubuerat, spissæ caliginis noctem, exortum serenioris lucis jubar esse, ingratissimi profecto mortalium simus, si non lubentes meritoque agnoscamus. Deposita tunc illuvies, ablutus squalor, detersa rubigo est, quibus fœdata, inquinata, & infecta erant omnia.

Rediit humano generi, tetra nuper barbarie conspurcato, rationis suæ nitor. Rediit Ecclesiæ Christianæ, cui a nequissimis tenebrionibus, sub religionis prætextu, miserrime illusum erat, doctrinæ suæ puritas. Rediit bonarum artium studiis suus vigor, eloquentiæ suum decus, sapientiæ sua laus. Nihil rerum Divinarum humanarumque est, quod non verecundius, exactius elegantiusque tractari cœperit. Sapientissimorum hominum, cum ex Græcia, tum e Latio, elaborata volumina, quæ blattis pridem tineisque pro pabulo cesserant, latibulis nunc excussa suis, multorum versata sunt manibus: unde restituta postliminio eruditæ antiquitati sua veneratio est. Pro stridentium, & nihil quicquam sani significantium, verborum incondito strepitu, politiori sermonis genere, cujus puritatem, elegantiam, venustatem, nec ipsa sub Augusto Roma suam esse inficietur, delicatissimæ etiam delinitæ aures sunt.

Principio quidem in acie, adversus insanos, furiosos rabidosque barbariei propugnatores, standum fortissimis viris fuit: quibus non de fama solum & fortunis, sed & de salute, non corporis modo hujus, verum, quod miremini, æterna etiam illa animarum, controversiam faciebant, stolidissimi simul & crudelissimi mortalium. At bonum factum est, quod in bello tam necessario, tamque honesto, undique velut agmine facto, junctisque phalangibus, suppetias laboranti sapientiæ latum venerint, præstantissimi quique heroës: quibus non cum hominibus, sed cum belluis, hominum speciem mentientibus, & cum harpyis, contactu suo omnia fœdantibus, dimicandum fuit.

Enimvero favit justissimæ caussæ Deus. Propitio pugnatum est Marte. Pulsa, fusa, fugata, profligata, æternæque mancipata nocti infausta Erebi monstra sunt. Victores autem pro coronis, laureis, ovatione, triumpho, ut cujusque dignitas & merita fuerant, immortalem adepti gloriam, trophæa perennaturæ laudis in honoris fano ad Memoriæ aram feliciter suspenderunt.

Ex eo tempore fœcundo ipſis otio frui licuit : quod, miſſis ſcholarum odioſis & inutilibus jurgiis, indagandæ rerum naturæ, & reſpandæ impenderent veritati. Ea autem veritas nuſquam ſe pandit explicatius, quam ubi animum nanciſcitur ab altercationum æſtu tranquillatum, & præjudiciis affectibuſque vacuum. Hac via contigit, ut diſciplinæ propemodum omnes, pomœria ſua ulterius promoverint, & inſigni nitoris incremento auctæ ornatæque ſint.

PHILOSOPHI, valere juſſis elenchorum Sophiſticorum ſophis, & ſubtilibus, ſi vultis, at ſpinoſis, nulliuſque bonæ frugis argutiis, placidæ ſupremi Numinis, in rerum natura intimoque mentis receſſu ſeſe patefacientis, contemplationi vacare; & totam rerum univerſitatem animo complexi, generales cunctorum quæ exſtant abſtractiones caſto ſermone exponere; atque in ipſa maximorum Dei operum viſcera incredibili ſagacitate penetrare, latenteſque rerum cauſas indefeſſa induſtria eruere cœperunt. Naturam, non ex otioſorum hominum, intra clauſtri ſe ſui anguſtias temere jactantium, futilibus commentationibus, ſed ex rerum ipſarum inſpectione, & variorum ſæpiuſque repetitorum experimentorum comprobatione, explicant. Ad quam rem plurimum utilitatis conferre microſcopia, quorum, ſi non inventio, certe exactitudo communiorque uſus, ſeculi noſtri felicitas eſt, nemo, opinor, ingenuus negaverit. Horum enim ope oculis ſubjiciuntur fidelibus minimarum particularum minutiæ, quæ vel Lynceum hactenus viſum effugerant, & ſine his effugiſſent æternum. Quæ tamen detectæ conſpectæque, uti nunc ſunt, rationem qua corpora generantur, nutriuntur, creſcunt, & loco ſeſe movent, in admirabili luce collocant: infinitamque viventium animalculorum, *in omnibus fere corporum animalium partibus ſeſe motitantium*, multitudinem, cum effectuum ſuorum innumerabili varietate, ob oculos ponunt, non ſine ſtupore ſpectantium. Atque hoc quidem modo nobilitata ætate noſtra Philoſophia eſt.

Sed & MEDICINA habet quorum acceſſione majorem ſe in modum locupletatam eſſe gaudeat. Opis meæ non eſt ut ſingula enumerem. Prætermiſſis cæteris, unica illa obſervatio de perpetua ſanguinis circulatione per arterias & venas, ſuis præditas valvulis, quarum illæ a corde verſus extrema, hæ ab extremis verſus cor aperiuntur; unica, inquam, iſta obſervatio, neſcio an prorſus ignara veteribus, certe neglecta poſterioribus, nunc autem induſtriorum hominum experimentis clariſſime demonſtrata, quanti ad rem omnem Medicam momenti ſit, quis eſt qui neſciat?

JURIS

JURIS autem ROMANI *tractatio*, *ne & ea nobis* [illegible] ttatur, ita ab antecedentium *temporum barbarie repurgata*, [illegible] culentis ex omni antiquitate & *historia animadversionibus illustrata* feliciter adeo in pristinam ac *nativam pulcritudinem suam restituta*, ut imperii toto terrarum *orbe maximi Majestate digna* [illegible] queat.

Et in omni *sane disciplina floruerunt, partim* [illegible], [illegible] stra quoque memoria, *inclyti eruditione ac fama homines*, [illegible] modestissime loquar, *opponere possumus veteribus.*

Habent PHILOLOGI & CRITICI *suos* [illegible] eros, Lipsios, Casaubonos, *Heinsios, Vossios*, [illegible] s, quibus vindicimus.

----- vitiis [illegible]
Barbaries, morsusque suae [illegible]

Habent PHILOSOPHI *illustres observationibus & experimentis* [illegible]

[illegible]

dam dici posse arbitratus sim. Sed parcendum esse existimavi virorum modestiæ, & declinandam mihi, sive laudis, sive silentii invidiam. Hoc unum addidisse sufficiat:

Habet etiamnum Belgica nostra quod cœlo imputet. Profugæ aliunde Musæ lares hic suos fixisse videntur. Nusquam locorum sanctiora iis exstructa templa, nusquam castiores dati sacerdotes, nusquam reverentius ac religiosius habitæ sunt. Neque immerito dubitemus, an ulla uspiam in terris regio tantam bonarum simul artium ubertatem, tantam doctissimorum in omni facultate virorum celebritatem, tantam illustrium Scholarum florentiumque Academiarum, in quibus, apage livor! nostra hæc vix ulli concedit alteri, frequentiam, in tam exiguo tractu conspexerit.

Atque hæc quidem ita a me disputata sunt, Auditores, ut cæteras disciplinas suo æstimaverim pretio, at THEOLOGIÆ meæ nullam hactenus injecerim mentionem. Nolim autem existimetis ejus me oblitum fuisse, aut oblivisci potuisse, sapientiæ, cui a teneris dicatus unguiculis, cui innutritus sum, in qua omnes spes, opes ac deliciæ meæ sitæ sunt, quam ultra quadraginta annos in Ecclesia, & viginti tres in plus una Academia summa cum voluptate docui, & in cujus jucundissimis amplexibus animam exhalare, solatiorum meorum ultimum erit. Judicio itaque factum est, quod eam, quamvis omnium principem, in extremum hunc locum seposuerim; quippe quam præcipua mihi cura dicendam esse memineram.

Credo equidem, provido sapientissimi Numinis consilio facultatibus cæteris tam fulgidam accensam fuisse facem, ut THEOLOGIÆ potissimum prælucerent: cujus majestati quo obsequiosiore se cultu submittunt, eo se plus laudis ac gloriæ habituras esse sciant. Neque profecto officio hic suo defuerunt illustres animæ; quæ, quidquid in Philosophia invenerant solidi, quidquid in antiquitate Hebræa, Græca, Romana eruditi, quidquid in arte Hippocratica, aut juris civilis prudentia, quod aliqua se cum sacris nostris literis affinitate commendaret, id omne ad eas illustrandas insigni dexteritate contulerunt. Atque ita usu venit, ut Theologia, suis cæteroquin opibus contenta, nunc exoticis quoque divitiis, velut opimis spoliis, locupletata, cultius quam unquam in publicum prodierit, majestatisque suæ confessionem æmulis etiam atque invitis extorserit. Proh sanctissimum optimumque Numen! quanto intervallo Divinæ istius tuæ, cœlitusque revelatæ doctrinæ peritia, non modo a præteritorum nuper seculorum pudenda ac plus quam Scythica ignorantia, sed & ab ejus ætatis quæ Apostolicam proxime secuta est luminibus, disterminatur? Nunquam

cœle-

cœlestes veritates purius enucleatæ; nunquam sapientissima earum connexio clarius demonstrata; nunquam Divinarum cum hominibus fœderum ratio, eorundemque diversa dispensatio, illuminatius exposita; nunquam errores solidius confutati; nunquam veri Scripturarum sensus diligentius indagati, feliciusque in lucem producti, quam hoc seculo sunt.

Non postulo, Auditores, quippe quod nullo mihi jure postularem, ut judicio in hac caussa meo plus deferatis, quam ipsis vobis æquum esse videbitur. Dicam tamen quod sentio: atque ita dicam, ut orationi quidem meæ sua, quam hominibus ingenuis negare nefas est, libertas constet; omnem tamen livorem ac scævitatem, obtrectandique lubidinem, quæ honesta pectora dedecent, procul esse appareat. Enimvero fateor in pervolvendis Patrum, quos vocant, scriptis non trivisse me ætatem; cum quod laboriosissimæ vitæ occupationes haud tantum mihi abs re mea otii concederent, tum quod meus me genius, ne quid dissimulem, alio magis studiorum genere delectatus, eo non duceret traheretve. Legi tamen, neque perfunctorie legi, partem non contemnendam eorum, quæ tam Orientalis quam Occidentalis, tam Græcæ quam Latinæ Ecclesiæ cordatissimi Doctores pro exponenda, tuenda, vindicandaque Evangelii veritate scripserunt. Legi quæ in Veteris Novique instrumenti libros quosdam commentati sunt: legi quæ hæreticis, sanctissimarum tabularum corruptoribus ac calumniatoribus, opposuerunt.

Profiteorque, maximopere me aliquando affectum fuisse eo pro Divini nominis gloria zelo, ea animi bene persuasi firmitate, ea fidei, si Græca hic mihi voce uti liceat, πληροφορίᾳ, quæ plerumque in libris ipsorum elucent. Unde ægerrime semper eorum institutum tuli, qui quavis, non data solum, sed & quæsita, occasione, in Patrum nævis detegendis ingloriam diligentiam exercuerunt. At ignoscant mihi sanctorum Heroum candidissimæ animæ, si nostro huic seculo quendam, quo carendum ipsis fuit, felicitatis gradum Divina munificentia obtigisse pronunciem. Jecerint illi eruditionis Theologicæ fundamenta; non abnuo. Viam straverint accuratiori indagationi; non repugno. Polluerint ingenio atque industria; ipse ego laudibus ista meis majora esse prædico. At certe non pauca esse, neque exigua, quæ nostris nunc Theologis, ex omnibus antiquitatis, præcipue Orientalis, recessibus, incredibili labore eruta, & ad oraculorum nostrorum mentem exponendam feliciter adhibita sunt, priscis autem illis ne fando quidem audita erant, nemo, nisi inexpertus, aut oppido cervicosus, inficias iverit. O quam beatos sese ipsi illi Veteres prædicavissent,

quanto

quanto exſultaviſſent gaudio, in quas immortali Deo gratias ſe effudiſſent, ſi ex omnibus illis, quibus nos nunc abundamus, Chriſtianæ religionis inſtitutionibus, Hæreticorum refutationibus, in ſacras literas commentationibus, pauculas quasdam, ſed inſigniores, percurrere datum iis fuiſſet! Facile mihi foret, Auditores, copioſa oratione cuncta iſta amplificare, exemplisque firmare omni exceptione majoribus: ſed theſauris noſtris tacita incubare lætitia malo, quam intempeſtiva facundia provocare invidiam.

At nulla me res impedire debet, quo minus veſtrum omnium nomine, quotquot non iniqui Divinæ beneficentiæ æſtimatores eſtis, gratias Deo immortali, omnis veræ ſapientiæ largitori, & habeam & agam gratiſſimas, pro incredibili illa diſciplinarum omnium ubertate, qua ſeculum & Belgium noſtrum, & quid ni addere liceat, noſtram quoque Academiam, tam inſigniter beavit: ipſe modo ſuis faveat muneribus, tantiſque bonis addat perpetuitatem.

Atque hæc quidem de præclara literarum hoc ſeculo felicitate dicta nobis ſunto. Ea tamen lege, ut nequaquam diſſimulemus ingentes iſtas calamitates, quibus huic quam prædicamus felicitati de ſplendore ſuo plurimum deceſſit; & quas infauſta properantis ruinæ omina eſſe, prudentiſſimi viri, non ſine ratione, metuunt. Abutimur enim, Auditores, abutimur Divinæ beneficentiæ muneribus, eaque non modo non in honorem, ſed & in contumeliam vertimus donantis.

Quotuſquiſque eorum qui ad copioſum hunc optimarum artium mercatum invitantur, tam beati temporis opportunitatem redimit, debitaque diligentia abunde ſibi de iis rebus proſpicit, quibus eruditionis famam tueri, & egregium publicum promovere queat? *Puſilli plerumque animi* ſtudiis dicata juventus eſt: multis præclare ſe rem geſſiſſe arbitrantibus, ſi artis quam profeſſuri ſunt elementa eatenus memoriæ impreſſerint, ut, qualicunque eorum in examinibus reddita ratione, lauream Academicam, aut dicendi pro plebe facultatem conſequantur. Qui generoſo molimine ad artis ſuæ culmen adſpirant, & nil volentibus arduum eſſe credentes, ad ſublimia quæque indefeſſo conatu enituntur, ex immenſa aliud agentium multitudine vix totidem ſunt, quot Thebarum portas vel Nili oſtia fuiſſe perhibent. Macti iſthac virtute eſtote, Adoleſcentes Nobiliſſimi, urgete tam laudabile inſtitutum, fulcite labantia ſtudia, & ſuſtinete ſpem non degeneris poſteritatis. Quo pauciores eſtis numero, eo magis conſpicuum erit decus veſtrum, veſtraque iſta ſtrenuitate vel reparabitis ignavorum illorum infamiam, vel certe incutietis illis ruborem.

Cæterum

Cæterum non sola hic juventutis culpa est : quæ & levis & ex-sabilis videri potest, si cum aliorum quorundam agendi ratione nferatur, qui stationem illustrem, & celebre in Republica literaria men habent.

Nam & eos quandoque videas moribus parum honestos, fastu decoro turgidos, gloriosulos sui jactatores, invidia liventes, factio-ous implicitos, de rebus nihili temere litigantes, acerbis se invi-m convitiis proscindentes, quoties ad scribendum se accingunt ca-num non salubri atramento, sed succo loliginis atræ tingentes, alios aliorum famam maledicis libellis & carminibus grassantes, & quam ta vita ambitiose quæsiverant, faventibusque multorum judiciis ob-iuerant, eruditionis laudem, quasi animi gratia sibi invicem ereptum ntes. Nullo profecto operæ pretio, nisi quod, detecta utrinque ditate, aliorum se cachinnis ac sibilis, aliorum fastidio & contemtui ponant. Unde in animis illiteratorum quidem, at catorum & pru-ntium hominum, facile nascitur foveturque probrosa ista ordini no-o opinio, nullos sæpe minus sapientes esse, quam qui sapientiam rbis ad pompam compositis publice promittunt. Mea sic est senten-, Auditores, ludicris id genus ac pudendis certaminibus, majesta-n literarum, quam sanctam atque inviolabilem servare oportuisset, ırimum lædi atque imminui.

Sed nec hæc, quantumvis magna, præcipua tamen fundi nostri, amitas est.

Graviora longe mala ex abusu CRITICES & PHILOSOPHIÆ scuntur.

Quæ disciplinæ si in homines modestos inciderint, ac suis se con-eant terminis, dici satis non potest, quam salubriter lucem suam r omnem rem literariam diffundant: sed si arrogantium ingeniorum rositati famulari cogantur, tum nefando earum abusu non cæteris odo facultatibus ad civilem vitam pertinentibus, sed & sacratissimis ıculis nostris, totique adeo religioni, præsentissimum creatur crimen.

Audax hominum genus CRITICORUM natio est, nihil sibi n in omnes & omnia permissum esse temeraria præsumtione fin-ıs. Nihil vel profanum, vel sacrum est, quod violentas ipsorum nus evadat. Nihil tam exiguum aut humile, quod infra curam ım positum esse arbitrentur, circa verborum tricas & literarum api-los totos dies insanientes. Nihil rursus tam grande atque excelsum, od non pædagogicæ ferulæ subjiciant. Postquam superbientis ani-lubidinem in secularibus scriptis male mutandis (ipsi corrigere

vocant) expleverunt; pari confidentia in ſanctiſſimorum oraculorum arcana volumina involant. Quorum orationem, addendo, demendo, transponendo, fingunt ac refingunt pro lubitu. Idque ſine ulla aliorum codicum auctoritate, contra antiquiſſimarum verſionum fidem, contra vetuſtiſſimorum interpretum conſenſum, ſola nixi hariolandi audacia. Ea tamen artis ſuæ fiducia, ut non minora in Moſen & Davidem, in Petrum & Paulum auſi ſint, quam in Polybium & Livium, in Ariſtophanem & Plautum. O indignam neque ferendam cœleſtibus viris contumeliam! qui Divino Spiritu afflati entheum aliquid ſonant, ſupra hominem loquuntur, ſuaque ſe majeſtate a miniatulis Pædagogorum ceris facile vindicant.

Non decet enimvero, non decet hominem Chriſtianum in exigendo ſanctorum vatum ſermone ad omnes Grammaticorum vel Dialecticorum regulas nimis eſſe ſcrupuloſum. Conſtat orationi ſacræ ſua ſapientia, &, vel invitis iſtis magiſtellis, conſtabit æternum; quamvis jejuna ſcholarum præcepta, velut infra ſublimitatem ſuam poſita, ſecure deſpiciat. Sapientia iſta in abdito eſt: quam, niſi fodiendo, & ſcrutando non aſſequaris. Ubi autem aſſecutus fueris, ſimul intelliges, non potuiſſe eam rem convenientioribus exponi verbis, illa ſaltem ætate, & pro iſtius, cui primum deſtinata fuerunt, populi genio.

Verum utinam intra hos terminos manſum fuiſſet! Latius graſſata peſtis eſt, quam ut ſe verborum aut commatum aliquot transformatione contineri ſiverit. Integras odas, integros libros adoritur, eoſque critico veru crudeliter transfixos ex Divinorum voluminum albo, dictatoria auctoritate, expungit: ac, ne quid deeſſe videatur impietati, myſtica carmina, quibus caſtiſſimi Chriſti & Eccleſiæ amores elegantiſſime pinguntur, cum Polyphemi fiſtula, ſuos erga Galatæam furores Cyclopicis modulis ludente, iniquiſſima comparatione contendit.

Exhorreſcitis, video, Auditores. Vix mihi, vix auribus veſtris habetis fidem. Tantaſne unquam uſpiamve in ſacratiſſima oracula injurias maledico ore evomi, ab hominibus, ſapientiam & Chriſti ſimul religionem profeſſis! Imo vero, credite mihi, Auditores, & certa ſunt quæ dixi, & pauca de iſto genere. Nec clam, quod fortaſſis ſuſpicamini, in angulo, apud conjuratæ ſectæ myſtas muſſitantur: ſed jactantur in publico, typis excuſa proſtant, omnium teruntur manibus, &, quod impietatis faſtigium eſt, pro non vulgaris ſapientiæ argumento habentur. O ſeculum! O mores!

At

At non minora eorum flagitia sunt, qui Philosophico fastu inflati, tantum sibi in res ipsas Divinis voluminibus comprehensas, quantum Critici in verba & stilum, licere postulant. Hi rationis suæ ulna, quantumvis curta, cuncta sibi metienda sumunt. Et quod Philosophiæ, quam quisque pro captu sibi suo fingit, scitis minus consentaneum videtur, id mox ut Deo indignum rejiciunt, tametsi disertissimis verbis a sanctis Dei hominibus inculcatum sit.

Ex his principiis ingens Mosi dica scribitur, super iis quæ de rerum omnium origine, & mundi solo Dei nutu conditi ordine, quæ de primorum parentum per serpentem seductione, quæ de orbis terrarum universali diluvio inundati interitu, quæ de Lothi uxore in salis statuam conversa, quæ de prodigiis in Ægypto & Arabiæ deserto factis, scripta reliquit: eaque vel palam falsi postulantur, vel alienissima interpretatione ita torquentur, ut alia omnia menti repræsentent quam clara præ se fert verborum simplicitas. Quidquid in stupendis summi Numinis operibus admirandum est, id vel albis dentibus, uti absonum, ridetur, vel omni admirabilitate sua spoliatur, ut naturæ legibus, quas ad unguem se callere jactant, non minus respondeat quam ea quæ cottidie usu venire videmus. Ipsa denique Religio Christiana, mysteriis suis omnibus exuta, in mere naturalem & rationalem Numinis cultum, si modo Numinis cultum, convertitur.

Quis dubitat, Auditores, quin ad totius religionis internecionem, ad pietatis ac sanctimoniæ exstirpationem, ad salutis nostræ interversionem, comparata sint hæc omnia? Quibus tamen dici non potest quam multi capiantur, qui rarioris, liberæ ac generosæ cujusdam sapientiæ nomen affectant. Eo autem periculosiora sunt, quod tot simul pestibus compescendis nulla usquam idonea & efficacia satis inveniantur remedia. Deum, ipsum Deum intervenire oportet, ut, si quid adhuc integrum superest, a lue præservet, grassantis pestilentiæ impetum sistat, impendentemque capitibus nostris supremam necessitatem propitius averruncet. Ab hominibus enim quæ tandem spes salutis restat?

Ea, si non aliunde, à THEOLOGORUM saltem ordine exspectanda foret. Hos decebat junctis animis, manibus, armis, ad laborantis caussæ tutelam, quasi ad ararum focorumque defensionem, concurrere. Et ad eum modum pro sacris, custodiæ suæ concreditis, pugnare, ut non minora lucis quam fervoris, prudentiæ quam zeli, mansuetudinis quam fortitudinis exempla ederent. Ut denique non suos sibi triumphos, sed Dei gloriam, veritatis patrocinium, pacis studium, communisque salutis promotionem cordi esse, omnibus cu-

ris, consiliis, actionibus suis, palam facerent. Utinam, dum Hannibal portis imminet, cessarent nunc saltem intestina illa super minoris momenti controversiis dissidia, de quibus, incolumi religione ac pietate, placide transigere satius esset! Utinam componerentur tandem acerba illa, & plus quam civilia, quia fraterna, bella, nullos unquam habitura triumphos! Utinam aliquando cœlestium virorum animos amor ille quo cœlum regitur regat! nullaque ab hinc deprehendatur æmulatio, præter unam hanc, ut commissas sibi quisque partes, procul ambitione, optime tueatur; ut veritati simul & paci sanctissime litet; ut eam qua præditus est sapientiam, pulcherrimis mansuetudinis, æquitatis ac charitatis fructibus, tanquam certissimis Divinæ originis argumentis, cœlo asserat. Cæterum hæc quæ calidis optamus suspiriis, quorumque ardentissimo desiderio languidi fatiscimus, voti, proh! dolor, voti magis quam spei sunt: nisi quæ spes quandoque nostras transcendere amat Dei Optimi Maximique benignitas, nec opinantibus nobis, desperatis conclamatisque rebus succurrat.

Quæ quum ita se habeant, expensis nunc partis utriusque rationibus, utrum prædicanda sit Reipublicæ literariæ felicitas, an deploranda potius illiusdem calamitas, vos ipsi, Auditores, pro prudentia vestra & æquitate arbitremini.

Si meæ poscitis sententiæ prærogativam, neque defugere responsionem licet; sic habete. Non absimilem Rempublicam literariam hoc tempore videri navi affabre factæ, pretiosisque mercibus probe onustæ, & cursum desideratam versus patriam tenenti, sed quam gubernatores, nautæ, vectores, aliis cessantibus, paucis Dei hominumque fidem frustra inclamantibus, nefario ausu spoliant, & de partiendis mercibus scelerate altercantes, omisso gubernaculo ventis exponunt, allidendam cautibus, absorbendam fluctibus, aut diripiendam prædonibus.


Quotiescunque præclaram illam rerum Divinarum humanarumque notitiam, nulla invidia seculo nostro abjudicandam, animo intueor, toties exclamare lubet, o splendidam lucem ab ipso Patre luminum clementer nobis accensam! o beatos, si bona sua norint, iisque recte utantur, mortales! Ubi vero animum converto ad plerorumque eruditorum, ingenio & literis suis abutentium, superbiam, acerbitatem, convitiandique lubidinem; ubi considero quantum noxæ a subtilibus & ad omnem nequitiam edoctis insanientis sapientiæ magistris sanctissimæ religioni nostræ, omnique rei Christianæ inferatur; prope est ut mallem nullas exstare, quam cum tam detestabili earum abu-

ſu, literas : eoſque omnium feliciſſimos eſſe pronunciem, qui
ul eruditorum commercio, nil niſi Deum in Chriſto cognoſcen-
& amantes, ſancta mentis ſimplicitate ſaluti ſuæ promovendæ uni-
ncumbunt.

Dixiſſe me dicerem, Auditores, niſi meminiſſem ſolenni hoc
ponendos mihi Faſceis eſſe, Academici, quem hoc anno geſſi,
giſtratus inſignia. Eos, Nobiliſſimi & Ampliſſimi urbis hujus
ſules & Senatores, Inclutæ hujus Academiæ Curatores, ad veſtros
ono pedes, illi abhinc prægeſtandos cui dignitatem eam deſtina-
s. Ego equidem pro inſigni iſthoc præſtito mihi honore, cæte-
ue beneficiis veſtris, tam prolixe & munifice in hunc hominem
tis, immortaleis Vobis habeo & ago gratias. Quas quum niſi
s referre non poſſim, D. O. M. ſupplex veneror, ut vos Reipu-
e, Rempublicam vobis diu ſoſpitet. Floreat ſemper Academia
ra docentium celebritate, fide, concordia; diſcentium frequentia,
ilitate, modeſtia : omnium ordinum ad virtutis ac ſanctimoniæ
ium amica conſpiratione.

D I X I.





INDEX
LOCORUM
SACRÆ SCRIPTURÆ
succinctius, aut prolixius hoc in Opere illustratorum, & explicatorum.

XV:

LXXX:

XII:

XII:

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

INDEX AUCTORUM


qui hoc in Opere laudantur, notantur, explicantur, illustrantur, emendantur, refutantur.

INDEX
AUCTORUM

hoc in Opere laudantur, notantur, explicantur, illustrantur, emendantur, refutantur.

O. Occ

SACRÆ SCRIPTURÆ.





INDEX

Rerum, Phrasium, ac Verborum locupletissimus.

A.

אלה

B.

Baby-

INDEX RERUM,

Min

D. De-

D.

suum

F.

G.

Cor-

H.

Regimen

Redi-

Quo-

INDEX RERUM,

Quæ:

O.

P.

INDEX RERUM,

Pesi.

R.

Num-

T.

V.

U.

FINIS.



JUDÆUS CHRISTIANIZANS

CIRCA

PRINCIPIA FIDEI

ET

SS. TRINITATEM.

AUTHORE

HERMANNO WITZIO.

Lugduni Batavorum,
apud CONRADUM MEYERUM.

Judicium RR. DD. Revisorum Venerandæ Classis Enchusanæ.

TEstamur nos infra scripti, postquam ex speciali mandato ac nomine *Reverendæ* Classis Enchusanæ *hoc Scriptum Reverendi & Doctissimi* D. HERMANNI WITSII *perlegimus, cui titulus est,* Judæus Christianizans *&c. nos in eo nihil reprehendisse, quod aut sanæ doctrinæ aut veræ pietati repugnet: quin imo hodiernos in eo Judæos hactenus ex propriis ipsorum scriptis atque fundamentis fideliter oppugnatos, feliciter victos, & proprio ipsorum gladio docte satis nostro judicio transfixos esse. Dignum itaque hoc scriptum judicamus, & consensum nostrum nomine prædictæ Classis facile præbemus, ut publicis typis mandetur. Utinam advenisset tempus gratiæ, in quo Deus pristini sui populi misereatur! Datum* Enchusæ 12. Julii.

JOHANNES ROLDANUS.
LAURENTIUS HOMMA.

GENEROSO ET MULTIFARIAM ILLUSTRI

DOMINO,

D. JOHANNI,

BARONI DE REEDE,

Domino ac Toparchæ de Rensvvoude, &c. Equiti Regii Ordinis DANIÆ, qui ab Elephanto nomen habet, Præpotentium Ordinum Provinciæ Ultrajectinæ Præsidi perpetuo, eorundemque nomine in Collegio Potentissimorum Ordinum Generalium Assessori Ordinario &c.

GENEROSE ET ILLUSTRIS DOMINE,

QUod tot aliis concessum, ut in librorum suorum frontispicio Nobilissimum nomen Tuum collocent, id nec huic meo qualicunque scripto denegatum iri spero. Sacrum est quod offero: & is in quem collimo scopus, Judæorum scilicet conversio, dignus item Tuis, dignus Potentissimorum Collegarum Tuorum curis. Id satagere, ut Nobilissimi *Abrahæ* nepotes, Gens olim Deo dilecta, nunc omni ærumnarum genere miserrima; cujus quondam fuere fœdera, cujus promissiones, cujus Patres, imo ex qua *Christus* ipse quoad carnem attinet, sed quæ nunc & se & Deum & Christum ipsius turpiter ignorat, Deo, Veritati, Messiæ fasces rursus submittat, id Summi, id Christiani Magistratus præstantissimum ac divinum plane munus est. Hoc utique summopere decet eos, quibus non Reipublicæ modo, sed & regni sui tutelam, imo & augmentum commisit Summus omnium Dominator JESUS, ut quoscunque alios, sed eos imprimis quibus primitus promissus Messias erat, sceptro ipsius subjiciant, pomœria Cœlestis istius regni quantum in se est dilatantes, donec plenitudo corporis ipsius adveniat, & ipse fit omnia in omnibus. Id esset non Magistratum tantummodo gerere, sed & Dei vices agere, imo & Deum ipsum esse in terris. Quid enim

 divi-

divinius excogitari poteſt, quam non Judææ ſed cœlo reſtituere eos, quos Cœli pariter ſoliquе ſui extorres indoluimus nuper! Sane ut in id porro incumbant *Supremæ Patriæ noſtræ Dominationes*, quarum Tu, *Nobiliſſime Heros*, Pars magna es, & meum & bonorum omnium ſolemne eſt votum. Id ordinis etiam noſtri homines Theologos, id omnes omnino Chriſtianos pro ſuo modulo agere velim. Omnibus quidem debitores ſumus: ſed *Judæo primum, dein Græco*. Is ut bonum nomen ſimus & D. JESUS, & officium noſtrum, & quod pro foribus jam ſtare videtur converſioni ipſorum deſtinatum tempus, obnixe petunt, rogant, efflagitant. Concurrant huc non dicam ut ille, omnes augures, haruſpices, ſed quicquid eſt uspiam hominum eruditiorum ac Dei timentium, ſociasque jungant operas, omnia aſportantes, quæ non confundendo jam Babeli, ſed vindicandæ Hieroſolymæ faciant; vindicandæ, inquam, è teterrima ſervitute diaboli in beatam libertatem filiorum Dei. Hoc profecto ſatius erit quam inutiles rixas inter fratres ſerere, & quod in ſuperba Babylone ſpolianda factum Poëtæ narrant, bella gerere nullos habitura triumphos. Hæc demum prælia ſunt Jehovæ, in quibus non nobis, ſed Veritati, ſed CHRISTO, qui & ipſe veritas, nunquam intermorituræ gloriæ Triumphus quæritur, nec quæritur tantum: ipſo tam ſancta conſilia cœlitus fortunante. Imo ubi & is qui vincitur infinities honeſtioribus encomiis à Deo & illius Angelis mactatur, quam à debellato ultimo Oriente reportavit olim Alexander. At magnum aliquid in hoc negotio moliri, non eſt cujusvis; nedum ut ad tantum opus notabile aliquod præſtare poſſim tantillus ego. Aliquid tamen non peragere, ſed conari, nec potui ſed volui, ne talentuli quantulicunque mei decoctor audirem. Id Tibi nunc, *Nobiliſſime Domine*, quam poſſum humillime offero, dico, dedico, Μὴ κατὰ τὴν τύχην σὴν ὦ Σεβαστὲ μήτε ψυχήν· Ἀλλ' εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν, ut olim Auguſto Græculus. Plura, fateor, debeo humaniſſimæ iſti comitati Tuæ, qua tantopere me Tibi devinxiſti. Sed dignum redhoſtimentum nec ſors Tua permittit nec mea. Syngrapham ſaltem hanc accipe, qua coram toto mundo ſincere profiteor, me ad ultimum usque vitæ halitum futurum eſſe

GENEROSÆ NOBILITATIS TUÆ

humillimum Clientem
HERM. WITZ

E Muſæo meo M DC LX.
Prid. Non. Sept.

In

In Commendationem doctissimi hujus OPUSCULI

Προσφώνησις ad JUDÆOS.

GRata *Deo quondam quo* Gens *ruis? anne, relicto*
Mose, putas Mosis *gratior esse Deo?*
Falleris: at Mosis *tunc deseris ora, loquentem*
Cum Mosis *reprobas corde tenere Deum,*
Nescia (sed dices) quis sit Deus ille, recusas:
Cæca sed an toties Luce beata manes?
Hactenus in tenebris etsi latitasset, apertum est
Jam tamen, Amramidis *quis fiet ille Deus.*
Trinus *is &* simplex; Mosi *sic cognitus omni,*
Sic quoque fatidicæ *cognitus usque* scholæ.
Nec vestris ignotus Avis; *namque ipsa ministrant.*
Rite tibi Triados *Scripta* Paterna *notas;*
Hic patet: & propriis ad eam propelleris armis,
Et superessugii rimula nulla tibi est.
Tectior hic fateor, Moses, *sed clarius illo*
Pagina sacra Novi Fœderis *illa docet.*
Mosis *apostolicas hinc semper jungito chartas;*
Illarumque animi discute Luce dolos.
Et clare mox mente Deus, qui Trinus *in* uno,
Unus *& in* Trino *est, conspiciendus eris.*
Nil Kabala *hic, nec quid monstrosa volumina* Talmud,
Quod satis hic fidei est Lux ea sola dabit,
Hoc Nostro *monstrante viam: huc festina venito*
Ex templo ætheriis irradianda modis.
Dumque Is aberrantem Te vult salvare Catervam;
Tu mihi ne medicam despice, quæso, manum?
Jesus *adest*, Popularis *adest, spes* unica *Patrum,*
Nec quoque Moses *abest, si modo* Jesus *adest.*
Justaque si servi *fuit unquam cura* Figuræ.
Qui minor & Domini Corporis *esse potest.*
Huc ades, Abramides, *sanctisque hæc auribus hauri,*
Moxque eris Abramides Christiadesque *simul.*

GUILIELMUS SELDENUS.

PROLEGOMENA,

In quibus inquiritur quid sit Judaizare, & quinam hoc Sæculo Judaizantes dici possint?

MEa sic stat sententia, *Christiane ac pie Lector*, nusquam eruditos nostros, Theologos comprimis, meliorem ac publicæ rei utiliorem jam operam ponere, quam ea meditando quæ ad Judæorum conversionem spectant. Insignes Dei promissiones toties in Sacris litteris inculcatæ, quibus miserrimi populi restitutionem pollicetur, animum cunctis addere debent quorum cor ad id tetigit Jehova; efficiunt certe ut non incassum hic à nobis laborari firmiter sperare possimus. Adde quod multa hic adhucdum facienda restent. Reliqua Theologiæ capita, quæ Christianis inter ipsos controvertuntur, sic satis nunc à quam plurimis pertractata otium pæne reliquis fecêre. Atque utinam nimium altercando veritas non quandoque amissa foret! Charitas certe nimium quantum læsa. Imo & ea quæ sanctissimæ religionis nostræ praxim concernunt (ac in praxi quidem tota consistit religio) tam copiose à pie eruditis, qua viva voce, qua scriptis cum latine tum in vulgaribus linguis editis, tradita nunc sunt & traduntur quotidie ut pristinis Ecclesiarum querelis & votis hac in parte mediocriter satisfactum sit. Restaret jam ut unanimiter ad exteros nos conferremus, ac seposita istâ animorum contentione, quâ Fratres inter se digladiantur, collatis viribus extraneos ad nos pellicere conaremur, imo non ad nos; sed ad Christum. Nihil amplius à nobis tentari ad plenius erudiendos Christianos in Oriente, non omnino indociles (ut ex nuperis Cyrilli Patriarchæ Constantinopolitani scriptis, illiusque apud populum favore liquet) nescio quo colore excusari queat. Sane Pontificii magis satagunt Papæ sui pomæria dilatare, quam multi nostrum Christi. Et, si quod res est dicere liceat, nimis desides sumus circa Arabes, quibus Agyrtarum Coryphæus Muhammed tam dirum in modum imposuit, quosque tot jam sæcula fascinatos tenet. Quantum hic inculti agri sit, quod primo occupanti cedere possit, norunt omnes, qui sciunt quantillum hic sit actum. Hic Rhodus, Hic saltus est. Hic habent ubi se exerceant luxuriantia ingenia, quæ se invicem lacessere ac consumere sæpe malunt quam otio suo non abuti. Utque ad Judæos meos redeam, nimium sane iis debemus, quam ut tam perfunctoria circa eos opera defungi nos posse arbitremur. Ego me nullum esse fateor, ac minimum in Domo Dei mei, saltem æstive nimis ad has controversias viaticatum, quam ut eas digne

tractare

tractare existimem opis meæ esse. Ac nisi me Amicorum quorundam vota & crebri hortatus in hunc campum pertraxissent, non ausim polliceri me sponte mea plus præstiturum fuisse, quam ignavissimus quisque. At illud saltem me hoc qualicunque scripto lucraturum spero, ut alii, quos sæculum nostrum doctissimos habet, ea corrigere ac supplere conentur, quæ mihi deesse vident. Id utique omnibus dignum erit, miseræ nunc, at olim Deo dilectæ genti convertendæ impendere, quidquid in arte sua possunt promittere curæ. Non sine tædio ac nausea, imo nec sine intimis suspiriis aliquoties jam in hodiernis quorundam scriptis observavi Christianis Doctoribus *Judaizantium* nomen impingi. Quasi vero id artis aut laudis sit Christianos in Judæos transformare. Quin potius ex Judæis conamur facere Christianos? Impulit me tamen hæc toties iterata *Judaizantium* nomenclatura, ut quid *Judaizare* sit diligentius paululum apud me expenderem, & quinam hoc sæculo *Judaizantes* dici possint æquis rerum æstimatoribus expendendum proponerem.

Judaizare, ut constat, verbum est derivatum à *Judeus*, quo nomine posteri Jacobi post abductionem decem tribuum indigitari cœpere. Hebraice dicitur יהודי. De quo nomine scribit *Elias Levita in Thisbi*.

ידוע כי כל ישראל נקראים יהודים אבל לא נמצא במקרא שנקראו יהודים רק מזמן גלות עשרת השבטים ונשאר מלכות בית יהודה מאז נקראו יהודים ולשונם לשון יהודית ולא קודם לכן וגם שבט בנימין עמהם שנאמר במרדכי איש יהודי וגומר והוא איש ימיני:

Notum est omnes Israelitas vocari Judeos, non tamen hoc Judeorum nomen ipsis in sacris litteris attributum legitur, nisi ex illo tempore quo decem tribus in captivitatem abducta sunt, & superstes mansit regnum domus Juda. Post illa vocati sunt Judei, & lingua eorum, lingua Judaica; non antea. Immo & tribus Benjamin cum illis. Dicitur quippe de Mordechai vir Judæus Hest. II. 5. *quum tamen esset Feminita.* De vocis hujus Etymologia ridicule *Tacitus Histor. Lib. 5. Judaos Creta Insula profugos novissima Libya insedisse memorant, qua tempestate Saturnus, vi Jovis pulsus, cesserit regnis. Argumentum è nomine petitur: Inclitum in Creta Idam montem, accolas Ideos, aucto in Barbarum cognomento, Judaos vocitari* (*quasi Idaos*). Æque sapienter, id est æque stulte Muhammedani Judæorum nomen deducunt à verbo Arabico הוד *pœnituit*, quia scilicet resipuerunt à cultu vituli. Uti ex Beidavi hoc refert Celeberr. *Hotting. Histor. Orient. p.* 214. Similiter portentosum est, & cum summa inscitia conjunctum, quod Aristoteles apud Clearchum autumavit, Judæos esse ab Indiæ sapientibus propagatos, sed nomen mutavisse, quippe Philosophos illos, qui apud Indos callani appellantur in Cava Syria Judæos dici.

Pudet

Pudet me anilitatis, adeo hoc nihili est, merito dixerim cum Cunæo de Republ. Heb. pag. m. 19. Certum est, originem suam habere à Jehuda filio Jacobi, sic dicto quod mater à partu ipsius Deum celebrasset. Gen. XXIX. 35. Derivatur enim hoc nomen à verbo הודה, quod est laudare, celebrare, ad quod eleganter alludit Patriarcha Gen. XLIX. 8. יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ *Jehuda te celebrabunt fratres tui.* Ab hoc Juda nepotes ipsius primum dicti sunt Judæi, quod nomen etiam communicatum tribui Benjamin, uti ostensum modo, quippe quæ cum tribu Juda in unum regnum coaluerat. Tandem & omnes residui sic appellati, qui post captivitatem Babylonicam, in quibusdam suis reliquiis tribui Judæ, quæ primas tenebat adjuncti, unum cum ipsa corpus constituere.

Postea (quod magis ad rem nostram facit) Judæorum nomen non Patronymicum modo fuit ac gentilitium; sed & religionem & professionem notabat; uti idem nomini *Hebræorum* accidit. Jonas rogatus quis esset, respondit עברי אנכי, *Hebræus ego sum.* Jon. I. 9. ubi AbenEzra notat Hebræos illos dici שהם על אמונת עבר *qui sunt in fide Heberi.* At Chaldæus Jonam respondentem inducit יהודאה אנא *Judæus ego sum.* Et sine dubium non est, quin & illi Judæi dicerentur, qui licet non prosapia tales, religionem tamen eorum amplectebantur. Sic Josephus scribit Idumæos, qui tempore Hyrcani in Judæorum morem transgrediebantur ex illo tempore Judæos dictos *Archajo. Lib.* XIII. *cap.* XVII. ὥστε ἄνατε τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους: *sic ut deinceps Judæi essent.* Sic & Sulpi. Sever. Hist. sac. Lib. II. de Achiore. *is post victoriam circumcisus, Judæus factus est.* Et disertus admodum hic est Dio Cassius (citante *Seldeno de Success. ad Leges Hebr. p.* 194.) qui postquam dixisset nomen *Judæi* patriam denotare, deinceps superaddit, φέρει δὲ καὶ ἐπὶ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, ὅσοι τὰ νόμιμα αὐτῶν καὶ περ ἀλλοεθνεῖς ὄντες ζηλοῦσι *Pertinet etiam ad alios homines, quotquot eorum instituta amplexantur, etiamsi sint alienigenæ.* Hinc *Judaismus* non tam statum populi Judaici quam religionem Judæorum notat. Sic Paulus dicit se profecisse super æquales suos, ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ Gal. I. 14. id est, in Judaicorum rituum cognitione & praxi, & 2 Macchab. VIII. I. Judas Macchabæus narratur secum sumsisse τοὺς μεμενηκότας ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ. id est, qui patriam religionem constanter retinuerant. Et manifeste admodum in hunc sensum loquitur idem Author Cap. XIV. com. 38. ἦν γὰρ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις τῆς ἀμιξίας κρίσιν εἰσενηνεγμένος ἰουδαϊσμοῦ, καὶ σῶμα καὶ ψυχὴν ὑπὲρ τοῦ ἰουδαϊσμοῦ παραβεβλημένος μετὰ πάσης ἐκτενίας. *Nactusque erat retro temporibus sinceri Judaismi testimonium* (id est, se sincerum Judæum esse sine ulla commixtione

mixtione cum Idololatria Gentilium) *& corpus & animum pro Judaiſmo conſtanter admodum tradiderat.*

Hinc jam *Judaizare* eſt in Judæorum religionem & ſacros ritus tranſire, eosque æmulari. Hebraice dicitur התיהד vel אתיהד, & ſemel duntaxat, quod ſciam, in Veteri Teſtamento extat, Heſth. VIII, 17. מִתְיַהֲדִים *Judaizabant* aut *Judæi fiebant*. Ad cujus inſtar dixit AbenEzra Levit. XXI 14. הבתולה השבויה המתייהדת *Virgo capta Judaizata*. Arabice האר ותהור *Havada* & *Tabavvada* ſignificant amplecti religionem Judaicam, ut ex Beidavi docet *Hotting. loc. cit.* Græce eſt Ἰουδαΐζειν Qua voce Paulus utitur Gal. II, 14. *τί τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις Ἰουδαΐζειν*, quod Syrus tranſtulit איכנא אלץ אנת לעממא דיהודאית נחון *Quomodo tu cogis gentes ut Judaice vivant?* Sic habemus quid ſit *Judaizare*, judaice vivere, judaice ſentire.

Hoc tamen pro diverſa temporum ratioue diverſiſſimum quid ſonat. Fuit enim quum judaizare in laude eſſet, ac idem valeret quod veram religionem amplecti. Nunc autem Judaizare in vitio eſt, & tantundem notat ac veram religionem, in ea ſaltem parte qua Judaizatur, abnegare. Diverſitas à tempore eſt: Prout Judæi conſiderantur, vel ante Meſſiam revelatum in carne, vel poſt. Ante eum, certe judaica religio unica erat à Deo inſtituta (licet ex proprio ſcrinio multa adjunxiſſent Phariſæi & qui iis erant ſimiles) ſic ut tunc extra eam nulla eſſet ſalus. *Deus* enim *Iacobo nota fecerat verba ſua, Iſraeli inſtitutiones & jura. Sic nulli fecerat populo, ideoque jura ipſius ignorabant. Pſ.* CXLVII, 19. 20. Poſtquam vero Chriſtus in carne apparuit, ritus eos omnes qui ad tempus tantummodo correctionis inſtituti erant abrogavit, ac modum Divini cultus inſtituit in circumſtantiis à priori valde diverſum; ſic ut egena illa mundi elementa, quibus populus ſub pædagogia legis continebatur, revocare, & antiquum illud judaicorum rituum jugum ſuis aliorumve humeris rurſus imponere, aperta ſit veræ religionis abnegatio.

Antiquitus cum gentiles Judaizarent, id eſt ab idolis ſuis converterentur ad verum Deum illiusque gen uinum cultum, dicebantur *proſelyti*. Hebraice גרים, ac initiabantur Judæorum ſacris במילה בטבילה ובקרבן, *Circumiſione, Baptiſmo & Oblatione.* Fœminis naturæ privilegio à circumciſione exemtis: uti hæc jam omnibus pæne nota ſunt. Neque enim Baptiſmus ſolis Chriſtianis peculiaris eſt, uti nec circumciſio ſolis Judæis: quam non maribus tantum ſuis, ſed & fœminis quarto decimo ætatis anno applicatum iviſſe Ægyptios docet *Ambroſius Tom.* IV. *de Abrah. Patr. lib.* II. *cap.* XI. Verba citavit *Gomarus de circumciſione Chriſti*, operum ſuorum pag. 255. *Ægyptii quarto decimo anno circumcidunt mares. Femina apud eos eodem anno*

anno circumciduntur. *Quod eo ſcil. anno incipiet flagrare paſſio virilis & fœminarum menſtrua ſumant exordia.* Dixerint licet Judæi אישה לא בת מילה *mulier non eſt filia circumciſionis.* Sic & Baptiſmus antiquus eſt apud Judæos ritus, quo initiabantur ii qui in ipſorum ſacra tranſibant. *Arianus in Epictetum* hoc notavit (ut nihil de Judæorum teſtimoniis dicam quæ ubique proſtant) *Lib.* II. *cap.* IX. Καὶ ὅταν τινα ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰώθαμεν λέγειν, οὐκ ἔστιν Ἰουδαῖος, ὅταν δὲ ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου, τότε καὶ ἐστὶ ὄντι καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος. *Quum autem quenquam in utramque partem hæſitantem conſpicimus, ſolemus dicere, non eſt Judaus. Poſtquam vero induit affectum Baptiſati & inter ſectatores aſciti, tunc & revera eſt, & nomine vocatur Judaus.* Quem Baptiſmum, ſeu lavacri luſtrationem, etiam in celebrioribus initiamentis ſuis Gentiles adhibuiſſe docet Doctiſſimus *Seldenus de Succeſſ. ad Leges Heb. p.* 199. Atque huc potius reſpexiſſe Johannem ac Chriſtum in Baptiſmi inſtitutione & uſu, quam ad alios Judæorum καθαρισμὰς, quos habebant frequentes, nullus equidem dubito. Scilicet *Proſelyti juſtitiæ* faciendi erant illius temporis Judæi, & non Moſis amplius ſed Chriſti ritibus paulatim initiandis qui veram juſtitiam, quam præſtare lex non poterat, impetraret ac donaret ſuis. Ejus rei Symbolum ac Sacramentum volebat Deus baptiſmum eſſe, non incognitam Judæis cerimoniam, ſed ad alium modo uſum traductam.

Ejusmodi autem judaizantem, qui illis quos diximus ritibus judaiſmum amplexus eſſet, habebant pro regenito, vel recens nato. Nam ſic loquuntur Talmudici. גר שנתגייר בקטן שנולד דמי. *Proſelytus qui proſelytus eſt factus, infanti recens nato ſimilis eſt.* Adeo ut pro conſanguineis ipſius non ultra reputarentur ii quibus ſanguine junctus erat, quosque reliquerat in Gentiliſmo. Parentes ipſi, fratres, liberi ante converſionem ſuſcepti illius non cenſebantur, nec quisquam eorum defuncti erat hæres. Priſtinos natales omnes exuebat, & judaica religione imbutus Patrem accipiebat Deum, matrem Synagogam, fratres ejusdem ſecum fidei conſortes, cognationem denique omnino novam. Veteres & naturales conſanguinei nihili reputabantur, ſic ut ex iſtiusmodi regeneratione nulla impoſterum reſtaret cognatio gentilis, quemadmodum fere jure cæſareo poſt manumiſſionem nulla cognatio ſervilis. Uti non infeliciter hæc explicat *Cl. Seld. l.c. p.* 191. Huc fortaſſe ſpectat Tacitus Hiſt. Lib. V. *Circumcidere genitalia inſtituere ut diverſitate noſcantur. Transgreſſi in morem eorum idem uſurpant. Nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos, exuere Patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere.* Quippe de novo nati cenſebantur, & nativitatem

novam

novam ſequebatur vita nova, & rurſus novam hanc vitam nova cognatio, nova jura, nova denique omnia. Atque hinc originem ſuam traxiſſe notiſſimum apud Chriſtianos regenerationis nomen, nemo nunc tam lippus eſt qui non videat. Non quod velim regenerationem, nihil aliud eſſe quam talem mutationem ſtatus, per quandam quaſi juris fictionem. Eſt enim actualis mutatio hominis, qua ei in peccatis antea mortuo vita ſpiritualis per Sp. S. inditur. Sed animus modo fuit oſtendere, qua ratione Judæi veteres (unde certum eſt multas loquendi formulas mutuatos eſſe Eccleſiæ priſcos doctores) hiſce de rebus locuti ſint. Atque hinc eſt, quod perſtringebat merito D. Jeſus puerilem hanc ignorantiam in Nicodemo, qui tralatitiam iſtam apud ſuos Phraſiologiam, doctor licet ipſe Judæorum, non intelligeret. Qua quidem ita hic explicare libuit, non tantummodo ut ritus pateſcerent quibus olim gentiles Judaiſmo initiabantur; ſed etiam ut originem Chriſtianarum cœrimoniarum ac Phraſium indicarem: inprimis quum fortaſſe non omnibus hæc uſque quaque explorata ac obvia ſint.

Neſcio an & illud præterire debeam, Paganos ſcriptores, harum rerum imperitis, Chriſtianos Judæorum nomine antiquitus deſignaſſe, ſic ut putarent eos qui Chriſto nomen dabant judaizatos (ut ita dicam) eſſe. Quo pertinet notus ille Suetonii locus, Lib. v. Cap. xxv. *Judæos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit.* Per Chreſtum hunc Chriſtum notari, non eſt dubitandum. Nam & Chriſtianos Chreſtianos Gentilibus dictos eſſe, jam pridem ab aliis oſtenſum eſt. Hinc Judæos male tractantes, exiſtimabant ſe item male facere Chriſtianis: quaſi utrorumque religiones indivulſe ſibi junctæ eſſent, ſic ut unius interitus alterius eſſet πανολεθρία. Ita Sulpitius Hiſt. Sac. Lib. II. *At contra alii & Titus ipſe evertendum templum imprimis cenſebant, quo plenius Judæorum & Chriſtianorum religio tolleretur. Quippe has religiones licet contrarias ſibi, iisdem tamen auctoribus profectas, Chriſtianos ex Judæis extitiſſe: radice ſublata ſtirpem facile perituram.* Cauſam hujus ἀκυρολογίας, imo abſurdæ nomenclaturæ, non hanc tantum eſſe arbitror, quod utraque religio in Judæa nata, ſaltem Chriſti & Chriſtianiſmi in Judæa natales erant; ſed & illam comprimis, quod videbant Chriſtianos Judæorum Synagogas quandoque frequentare (ut ex Apoſtolorum Actis liquet) & quosdam adhuc Judæorum ritus uſurpare, Judæis ad Chriſtianiſmum converſis id urgentibus, & Apoſtolis ad tempus permittentibus, ut Synagoga jam mortua honeſte ſepeliretur.

At his miſſis, videamus quinam nunc poſtquam Evangelii doctrina plene revelata eſt, judaizantes dicantur & dici debeant. Illi videlicet qui vel omnes vel quaſdam Veteris fœderis cærimonias obſervatas volunt, contra

tra libertatem nobis Christi sanguine partam. Vel sic, judaizantes nunc illi sunt, qui vel opinione vel praxi Judæis se conformant, in quantum illi discedunt à vero & libero ac spirituali Christianismo. Sic in Codice Canonum Ecclesiæ universæ Can. 153. citante *D. Coccejo in indagat. natu Sab. p.* 177. ὅτι οὐ δεῖ χριστιανοὺς ἰουδαΐζειν &c. εἰ δὲ εὑρεθεῖεν ἰουδαΐσαι ἔστωσαν ἀνάθεμα παρὰ χριστῷ. *Quod non oporteat Christianos judaizare, quod si reperti fuerint Judaizare, anathema sint à Christo.* Hinc semper inter Hæreticos reputati qui post Apostolorum tempora volebant judaizare. Talis judaizans erat *Cerinthus* quem Epiphanius Hæresi XXVIII. tradit antesignanum fuisse eorum qui necessitatem observandæ legis urgebant, & seditionem in ecclesia excitabant, ut loquitur *Curcellaeus in Diatriba de esu sanguinis p.* 91. Tales erant *Nasaræi*, qui *cum Dei filium confiteantur esse Christum, omnia tamen veteris legis observant, quæ Christiani per Apostolicam traditionem non observare carnaliter, sed spiritualiter intelligere didicerunt.* Verba sunt Augustini, de Hæresib. Cap IX. Tales *Symmachiani*, à quibus Lampades tabernaculi Veteris instauratæ, velum de uno obtensum, pædagogia vetus restituta, & cum Evangelii doctrina conjuncta, vel judæorum gratiæ aucupandæ, vel Judæis & Christianis demerendis, ut ait Cl. Vir *Fred. Spanh. Dub Evang. Part.* II. *p.* 636. Tales *Ebionæi* de quibus August. Cap. X. *Mandata carnalia legis observanti Circumcisionem scilicet carnis. & cætera à quorum oneribus per novum Testamentum liberati sumus.* Tales plures ex antiquis, quorum nomina omnia inquirere apud Epiphanium (qui etiam mihi nunc ad manum non est) ac Augustinum, nec jam vacat & fortassis supervacaneum esset. Majus erit operæ pretium si modeste inquiramus, *qui in controversiis* hodie exagitari solitis (etiam inter Orthodoxos) ad judaizantes proxime accedant, & odioso hoc judaizantium nomine (quo omnes indignos velim) maxime sint digni.

In qua quidem controversia nihil ipse dictatoria Authoritate definiam, sed uti modestos decet (qui vitilitigari nolunt, minus cum animorum exacerbatione altercari) quæstiones tantummodo proponam, cum quibusdam rationibus, ob quas ego & mei similes, quibus altius sapere non datum est, in hanc potius quam in illam partem propendemus? donec melius erudiamur à Doctis.

Quæritur ergo I. An illi dici possint *Judaizantes* qui luteo hoc & securo sæculo tam acriter legem moralem prædicant, detegendo hominum peccata, comminando iram & maledictionem Divinam adversus illa & stricte urgendo hominis officium, ut Auditores suos doceant de se ipsis desperare,

rare, & à multis laxioribus convitium hoc dicam? an elogium reportent, quòd sint *praecones legis?* Rationes dubitandi hæ esse videntur. *Pro affirmante.* Quod semper Judæorum Doctores legem admodum urserint, unde notissimum in Evangelio Νομικῶν nomen; quod præcipuum ac fere totum ipsorum studium in meditanda ac explicanda lege constiterit. Unde integram Theologiam suam vocarunt הידיעה התוריית *Scientiam legalem*, Theologiæ studium תלמוד תורה *Studium legis:* quod ad inculcandam legem omnes qui illius periti sunt obligatos velint, vel pro contemptoribus verborum Domini habendi sunt. Nam sic loquuntur, הלומד התורה ואינו מלמדה דבר יי בזה *Qui discit legem, nec docet illam, peccat in illud.* Verbum Domini sprevit. Num. XV, 31. Vide *Buxtorf. Lex. Talm. p. 983.* Paulus é contra fatetur se *non esse Ministrum Veteris pacti sed Novi.* 2 Cor. III, 6. *Pro Negante* hæ adduci possent rationes; Quod legem moralem prædicare ut perfectissimam normam officii nostri, quam non liceat ulli mortalium ceu Lesbiam regulam ad hominum beneplacitum inflectere; sed quam omnes tenentur sine ullo hominum adspectu ex sententia Legislatoris explicare, Judaicum dici non mereatur; quippe in quo omnes Christiani (anomis & antinomis exceptis) omnes saltem reformati conveniant. Quod alio omnino modo Judæi legem urgebant, aliò Christiani illi de quibus quæritur. Nam A. Judæi circa legem cæremonialem illiusque observantiam imprimis erant solliciti, quod ex omnibus ipsorum scriptis & commentariis, Talmudicis præsertim liquet. Hi vero Christiani Doctores quod multa abolita malint, quæ antiquas Judæorum Cæremonias sapiunt, multum coguntur sustinere invidiæ.

B. Judæi legem prædicabant tanquam justificationis instrumentum, & Paulo teste justitiam quærebant ex lege. Nam sic *Menasse in* Concilia: Quæst. VII, in Levit. *Quippe data est lex in deserto, loco omnibus communi, quo significatur; posse quicunque vellent per eam salutem obtinere.* Sic etiam *Aben Esra præfat. ad Decalogum.* וצדקה תהיה שצדיקים נהיה לנחול העולם הבא. *Et justitia erit, qua justi erimus ad hæreditandum futurum sæculum.* Atque hoc sensu Paulus se N. Pacti ministrum negat. At ii de quibus quæritur Christiani ita legem prædicant, ut *viam sternere* dicantur *ad desperationem*: certe desperationem, sed sanctam, sed desperationem de semetipso suisque meritis, ut homo nihil de se ipso, omnia de Divina misericordia præsumere addiscat, atque ita lex sit *pædagogus ad Christum.*

C. Denique Judæi litteræ ac cortici legis hærebant, non sensui ac medullæ. Quod dicat pro me *Grotius de jure belli & pacis lib. 1. Cap. II parag. VI.* „Sed ad intelligentiam verborum Christi omnino notandum legem

„ per Mosem datam dupliciter accipi, aut secundum id quod commune ha-„ bet cum aliis legibus, quæ ab hominibus condi solent, quatenus scilicet „ graviora delicta pœnarum aspectibilium formidine coercet, Heb. II, 2. & „ populum Hebræum hac ratione in statu societatis civilis continet, quo sen-„ su dicitur νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς, Heb. VII. 13. & lex factorum Rom. III, 27. „ aut secundum id quod legis Divinæ est proprium, quatenus scilicet etiam „ mentis requirit puritatem, & actus aliquos qui sine temporali pœna o-„ mitti possunt, quo sensu vocatur νόμος πνευματικός. Rom. VII, 14. exhila-„ rans animum Ps. XIX. qui Latinis XVIII, 9. Legisperiti & Pharisæi priore „ illa parte contenti, secundam quæ potior est insuper habebant, neque „ inculcabant populo, quod verum esse non ex nostris duntaxat libris, sed „ ex Josepho quoque & Magistris Hebræorum ostendi potest. Hactenus Grotius. Cujus sententiæ veritatem ex Josepho & Rabbinis ostendere, quod in promptu foret, ne prolixus nimis sim, lubens supersedeo. At ii de quibus controvertitur Christiani ita legem prædicant, ut doceant respiciendum esse *ad totam legem ejusque singulas partes, particulas, minutias (ita loqui liceat) usque ad motus primoprimos, minimas cogitationes, verba, gestus, & usque ad minimos atque ultimos conscientiæ casus, & factorum consequentias & circumstantias; ut sic in omnibus se quam exactissime conforment perfectissimæ illi normæ, ne jota quidem boni omittendo, & ne speciem quidem mali admittendo aut committendo.* Sic ut ex hac collatione δὶς διὰ πασῶν à Judaicis Doctoribus distare videantur.

Quæritur 2. An illi qui ita pietatem inculcant, docentes sedulum quemque Christianum ad id eniti debere (licet obtenturus tantummodo hanc perfectionem in Cœlis sit) ut se *in omnibus quam exactissime* legi *Divinæ* conformet; & *semper ac continuo* conetur *singula* mala omittere, & bona facere *in gradu intensissimo*, ex & cum intentione proxima obediendi Deo, & remota glorificandi Deum; sic tamen ut minus attendat ad externas actionum quarundam formalitates, magis ad cor suum & internas ejus motiones & sinceras intentiones & ut tanto humilior sit quanto magis in ἀκριβείᾳ proficit, tantoque magis à Dei gratia dependeat, tanto minus apud alios ostendet, ubi gloria nominis Divini id necessario non requirit: An illi, inquam, qui id docent (quos *Præcisistas* nonnemo & *Dominos Præcisianos* vocat) Judaizantes ac paria cum Pharisæis facientes dici possint?

Rationes dubitandi hæ sunt *Pro affirmante*. Quod Pharisæi, præcipua Judæorum secta, singularitatem aliquam affectarent, & majorem præ reliquis sanctimoniam; ut ille qui gratias agebat Deo ὅτι, inquit, οὐκ εἰμὶ ὥσπερ οἱ λοιποὶ ἀνθρώπων. Luc. XVIII, 2. Hinc vel ipsi Paulo dicuntur αἱρέσεως ἀκριβεστάτην

Act.

Act. xxvi, 5. Hinc usitata ipsis quæ ordine Suidas recenset, nempe *παρθενίας νηστεία δὶς τȣ̃ σαββάτȣ, ξεστῶν καὶ πινακῶν καὶ ποτηρίων καθαρισμοὶ, ἀποδεκατώσεισθε καὶ ἀπαρχαὶ καὶ ἐνδελεχεῖς εὐχαὶ* in compitis in triviis, quæ omnia quoque ex Evangelio sunt notissima. Sic ut ratione doctrinæ & modi eam proponendi, in multis ex amussi Præcisismus (sic vocant doctrinam in quæstione propositam) cum Pharisaismo conspiret. *Pro negante* dici posset. Plurima, imo omnia recte attendentibus observari Pharisaismo cum maxime dissimilia. Nam 1. Pharisæorum præcisitas talis erat ad quam posset quis in hac vita plene pertingere. Uti in ipso tractatu nostro cap. 1. vii. luce meridiana clarius ostendi. Quibus nunc addo quod recensetur in *Sanhedr. Clar. Cocceji. p.* 401. De Rabbi Eleazare ægrotante, quod diceret R. Aquibæ, כלום חסרתי מן כולה התורה *Num ex tota lege quicquam reliquum feci, quod non præstiterim?* Sic apud Talmudicos פרוש מה חובתי עוד ואעשנה *Quodnam est debitum meum amplius & faciam illud. Hott. Thes.Phil.* 4. 29. At hæc Christianorum præcisitas id est *ἀκρίβεια* (nam nihil aliud per præcisitatem intelligunt) ex ipsorum sententia *intenta quidem est in hac vita, obtenta autem in cœlis.* 2. Pharisæorum præcisitas tantummodo consistebat in externis quibusdam, ac futilibus minutiis, quas præstare facile erat Graphicis ac maximis Hypocritis. De corde vero ejusque interna puritate securi omnino erant: extima poculi ac patinæ perpurgabant, interiora plena relinquebant rapinis ac intemperantia Matth. xxiii. 25. Hæc vero Præcisitas quam Christiani Doctores inculcant; *ad cor ipsum & internas ejus motiones & sinceras intentiones maxime attendit.* 3. Pharisæorum præcisitas in speciem & pompam comparata erat, jejunio ipsorum cum deformatione faciei conjuncta, eleemosyna in omnium conspectu, preces in compitis & triviis, ut *viderentur ab hominibus* Matth. vi, 5. eodem modo quo hodie Monachorum simulata Sanctitas in Papatu, super quam *περισσεύειν* suorum justitiam vult Dominus. Matth. v, 20. Hinc apud Talmudicos פרוש שכמי, qui imitatus Sichemitas, circumcisionem admittit, bonis operibus vacat, *Pharisæus Sichemita. Vid. Hott. Thes. Philol. p.* 27. Sed hæc quam Christiani quos diximus docent, *tanto minus se ostentat ubi gloria nominis Divini id necessario non requirit, quanto magis excellit.* 4 Pharisæorum præcisitas elatos ipsos ac superbos reddebat, adeo ut reliquos omnes præ se despicerent: *Non sum sicut hic publicanus. Noli me tangere quia sanctior sum te.* At hæc quam supra delineavimus, *tanto humilior fit quanto magis proficit, facile condonat & indulgens ac benigna est erga alios, si alicubi ab ἀκριβείας indivisibili puncto videantur recedere.*

Breviter

Breviter vix quidquam videtur ostendi posse in quo hic quem dicunt Præcisismus cum Pharisaismo conveniat.

Quæritur 3. An Judaïzantes dici possint qui pro festis quibusdam diebus, ut Paschatis, Pentecostis, nativitatis Domini, in novo Testamento à quibusvis observandis, tanquam pro aris & focis digladiantur, quique ægerrime ferunt alios optare illa aboleri, quum ad minimum adiaphora judicent abusibus inquinata, quumque nec à Domino Jesu, nec à Sanctis Apostolis instituta sint?

Rationes dubitandi hæ sunt. *Pro Affirmante.* Quod Judaicum sit diebus aliquod discrimen constituere, & ut Apostolus noster loquitur, *diem æstimare præ die.* Quod Judaicum sit, sentire quodlibet tempus, etiam Messiæ, præter Sabbathum festos suos dies habiturum; uti prolixe ostendit & contra quascunque objectiones defendit Abravanel citatus Clar. Viro D. *Joh. Hoornb. contra Judæos p.* 463. Quod ut Judaicum & superstitiosum id à nostris improbatum sit in Pontificiis, quorum antagonistæ hic videri possunt. Quod præstantissimi Ecclesiæ reformatæ Doctores, imo & integræ Synodi ab exordio reformationis habitæ, se iis ipsis Festis, tanquam jugo quo liberi Christiani gravari non debebant, opposuerint. Uti quædam ea de re testimonia enotavit modo à nobis laudatus *D. Hoornbeeck Summa controv. p.* 634. imo & addi posset quod ipse Paulus dies ejusmodi festos ut Judaicos damnasse videatur. Col. II, 16. Gal. IV. 10. *Nam etsi præcise his locis damnentur observationes dierum Judaicæ; sequitur tamen eo magis damnari debere hominum constitutiones, quæ eandem rationem cum Judaicis habent.* Inquit Celeb. Theologus *Rivetus* T. 2. *p*, 544. *Pro negante* dici posset quod Judæorum festa celebrare, eodem præcise tempore cum illis, judaizare sit, quare Victor Romanus Episcopus voluit Pascha celebrari semper die Dominica, ne scil. cum Judæorum Paschate concurreret nisi fortuito. Aliam vero rationem esse festorum Christianorum, qui aliis diebus & alio fine celebrantur, quo modo etiam Pontificii distinguunt inter imagines Gentilium, & imagines Christianorum, & illas volunt præcepto secundo vetitas, has non item. Et tamen (ne quid dissimulem) vetus est hæc exceptio, cujus mentionem facit Hieronymus in Epist. ad Gal. cap. IV. *Dicat aliquis, si dies observare non licet & menses & tempora & annos, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam Sabbathi observantes & parasceven & Dominicam & jejunium Quadragesimæ, & Pascha, festivitatem & Pentecostis lætitiam, & pro varietate regionum diversa in honore martyrum tempora constituta. Ad quod qui simpliciter respondebit, dicet, non eosdem Judaicæ observationis dies esse, quos nostros. Non enim Azymorum Pascha celebramus sed resurrectionis & crucis.* .. *Nec septem*

juxta

juxta morem Israel, numeramus hebdomadas in Pentecoste: sed Spiritus Sancti veneramur adventum. Quanquam paulo post subjungit: *Qui vero propositæ quæstioni acutius respondere conatur illud affirmat, omnes dies æquales esse nec parasceve tantum Christum crucifigi & die Dominica resurgere: sed semper sanctum resurrectionis esse diem &c.* Nec scio an quidquam præterea assignatum sit notabile, in quo dicta hæc Christianorum festa à Judaicis differant. Dici posset ex præcepto Divino Judæis incubuisse necessitatem festa sua celebrandi; apud Christianos hoc liberum esse, ordinis tantum gratia instituta ab Ecclesia; *ne inordinata congregatio populo fidem minueret in Christo, ut loquitur* Hiero. loc. cit. Nisi æque facile opponi posset, liberam tunc esse Ecclesiæ abrogationem istorum festorum, si liber sit usus. Per quod enim quid ligatur, per idem & solvi potest, imo debet ubi ligatio multis malis ita contaminata est, ut aut parum aut nihil inde boni resultet.

Quæritur denique 4. An Judaizantes dici mereantur, qui docent quoslibet Christianos ex vi præcepti quarti (utpote ad legem moralem decalogi pertinentis) obligatos esse ad unum aliquem ex septem diebus in cyclo hebdomadæ continuo recurrentem (quem D. Jesus, vel illius Apostoli, vel Apostolica saltem Ecclesia determinarunt primum fore in hebdomada) ita observandum, ut teneantur omnia servilia quotidianæ vocationis opera non necessaria omittere, quibus sancta quies vel sanctificatio illius diei impediretur, eumque totum consecrare Deo & solemni illius cultui?

Quia in antecedentibus prolixior fui quam cogitaveram, brevitati jam studebo; ac parallelismum tantummodo instituam, inter Judaicam sententiam de Sabbatho, & hanc quorundam Christianorum, ut integrum judicium æquus & eruditus lector relictum sibi videat. 1. Judæi si non omnes quam plurimi certe præceptum hoc IV. morale esse negant, vel quod idem est, ad illius observantiam omnes teneri. Nam sic in Rituali, precatione Sabbathica, quam ab Ezra & viris Synagogæ magnæ traditam sibi nugantur. *Et non dedisti, Sabbathum Domine Deus noster Gentibus terræ, neque hæreditati illud dedisti, Rex noster, idololatris, & in requie ejus non habitabunt impii, quoniam Israeli populo tuo dedisti illud, ex amore erga semen Jacobi quod elegisti. Iidem Judæi statuunt* (ait Dom. Coccej. in indagat. nat. Sabbath. p. 247.) *nisi Gentilis circumcidatur & sic fiat* גר צדק *Proselytus justitiæ, non licere ipsi vel Sabbathum observare, vel alio die opinione cultus cessare, sed debere contentum esse præceptis Noachi. vid. Cod. de Syned. cap. 7. fol. 58. 6. lin. 3. a fine.* Illi vero, de quibus quæritur Christiani, volunt omnino id quod in præcepto IV. præcipuum est, observationem solemnem certæ alicujus diei in hebdomada,

moralem eſſe ac omnes obligare, juxta determinationem ultimæ Synodi Nationalis Dordracenæ.

2. Judæi docebant Sabbathum ſine ulla mutatione celebrandum ſemper eſſe die ſeptima & ultima hebdomadis. Hinc errorem ſtatuunt eſſe Chriſtianorum, quod feſtum ſuum agant in prima Sabbatorum. Sic enim loquuntur (apud eundem D. Coccej. ibid) נוצרי ההולך במצות של אותו האיש שצוה לה▭ לעשות לה▭ יום איד בא" בשבת *Nazarenus eſt qui ambulat in errore illius Viri, qui præcepit ipſis facere diem calamitatis* (feſtum intelligit) *in prima Sabbathorum.* Hinc ſeptimum diem in otio tranſigere Judaizare veteribus dictum fuit. Nam ſic prohibetur in Cod. Can. Eccl. univerſæ Can. 153. *ὅτι ὐ δεῖ χριςιανὺς ἰυδαΐζειν καὶ ἐν τῷ σαββάτῳ σχολάζειν, ἀλλὰ ἐργάζεσθαι ἀυτὺς ἐν τῇ ἀυτῇ ἡμέρᾳ. τὴν δὲ κυριακὴν προτιμῶντας εἴγε δύναιντο σχολάζειν ὡς χριςιανοί. Quod non oportet Chriſtianos judaizare & otiari in Sabbatho, ſed operari eodem die. Præferentes autem in Veneratione Dominicum diem, ſi vacare poſſint, ut Chriſtiani hoc faciant.* Et hoc eſt quod Chriſtiani hi Doctores volunt; non amplius nos Præceptum IV. obligare, niſi in quantum docet unum aliquem ex ſeptem hebdomadæ diebus ſolemni cultui Divino conſecrandum eſſe, qui jam ex Apoſtolorum & Apoſtolicæ Eccleſiæ praxi dies eſt Dominica. Hoc ipſum docuit Chryſoſt. ad 2. Geneſ. (quod ſemel hic pro ſemper dictum velim, loca hæc Patrum deſcribo ex aliquoties jam dicto D. Coccejі tractatu: neque enim mihi, fateor, vacavit vaſta ipſorum volumina percurrere.) Sic ergo ille. *Hinc ab initio ænigmatice docuit Deus, monens, ut unam diem in cyclo ſeptimanæ quamque conſecremus & ſeparemus ſpiritualium operationi.*

3. Judæi ita obſervabant Sabbathum ſuum, ut in ipſa ceſſatione, otio, ac *ἀργίᾳ* ſanctimoniam aliquam conſtituerent. Atque hinc eſt quod apud ipſos מצות שביתה בשבת *Præceptum quietis Sabbathicæ*, præceptum ſit per ſe, diſtinctum à præcepto ſanctificationis Sabbathi. Vide *Hotting. Jus Heb. p* 87. Hinc ſemper, veteres diſputabant contra Judæos Sabbathum non conſiſtere in otio. *ὐδὲ ἡ ἀργία ἐςι τὸ σάββατον ἀλλ' ἡ ἐξομολόγησις καὶ ταπεινῦν τὴν ψυχὴν* inquit Athanaſius. Atqui illud ipſum volunt Chriſtiani hi Doctores, qui quietem Sabbathicam mandatam tantummodo dicunt in ordine ad ſanctificationem, non quaſi ipſa quies per ſe ſanctum quid & Deo gratum ſit, ſed ut quid removens impedimenta, quæ ſanctificationem illius diei remorarentur. Quod paſſim docuerunt Patres. Clemens Roma Lib. VII. cap. XXXVII. *Legem ipſis dediſti decem verborum, tua voce pronunciatam & manu ſcriptam. Sabbatizare præcepiſti, non cauſam otii prebens; ſed occaſionem pietatis ad cognitionem*

tionem tua potentia, ad impedimentum malorum &c. Rursus libr. VI Cap. XXIII. dicit Deum jussisse σαββατίζειν δι' ἀργίας διά τὴν τῶν νόμων μελέτην. *Sabbathizare per otium propter meditationem legis.*

4. Judæi in exigenda isthac quiete admodum erant inclementes, adeo ut opera pæne præsentis necessitatis ne tunc quidem concederent, & nescio quas minutias vetitas vellent, qualia sunt pomum assandum igni admovere, pulicem venari quando hinc inde saltat, speculum fusum intueri, ne quis pilos à capillitio avulsos & pendulos conspiciat, quibus auferendis si manum admoverit, opus prohibitum fecerit; & quæ id genus plura sunt, de quibus prolixe in codice Talmudico, tit. שבת, ex quo multa excerpsit Cl. nobisque amicissimus Vir *D. Anton. Hulsius Theol. jud. pag.* 251. At illi de quibus quæritur Theologi, rejicientes ineptas & curiosas multorum vitilitigationes, qui disputare malunt quam πράττειν, non ultra quietem Sabbathi urgent, quam in quantum per eam impedimenta tolluntur sanctificationis Sabbathi: & nihil temere volentes determinare, in particularibus casibus judicem appellant propriam cujusque conscientiam, ut ab iis operibus supersedeat quibus se in solemni religionis exercitio, tunc præstando, citra necessitatem impediri cernit. Neque enim puto quenquam hodie esse, qui existimet *levius esse crimen homines mille jugulare, quam semel in die dominico calceum alicui consuere.* Quod scholasticis impropenatum ibant Protestantes *in Gravam. oppos. concil. Trid. p. mihi* 13. Interim hoc quo dixi modo die dominica otiandum, non Judæorum sed Patrum est dogma. Nomocanon Photii tit. VII. c. IV. ὅτι κατὰ τὸ ἐγχωροῦν δεῖ σχολάζειν τὴν κυριακήν. *quoad ejus fieri potest dominico die ab operibus vacandum esse.*

5. Denique Judæi non solum concedebant, sed etiam jubebant Sabbatho suo & in illius honorem delitiis, ornamentis & voluptatibus carnalibus indulgere. *Voluptas Sabbathi in eo consistit, ut commedas carnem & pisces & bibas vinum, & quisque juxta facultatem suam deliciis vacet*; Inquit Mikotzi *Prac. affirm* XXX. Et quam genialiter Sabbathum suum transigere solent, omnes jam norunt ex *Buxtorf. Synagoga Judaica.* Vide commentatores ad Jes. LVIII. 13. At Christiani hi Doctores nullo modo concedunt suis recreationes istas carnis & gaudia mundana; sed ob increpatas illius diei profanas deambulationes, lasciva convivia, ridiculos sermones, mutatoriorum pompam & similia Mundi illectamenta multum sustinent invidiæ; existimantque se Judæis hac in parte dissimillimos esse; eorum autem sententiam ad Judaicam accedere, qui Sabbathis licere existimant cauponas in-

visere, ut generosiori humore se oblectent ii qui eum in cella habere non solent, magnamque Diei dominicæ partem putant sine scrupulo impendi posse hastiludiis aucupiis lusui globi, pilæ, clavæ &c. Hoc est judaice Sabbathum celebrare ut docuit *Ephrem. lib. de pœnit. Cap.* 11. Sic ut nec in explicanda natura præcepti quarti, nec in determinatione diei Sabbathicæ, nec in otio nec in sanctificatione diei, nec in rigore, Christiani hi Doctores cum Judæis conveniant. Quid sit in quo Judaizantes dici possunt, aliis inquirendum relinquo. Ego te amplius non morabor, Christiane lector, sed rogo ut mecum Deum O. M. continuis precibus solicites ut det suis ἀεὶ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ Licet prolixius multo jam dudum præfatus sim, quam pro mole opusculi; non possum tamen non rationem reddere cur inter principia fidei Judaicæ *Targumin* sive Paraphrases Chaldaicas & *Masoram* non numeraverim. Contra quam ab aliis fieri plerumque assolet. Cuique quæ velit sentiendi libertatem lubens assero, modo & eadem mihi sarta tecta maneat. Qui aliis ingenium ac judicium mancipavit suum, spem omnem bonæ mentis penitus mihi ejurasse videtur. Propria sapiendum est mente, uti propriis videndum oculis. Solis Sacratissimis Prophetarum Apostolorumqne litteris fides absoluta debetur, aliis quorumcunque scriptis judicium; cujus animam esse modestam libertatem qui dixerit, is sententiæ suæ ascribat meam. Scio non deesse eruditos (quos nemo fortassis impensius quam ego colit) qui existiment Chaldaicas Paraphrases, *Onkelosi* imprimis & *Jonathæ* Judæis Divinæ esse Authoritatis: Sed velim id luculentius ex ipsorum scriptis demonstratum ivissent. Et tunc certe nullo negotio, in locis non oppido paucis futilitatem istarum Paraphrasium ostendissem. Utique in eximio honore Onkelos & Jonathan eorumque commentaria Hebræis sunt; an in Divino, dubitem. Non sum usque adeo male in eorum scriptis versatus, ut ignorem quod ubique extat; quosdam ipsorum dicere Jonathanem accepisse doctrinam suam Targumicam à Prophetis Zacharia, Haggæo & Malachia; Onkelosum vero à R. Eliezaro & R. Jehosua; qui itidem suam ex Prophetarum ore hauserant. Nec ignoro miracula illa quæ facta nonnulli jactant, quum transferendæ legi operam daret Jonathan; aviculas scil. super ipsum transvolantes momento exustas esse; terram Israelis commotam esse ad quadraginta usque milliaria; & exivisse oraculum cœleste (quod mirabili nomenclatura בת קול vocant) dicens, quis est ille, qui revelavit secreta mea filiis hominum? & injungens præterea ne in transferendis Hagiographis pergeret: quia scil. finis Messiæ panditur in Prophetiis Danielis. Quasi hæc sacra Cereris essent quibus tantundem de Authoritate decederet, quantum homines in eorum cognitione proficerent. Uti omnes hæc pene de-

scripsere

ſcripſere ex Buxtorfio; qui ex Bava Batra & Megilla ea eruderaverat. Addo etiam omnino me credere duas has translationes ſic ſatis antiquas eſſe, & Jonatham vixiſſe ante Chriſtum, Onkeloſum ſimul cum Chriſto; σύγχρονος enim fuiſſe dicitur R. Gamalielis qui Præceptor eſt celebratiſſimus per diſcipulum ſuum, Apoſtolum noſtrum Paulum. Et tamen hæc omnia non poſſunt mihi perſuadere, ut in animum inducam credere, vulgarem Synagogæ ſententiam Divinam & ἀνυπεύθυνον Authoritatem duabus hiſce Paraphraſibus adſcribere. Nimis enim ſæpe obſervavi, Judæos audacter admodum, ubi modo lubitum eſt, Paraphraſibus iſtis contraire. Quod certe non ita auderent, ſi Divinitatem aliquam iis crederent ineſſe. Inſpiciantur modo ſpeciminis gratia loca in quibus incidit Meſſiæ mentio; quæ omnia in Lexico ſuo Talmudico diligentiſſimus Buxtorfius enotavit. p. 1268. &c. conferantur cum interpretamentis recentiorum, Jarchii, AbenEzræ, Kimchi, Aberbenelis &c. & videbis ad oculum, quod ſine ullo ſcrupulo à Paraphraſtis ſuis in alia omnia eant. Certe tam generoſe nunquam contemnunt ſuum Talmud. Exempla non adſcribam, quia prolixum nimis eſſet nec hujus operæ. At ne quid diſſimulare videar, candide monebo lectorem quid opponi poſſet. Dicerent fortaſſe non ſe à Jonathane vel Onkeloſo diſſentire; ſed Onkeloſi vel Jonathanis textum inibi corruptum eſſe. Et ſane in hac ſententia fuit verporum omnium quotquot uſpiam extitere doctiſſimus Maimonides, qui fato quodam & ſorte naſcendi primus ſolusque in illa gente intellexit, quid hoc ſit, non ineptire. Quo elogio digne ipſum ornavit eloquentiſſimus *Cunaus de Republ. Heb. lib.* 1. *Cap.* II. Is ergo Maimonides in ſuo *More Nevochim cap.* XLVIII. *Par. 1. p. 72. Corrupta*, inquit. *& depravata in exemplaribus noſtris eſt hæc expoſitio, ſine controverſia elegantiſſima & optima, in tribus locis, in quibus invenio* וחזא, *cum ſecundum hanc ſententiam debuiſſet reddi* וגלי *&c. Mihi enim valde probabile videtur errorem aliquem librariorum hic irrepſiſſe. Quia tamen non eſt penes nos ipſius Onkeloſi autographum, nihil certi affirmare poſſumus; ſed credendum nobis eſt Onkeloſi iſtam expoſitionem eſſe.* Ita etiam de corruptione hujus Targum conqueritur Elias Levita. לולי באו כבר נעשית התורה כשתי תורות ולא היו שני ספרים משכימים יחד כאשר קרה לשאר ספרי המחברים ולתרגום אונקלוס *Niſi veniſſent* (ſupple Maſorethæ) *jam dudum facta eſſet lex ſicut duæ leges, & vix eſſet duo exemplaria reperire ſibi invicem conſentientia; uti id aliis aliorum Authorum ſcriptis accidit, imo & ipſi Targum Onkeloſi.* At præterquam quod impoſſibile ſit, ſaltem nemini qui ſuæ ſpontis eſt credibile, tot tantasque periodos uſque adeo corruptas eſſe, ut nihil de ſententia genuina Au-

thoris sui retinuerint: id ipsum certissimo argumento est, Judæos nunquam pro Authenticis Paraphrases istas Chaldaicas habuisse Alias quippe diligentiores fuissent in iis integris asservandis. Nec, puto, temere reperies ubi ita de corruptione Talmudis sui quiritabuntur. Adde quod *Gerardus Veltvicus* in Schebile Tohu asserit citante Viro Clar. *D. Hotting Thes. Phil. p.* 257. אנוכי התבוננתי כי גם ספרדים אין נשענים על אמת תרגום כי המה ראו הברל בינו ובין המקרא. *Cognovi quod etiam Hispani non innitantur veritati Paraphraseos, propterea quod viderunt discrimen esse inter eam & Scripturam.* Imo est ubi Elias diserte Targumim reprehendit. In *præfatione sui Meturgeman* והנה המתרגמים לא שמרו לפעמים דרך הרקרוק. *Et ecce* (inquit) *Paraphrasta quandoque non observaverunt rationem Grammatices.* Quod miracula, de quibus supra, & personas ex quibus sua hausissent magni sane & eruditi hi Viri, libere lectori indicabo quid ego de iis credam. Arbitror illa conficta esse a quibusdam particularibus Doctoribus male feriatis, ut haberent quod opponant Judæis Hellenistis, quædam his non admodum dissimilia de sua versione græca jactantibus. Indubium est, Judæis Hebraizantibus semper exosam admodum fuisse versionem Græcam, à septuaginta quos ajunt interpretibus, Ptolomæi auspiciis adornatam והיה היום קשה לישראל כיום שנעשה העגל. *Et fuit dies iste durus Israeli, uti dies quo factus est vitulus*, inquiunt Talmudistæ. Et sane dolorem suum propter hanc rem quotannis solemni jejunio ad diem VIII. Teveth confessi sunt. Attamen Judæi Hellenistæ de eadem versione sua sic narrant. *Ptolomæus Rex congregavit* LXXII. *Senes, & collocavit eos in* LXXII. *ædiculis, nec indicavit illis cur convocasset eos; sed unumquemque separatim collocatum sic affatus est. Scribite mihi legem Mosis Magistri vestri* ונתן המקום עצה בלב כל אחד ואחד הסכימו דעת לדעת אחת *Id unius-cujusque cordi consilii indidit Deus ut singulorum sententia in unam sententiam convenirent. Et sic exaraverunt legem singuli ipsorum seorsim.* Vide sodes *Waverii Syntagma de* LXX. *interpretibus. Riveti Isago. ad Script Cap.* X. *Hotting. Thes. Phil. Lib.* 1. *Cap.* III. *Sect.* I:I. His jam ut ægre facerent alii invidiæ œstro perciti non tantummodo miracula hæc rejecerunt, sed & per modum retorsionis similia commenti sunt de suis Targumim, quibus gloriam celebratissimæ versionis Græcæ se obscuraturos arbitrabantur. Dolus an Virtus, quis in hoste requirat? Erat hoc par pari eludere. Fictum schema per fabulam æque insubidam evertere. Hæc saltem nostra conjectura est, de qua judicabunt eruditi. De Masora hoc unum sufficit, ad ostendendum, eam Judæis authenticam non esse, quod eruditissimus scriptor Aben Ezra & qui

qui ei haud multum cedit Elias Levita ſtatuant, ſi non primos præcipuos ſaltem Maſoræ Authores fuiſſe Doctores quosdam Tyberienſes, qui poſt confectum Talmud circa ſextum à Chriſto nato ſæculum vixere; de quibus prolixe videri poteſt *Buxtorff. in Tyberiade Cap.* IV. Et quod usque adeo per ſcriptorum luxuriem (qui eam tam affabre pingebant ut Maſorethicæ notæ urſarum, canum, leonum, boum aliarumque animantium figuram præ ſe ferrent) eam corrumpi ſiverint, ut vix quarta pars ſuperſit; & quidem in ea nihil ſolidi, nihil quod non potius anilem recentiorum ſuperſtitionem ſapiat, quam Ezræ & Synagogæ magnæ gravitatem. Neque enim ego credere unquam potui, tantum ex ſuperſtitioſa hac Maſorethårum diligentia utilitatis redire, quam quidem multi perſuadere nobis voluerunt. Myſteria nonnullibi ab iis aſſignata frigidiora ſunt quam Hiberæ næniæ, oſtenduntque otio magis iſtos homines abundaſſe quam ingenio. Sed id jam non agimus. Voluimus tantummodo inſtituti noſtri rationem reddere, cur de Talmude & Cabbala loquentes, Targumim & Maſoram tacuerimus. Quia ſcilicet noluimus quicquam Judæis affingere, de quo non eſſemus perſuaſiſſimi, id eos pro ſuo agnituros. Nunc te dimittam, *Lector*, poſtquam veniam impetravero tam prolixæ præfationis; quæ ultra quam ſperaveram ſub calamo crevit. Vale.



ARGU-

ARGUMENTUM
CAPITIS
I.

M*Ethodus disputandi contra Judaeos. Eorum errores circa principia fidei. Distinctio Judaica inter Hagiographos & Prophetas. Ea confutata. Prophetae per influxum Prophetici Spiritus non orbabantur suis sensibus eorumve usu instar Lymphaticorum. D. Coccejus laudatus. Distinctio Judaica inter Mosen & reliquos Prophetas. Ea evertitur. Elias, Enoch Isai Judaeis ἀναμάρτητοι.*

CAP. II.

Novi Testamenti Divina Authoritas demonstratur. Miracula D. Jesu & Apostolorum vindicantur. Zalman Zebi negat Jesum ea fecisse per secretum Schem Hamphoras. Judaei ipsi loquuntur de lege nova danda per manus Messiae. R. Elias laudatus. Judaeorum objectiones refutatae. CL. L'Empereur laudatus. Novi Testamenti cum Talmude collatio.

CAP. III.

Hebraeorum sententia de Lege Orali. Quomodo Traditiones olim addiscerentur. Argumenta contra legem oralem. Prodigiosa solertia Otniolis. Distinctio inter תורה & מצוה. *Ea confutata. Aben Ezra laudatus. Lex eleganter comparatur soli. Judaeorum Doctores etiam legi scriptae, multa superaddunt. Cuthaei sive Samaritani, Sadducaei, Karraitae omnes traditionibus obloquuntur. Samaritani & Karraitae an iidem?*

CAP. IV.

Misna, Tosiphta, Baraita, opinatores quid sint. Talmudis Autoritas. Talmud legis potius explicatio est, quam ipsa lex. Contra expressam Dei prohibitionem scripto consignatum est. Contradictoria, absurda, blasphema Talmudica. Certo sciri nequit penes quem ex Doctoribus Talmudicis vera traditio sit. Eximius locus Mornai. Absurda Talmudica an parabolice explicanda.

CAP. V.

Kabbala quid, & quotuplex. Triplex juxta Judaeos Scripturae sensus. Atbach, Albam Atbasch quid. Notarikon. Gematria Blasphema species. Practica Kabbala. Illius notabilia quaedam exempla. Kabbalae verba, juxta Judaeos, aequiparanda verbis legis. Lex Mosis ita non est scripta, ut undiquaque potuerit legi. Judaei ipsi aliquando Kabbalae obloquuntur. Nugae Kabbalisticae. D. Joh. Leusden Laudatus. Quid ם *clausum sibi velit in voce* לםרבה *Jes* IX 6. *Historia Jonae Kabbalistice explicata. D. Joh. Hoornbeck laudatus. Practica Kabbala est tetra Magia. Vermiculus* שמיר *Lepida Historiola. Paraenesis ad Judaeos.*

DIS-



DISSERTATIO DE PRINCIPIIS FIDEI JUDAICÆ.

CAPUT I.

Methodus disputandi contra Judaeos. Eorum errores circa principia fidei. Distinctio Judaica inter Hagiographos & Prophetas. Ea confutata. Propheta per influxum Prophetici Spiritus non orbabantur suis sensibus, eorumve usu instar Lymphaticorum. D. Coccejus laudatus. Distinctio Judaica inter Mosen & reliquos Prophetas. Ea evertitur. Elias, Enochi, Isai Judæis ἀναμάρτητοι.

VArie à variis disputatum est quomodo de fidei controversiis cum Judæis institui deberet disceptatio. Ego, salvo aliorum judicio, quos ita ut decet veneror, aliam in orali, aliam in scripturaria collatione methodum tenendam esse arbitror. Quippe uti illic, pro Judæi, quicum tibi res est, captu aliter atque aliter procedendum esse ipsa docet ratio, disputatione vel hinc vel inde exorsa, pro re nata (ubi tamen nihil mihi videtur esse καθετικότερον, nihil arctius hos homines constringens, quam à deplorato, & ipsis eorum hostibus lacrumas moturo statu, initium facere) ita hic Systematice procedendum esse omnino reor: ut à principiis incepta disputatio, unde reliqua omnia ordine deducenda sunt, in quatuor quæ vocant extrema desinat. Nos, in hac de principiis veræ fidei dissertatione, specimen aliquod pio lectori dare conati sumus, quomodo ipsos Judæos ex Judæis eorumque hypothesibus refutare queat. Semper enim se mutuo perimunt mendacia, uti olim fabulabantur veteres de Cadmæis fratribus. Ego ipsa experientia edoctus, certissimus sum, pæne in omnibus controversis fidei capitibus hebræos inter se committi posse, & vel antiquis à recentioribus, vel recentioribus ab antiquis contradici. Quibus plus est quam nobis otii, & qui minus in ipso-

rum ſcriptis ſunt hoſpites, luculentius id poſſent demonſtrare. Sufficerit nobis ea Lectoris judicio ſubjicere, quæ valde Juvenes hinc inde excerpta nunc paulum in ordinem digeſſimus. Ubi ad ædificationem tabernaculi non poſſumus aurum nec gemmas, pelles ſaltem offerentes & caprarum pilos. Sed ad rem ipſam.

1. Circa fidei principium dupliciter Judæi peccant; tum in defectu, tum in exceſſu. In defectu primo circa Vetus, dein circa novum Teſtamentum. Circa Vetus. Nam etiamſi in eo nobiscum convenire videantur, quod omnes veteris Inſtrumenti libri θεόπνευστοι ſint καὶ αὐθεντικοί, rejectis ab utraque parte Pontificiorum Eccleſiaſticis additamentis: in eo tamen haud leviter peccant, quod hagiographa & Danielem imprimis (quem perperam ex Prophetarum albo eliminant, de quo videri poteſt *Cun. de Repub. Heb.* 458. *Maimon. More Nevo. par.* 2. *cap.* 45. & *Hotti. Theſ. Phil. p.* 511.) Intra Prophetas ſuos vocant, hosque omnes infra Moſis ſcripta nimium quantum deprimant De aliis crudis ipſorum circa ſacra quædam ſcripta calumniis, quæ maleferiatis nonnullis doctoribus excidere, litem omnibus non intendam. Referam tamen, ut horreant ſimpliciores, dediſcantque mirari quos ad ſuperſtitionem usque colunt Rabbinos ſuos. In Tractatu Talmudico cui titulus *Maſſ. Sabbath. c.* 2. hæc occurrunt. בקשו חכמים לגנוז ספר קהלת מפני שדבריו סותרין זה את זה אף ספר משלי בקשו לגנוז מפני שדבריו סותרין זה את זה. *Studuerunt Sapientes occultare*, apocryphum facere (id enim eſſe גנוז ut hoc in transcurſu notem, vide apud *Hott. Theſ. Phil. p.* 521.) *librum Eccleſiaſtis eo quod verba illius ſibi invicem contradicerent. Similia conati ſunt circa librum proverbiorum, quod & illius verba ſibi invicem contradicerent.* Imo (quid non audet humanus animus ubi ſemel frænum hoc reverentiæ Divinis oraculis debitæ excuſſit) eousque veſaniæ prorupit Ariſtarchorum horum, quidlibet pro arbitrio dijudicantium profana lubido, ut in *Mas.* c. 3. ידים c. 5. aperte ſcribere non dubitaverint קהלת מטמא את ידים. *Eccleſiaſtes polluit manus.* Quod illico etiam ipſis vitio verſum eſt à Sadducæis, quibus injuria fit cum hagiographa abnegare dicuntur, quod hoſtes eorum infenſiſſimi *Lipman. in Sepher Nitzachon, paſſim,* & *Menaſ. Ben. Iſr. de reſur. mort. cap.* 6. *diſerte* fatentur. Illi ergo c. 4. trac. ſup. cit. ita dixiſſe memorantur. אומרים צדוקים קובלנו עליכם פרושים שאתם אומרים כתבי הקדש מטמאים את הידים ספרי המינים אינם מטמאים את הידים. *Dicunt Sadducæi, eſt quod de vobis conqueramur o Phariſæi, eo quod ſcripta ſacra manus polluere aſſeratis; ſcripta autem hæreticorum non item.* Has & ſimiles blaſphemias, quas corradere nec mei eſt otii nec lectoris negotii, ſicco pede tranſibo

ibo, eas tantummodo propositurus controversias, quæ generatim Judæis nobiscum intercedunt

2. Hæc ergo prima quæstio sit:

An libri Hagiographi minoris authoritatis sint quam Prophetici reliqui, & an hi rursus infra Mosem subsideant? Jud. Aff. Nos Neg.

Ad majorem quæstionis hujus elucidationem præcognoscendum, quid statuant discriminis inter libros hagiographos & Prophetas. Hagiographa כתובים sic appellabantur שהם כתובים ברוח הקדש ut *Kimchi* loquitur *præf. in Psal.* *Quod scripti sint à Spiritu Sancto*: quem distinguunt à רוח נבואה *Spiritu Prophetico*, cujus meminit *Targumista* Eccl. XII. 9. Item Jes. LXI. 1. & *Kimchi*, & *Aberb. ad eum locum*, & commentatores passim. In eo autem collocant discrimen: quod רוח קדש *Sp. S.* ubi in hominem agit, usum ipsi sensuum integrum permittit. At רוח נבואה *Sp. Propheticus* hominem in ecstasim rapit, ut quod intra se agatur omnino ignoret. Aut ut *Maim.* mihi verba fœnerer ex *More Nev. par. 2. cap. 41.* *In tali negotio sensus omnes à functionibus suis quiescunt, & venit influentia illa supra facultatem rationalem, ac ab ista diffunditur in facultatem imaginatricem. hocque pacto opus suum perficit.* Vide sodes *Kimchium loco citato*. Inter hagiographa septem numerant Psalmos, Proverbia, Jobum, Danielem, Ezram, Nehemiam, libros Chronicorum. Prophetas dispescunt in anteriores, posteriores. Anteriores sunt Moses, Josua, Author vel Authores libri Judicum, Samuelis & Regum. Posteriores sunt Majores tres cum duodecim minoribus. Minoribus libellis, Cantico, Ruth, Threnis, Ecclesiasti, & Estheræ peculiarem locum assignant, ut plurimum immediate post pentateuchum & appellant חמש מגלות *quinque libellos*. Præterea animadvertendum, quæstionem propositam bimembrem esse. Vel enim hagiographos concernit, cum conferuntur cum prophetis: vel prophetas, cum conferuntur cum Mose. De utroque membro speciatim agemus, De priore prius.

His præmissis, Judæorum hypotheses, in quibus differentiam inter Prophetas & hagiographos fundant, confutatas demus, & sic tota hæc quæstio decisa erit. *Prima* ipsorum hypothesis est, libros hagiographos à Sp. San. exaratos esse, contradistincte ad Prophetas. Quod manifeste falsum. Quippe omnes æqualiter Θεόπνευστοι non nisi unum & eundem agnoscunt instinctum Spiritus. Id ipsa nos Judæorum scripta docent, quæ indiscriminatim aliquando Sp. San. tum per prophetas, tum per alios scriptores sacros loquentem faciunt. Textus est disertus in Masse פסחים c. x. זה חלל מי אמרו ר' אליעזר אומר משה וישראל אמרוהו בשעה שעמדו על הים הם אמרו

לא לנו יי וגו מתיבה רוח הקדש ואמרה למעני למעני אעשה וכו *Psalmum hunc quis dixit? R. Eliezer ait. Mose & Israel dixerunt eum, quo tempore astabant mari. Dicebant autem, non nobis, non nobis Domine &c,* (quod extat Ps. CXV.) *Respondit Spiritus Sanctus & dixit. Propter me, propter me faciam illud.* quæ sunt verba Dei apud Prophetam Jesaiam Cap. XLVIII. 11. Viden' jam quomodo Sp. S. id adscribatur, & recte quidem, quod ipso inspirante per Prophetam Jesaiam consignatum est? Prophetam extra controversiam, & cui, solo Mose excepto, supra reliquos omnes primas prolixe tribuit *Aberbenel in Praef. ad Prop. Maj.* Adde quod *Paraphrastes Chaldaus in Psa.* CXXXVIII. 5. loquens generatim de revelatione aliqua tum facta dicat, מתיבא קול רוחא דקודשא *Respondit vox Spiritus Sancti.* Nulla hic distinctio Prophetarum vel hagiographorum locum habere potest. Ingenue omnino *Maimonides, More Nev. p. 2. cap. 45. Daniel & Psalmi, & libellus Ruth & libellus Esther, omnia hac per Spir. San. scripta sunt, omnes item generatim Propheta appellantur.* Optime, mi Doctor, & consentanee Tuo *Paraphrasti ad 2 Sam.* XXIII. 1. Ubi ille tam diserte ut nihil supra ואלין פתגמי נבואת דוד דאתנבי לסוף עלמא *Et hac sunt verba Prophetia Davidis, qua prophetavit de fine mundi.* Sic Hagiographi, inter quos primus David, Prophetæ appellantur, ipsorum scripta, Prophetiæ. Futilis ergo est hæc inter Prophetas & hagiographos distinctio. Sed pressius adhuc demonstremus Spir. Prophetiæ, & Spir. Sanct. eundem esse: nec diversitatem hîc talem fingendam. Quæro, per quem Spiritum scripsit & locutus est David? Sine dubio per Spiritum Sanct. respondebunt Judæi. Atqui, *inquam*, is est Sp. Prophetiæ. Si mihi non credant, quod nequaquam postulo, at credant saltem suo Targumistæ: qui, nulla necessitate ductus, id ipsum quod ego dico asserit. Commate 4. Cap. Sup. cit. Sacer textus sic habet רוח יהוה דבר בי Id Targumista sic παραφράζει אמר דוד ברוח נבואה דיי אנא ממלל אלין *Dixit David Spiritu Prophetico Domini ego hac loquor.* David inter hagiographos primus est, & ab illius Psalmis, ut à potiore parte, reliqui omnes sæpe denominantur. David tamen præditus fuit Spiritu Prophetiæ רוח נבואה & per eum est locutus. Ergo hagiographis non est adscribendus, pro signo diagnostico, Sp. Sanctus; Spiritui Prophetico contradistinctus. Quorum non diversus tantum, sed & contrarius agendi modus esset. Concludam hoc verbis Aberbenelis quibus ille utitur assignaturus diversitatem graduum in Prophetiis, *praef. ad Proph. Maj. p. 1. col. 3.* כולם דבר אחד מצד הפועל ונותן השפע לפי שבכלל אחד מהם יהיה משפיע הבורא יתברך *Omnia hac unum sunt ex parte caussa efficientis & dantis influxum. Quippe utrobique*

bique D.O. M. is eſt qui influit. Sic eſt, nulla hic eſt diſtinctio, ſive tu Spiritum Sanctum, ſive Propheticum dicas. Nam uti Apoſtolus noſter loquitur. *πάντα ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα.* Dicent fortaſſe Judæi, etiam ſe id exiſtimare, unum eundemque in ſe eſſe Spir. Sanct. & Spiritum Propheticum; differitatem ſe tantummodo ponere in agendi modo. Sit ita. Id ſaltem credunt, aliter Deum operatum eſſe in hagiographis, eoque reſpectu appellant Sp. Sanct. aliter operatum eſſe in Prophetis, eoque reſpectu vocant Sp. Propheticum. Atqui jam ex Talmud demonſtravimus. ita Deum loqui in Prophetis, ut poſſit dici & dicatur Sp. Sanctus; ita rurſus loqui in hagiographis, ut poſſit dici & dicatur Sp. Propheticus. Quod omnino diſtinctionem hanc evertit.

IV. *Altera* Judæorum hypotheſis conſiſtit in ſpeciali differentiæ hujus aſſignatione. Quaſi ſcil. Prophetæ Lymphaticorum inſtar, omnibus ſenſibus ſuis orbi, uti Sibylla illa Virgiliana, influxum Propheticum reciperent. Hagiographorum vero Authores videntes vigilantes quid intra ſe ageretur perſpicerent. Videamus quid ipſi dicant, & quomodo quod dicunt conentur ſtabilire. *Aberbenel in præfatione jam ſæpius citata* plene hanc ſententiam expreſſit. Hebraica verba, quia longiuſcula ſunt, non adſcribam. Senſum fideliter dabo. Sedulus lector cum Authentico conferat. *Juxta ſententiam, inquit,* הרב *i. e. Maimonidis, dum Propheta prophetando occupatus eſt, ſive id in ſomnio fiat ſive in viſione, ſemper cum anima ejus adhæreat & copulata ſit ſuperis,* לא יוכל הנביא להשתמש בחושיו כלל *non poteſt Propheta ullo modo ſenſibus ſuis uti, excepto ſolo Moſe. Probationem autem hujus aſſerti affert ex Dan.* x. 8. *Et videbam viſionem magnam hanc, nec ſupererant in me vires: & ſplendor meus mutabatur mihi in corruptionem, ſic ut nullas vires retinerem. Additque & incidebam in ſoporem ſuper faciem meam, ac facies mea terram verſus erat. Quo probat viſionem propheticam ceſſationem omnium ſenſuum inferre.* Duo nunc nobis agenda. Primo impugnanda hæc ſententia. Tum refutanda illius probatio. Supra de Davide dicentem audivimus Paraphraſtem, *Spiritu Prophetico Domini ego hæc loquor.* Sine dubio, ſciebat David quid loqueretur, ſciebat ſe non eſſe ſolum, videbat aut audiebat aſtantes ſibi ſuos, & meditato ſermone ultimum vitæ ſuæ actum concludere volebat. Quis enim credat extra ſe tunc raptum fuiſſe Regem, ut quid in ſe perageretur, quid ipſe diceret omnino ignoraret. Et tamen juxta Targumiſtam Spiritu Prophetico inbutus hæc narrabat. Ergo non ſemper iſte Spiritus in ecſtaſim homines rapit. Probatio quam ex Daniele annectit Maimonides nihili eſt. Nam 1. non ſtatim

 ſequitur

ſequitur, id quod Danieli contigit, omnibus Prophetis commune eſt, atque adeo tanquam ſignum diagnoſticum Prophetæ ab Hagiographo ſtatui debet. Plurima enim uni vel alteri Prophetarum contigere, quæ non ſingulis. Immo quia id de Daniele tam diſerte narratur, de multis aliis Prophetarum non item, quis non videt, id ipſi in hac prophetia peculiare potius ſtatuendum eſſe, non commune omnibus? 2. Danielis exemplum nihil ad rem facit. Nam ex Judæorum, immo ex Talmudica ſententia Daniel Propheta non eſt, ſed inter hagiographos cenſendus. Id docetur Gemara Sanhed. cap. XI. וראיתי אני דניאל את המראה והאנשים אשר היו עמי לא ראו את המראה ·ומאן נינהו אנשים אר״ ירמיה ואי תימא ר חיא בר אבא זה חגי וזכריה ומלאכי אינהו עדיפא מניה ואיהו עדיף מינייהו אינהו עדיפי מיניה דאינהו נביאי ואיהו לא נביא Senſum in verſione ſua breviter ſic expreſſit, doctiſſimus Vir & in hac litteratura ad invidiam uſque excellens, D. Coccejus. *Et vidi ego Daniel viſionem illam, & viri qui mecum erant non viderunt* (Locus eſt Dan. X. 7.) *Quinam illi? Putant quidam illos fuiſſe Haggæum, Zachariam & Malachiam. Hi præſtabant ipſi, cum eſſent Prophetæ, Daniel autem non fuerit Propheta.* Si jam Propheta non eſt Daniel uti hîc aſſeritur, quamvis falſiſſime, qua ratione ipſius exemplo probari poterit, Prophetas extra ſe rapi, ubi imbuuntur Spiritu Prophetico? Et ſane, quis hic eſt argumentandi modus? Vulgaris Judæorum error eſt, Talmudis authoritate nixus, Danielem non eſſe Prophetam. Quum tamen commentitius ille Prophetandi mos ſtabiliendus eſt, nullus occurrit qui labaſcenti cauſæ ſuppetias ferre queat, niſi unus hic Daniel. 3. Argumentum omnino poſſet inverti ac retorqueri in Judæos. Hoc modo. Quod ipſis hagiographis contingit, id non poteſt eſſe prophetarum ab hagiographis diacriticum. Atqui in extaſim rapi, cum prævalet Spiritus Dei, hagiographis nonnunquam contingit, E. G. Danieli. Ergo. Concludo itaque, omne iſtud diſcrimen nullum eſſe: & conſequenter perperam Judæos hagiographos prophetis minores facere, uti modo dicebant de Haggæo &c. quod eo nomine præſtarent Danieli, cum idem ſit qui ipſos duxit Dei Spiritus, eodem modo agens, ſaltem non tam diverſo ut illi ſibi fingunt. Quod niſi fallor, clare nunc demonſtratum.

5. Hæc jam quoad primam quæſtionis propoſitæ partem. De altera Judæorum primo ſententiam proponamus, tum confutatam demus. Refert hanc *Manaſſe in Conciliatore p.* 16. *Volumina Moſis menſura ſunt reliquorum librorum. Quemadmodum in cantu tanta eſt dulcedo omnium vocum, quanta* reliqua-

reliquarum harmonia cum organo aut infima voce: eodem modo vera aut falsa sunt reliqua scripta, quo magis conveniunt cum Mosaica aut ab eadem abeunt (voluit dicere *Mosaicis, aut ab eisdem.*) *Unde sequitur nos ex Mosaica contra reliqua argumenta petere posse, reliquorum autem argumenta nullam vim habere ad destruendam vel minimam doctrinæ Mosaicæ partem. Idque non modo in externis omnibus libris locum habet, sed etiam in ipsis Bibliis & libris Canonicis: qui si quid habeant discrepans à sententia Mosaica, necessario deserendi sunt, aut ita interpretandi ut cum Mosis scriptis conveniant.* Hactenus ille. Et quas vulgo Mosi supra Prophetas reliquos prærogativas asscribant, jam dudum Pueros nostros docuit incomparabilis *Buxt. Synag. Jud. C. 1.* Imo tanti ipsis est hæc Mosis præcellentia, ut non dubitaverit Maimonides inter tredecim fidei suæ articulos hunc septimum facere. *Mosem reliquorum Prophetarum maximum dignissimumque esse, eumque summum humanæ sapientiæ, perfectionis ac honoris fastigium attigisse; sicut cum ipsis angelis paria faciat.* In *præfatione Halichot olam*, & alibi apud scriptores hebræos passim, dicitur ארון הנביאים, *Dominus Prophetarum.* Nec tantummodo Mosi personales quasdam prærogativas supra cæteros adscribunt; sed & ipsius Prophetiam & Prophetica scripta reliquis præferunt. Præter id quod supra dictum est, ex *Manasse* id manifestum erit. *Probl.* VI. *de creatione. Prophetia Mosis per omnia tanto dignior præstantiorque fuit cæterorum omnium prophetarum prophetia, quod &c.* Differentiam in eo collocat; quod reliquis Prophetis res tantummodo prophetia comprehensa revelabatur; non item verba quibus exprimenda erat. Mosi autem & res & verba. Quod docte refutatum est à *D. Hoornbeek Proleg. Theol. Jud. p. 46.* Sic ut vix videam quid superaddi queat.

VI. Sed revera hyperbolici hic valde sunt Judæi. Ac, si, quod res est, dicere debeam, quædam non longe absunt à blasphemia. Quæ ab aliis item, uti nunc ostensum eo, merito castigantur. Blasphemum sane est, quod Menasse reliquis scriptoribus *falsitatem* aliquam imputare ausit, ubi à Mose recedere videntur. Absurdissimum omnino quod *necessario aliquando deserendi sint.* Quippe talis casus dari nunquam poterit, ubi inter Mosem & reliquos vera sit pugna. Vulgaris est hæc Judæorum confessio, qua articulo sexto inter suos *Ikkarim*, prout extant in vulgaris precum formulis, profitentur se באמונה שלמה *fide perfecta credere quidquid à Prophetis traditum est, id omne verissimum esse.* Quid ergo FALSUM ibi, Manasse, quid *deserendum?* An non hic jure meritissimo locum habet, quod absurde etiam contradicentibus Rabbinis vestris applicatis: אילו ואילו דברי אלהים חיים *Et hæc & illa verba sunt Dei viventis.* Peremtorium illud est, quod *R. Ismael* dicit apud *Voetium, in disp. de adventu Messiæ. Tradunt Rabbinis*

nos-

nefas esse existimare, in Sacris paginis legi reperirive quidquam, quod sibi repugnet. Porro obtestor te, Menasse, an non manifestum est maximam te reliquis Prophetis injuriam facere, si tanto intervallo eos postponas Mosi, ut vel scripta ipsorum, & doctrina, minoris essent, quam illius, æstimiu? Vide ergo & audi quid ipse dicat Moses de alio se secuturo propheta Deut. XVIII. 15. Et imprimis, nam sic te nunc urgebo, celebrem Cabbalistam vestrum audi, *Baal batturim*, qui ita *ad hunc locum* הפסוק מתחיל ומסיים בנון לומר שידע נ׳ שערי בינה ויש בו י׳ תיבות לומ׳ שתשמע לו כמו לעשרת דברי תורה *Versus incipit & finit cum littera Nun* (quod ipsum nec Malora parva præterire potuit indicans undecim tales versus reperiri) *quo innuitur ipsum* (Prophetam scil. prædictum) *in numerato habiturum quinquaginta portas intelligentiæ.* (Nun enim in numero L. valet) *Continet item decem verba, ad indicandum tantum ipsi obedientiæ deberi quantum decalogo.* An quidquam dici potuit disertius? Esto, magnus fuerit Propheta Moses, si velis inter maximos, quem quidam ex scriptoribns Ethnicis Ἄνδρα θαυμαστὸν καὶ θεῖον nuncupavit. Non eo tamen majoris authoritatis doctrina ipsius est quam reliquorum vatum. Similem, immo parem aliquem sibi fore prædixit, cui par etiam in doctrina authoritas. Quin imo hac in parte æquales sibi omnes habet. Doctrina etenim non ab administra persona amanuensis, sed ab ipso dictante Deo, Divinam, id est omnino ἀνοκεύθυνον authoritatem nanciscitur. Non possum, quin subjungam quod legitur in Mas. יבמות. Cap. x. תא שמע אליו תשמעון אפילו או מר לך עבור על אחד מכל מצוות שבתורה כגון אליהו בהר הכרמל הכל לפי שעה שמע לו *Veni. audi eum audietis* (hunc scil. qui Deut. XVIII. promittitur) *Etiamsi tibi dicat, transgredere aliquod ex præceptis legis, quod & Elias fecit in monte Carmel, omnia pro re nata, audias illi.* Aut ego nihil video, aut hæc jugulum petunt Theologiæ Judaicæ, qua Mosis scripta absolute immutabilia, reliqua autem Θεόπνευστα iis cedere debere docent. Quod nulli alii fini contendunt, nisi ut se extricent ex argumentis illis, quibus nostri ex Jesaia, Jeremia, aliisque prophetis, abrogationem Politiæ Mosaicæ, & externorum illorum rituum demonstrant. Interim illud rursus monitum lectorem velim, aliud esse an Moses ipse quoad personam suam, & quasdam personales prærogativas, inter cæteros prophetas primas teneat, quod haut gravate concedimus: aliud an majoris authoritatis ipsius doctrina scriptaque sint. Atque id est proprie quod controvertitur, quodque nos inficias imus. Sed & personales illæ prærogativæ, quas Judæi jactant, pleræque vanæ ac fictæ. Quod prolixum nimis esset ac extra institutum hic ostendere.

re. Certe alia omnino dici oportuit, quibus commendaretur Moses.

7. Non ingratum tamen credo, lectori erit, si paululum hic digrediar, Judæosque inter se committam, ut videant nostri quam nihil etiam in hac materia sit in quo sibi invicem non contradicant. Monstratu facile est ex ipsis Judæorum scitis alios Prophetas multum Mosi præferendos. Sane, sine dubio is qui nunquam peccavit, præstat illi, qui aliquoties. At Moses sæpius peccavit, sæpius à Deo reprehensus est, ob neglectam circumcisionem filii, infidelitatem in ter percutienda rupe, & similia. Alii vero inter Prophetas peccarunt nunquam. *Μέγα λίαν ἄιτημα*, dices. Recte. Addo ego, & falsum. Ex Judæorum tamen doctrina, certissimum. Ipse nobis *Menasse*, testis sit, *de resurr. mort. p. 33.* Ubi hæc R. Jehudæ verba citat. מה שהיה כבר הוא אם יאמר לך אדם שאילו לא חטא אדם הראשין ואכל מאותו העץ היה חי וקיים לעולם אמור לו אתה כבר היה אליהו שלא חטא הוא וחי וקיים לעולם *Quod fuit jam est. Si quis tibi dicat, si Adamus non peccasset, neque comedisset de arbore illa, viveret & maneret in perpetuum* (dicendum potius, *vixisset & mansisset*) *Responde illi, jam est Elias qui non peccavit, & vivit ac manet in æternum.* Ecce unum jam ἀναμάρτητον Eliam. Quod eò magis huc facit, quia tum nullius criminis postulari poterit, ob violatam legem Mosaicam, de non faciendo nisi in templo. Addamus & alterum Hanochum. Qui similiter Propheta, cujus Prophetiam etiam noster Judas in epistola Catholica citat. De eo sic ipse *Menasse lib. cit. p. 336. Quia nullum vitium & peccatum commisit, idcirco à morte præservatus est.* Dubito an subjungere debeam & tertium: quia Propheta non fuit. Sed eo fortius astringitur nodus. Si enim ex plebe homines quidam Mosi præferendi, quanto magis ex Prophetis? Is de quo loquor est Isai, pater Davidis: Lubet hîc adscribere quæ Paraphrastes nugatur in *Rutha Cap.* IV. *com. ult.* ועובר אוליד ית ישי דמתקרי נחש בגין דלא אשתכחת ביה עולא ושחיתא לאתמסרא בידוי דמלאכא דמותא למסבית נפשיה מיניה. *Obed genuit Isai, qui vocatus est aneus. eo quod nulla in ipso perversitas & corruptio reperta est, ob quam traderetur in manus angeli mortis, ut auferretur ab eo anima ipsius.* Falsissima sunt hæc omnia. Scio. Ostendunt tamen falso & inepte Judæos ita de Mose suo passim jactare, qui ut reliqui nihil humani à se alienum novit. Cujus tamen scripta infallibilia esse fortiter asserimus, uti & reliqua prophetica juxta cum ipsis Divinæ sunt authoritatis.

CAP. II.

Novi Testamenti Divina Authoritas demonstratur. Miracula D. Jesu & Apostolorum vindicantur. Zalman Zebi negat Jesum ex fecisse per secretum Schem Hamphoras. Judæi ipsi loquuntur de lege Nova danda per manus Messiæ. R. Elias laudatus. Judæorum objectiones refutata. C. L'Empereur laudatus. Novi Testamenti cum Talmude collatio.

ALia nunc restat quæstio, maximi quidem momenti illa; sed tamen tractatu difficillima, illi præsertim cui non nisi ex Judæorum hypothesibus contra Judæos agere decretum est.

An scilicet præter Veteris instrumenti libros, in quos ab utraque parte consentimus, scripta Evangelistarum & Apostolorum Divina sint Authoritatis? Judæi negant, Nos affirmamus.

Hinc omnia porro dicenda Judæis pendent. Hoc totius rei cardo est. Et hoc evicto vix ulla nobis cum hoc hominum genere disputatio restabit. Ubi Evangelium sartum tectum est, jam Messiam habemus unicum, & eum quidem Jesum, jam spirituale illius regnum, jam personarum Divinarum trinitatem (quæ tam manifesta in Novo Testamento, ut vel ipsi Muhammedani eam ibi videant) jam cærimoniarum Mosaicarum abrogationem, breviter omnia fere de quibus incredula gens controversiam nobis movet. Presse igitur, & quantum in hac materia, ubi de ipso principio agitur, fieri potest, accurate affirmativam nostram demonstrare conabimur.

2. Primum argumentum nostrum hoc est. Si, quidquid Judæi pro Divinitate Mosis & reliquorum Prophetarum, id nos pro Divinitate Evangelii afferre possimus; immerito hæc ab ipsis negatur. Sed verum prius. Ergo. Consequentiam ipsum rationis lumen suppeditat. Ubi enim paria sunt rei convincendæ argumenta, ubi tantumdem pro hoc, quam pro illo dici potest, certe ibi à solo præjudicio stabit, quo minus utrique adhibeatur fides. Jam & hoc manifestum est, nihil Judæos pro Mose aut Prophetis afferre posse, quod non æque nos pro Apostolis ac Evangelistis. Fiat periculum. In rem præsentem veniatur. Sanctitatem Mosis & prophetarum crepant, alienumque ab omnibus mendaciis animum: Recte id quidem. Sed an non hoc æque est in D. Jesu, sacrisque scriptoribus eorum quæ ab ipso gesta dictave sunt? Ubi non candida ubique simplicitas? Ubi non admiranda in suis, suorumque nævis detegendis ingenuitas? Ubi non elucet animus omnis fuci nescius: Cujus vel causas longe habuerunt. Nam quod demum men-

dacii

dacii præmium, ubi veritatis redhostimentum erant flagra, crux, rogi. Quod in Mose certe secus. Qui per suam istam quam cœlitus apportabat doctrinam, sibi diadema pæne regium, dictaturam saltem in isthoc populo, fratri vero summi sacerdotii infulas consecutus est. Nam *Philoni in libris de vita ejus* non semel REX dicitur: immo & Ἀρχιερεύς. Itemque in *Semoth Rabba Sect.* XXXVII. רבנין אמרו כל שנה שהיה ישראל במדבר שמש משה בכהונה גדולה *Narrant Rab. per omnes illos annos, quibus Israelita in deserto commorati sunt, Mosen sacerdotio summo functum esse.* Tale quid ne vovendo quidem polliceri sibi Apostoli poterant. Aut quænam fuisset ista in Apostolis pessime sibi consulens mentiendi lubido, quæ de rebus suo sæculo, in omnium conspectu, frequentissimis urbibus gestis, tam impudenter falsa narraret? Et hæc scil. tantam mererentur fidem apud omnis generis, ætatis, ordinis, sexus homines, etiam illius terræ, earumque urbium, ubi hæc facta dicuntur, indigenas? Pergunt Judæi & afflatum in Mose Prophetisque cœlestem assignant, revelationes Divinas, frequentissima cum Deo colloquia? Optime. Sed quotidiana pæne hæc omnia nostris Apostolis. Excipiunt ficta hæc esse & mendacia maleferiatorum hominum ludibria? Videant an non item in suum Mosen hæc cudatur faba. Quid respondebunt sic excipienti Ethnico? Idem & Apostolis nostris applicent. Pergamus. Referunt Judæi, ad probandam scriptorum Mosaicorum authoritatem, eximiam rerum quæ inibi tractantur sublimitatem, incomparabilem sanctitatem præceptorum, styli sanctam simplicitatem, denique in omnibus sibi convenientem dictorum seriem? Qua quæso in re Evangelium nostrum Mosaicæ legi cedet? Heic mysteria habes recondita à multis retro sæculis, quæ nulla Piscatorum solertia fingere, nulla humana ratio assequi potuerit, immo εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν οἱ Ἄγγελοι παρακύψαι ut Petrus noster loquitur. Heic Divinæ similis perfectio inculcatur. Heic nulli πειθοὶ ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοι ἀλλ᾽ ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως. Denique heic omnia inter se, &, quod amplius est, cum Mosaica lege ad amussim conveniunt.

3. Rursus. Miracula sua jactant? Et pluribus & illustrioribus inclaruere nostri Apostoli. Supposititia hæc esse dicunt? Meminerint idem Mosi objectum iri à Gentilibus. Contendunt Magica hæc arte facta esse: Sed videant an non multo majore cum probabilitate id Mosi improperari posset, qui diu inter Ægyptios magis conversatus, eorumque disciplinis imbutus, ab eo cui altercandi studium est, haut omnino improbabiliter traduci queat. Duo hic jam addam, imprimis observanda. 1. Ju-

dæos ubi apud se sunt, & nonnihil desinunt ineptire, Jesum nostrum & Apostolos ab hac Magia per secretum שם הכפרש *Nominis occulti, vel expositi*, excusare. Notatu digna sunt verba *Zalman Zebi*, Judæi germani, in tractatu, quem inscripsit *Judischer Tyriac.* cap. I. num. VIII. Citat. à *Cl Hasspan.* in annotatis ad *Sepher Nitrachon. p.* 388. Quæ fideliter ex Germanicis latina facta adscribam אני אומר *ego dico hanc* הבל *vanitatem nunquam me audivisse, multo minus scriptam reperiisse. Non usque adeo pueri sumus ut vanitati tali adhibeamus fidem. Nemo tam stultus est qui somniet Jesum Nazarenum intrasse* בית המקדש *domum sanctuarii, indeque suffuratum* שם המפורש *nomen expositum, quod dissecta pellicula occultasset; tum exivisse, pelliculam rursus dissecuisse, & exinde sumsisse nomen illud quo tot mirabilia patraret.* Sed frustra hic est Judæus, id quod ab ullo creditum negat expressim narratur in Talmude, uti infra suo loco ostendemus. Id interim lubentes arripimus, quod vanitatem id vocitet Judæus; immo puerilem stultitiam, cui nemo sanus fidem suam oppignoret. Ergo Jesus noster, præcipuus auctor & materia Evangelii, non per magiam, non per occultam virtutem tremendi illius nominis miracula sua patravit. 2. Et illud notatum velim plurima Judæos de Mose dicere, ob quæ, nullo suo merito, apud extraneos in Magiæ suspicionem venire posset. Notum est quod Kabbalæ suæ Authorem Mosen deprædicent. Kabbalam autem hanc dividunt in Theoreticam & practicam. Jam vero Kabbala practica quid aliud est, quam mera merissima necromantia, *à qua illam parum aut nihil distare* vere olim dixit *Sixtus Senensis.* Nos infra *cap.* V. *num.* 15. ex professo hoc probamus. Quod obsecro, vide lector, & cum hisce confer. Judicet jam quivis, *cujus miracula* majori cum specie Necromantiæ incusari queant, an Mosis quem Kabbalæ id est artis necromanticæ Authorem faciunt, an Apostolorum & D. Jesu de quibus nemo nostrum vel per somnium tale quid cogitavit? Hæc eò à me non dicuntur, quod Mosem suspectum facere velim, cujus miracula omnium magorum captum & virtutem longe superabant: Sed ut ostendam non minoris æstimii ea esse debere quæ D. Jesus & Apostoli perpetrarunt. Stat ergo argumentum nostrum: Nihil Judæos pro Mose & Prophetis afferre posse, quod non item nos pro Evangelio.

IV. Secundum argumentum nostrum hoc sit. Quod nequicquam renitentibus inferorum portis, per tot jam sæcula feliciter perennat; id eo ipso & verum & Divinum esse evincitur: præsertim quum omnibus suis in contrarium machinis, id effectum jam dudum hostes crediderint, ut vel ante millenos annos extincto nil nisi lugubris lessus illi parandus fuerit. Atqui

qui tale est nostrum Evangelium. De veritate absoluta antecedentis prolixe nunc non inquiram. Id sufficit si Judæis meis eam probatam dem. Diserte eam asserit Celeberrimus Historiographus & sacerdos illorum *Josephus*, *cum in libris contra Appionem*, ubi eodem argumento Mosaicæ doctrinæ Divinam authoritatem adstruit. Quem locum mihi fateor suppeditatum à Cl. Viro *D. Joh. Hoornbeck contra Jud. p.266.* Verba Josephi hæc sunt. Ἐπεὶ τοίνυν ὁ πολὺς χρόνος πιστεύεται πάντων εἶναι δοκιμαστὴς ἀληθέστατος, *quandoquidem magnum tempus omnium creditur esse verissimus probator, hunc ego testem faciam virtutum legislatoris nostri, & quam ille de Deo tradidit doctrinæ.* Deinceps de eodem legislatore suo. Τῶν δὲ τῆς ἀρετῆς πάλαι μὲν ὁ μετ' ἐκεῖνον δὲ μάρτυς, ὁ χρόνος εὕρηται γεγενημένος. *Huic virtutis testem primo quidem Deum, post illum vero tempus fuisse compertum est.* Nihil jam restat nisi ut illud ipsum Evangelio, & Evangelicis scriptoribus applicetur.

v. Tertio loco sint illustria aliquot Judæorum de futuro aliquo Evangelio, vel nova, uti vocant, lege testimonia. Quæ ego perpauca me hactenus repetisse fateor. Quibus plus est vel ætatis, vel otii ad hæc conquirenda, eos obtestor ne communi caussæ se subducant. Ea tamen nunc afferam quæ impræsentiarum suggerit sublæsta nimis proh dolor! memoria. In *Talmud ad Jes.* II. 7. hæc extant verba. "הקבה יושב ודורש תורה חדשה שעתיד ליתן על יד משיח. *Sed & D. O. M. & expendit novam legem quam daturus esset per manum Christi.* Quem Hebraismum, ut hoc in transcursu notem, imitatus est Paulus Gal. III. 19. ἐν χειρὶ μεσίτου. Idem Author *ad Psal.* II. 7. De Messia itidem loquens ait, "עתיד אומר הקבה עלי לכרות לו ברית חדשה *Dicturus est D. O. M. ascende, ut novum cum eo fœdus pangam.* Cujus etiam sine dubio novæ tunc sunt futuræ tabulæ. Et quid per novam istam legem, aut novum illud fœdus intelligant, iste loquendi modus docet quo recentiores Evangelium nostrum indigitant. *Elias in Thisbi ad vocem* גליון ita loquitur. הנוצרים קורים לתורה החדשה שלהםם אונגליון *Christiani appellant novam legem suam Evangelium.* De qua nomenclatura valde detorta per Judæos videri potest à curiosis Cl. *Buxtorf. Lexi. Thalm. p.* 42. Si ergo Messias daturus populo suo novam legem est; certe non est quod Judæi Evangelio nostro tam infensi sint. Et, quod omnino hic putem observandum, sic cadunt adversariorum argumenta, ab omnimoda perfectione & immutabilitate legis Mosaicæ contra Evangelium desumta. Non dicam nunc de testimoniis extraneorum, qui extra partes positi haut exiguum præjudicium Judæis de caussæ nostræ bonitate ingenerare

rare deberent. Hæc ſæpe tam ſunt evidentia ut nihil ſupra. Quid diſertius eſſe poteſt iis verbis quæ ex Elmacino de Muhammede citat Cl. *Hottingerus hiſtor. Orien. p.* 248. *Mandavit quoque populo ſuo ut crederent Prophetis & Apoſtolis, omnibusque, qui ad eos demiſſi ſunt, libris. Item Chriſtum filium Mariæ filium Dei eſſe; Chriſtum ejus & Apoſtolum ejus. Vera etiam agnovit legem & Evangelium.* Sed non fert inſtituti ratio ut hæc talia jam conquiramus. Alias *quidni hos illis teſtes opponam, cum ipſi nobis præiverint, dicendo contra fidem noſtram teſtari Iſmaelitas,* ait in ſimili caſu *D. Voetius disputat. de adventu Meſſiæ.*

VI. Quarto denique loco ſic argumentabor. Quod ad quascunque Judæorum objectiones inconcuſſum ſtat, & cui nihil tandem opponi poteſt, quod non item Moſi & Prophetis, & præſertim Judaico Talmudi, id immerito à Judæis rejicitur. Atqui ita ſe res habet cum Evangelio. Longum oppido, immo immenſæ eſſet operæ omnia hic percurrere, ac propriis ipſorum exceptionibus diluere. Ne tamen temere quicquam dixiſſe videar, objectiones omnes ad tria capita generalia redigam, & ſic collecta in generalibus terminis, etiam ex adverſariorum hypotheſibus refellam. Objectiones omnes, quascunque mihi videre datum eſt, desumuntur 1. Ex eo quod multa in Evangelio noſtro tradantur cum recta ratione & ſenſu pugnantia. 2. Quod quædam doceantur Divina Majeſtate parum digna. 3. Quod multa & cum ſe ipſis, & cum veteris inſtrumenti libris non bene conveniant:

VII. Quoad primum: id in anteceſſum notatum velim, *plurima Judæos ſibi invicem narrare,* quaſi in Evangelio noſtro *contenta de quibus* Viri Dei ne per ſomnium quidem cogitarunt. Unico exemplo è millenis id oſtendam. Memini legiſſe in *libro de fide Judæorum & Chriſtianorum*, ex editione *Munſteri* hanc tam lepidam fabellam, ut omnes Pontificiorum legendas, niſi fortaſſe ex illis hauſta ſit, facile ſuperet. כתוב בתורתם, Scriptum eſt in lege ipſorum, ſcil. Chriſtianorum. „Sanct. Gregorius Saracenorum ſepulcra aliquando luſtrans, inſcriptum alicujus monumento „reperiebat, quot annis Saracenus iſte vixiſſet, & quam fuiſſet juſtus ac „beneficus erga quandam fœminam: Cujus filius ab uno ex illius ſervis „per ſummum nefas erat trucidatus. Juſſerat autem iſtum parricidam vetulæ, ceu filium matri, per totam vitam ſervire. Sed paulo poſt latam „hanc ſententiam juſtiſſimus Princeps ad plures abierat. Quo lecto; miſericordia commotus Gregorius, ardentiſſimis precibus obnixe à Deo tanti „viri ſalutem contendit, rogavitque ut eſſet anima ipſius צרודה בגע in faſciculum beatarum animarum collecta in Paradiſo. Sed obſtabat quod

non



„ non esset baptisatus. Attamen baptismi vicem subibant Gregorii lacru- „ mæ, quibus affatim rigabatur sepulcro jam conditum corpus, injunctum- „ que simul Gregorio ne tale quid imposterum peteret. Et hæc scilicet in Evangelio Christianorum scripta. Tum & hoc observandum, trabem in Judæorum oculis esse Pontificiorum monstra de transsubstantiatione, de πολυτοπία corporis Christi, de missa & similibus insubidis commentis, quæ nos juxta cum Hebræis execramur, negamusque in Sanctissimo Christi Evangelio tradi.

VIII. His præmissis, respondeo. 1. Nihil esse in N. Testamenti libris quod tam absonum videatur, cui non simile ostendi possit in V. Testamento. Proponunt Judæi magnum illud mysterium Pietatis, Christum revelatum in carne, & duas in una persona naturas. Ego opponam Fabricam arcæ, totamque adeo historiam diluvii, de quo haut paulo minus credibilia Divinus Vates edisserit. Increpant illud Christi miraculum, quo quinque panibus ac duobus pisciculis tot hominum millia satiabat, atque ita quidem ut residuum nimium quantum superaret illud ipsum, à quo primum cibandi initium sumebatur? Ego illud comparabo cum Israelitarum transitu per mare rubrum, cum Evæ creatione ex costa Adami, cum fabrica templi, tum Salomonici, tum illius quod apparuit Ezechieli, concilianda omni ex parte cum dimensionibus Mathematicis, & aliis multis, in quibus ipsi valde desudant; imprimis cum oleo viduæ tam miraculose multiplicato per Elisæum & per eundem cibatis centum hominibus ope viginti panium hordeaceorum, sic ut adhuc superesset. Hæc ubi credibilia aliis fecerint, nobis non multum supererit negotii. 2. O quam velim istos homines secum habitare! Respiciant suum Talmud, & quæ non ibi reperient opinionum monstra? De Vermiculo שמיר, de Leviathan, de Behemoth, de prodigiosa ista ave, de leone cui comparatur Deus, aliaque suo loco plenius narranda. Unum tantummodo nunc dicam, quod hodie casu reperienti non potuit non movere risum. In tractatu Talmudico *Sanhedrim* ita fabulantur, judicet quivis harum rerum peritus quam inficete. בשעה שנשא שלמה את בת פרעה ירד גבריאל ונועץ קנה בים והעלה שירטון ועליו נבנה כרך גדול שברומי *Eo tempore quo Salomo in uxorem duxit filiam Pharaonis, descendit Gabriel & fixit calamum in mare, qui attraxit cœnum, in quo ædificata est urbs magna quæ est Roma.* Quid in Evangelio istis nugis & sua se absurditate confutantibus portentis simile?

IX. Quoad secundam objectionum classem, quibus ea urgent quæ Deo minus digna videntur, juvat specimen aliquod proponere verbis Nobilissimi Viri D. *Const. L'Empereur, in dissertatione ad Lectorem præfixa Halicot Olam*

Olam. Ubi magnus ille Orientis reſerator, & verus ævi noſtri Mithridates, ita loquitur, modum ſimul oſtendens quo talibus objectionibus reſpondendum eſt. *Quum in Evangelio Christi querimoniam deprehendunt, Deus mi, Deus mi; quare me deſeruiſti! Inſultant.* אם היה אלוה למה קרא כן והלא כל הצרות כלן באות לו מרצונו. Si fuit Deus quare ita clamavit? nonne omnia adverſa obvenerunt ipſi voluntate ſua: *Atqui, num ipſi ſimilia Deo tribuunt: Codice Berachot, ſive de precibus fol. 3. p. 1.* שלוש משמרות הוי לילה ועל משמר ומשמר יושב הקב״ה ושואג כארי ואימר אוי שהחרבתי את ביתי ושרפתי את היכלי והגליתי את בני לבין אומות העולם. Tribus vigiliis definitur nox, ſingulisque præſidens Deus Leonis inſtar rugit: atque hæc loquitur. Hei mihi quod domum meam devaſtaverim, & templum meum combuſſerim, atque filios meos inter mundi nationes in exilium miſerim. *Hîc ego eodem modo ex ipſis quæro, quare Deus ſingulis noctibus ter clamare non deſinit? Nonne hæc omnia ſecundum voluntatem ſuam ipſi obvenerunt? Immo non tantum per Prophetas hanc voluntatem ſuam indicavit; ſed ſe omnia iſta ſua providentia facturum fuiſſe non uno modo declaravit. Quod rugiens iſte Deus ſit, non impedit illas ſine intermiſſione ſingulis noctibus repetitas querelas, & vociferationes: quidni ergo Chriſtus fuerit Deus licet ibi ſemel lamentatus perhibeatur: Præſertim cum natura humana ſuas paſſiones iſto clamore expreſſerit; Deus vero Pater non niſi in natura Divina rugire Judæis cenſeatur.* Hactenus ille doctæ gentis meritiſſimus imperator. Addamus nunc paucula alia in quibus velint nolint plurimum abſurditatis fateri coguntur Judæi. *Codice* חולין *Cap.* 3. extat contentio Lunæ *cum Deo*, quod antea ſoli æqualis, nunc eo multo eſſet facta minor (quam lepidam fabellam ſuam etiam fecit *R. Salomo Jarchi ad Geneſ.* 1. 16.) cui cum nunquam poſſet Deus ſatisfacere, tandem culpam fateri & expiare coactus fuit. Inquiens הביאו כפרה עלי שמעטתי את הירח *expiationem pro me adducite, eo quod diminui lunam.* Quid de eo videtur, lector, quod in *Bava Metzia Cap.* VII. narrat Authenticum Judæis Talmud? *Quum olim Rabbini quidam adverſus R. Eliezarem diſputationem inſtituiſſent, Deus voce cœlitus demiſſa ſententiam contra eos pro R. Eliezare protulit. Quam ob rem indignati Rabbini Deum anathematis pœna damnarunt. Tum Deus ipſe ſubridens. Filii, inquit, mei me vicerunt.* Refert hoc Celeb. *Hottingerus*, in diſputatione habita Heydelbergæ, *de ſcriptorum Hebræorum in N. T. uſu.* Unum adhuc ſubjungam ex infinitis. Codice *Berachot cap.* 9. ſic fabulantur, כשעה שהקב״ה זוכר את בניו ששרוים בצער בין אומות העולם מוריד שתי דמעות לים הגדול וקולם נשמע מסוף העולם ועד סופו *Ea hora qua*

Deus

Deus sibi in Memoriam revocat filios, variis angustiis pressos inter Gentiles habitare, duas lachrymas in oceanum demittit, quarum sonus auditur ab uno mundi extremo ad alterum Eant nunc, & Jesu nostri lachrymas nobis exprobrent. Dicet fortean, hæc omnia excusari debere, & explicari Parabolice. Sit ita. Neque enim ista huc pertinet disputatio. De eo postmodum dispiciemus. Sed nec nobis desunt quibus apparens ista absurditas, non excusetur modo, sed & omnino tollatur. Saltem id liquido satis constat, phrases hasce, utut explicentur, ab absurditate, immo blasphemia non posse absolvi. Obtestor te nunc, quisquis es Judæe, ubi in Evangelio quicquam tam incongruum Deo adscribitur, quam hîc in vestro Talmude? Qui alia & plura desiderat, adeat *Plessæi paren: ad Judæos*, juxta edit. Gallicam p. mihi 207. *Hotting. disp. cit. Hacspan in additamentis Sepher Nitzachon pag.* 260. & alibi passim.

X. Ad tertiam objectionum classem, quasi scilicet novi Testamenti libri & inter se & cum Veteris fœderis tabulis pugnarent, multa observanda sunt. 1. Ex Judæorum hypothesibus duo contradictoria simul posse esse vera. Videatur infensissimus hostis noster *Lipmannus numero* 321. haut procul ab initio. גרסינן בעירובין א"ר אבא אמר שמואל שלוש שנים נהלקו ב"ש וב"ה הללו אומרים הלכה כמותנו והללו אומרים הלכת כמותינו ויצא בת קול ואמר אילו ואילו דברי אלהים חיים הן והלכה בית הלל *Legimus in codice* עירובין*, referente R. Abba dixit R. Samuel, tribus annis dissensio fuit inter familiam Schammai & familiam Hillelis, utraque volente juxta se decidendum esse. Venit cœleste oraculum asserens & hoc & illud verba esse Dei viventis. Quum tamen statuendum sit juxta sententiam Hillelis.* Duo hic sunt manifeste contradictoria: (nam dissensiones hæ tantæ erant, ut iis solvendis solus sufficeret Elias) utrumque tamen verum est, utrumque, quod plus est, Dei verbum. Dato ergo, non concesso, male Evangelicis scriptis inter se, male cum Propheticis convenire: non potest tamen Judæus convenienter suis hypothesibus idcirco eos arguere falsitatis, aut humani figmenti. Quippe qui contradictoriorum utrumque verum esse posse statuit. Et hanc esse communem ipsorum in explicandis scripturæ locis sententiam notat *Hacspan in notis ad Lipm. p. 188. & seqq.* 2. Nos id negamus, veram esse inter Apostolos & Prophetas pugnam. Si quas objectent ἐναντιοφανείας, nos plures & majores monstrabimus in Mose & Prophetis, in quibus solvendis ipsi non minus desudabunt, quam nos in nostris. 3. Immo sic nostra causa multo potior est Judaica. Quippe ipsis fatentibus reliqui canonici libri, aliquando, NON CONVENIUNT CUM MO-

SAICIS, *ab iisdem* ABEUNT *ac* DISCREPANT, uti ſupra loquentem audivimus ac refutavimus *Manaſſem*. Cui addatur id quod ex כ״ג legitur in libro *Juchaſin p.* 18. הנה במקראות כותרין זה את זה ואין אפשר לעמוד עליהן ולישבן רק בתורה שבעלפה *Multa ſunt in ſcriptura ſibi invicem* REPUGNANTIA, *quibus inniti, aut quæ conciliare non poſſumus niſi adminiculo legis oralis*. Eadem multis exemplis fuſe demonſtrata habet *Lipm. Nitz.* *p.* 39. 40. 41. 4. Ut jam ad Talmud veniamus, cujus intolerabiles nugas paſſim jam cogor comparare cum Divinis ſcriptis, quam abunda ibi, non dicam ἐναντιοφανῶν, ſed verarum contradictionum ſeges? Quas nec paucas nec contemnendas ſuo loco reſervaturus, hoc unum jam dicam, ipſos etiam eorum doctores eas obſervaſſe, quarum ſolutio plurimum iis faceſſit negotii, atque ita quidem ut nec ſibi nec aliis ſatisfaciant. Videatur ipſa clavis Talmudica *Hali Olam p. mihi* 28. לשון מריה כשמקשה ומשליך משניות בריתות הסותרות זו לזו *Vox opponendi locum habet ubi quis difficultatem movet, & profert conſtitutiones Miſnicas & exoticas, quarum altera alteri repugnat.* Paulo poſt, *pag.* 29. Ipſa veritas id extorquere hominibus videtur, ſi quid ipſis ſuperſit cerebri, ut tacite apud ſe admirentur, & ſine dubio quædam rideant, ומצינו מתקיף שאינו מקשה לשום אדם אלא לעצמו שהוא תמה בעצמו על דבר משנה ויודע שהוא אמת אלא שמתמה לדעת טעמא *Invenire eſt verbum impugnat, de eo qui neminem impugnat præter ſe ipſum: qui in ſe ipſo verba Miſnæ miratur, quæ veriſſima agnoſcit, ſed miratur quæ ratio ſubeſſe queat.* Quod deinceps exemplo R. Ramis illuſtratur. Video quidem quid author noſter addat, ipſum *ſcilicet* verba Miſnæ veriſſima agnoſcere. Sed præterquam quod ex Judæorum ſententia duo contradictoria ſimul vera eſſe queant, ego non poſſum mihi perſuadere, id ipſum apud ſe ſtatuere qui tam notoriam abſurditatem manifeſte conſpicit. Vide ſodes, lector, ea quæ loco citato ſequuntur, & aut ego valde fallor, aut ea ibi à Rabbino Miſnæ opponi videbis, ad quæ fruſtra Judæi reſponſum quærant.

XI. Sic jam ſatis Authenticam Novi Teſtamenti Authoritatem contra Judæos aſſertam reor, ac ab exceptionibus eorum vindicatam: fontes ſaltem ſolutionum generalium indicatos, quorum ſola applicatio reſtabit, niſi quis ad particularia deſcendere velit, quod nimis hic prolixum eſſet, & ab inſtituto noſtro alienum.

CAP. III.

Hebræorum sententia de lege Orali. Quomodo Traditiones olim addiscerentur. Argumenta contra legem oralem. Prodigiosa solertia Otnielis. Distinctio inter תורה *&* מצוה. *Ea confutata. Aben Ezra laudatus. Lex eleganter comparatur soli. Judæorum Doctores etiam legi scriptæ multa superaddunt. Cuthæi sive Samaritani, Sadducæi, Carraitæ omnes traditionibus obloquuntur. Samaritani & Carraitæ an iidem?*

VEntilatis nunc istis controversiis quibus Judæos circa principium fidei in defectu peccare demonstratum est, minus admittentes quam admitti debeat: ad alias accedamus, quibus, an iis quæ jam dicta sunt, Vetus scil. & Novum Testamentum, alia insuper addenda sint, disquiratur. Ubi primo in genere disputabimus, an præter legem scriptam, admittendæ sint aliæ traditiones orales, tum in specie, de Talmude & Cabbala videbimus. Argumentum ergo capitis hujus hoc sit.

An præter legem Scriptam alias etiam traditiones amplecti debeamus tanquam indubitatum fidei principium? Judæi Aff. Nos neg.

II. Ut status controversiæ clarius innotescat, nosque deinceps cum majori luce disputationem aggrediamur, operæ erit primitus ὑπερβολικώτατους Judæorum circa תירה quam vocant שבעל פה *legem oralem*, amplificationes lectori proponere. Primus nobis hîc author & Thraso sit *R. Isaac Corbelensis in* עמודי תורה fol. 29. אל תחשוב כי עיקר התורה שבכתב כי אדרבה עיקרה אותה שבעל פה ועל תורה שבעל פה נכרת ברית דכתיב כי על פי הדברים האלה כרתי אתך ברית והן אוצרו הקדוש ברוך הוא *Ne putes fundamentum esse legem scriptam. quin contra fundamentum est lex oralis: quippe juxta legem oralem pactum est fœdus, sicut scriptum est Exod.* XXXIV. 27. Quia juxta verba hæc pango tecum fœdus *& hæc sunt thesaurus D.O. M.* Videat qui vult plura *apud Buxtorf. in recens. oper. Talm. p.* 323. Et notet quæso Christianus lector, unde Theologi isti Pontificii sua hauserint, quibus placebat in Synodo Tridentina, *universam doctrinam Catholicam pro fundamento habere traditionem, quia ipsi Scripturæ non creditur nisi propter traditionem*, ut refert Author *Historiæ Conc. Trid. p. 132. noviss. edit.* Sed ad rem Juris Hebræorum, quod explicuit Hotting. præceptum LXVII. est, הטיית אחרי רבים *de inclinatione post multos.* Quod interpretantur Apellæ suo more, hoc est ineptissime. Quum duo æque periti νομοδιδάσκαλοι de lege disceptant, eam partem esse sequendam quæ plurimos suffra-

gatores habet. Sed ipsos loquentes audiamus. עכשיו בפירוש נצטוינו לקבל בה דעת רוב חכמים יש תורה אחת לכולנו והוא קיומנו גדול בה ואין לנו לזוז מדעתה *Nunc dum expresse nobis injungitur eam amplecti sententiam quæ plurium sapientum calculo comprobata est; una nobis est lex, idque maximum nobis in eo stabilimentum est; nec licet ab illius sententia recedere,* Sic scilicet Deus exegeticis illis traditionibus cavit, ut peculiari præcepto utra ex duabus contradicentibus acceptanda sit docuerit; atque ita quidem acceptanda, ut ab illa vel tantillum recedere nefas sit. Quod qua fide ab ipsis præstetur porro audi ובכן בעשותינו מצותם אנו משלימין מצות האל ואפילו לא יביאנו פעמים אל האמת חלילה עליהם יהיה החטאת ולא עלינו *Et sic dum eorum præcepto obedimus, mandatum etiam Dei præstamus. Et etiamsi aliquando veram nobis viam non monstrarent (quod tamen absit) ipsorum esset peccatum, non nostrum.* Nec est quod mireris. Lector, tanti hæc à gregariis Judæis fieri: ipsi Salomoni usque adeo perplacuere, ut de quovis verbo scribarum mille & quinque rationes dederit. Extat hæc fabula in *codice* עירובין *cap 11.* אמר שלמה על דבר ודבר של תורה שלשה אלפים משל ועל כל דבר ודבר של סופרים היה אומר אלף וחמשה טעמים *De quovis verbo legis dixit Salomo tria millia parabolarum. De quovis autem verbo scribarum mille & quinque rationes attulit.* Accurate computatum. Sine dubio per viam multiplicationis. Quomodo autem Moses tantum hunc Thesaurum à Deo acceperit, quomodo item per fidelem traditionem hæreditario jure ad Rabbinos pervenerit, fuse edisserit *Hoornb. lib. cit. p. 60. 61.* Adeant præterea curiosi *præfationem R. Mosis Mikkotzi ad libr. præceptorum.*

III. Id nunc juvat addere, qua ratione olim discipuli Sapientum oralem hanc legem didicerint. Quod is, qui plurima Christianos docuit, Author *Halichot Olam cap. 1. sui tractatus* his verbis proponit, ואת לפנים בישראל התעודה והתורה היו חכמים מקבלים איש מפי איש ולומדים המשנה על פה כאשר נמסרה· אלא שהיו התלמידים עושין סמנין למשנתן וכותבים אותם מפני השכחה המצויה כדברים והיו מסתירין אותם וקורין להם מגלת סתרים· והיה הדבר נוהג כן עד עמוד כהן לאורים ותומים משרת לאלהיו בחכמה וביראת חטא הוא הרבי קדוש ארון השלמים. *Hæc autem erat olim in Israele consuetudo & lex Sapientes alii ab aliis accipiebant & viva voce discebant statuta, quemadmodum, tradita fuerant: nisi quod discipuli statutis istis signa quædam apponerent, eaque, ne oblivio in multis obrepens invalesceret, conscriberent: quæ tamen occultabant; & librum occultorum vocabant. Hic mos obtinuit donec Sacerdos cum Urim & Tummim adesset, Deo suo ministrans cum sapientia & metu peccati. Is est doctor noster Sanctus, omnium integerrimus.* Id est usque ad tempora conscri-

conſcripti Thalmudis. Sed oſtendamus hæc omnia, ſi primam, illam antiquitatem ſpectes, meras eſſe fabulas: ac tantundem hic Judæos audere, quantum Græcia mendax audet in hiſtoria. Aſſero ergo confidenter nullam legem Moſi traditam fuiſſe, nullam item antiquos patres illos habuiſſe, præter hanc quam ſcripto conſignatam juxta cum Hebræis veneramur. Ac ne quid temere dixiſſe videar, non una ratione id quod aſſero evincam.

IV. Primum & id quidem validiſſimum argumentum deſumi poteſt ex 2 Reg XXII. 8. Quod egregie propoſuit *Hoornb. p. 64.* Ego non tam ex loco ipſo argumentabor, quam ex notis *Kimchi*, cujus verba licet prolixiora non pigrabor adſcribere. Tota illa hiſtoria fuſius ab ipſo his verbis narratur. דרשו כי אחז שרף את התורה והתמינו מפניו ספר תורה אחד והתמינוהו תחת הנדבך ועכשיו מצא חלקיה ספר התורה הזה ורחוק הוא זה שחזקיהו שבא אחריו שרבץ תורה בישראל איך לא הוציאו זכמה ספרי תורה הניח חזקיהו כמותו אלא מנשה מלך זמן רב שהרי מלך נה שנה ועשה הרע בעיני " כתועבות הגוים ובנה מזבחות לעז בבית " והוא השכיח התורה מישראל ואין פונה אליה כי כולם היו פונים אל אלהים אחרים ואל חקות הגוים ובנה שנה השתכחה התורה ועכשיו כאשר צוה יאשיהו לחפש בית " לכל אשר ימצא שם בדק ולהוציא הכסף המובא בית " והיה חלקיהו מחפש בחית " ובבית קדש הקדשים ובדביר מצא ספר תורה שהיה מונח במקומו מצד הארון וכן הוא אומר בדברי הימים ובהוציאם את הכסף המובא בית " מצא חלקיהו הכהן ספר תורת " ופתח וקראו ונתנו אל סופר המלך שיביאהו אל המלך שיקרא בו. ויראה איך שכחו התורה המונעת כל המעשים שהיו עושים בישראל *Rem ita explicant. Achaz combuſſit legem. Unum tamen exemplar aliqui ſub ſtrue lapidum occultarunt. Id Hilkia nunc repperit. Alienum autem hoc videri poſſet, quod Achazi ſucceſſor Hizkia, qui recubare fecit legem in Iſraele iſtud non produxerit in lucem; cum etiam plurimos libros legis poſt mortem ſuam reliquerit. Verum enimvero Menaſſe regnavit diu, annis nimirum* LV. *fecitque quod malum eſt in oculis Domini juxta abominanda gentilium, erexitque altaria idolis vel in ipſa æde ſacra. Ipſe item in cauſſa fuit ut lex oblivioni traderetur in Iſraele. Nec erat qui ad illam reſpiceret. Omnes autem reſpiciebant ad alienos Deos, & ad inſtituta gentilium. Ita illis* LV. *annis oblivione obliterata lex eſt. At nunc quando præcepit Ioſias diligenter ruſpari domum Domini, ubicunque demum fiſſura vel rimula aliqua reperiretur, ſimulque proferre argentum in ædem introductum, Hilkia id officii præſtitit, & in templo & in Sancto ſanctorum, atque ita in adyto invenit librum legis ſuo loco repoſitum ad latus arcæ. Hoc eſt quod dicitur 2 Chr.* XXXIV. 14. Et quum educerent argentum allatum in

templum Domini, invenit Hilkia sacerdos librum legis Domini, *quem aperuit & legit, & dedit scribæ Regis, ut regi illum traderet: & is item ... legeret, videretque quomodo obliti essent legis prohibentis omnia isthæc scelera qu... tunc temporis inter Israelitas vigebant.* Hactenus ille.

v. Historiolam hanc rigide non examinabo. Suffecerit illinc quæ ad rem præsentem faciunt breviter annotasse. Id observatu dignissimum. Ubi quid ferreo isto Judaismi sæculo lege scripta factum sit, tam accurate non à sacris modo scriptoribus, sed tam fuse etiam ab ipsis Judæorum magistris narratur, ibi de orali ista quam somniant lege tam pertinax est silentium. Certo argumento, nihil tunc tale fuisse. Quis enim iste historias scribendi modus est, minus necessaria sedulo exponere; de majoris momenti negotiis ne gru quidem dicere? Aut quis sani sincipitis Author de fundamento ipso religionis, in quo totius rei cardo vertitur, altum taceat, ubi prolixe religionem corruptam & scripta quædam illius instrumenta abolita esse vociferatur? Legem, ajunt, scriptam delere conatus est Achaz, & post illum Menasse, quod pæne perfecerant. Rogo, ubi jam lex oralis? An non & in illam Tyrannorum istorum sævitia exarsit? Aut an delere non potuerunt? Et cur quæso? An miraculose illam servavit Deus? Apud quos? In quorum cerebro? Cur res tam mirabilis non æque narrata, nec à sacris scriptoribus, nec à te aut tuis, Kimchi? Si deleta est, unde restituta? Quando? A Quibus? Si non est, quomodo aboleri potuit lex scripta, cujus non nisi prolixus commentarius lex oralis *est? Quis* crediderit textum ipsum oblivioni traditum, sic ut postmodum *casu repertus* novum quid hominibus sonaret, etiam ipsi regi, immo sacerdoti, ex cujus ore hujus petenda erat cognitio; interimque in memoria reservatas fusas illas in textum, ut ita dicam, notas? Quis ex hominum memoria, per temporum istorum socordiam, tantillum abolitum dixerit, quantum lex scripta est: tam vastam vero, & nullo ordine, nulla methodo coacervatam traditionum seriem integram remansisse? Quis inquam id dixerit, aut si quis dicat; quis crediderit, nisi qui sit Hippocrati tradendus ut cerebrum curet? Vel, si & ipsa lex oralis ex hominum memoria per sævam istam persecutionem oblitterata sit, quis illam demum Judæis reddidit? Cur tacent hîc antiquæ historiæ, in re quæ tantum momenti ad Ecclesiæ fidem afferat? Aut quis potuit restituere? An novus aliquis Otniel emersit, qui tót millia traditionum ex ingenio deprompserit rursus, uti antehac factum fabulantur. Pigeret lectorem tam lepida dicam, an insubida fabella fraudare. Israelitæ, inquiunt, Mosem lugentes ter mille traditiones sunt obliti.

liti. Surrexit Otniel qui Caleci filiam Acfam post paulo deduxit domum, & prodigiosa solertia ex memoriæ scrinio omnia de novo docuit. Refert hoc *Hoornb. loc. cit.* ex tractatu Temura cap. 11. Ego apud *Jarchium* inveneram *ad Jud.* XV. 15. Cujus hæc sunt verba. קרית ספר רבותינו אמרו אלו הלכות שנשתכחו בימי אבלו של משה שהחזיר עתניאל בן קנז מפילפילו *Kiriat Sepher, narrantibus Rabbinis, sunt traditiones oblivioni tradita diebus luctus Mosaici, quas Otniel filius Kenazi acuta disquisitione restituit.* Conveniens sane materiæ probatio, id est, dignum patella operculum. Sed de simili Otniele Josiæ tempore nondum memini me legere. Sic jam ex istius rei (quantum quidem mihi saltem innotuit, semper gratias acturo ei qui plura docebit) apud Rabbinos ipsos silentio, valide contra traditiones non scriptas argumentamur.

VI, Secundum desumam ex annotatis Rabbinorum ad Exodi Cap. XXIV. com. 3. & 4. Unde evincam omnia præcepta quæ cœlitus accepit Moses, scripta ab ipso fuisse, & consequenter nullam esse legem ἄγραφον. Rab. Salomo Jarchi sic commentatur. ואת כל המשפטים שבע מצות שנצטוו בני נוח ושבת וכבוד אב ואם ופרה ארומה ודינים שנתנו להם במרה׳ ויכתוב משה מבראשית ועד מתן תורה וכתב מצות שנצטוו במרה Omnia judicia, *id est septem* PRÆCEPTA *(N. B.* מצות*) injuncta posteritati Noachidarum, & Sabbathum, & honorem patris matrisque, & de vacca rufa, & judicia data ipsis in Mara.* Et scripsit Moses. *Gesta scilicet à condito mundo usque ad lationem legis scripsit* PRÆCEPTA מצות *mandata ipsis in Mara.* AbenEzra. וטעם ויבא מהח בתוך מחנה ישראל ויספר לעם את כל דברי ״ מצות עשה ולא תעשה שהם כתובים *Sensus est, Venit Moses ad castra Israelis & narravit populo omnia verba Domini,* PRÆCEPTA *affirmativa & negativa, quæ & scripto consignata sunt.* Paulo post אחר שספר להם את כל דברי השם המצות והמשפטים כתבם וזהו ספר הברית *Postquam narravit ipsis omnia verba Domini,* PRÆCEPTA *nempe & statuta, scripsit ea etiam, & hic est liber fœderis.*

VII. Ex quibus verbis dupliciter jam argumentor. 1. Qui מצות PRÆCEPTA divinitus sibi tradita, & ea quidem omnia conscripsit, is nullam præterea oralem legem non scribendam accepit. Atqui id fecit Moses. Minorem quater paucis hisce verbis Rabbini ipsi asserunt. Major est evidens. Quippe, si Judæis credimus, vox מצוה PRÆCEPTUM illud notat quod alias autumant scribi non debere, ea scil. oracula quæ Moses noctu accepit in monte Sinai, cum nulla esset lux ad quam scriberet. Sic enim Gaon apud Aben Ezr. ad com. 12. פירוש התורה תורה שבכתב והמצוה תורה

תורח שבעלפה *Vox* תורה *significat legem scriptam.* *Vox* מצוה *notat legem oralem.* Viden jam quid dictantibus Judæis vox מצוה denotet? Illam partem legis quam nec Deus nec Moses in monte scripsit, & quam putant non constare nisi traditionibus πατροπαραδότοις. Sic etiam *in Massibet Beracbot fol.* v. LEX *est* מקרא *Scriptura Sacra*. PRÆCEPTUM *est Misna*. & similia occurrunt passim. Si ergo & illa deinceps scripta sunt, PRÆCEPTA nempe, quæ non scribenda Judæi existimant, certe nihil amplius restabit legis non scriptæ, quod tanquam cœlitus profectum adorent. Hinc patet (ut hoc jam in transitu notem) ineptissime aliquando Judæos ex hoc ipso loco, & hac ipsa voce מצוה legem suam ἄγραφον probare. Quod miror ab ipso Maimonide factitatum in initio sui *Jad Chasaka*. Nam, ut modo dixi, ipsæ מצות scriptæ sunt. Et figmentum est revera nullo fundamento nixum, hanc esse distinctionem inter מצוה & תורה, quod מצות legem non scribendam notet, תורה legem scriptam. Ipse Aben Ezra id vidit, sententiam Gaonis refutans his verbis. לפי דעתי כי התורה הדבור הראשון והחמשי והמצוה השמנה דברים *Meo quidem judicio*, LEX *denotat hic mandatum primum & quintum decalogi*, PRÆCEPTUM *vero reliqua octo*. Vide quam parum sibi constent, & quam ficulneæ sint quibus nituntur rationes. Præterea 2. Qui legem illam scripsit, juxta quam pactum est cum Judæis fœdus, is totam rationem consilii Divini scripto reliquit. Atqui id fecit Moses. Nam, testante AbenEzra, liber quem scripsit est liber fœderis. Jam vero quod præcipue, si non in totum, juxta legem quam non scriptam opinantur fœdus initum sit, docuit me Isaac Corbelensis quem supra dicentem audivimus. *Propter legem oralem initum est fœdus, sicut scriptum est, quia juxta verba hæc pango tecum fœdus & cum Israele.* Sic jam ex ipsis Judæis vel invitis & κατὰ τὸ βίαιον ostendi, omnia præcepta, & totam adeo legem juxta quam fœdus cum Israele pepigit Deus, conscripta à Mose fuisse, & per consequens nullam præterea legem oralem restare.

VIII. Tertio loco contra oralem legem ex legis scriptæ perfectione argumentabor; præceptoque Dei, de nihil huic addendo. Atque ita simul invertam argumentum Menassis, qui ex legis scriptæ imperfectione, hanc quam impugnamus legem stabilitum it. Verba illius in *Concil. in Exod. Quæst. 1.* hæc sunt. *David Ps.* XIX. *dicit legem Domini perfectam esse. Jam vero quum perfectio cujusque rei in eo consistat, ut neque abundet in ea quicquam nec desit, legem ore traditam necessariam esse confitendum est. Nam multa sunt præcepta in quibus desiderari aliquid videatur, in aliis rursum sunt quæ abundare judicaveris &c.* Ego lege contrariorum sic argumentor. Si omnibus numeris absoluta sit lex illa quam scripto consignarunt Divini Vates; utique nulla

nulla alia indigemus. Atqui verum prius. Ergo. Patet minor non tantum ex citato jam loco, verum & elegante ac emphatica paraphrasi Aben Ezræ. וטעם לאמר תמימה כנגד השמש בעבור היות השמש תמימה באורה ואיננה כלבנה *Perfectam legem esse dicit comparare cum sole, qui & ipse perfectus est in sua luce, & non sicut Luna.* Id est, si aut ego quicquam capio, aut magnus ille doctor quicquam sapit, is est Divinæ legis splendor qui alia mutuatitia luce neutiquam indigeat, sed solus sibi sufficit instar solis; qui in eo dispar est lunæ, quod hæc alieno igne micet. Adde jam quod idem ille doctor dixit ad Prov. XXX. ℣. 6. כל אמרת אלה צרופה כענין אמרות » אמרות טהורות והם המצות הצרופות כזהב המזוקק ובהם חכמת יראת השם ואין ראוי להתעסק בזולתה׃ עלכן אל תוסף אל דבריו אתה איתיאל כענין לא תוסיף עליו ולא תגרע ממנו פן יוכיח בך ענין שעברת על מצות לא תעשה Omne eloquium Dei purgatum est, *juxta id quod alibi dicitur, eloquia Domini, eloquia pura. Eloquia autem hæc sunt præcepta purgata, sicut aurum defæcatum: & in his sapientia est timoris Domini, cui uni studere debemus. Idcirco,* nihil verbis illius superaddes, *scil. tu O Itiel, juxta illud, non addes illi quicquam nec subtrahes, Deut.* XII. *com. ult.* ne forte increpet te, *eo quod transgressus es præceptum negativum:* Vide item quæ Rabbini ad Deut. IV. 2. Sicut etiam ex hac ipsa prohibitione expressum præceptum negativum facit Moses Mikkotzi quod est ordine trecentesimum sexagesimum quartum. Unde sic argumentor. Cui nihil addi debet nec detrahi, ei non sunt superaddendæ tot traditiones. Atqui &c.

IX. Sed in mundo hic est Judæis exceptio quam semper huic argumento opponunt. Per legem cui nihil addendum & scriptam & oralem simul intelligi Sic Mikkotzi loc. cit. כלומר אל תאסיף על התורה שבשכתב ועל התורה שבעלפה. *Quasi diceret, nihil addes legi & scriptæ & orali simul.* Verum enimvero duo sunt, quibus exceptionis hujus futilitatem demonstrari posse putem. Primo, sumamus id quod supra R. Gaon dicebat, vocem תורה absolute positam, ut Exod. XXIV. 12. legem scriptam notare, & applicetur id diserto isti loco quem mox allegavimus ex Ps. XIX. Deinde, dato non concesso, per legem etiam traditiones istas Mosaicas intelligi; ne sic quidem increpationem Divinam effugere Judæi poterunt. Quippe qui & istis superaddunt plurima. Ut heautontimorumenos mox subjungit Mikkotzi. אבל יש רשות לבית דין לאסור דבר המותר כדי לעשות סיג לתורה ולא שיהא איסורם מן התורה. *Licet tamen domo judicii vetare rem concessam (ut legem quasi sepimento muniant) quanquam probibitio eorum non exsurgat ex lege.* An non hoc jam est, etiam ipsi legi orali quicquam superaddere? Pluri-

Pluribus id exemplis possem commonstrare. Cæterum libellus ipse jam non est ad manum. Nec quicquam illius suppetit nisi tumultuaria quædam excerpta quæ hinc inde valde juvenis descripsi, quibusque non ausim nimium fidere. Unum tamen suppeditabit *Maimonides in tract. Iom. Tob. Cap.* I. *Para.* XXI. Verba describam prout citata sunt à *Capello in epist. ad Kloppenbur. de paschate Christi* σαυρωσίμῳ. *Illud, inquit, quod nos facimus extra terram* (Judæam scil.) *ut nempe in unoquoque festorum memoratorum* (Paschatis, Pentecostis & Tabernaculorum) *duos dies observemus* מנהג הוא *consuetudo est tantum.* יום שני מדברי סופרים הוא *diesque festus secundus observatur tantum ex institutione scribarum, estque ex earum rerum numero quæ innovata sunt in captivitate ista.* ואין עושים בני ארץ ישראל שני ימים *neque observant incolæ terræ Israel duos istos dies* אלא בראש השנה בלבד *nisi duntaxat in initio anni.* Viden nunc multa ipsorum scribas legi superaddere, immo & illis traditionibus quas Mosi cœlitus datas hariolantur? Nec refert quod duntaxat id spectet circumstantiam temporis, rem scil. parvi momenti, quæque ad εὐταξίαν solummodo Synagogæ pertineat. Nam ex similibus circumstantiis lege scripta non expressis, illius imperfectionem, & oralis legis necessitatem probare satagit *Menasse problem. mox citato.* Patet itaque Judæos in perfectionem Divinæ legis & præcepta de nihil ei addendo variis modis injurios esse.

X. Quarto denique loco, nube testium Judæos hodiernos opprimam, qui ex ipsorum sinu deprompti, ad unum omnes traditiones rejectum eunt, quas cæteri maleſani tanto molimine propugnant. Immo sectas integras iis opponam, quæ unam hanc Pharisaicam facile devorent. In his primi, quantum observare potui, Samaritani sunt, quos Cuthæos passim nuncupant: uti Josephus nos docuit *antiquit. lib.* IX. *cap. ult.* οἱ κατὰ τὴν τῶν Ἑβραίων γλῶτταν χουθαῖοι, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλήνων Σαμαρεῖται. Similiter *R. Benjamin in itinerario p. 57.* ושם כמו עשרה יהודים ומאתים כותיים והם היהודים השומרונים הנקראים שמריטנים. *Ibique Judæi præter propter sunt decem. Cuthæi vero ducenti.. Atque hi sunt Judæi Schomronitæ, qui vulgo Samaritani audiunt.* De his, quod ad rem præsentem facit, non multo post testatur. כותיים שומרים תורה משה לבדה *Cuthæi solam Mosis legem observant.* Quod similiter observat *Maimonides codice Berachot Cap.* VIII. *Sec.* VIII. כאחרית הימים למדו התורה וקבלו על פשוטה המצוות אשר החזיקו בהן היו מקפדים עליהן וישימו לבם אליהן מאד והוחזקו שהיו מאמינים ברתינו ומיחדים. *Tractu temporis didicerunt legem*

legem, quam acceperunt in sensu orali : (non admissis stultis sapientum scil. glossematis) *Praecepta autem quae assumserunt observabant quam accuratissime, adeo ut aestimarentur credentes in statuta nostra, & unum saltem colentes Deum.* Ita enim puto intelligendum esse τὸ מיחדים. sicut etiam eo sensu in Alcorano passim illi opponitur associatores. Hisce gemina germana habet *Obadias de Bartenora* citatus *Hottingero in Exercit. Anti. Mori. p.* 15. והיו שמרים תורה שבכתב וכל מצוה שהחזיקו בה מדקדקים בה יותר מישראל *Observabantque legem scriptam, & omne praeceptum, quod tenuerunt, id longe diligentius & accuratius observabant, quam ipsi Israelitae.* Nota, solam legem scriptam servabant, idque non laudabili modo, sed & reliquis Judaeis invidendo zelo. Nam quae postea sequuntur de ipsorum idololatria, ea ex odio potius dicta arbitror, quam ex veritate. Uti stulte etiam de iis nugatur Benjamin, quod careant tribus hisce litteris ח ה & ע. Quivis hoc jam novit quam falsum sit. Et olim illustris *Scaliger*, *Elenchi Tribar. cap.* XVI. *Ipsi*, inquit, *manu sua, & totum Alphabetum nobis descripserunt, & nomina Patriarcharum iisdem literis ad nos miserunt.* Sed sic solent Judaei. Qui fortius inter ipsos pro veritate decertant, publici odii & rancidissimarum calumniarum victimae fiunt.

XI. Paria Samaritanis in rejectione traditionum faciunt ex iis prognati Sadducaei, de quibus, ne ea repetam quae fuse & erudite lector apud Hoornbekium reperiet, sic testatur Josephus. Νῦν δὲ δηλῶσαι βούλομαι, ὅτι νόμιμα πολλά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ Φαρισαῖοι, ἐκ πατέρων διαδοχῆς ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωυσέως νόμοις καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα τὸ Σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγον ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δ' ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν. *Nunc autem narrare volo, multa Pharisaeos tanquam lege praecepta populo tradidisse, ex acceptione* (Kabbala, id enim Graece est διαδοχὴ) *majorum, quae Moysis legibus scripta non continentur. Atque id propterea Sadducaeorum genus haec rejicit, ea demum legitima censenda dictans quae scripta sunt, quae vero traditione sola constant observanda non esse.* Josephum sequatur, triumphator *Lipmannus numero* LXII. צדוקין נקראין בזמנינו קראים שמיאנו אבותיהם לקבל תורה שבעלפה *Sadducaei vocantur nostro tempore Karraei, eo quod eorum majores renuerunt admittere legem oralem.* Huc facit etiam quod habet num. 143. הצדוקים מפרשים תמיד לפי פשוטו *Sadducaei interpretantur semper verba juxta sensum litteralem.* Quibus affinia sunt quae reliquit *Maimon. in commentariis* אבות *cap. 1.* Ubi de Sadducaeis & Baitosaeis haec narrat. והם אשר התחילו להשיב על הקבלה ולפרש על הפסוקים כפי מה שיראה

להם לבלתי שישמעו חכם בלל *Et illi inceperunt se opponere traditionibus, & explicare versiculos* (id est, inquit Buxtorf. in Lex. ad vocem קרא inhærere textui Biblico) *prout conveniens ipsis videbatur, adeo ut nullum omnino sapientem audirent.* Sed quid verborum prodigus sum in re perspicua? Qui vel à limine Hebræorum scripta salutavit, certum esse novit, quod dicit alicubi Drusius: *Legem ita recipiebant Sadducæi ut expositionem Sapientum omnino rejicerent.* Ab his an distincti semper fuerint Karræi multum equidem dubitaverim. Dissentiunt eruditi. In qua controversia ego Polæmon esse nolim. Magnus Scaliger contra Serarium agens Cap. II. quid primum, quid denique senserit his verbis exprimit. *Judæi*, inquit, *Historiarum imperitissimi, nobis persuaserant Karraim eosdem esse cum Sadducæis. Quo nihil falsius.* Quod deinceps alicujus Philippi Frederici authoritate confirmat, qui Constantinopoli magnum eorum Karraim usum habuerat. Addit etiam testimonium R. Abrah. Zacuth. Quibus adjungi possent quæ ex libro Cosri citavit Buxt. loco supra allegato. Aliter tamen non Lipmannus modo, de quo supra, sed & Aberbenel, imo ipsi Scaligero usque adeo semper deprædicatus Mose Ben Maimon. Qui an historiarum suæ gentis tam fuerit imperitissimus, haut facile dixerim. Ego sic cogitavi. Olim eosdem fuisse cum Sadducæis Karræos, deinceps ad saniora consilia redactos in sola traditionum rejectione laudabili perseverantia constitisse. Sic ut ex Samaritanis exorti Sadducæi sint, non paucas hæreses eorum schismati addentes, ex his Karræi tractu temporis ad veritatem propius accedentes, ab utrisque tandem tam Samaritanis quam Pharisæis distincti. Ab illis certe disertim eos distinguit *R. Benja. in itin. p. 52.* ושם כמו מ׳ קראים ושם כותיים כמו ג׳ מאות *Ibidemque* (loquitur de Ascalone nova) *quadraginta pene Karræi, & Samaritani ferme trecenti.* Rursus p. 57. de iisdem loquens narrat, pacem quidem illos colere sed connubia inter se non jungere. Sed e diverticulo in viam. Karræos hosce traditiones omnes constanter rejicientes, nil præter legem scriptam pro Authentica fidei norma admittere, vel Judæorum pueri norunt. Inter hos, ut ait iterum Benjamin noster, ובין הרבנים שהם תלמידי חכמים מחיצה *& inter Rabbanæos, qui discipuli sunt sapientum, paries est intergerinus.* Hi omnes non infimo loco inter Judæos censiti nec censendi, fictarum παραδόσεων ex æquo nobiscum hostes fuere Samaritanorum schisma neutiquam ego probo. Sadducæorum alias hæreses detestor. Karræorum integritas omnibus deprædicata, quibus propositum non est litare τῇ διαβόλῳ. Sic ut nulla mihi videatur subesse ratio, cur horum omnium unanimis consensus soli Hypocriticæ Pharisæorum sectæ post-

poſtponendus ſit. Obteſtor vos omnes quotquot ex ſemine Iſraelis ſuperatis, cur plus apud vos ponderis habebit planorum iſtorum ſimulata ſanctitas, qui id unum operam dederunt ut præceptum Dei irritum facerent ſuis inſtitutis; quam Samaritanorum vobis ipſis laudatus zelus, qui ſolam legem ſcriptam amplexi placato jam Deo ab devorantium leonum furiis liberati ſunt; quam Sadducæorum, quos in rejectione Kabbalæ, Joſepho veſtro teſte, ditiſſima olim populi pars ſecuta eſt, quos protexit quondam Alexandræ filius Ariſtobulus, quosque armis potius quam ſacris litteris crudeles Phariſæi ſtraverunt; quam Karræorum, qui longe Rabbanæis meliores בעלי אמונה במשא ומתן *fideliſſimi in negotiationibus?* Reſipiſcite tandem, & antiquam veritatem tot figmentis miſere merſam, denuo productam in lucem, poſtliminii jure in integrum reſtituite.

XII. Argumenta Judæorum pro lege ſua ſcripta adeo ſunt futilia, ut quivis ex Tyronibus ea tam facile difflet quam folia ventus. Videant ſtudioſi ea quæ ſedulo conquiſivit *D. Hoornbeck.* Ad exceptionem de legis ſcriptæ obſcuritate id unum ſuperaddi velim, quod ipſis fatentibus non minor ſit obſcuritas in lege orali. Dicat id pro me *Author Halichot Olam pag mi.* 17. והיה הכל מבואר לו לרוחב שכלו אך לבאים אחריו עמקו דבריו׃ מי ירד לסוף דעתו ומי יבא עד תבונתו׃ למיכך ראה אחד מתלמידיו לחבר ספר לגלות ולמלאות דברי רבו ולבאר אותיותיו אלה בקרבו *Omnia ipſi*, ſcil. Ribbi, *ob ingenii acumen perſpecta erant: at poſterioribus verba illius fuere difficilia. Quis ad cognitionis ipſius faſtigium pertigit? Quis aptam ejus diſpoſitionem eſt aſſecutus? Idcirco diſcipulorum cuidam librum componere viſum fuit, quo præceptoris verba declararet & ſuppleret, & has ejus litteras in ipſo explicaret.* Viden? Ipſa oralis lex, prout à Doctore Sancto ſcriptis conſignata eſt, ſuas habet difficultates, cunctis pæne inexplicabiles, ſuaque indiget interpretatione. An plus Apellæ de legis ſcriptæ obſcuritate auſint dicere? Non putem.

CAP. IV.

Miſna, Toſiphta, Baraita, opinatores quid ſint. Talmudis Authoritas. Talmud legis potius explicatio eſt, quam ipſa lex. Contra expreſſam Dei prohibitionem ſcripto conſignatum eſt. Contradictoria, abſurda, blaſphema Talmudica. Certo ſciri nequit penes quem ex Doctoribus Talmudicis vera traditio ſit. Eximius locus Mornai. Abſurda Talmudica an parabolice explicanda?

I.

POstquam nunc in genere legem scriptam eversum ivimus, facili negotio & Talmud & Kabbalam, quæ oralis legis quasi quædam partes sunt, de ponte dejicere poterimus. A priori exordiamur, disquiramusque hoc capite.

An doctrina TALMUDICA *sit Divinæ Autoritatis? Jud. Affirm. Nos Neg.*

Ad majorem hujus controversiæ elucidationem quædam sunt præcognoscenda. Notum est omnibus doctrinam illam, quam à Deo Mosi traditam volunt Hebræi, sæculo post eversionem secundi templi secundo, à *Rabbi Jehuda Hakkados*, ab eximia illis temporibus sanctitate sic denominato, scripto comprehensam fuisse, quod ille *Mischnam* appellavit, quasi tu dicas legis δευτέρωσιν. „Antea viva voce omnia docebantur, donec ille „doctor sapientiæ vim petire animadvertit, afflictionesque graves abigere „sapientes in ultimas terras, legemque ore traditam admodum deprimi, „& neminem vel hiscere audere propter Tyrannidem Græcorum aliorumque, qui ut illos ab eloquiis Dei vivi avocarent, decreta concipiebant „usque ad tempora Ribbi. Cui Deus Antonini gratiam & favorem conciliavit: nam ab angustia respirarunt, ipse vero coram illo misericordiam, „gloriam, & gratiam nactus fuit, & quietem legi conciliavit. *Is cum* „senatu suo, consensu sapientum qui ejus tempore vivebant, librum Traditionum in Sinai acceptarum componere agressus fuit, idque *ex illo* Sacrarum literarum mandato Ps. CXIX. 126. *Jehovah agendi tempus est.* Itaque eos convocavit & congregavit, qui eo sæculo ἀκροαμάτων & traditionum erant peritissimi. Adeo ut eo sapientes omnes convenirent ut Dei „judicia edocerent. Quisque ergo in medium proferebat quæ auditu acceperat, longa nempe serie πατροπαραδότως inde à Domino nostro Beato Mose eximio illo accepta. Quocirca D. noster traditiones ἀναμφισβητήτως „conscripsit, eas in quibus sapientes dissentirent, ad suos quosque Authores suo loco nominatim retulit. Verbis hactenus utor *Halicot Olam ex versione C. L'Empereur p. 13.* Et hæc est prima Talmudis pars. Postea quum ob concisum Mischnæ stylum plurima obscura essent, aliquis ex discipulis Ribbi elucidationis librum conscripsit, quem vocavit תוספתא *Thosipta* וענינה תוספת על המשנה וגלוי טעמה *Quasi dicas, additio ad Misnam & manifestatio sensus ejus*: inquit noster Author. p. 17. Cui R. Chya & R. Oscaja *Baraitot*, id est, *Exotica* addidere. אשר בדברי רבם נשמטות והוא שמם ברייתא חוץ ממדרשו של רבינו הקדוש *quæ in præceptoris verba prætermissa erant. Hoc autem nomen, Exotica, q. d. extra doctoris nostri Sancti*

Sancti explicationem. Vis ſcire, quid in Talmude pro Exotica iſtiusmodi traditione habere debeas? Ubicunque occurrit LECTIO, vel LEGUNT MAGISTRI, Baraita eſt. Id noſter ita exprimit p. 39. וכל תניא ותר״ בריותא Vis ſcire cujus ſit Authoritatis? Idem p. 224. ſic docet. ומה שלא היא נחלקו עליו מכל הדברים האלה היא הלכה מקוימת *Quidquid illorum non vocatur in controverſiam conſtitutio eſt ſtabilis.* Neque enim omnia quæ in Gemara occurrunt æqualis ſunt Authoritatis. Quæ diſtinctio ab aliis ignorata, à plurimis neglecta, & quam fortaſſis æternum ignoraſſemus, niſi nos eam doctor ille edocuiſſet, facit ut minus valide quidam ex Thalmude contra Judæos argumentati ſint. Fateor nec me ſemper ad obſervatiunculas iſtas attendere. Sed mihi jam ſufficit oſtendere, non defuiſſe ſemper doctores qui plus aliis ſapuerint ſaltem ſapere voluerint. Poſtea Magiſter Aſe hæc omnia collegit, & duo Gemaræ exemplaria compoſuit, συλλογισμῶν priorem & poſteriorem; unam prolixam, alteram brevem. Atque hoc pacto obſignata Gemara eſt, cui nihil vel addere licet vel detrahere. זולתי רבנן סבוראי שעמדו אחריו הוסיפו בו קצת תוספות. *Niſi quod Doctores dicti* OPINATORES, *qui illum ſequuti ſunt quædam addiderint*, ait noſter Author p. 18. Vide ſodes, Lector, integrum iſtud Caput primum, quod in hac materia lectu digniſſimum eſt. Reliqua de Talmude nota ſunt, & ubivis à ſtudioſis peti poſſunt.

II. Id nunc porro notandum, quanti apud Judæos codex iſte fiat. Pudet ac piget rancidas illas & protritas pridem in S. Scripturam blaſphemias prolixe hic deſcribere. Quorſus enim actum agerem, me & lectorem inutili moleſtia fatigans? Si cui volupe ſit iſtas audire, legat *Buxtorf. in recenſione operis Talm. pag. mihi 222. & ſeqq. & Hoornb. p. 202.* Id unum dicam non ſatis ipſis eſſe ut futiles has nænias Θεοπνεύστοις ſcriptis exæquent. Præponere iisdem non verentur: inania ac inſubida otioſorum hominum commenta, Divino verbo. Horreſco referens. *Scias*, inquiunt Magiſtri *in Maſſ. Berachot Talm. Hyeroſol. verba Sapientum magis deſideranda eſſe quam verba legis, & verba Seniorum, quam verba Prophetarum.* Itemque in *Sanhedrim Cap.* x. חומר בדברי סופרים מדברי תורה *Gravius peccatur circa verba Scribarum quam verba legis.* Cui affine quod habet *Lipmannus num.* 323. Ubi ſtulte à ſuorum opinionibus, etiam contrariantibus totam legem Divinam ſuſpendit. Sic ille אם יראה לסנהדרין לפי התורה והסרות שדבר אחד הוא טהור יהיה טהור ואם יעמדו הסנהדרין אחריהם ויראה להם שעל פי התורה והסרות אותו דבר טמא יהיה טמא כי הוא השי״ שנתן

נתן לנו התורה תלה אותה בדעת החכמים לפי ראות עיניהם ועל זה נאמר כי מציון תצא תורה רל תצא דבר תורה היום שלא יצאת אתמול. *Si videatur Synedrio juxta legem & consuetudines* (Nota fodes in transitu quid significet עלפי & quam ridicule sui obliviscantur quum ex hac phrasiologia legem oralem elicere studeant, aquam ex pumice) *rem aliquam esse puram, erit pura. Si aliud postea Synedrium surgat cui videatur rem eandem esse impuram, erit impura. Quippe D. O. M. qui legem nobis dedit, eam suspendit à sententia sapientum, juxta contemplationem oculorum eorum. Idcirco scriptum est Jes.* II. 3. A Sione egredietur *lex. Q. D. egredietur verbum legis hodie quod non est egressum heri.* O acumen Judaicum! imo bruta cœcitas! Imo tanti traditiones has Talmude comprehensas faciunt, ut earum studioso sine exceptione beatitudinem cœlestem polliceantur. Sic enim *Halicot Olam p. 9.* כל השונה בהן מובטח לו שהוא בן העולם הבא *Quicunque in iis discendis occupatur, ei promittitur filium fore futuri sæculi.* Hoc præterea monendi lectores, non omnia Talmudica ejusdem esse authoritatis. Multum vulgo Misnam Gemaræ præferunt: quippe cum Sanctus ille Juda parem sibi inter sæculi sui sapientes nullum habuerit. Quanquam Gemaræ studium multo majorem laudem mereatur. Nam ut est in *Bava Mitzia. Qui operam dat Bibliis aut aliqua virtus est aut nulla.* (id est dubium an virtus sit dicenda) *Qui Misna, certe virtus est ob quam accipitur premium. Qui Gemara, nulla virtus est huic gemina.* Prædictis gemina germana citat *Clar. Hotting. Thes. Phil. p. 563. ex Mass. Sephir. Cap.* XV. *Similis est textus Biblicus aquis, Misna vino, Sex ordines* i. e. Gemara *condito. Itemque similis est lex sali, Misna Piperi, Gemara Aromatibus.* Sed in ipsa tum Misna, tum Gemara non ejusdem dignitatis authoritatisve omnes Doctores sunt. Quis autem cui præferatur prolixius est quam ut hic explicari aut possit, aut debeat. Cui vacat hac de re integrum caput videat *in tract. V. Halic. Olam,* qui totus in eo insumitur, ut doceat juxta quam sententiam ex discrepantibus sit facienda decisio.

III. Nec possum præterire Talmud à Judæis vulgo *legem oralem* appellari: ut inter alios à *R. Bechai* in libro *Cadus farina fol. 77. col. 3.* ושש הסררים האלו הם תורה שבעלפה. *& sex hi ordines sunt ipsa lex oralis.* Sed rectius ab aliis annotatum, minus id accurate dici. Potius dicendum esse legis quamdam interpretationem. Id diserte habet *Zalman Zebi* in tractatu Germanico, Jüdischer Theriac, cujus originalia verba citata *Cl. Hasspan. in pref. ad Lipm. p. 268.* *ita verto. Talmud glossa est & interpretatio legis scripta. Ut V. G. ubi Talmud explicat* עמוני ולא עמונית מואבי ולא מואבית

Ammo-

Ammon & non Ammonitis, Moab & non Moabitis. ***Christiani ipsi fateri debent legem scriptam hanc explicationem præ se ferre.*** Similiter introducunt Judæi Alphonsum Regem loquentem ad Philosophum Thomam in *Schebet Jehuda Cap.* VII. *Haut procul ab initio.* Qui tractatus cum inpræsentiarum ad manum non sit nisi Germanice typis Hebræo-Germanicis Amstelodami editus, verba translata tantum exhibeo. *Scio*, inquit Alphonsus Thomæ, *te ex lege Judaica satis peritum esse istorum rituum, prout illos à majoribus acceperunt: exploratumque habes an illius rei* (Pascha scil. celebrari non posse sine sanguine humano) *vel vola extet vel vestigium in ipsorum lege, aut in explicatione quam habent super Bibliis, in illo inquam libro quod vocatur Talmud, quod nihil aliud est quam* פירוש Explicatio τῶν עשרים וארבעה *Sacrarum literarum.* Viden jam juxta accuratiores Judæos Talmud non tam legem oralem esse quam legis quandam explicationem. Et sane prolixus tantum in legem est commentarius. His nunc ad majorem quæstionis elucidationem præmissis Judæorum affirmativam impugnemus, ac vastum hoc Talmudis corpus deturbemus solio.

IV. Primum nostrum argumentum hoc sit. Quod contra expressum Dei mandatum est id quod est, id non potest esse Θεόπνευστον. Atqui Codex Talmudicus est contra expressum Dei mandatum id quod est, scripto videlicet consignatus. Ergo. Major, nisi fallor, ex terminis patet. Minorem disertis Doctorum testimoniis probo. *R. Isaac Corbelensis in* עמודי גולה fol. 39. de lege orali ita loquitur והן אוצרו של הקב״ה כי היה גלוי לפניו שיהיר ישראל עתירים להיות גולין בין אומות ויעתיקו הגוים ספריהם לפיכך לא רצה שתיכתב. *Et hæc sunt thesaurus D.O.M. apud quem exploratum fuit, Israelitas exulaturos inter Gentiles, eosque ipsorum libros translaturos, & idcirco noluit legem oralem conscribi.* Prolixius adhuc & dilucidius *Author Hali. Ol. in initio cap. 1. Dixit R. Johannes, Deus Sanctus laudandus non nisi traditionum non scriptarum nomine fœdus pepigit, quandoquidem Exod.* XXXIV. 27. *dicitur*, quia secundum os horum verborum pango tecum fœdus & cum Israele. *Hic argute discurrit R. Jehudas filius Nahmanis, interpres Resch Lakischi. Scriptum est.* Scribe tibi verba hæc. *Etiam scriptum extat.* Quia secundum os istorum verborum. *En quomodo? Verba quæ scripto tradenda sunt, non licet tibi voce eadem tradere, & verba quæ voce tradenda sunt, scripto tradere non licet.* En prohibitio Dei, & quidem, si placet, ex Scriptura evicta. Post paulo, posterioris hujus asserti rationem hanc affe t. *Quæ viva voce tradita sunt ea explicant quæ scriptis consignata sunt: & quum non nisi viva voce tradantur, iis inniti aliter non possumus, quam ex ore docentis*

qui diſcenti explicationem enarrat. Quod ſi ergo atramento in libro exarata eſſent, dubitari poſſet an illi oratio clare perſpecta ſit. Similiter *Mikkotzi* in præfatione explicationis ſuæ in 613. præcepta legis, rationem hanc allegat, cur vetuerit Deus legem oralem conſcribi, ne ſcilicet tranſcriberent illam Gentiles, & tranſcriptam adulterarent. Nam maxima ſemper invidia id operam dedere Judæi, ne arcana ipſorum ſacra aliis innoteſcerent. Hinc in proverbium ipſis abiit. גוי העוסק בתורה חייב מיתה *Gentilis operam dans legi reus eſt mortis. Sanhe. Cap.* VII. Huc facit quod de ſe ipſo magnus ille *L'Empereur* refert in *epiſtola dedic. Clavis Talm.* Judæos nempe tantum ipſi in Talmudicis ſimilibusque libris profectum invidiſſe: præceptorique ſuo à Synagogæ præfectis interdictum fuiſſe, ne in iſta ipſi opera navanda pergeret. Fatentibus itaque Judæis conſcribi & in unum tale corpus redigi Talmud non debuit. Diſertum, inquiunt, Dei mandatum obſtabat. Et quam perperam feciſſet Moſes non ſcribendo ſcribenda, tam feciſſet perperam ſcribendo non ſcribenda. Rogo nunc, quis Sanctum illum Judam à tam expreſſo Dei mandato diſpenſavit? Quis Author illi fuit, ut veſtigiis majorum, Synagogæ magnæ, ipſorum Prophetarum, qui non minus credo quam ipſe pro religione patria zelotas ſe præſtitere relictis, ſcripto mandaret, quæ illi viva tantum voce tradenda Deo ipſo authore judicaverant? An vero alia poſterioris hujus, quam priorum temporum ratio fuit? Sed quæ? An minus tunc periculi Gentiles legem oralem deſcripturos, aut adulteraturos? Imo majus jam diſcrimen. Ope quidem R. Jehudæ, auſpiciis tamen Pagani Cæſaris Antonini, pretioſum hunc theſaurum in chartis reperimus. Quî poterat petenti Cæſari illiusve proceribus exemplar unum atque alterum denegari? Rerum potiebantur gentiles, Judæis, utut ſuperciliofis ſola obſequii gloria relicta erat. Si unquam ſacra ipſorum ſcriptis conſignata in propalationis diſcrimen incurrebant, certe aut tunc erat, aut nunquam. An cum R. Jehuda traditiones has atramento in libro exaravit, *dubitari nequit an oratio illi clare perſpecta ſit?* An vero oblivionis periculum ob toties iteratas perſecutiones ipſos vel nolentes eò adegit? Aſt quæ neceſſitas à Divino mandato abſolvit? Præſertim quum legem usque adeo immutabilem credant, ut id ipſum fundamentalibus fidei ſuæ articulis inſerendum eſſe duxerint. Aut an talis antehac neceſſitas nulla fuit? Etiam non in Captivitate Babylonica? Nequidem iſthoc tempore ubi tanta ſcriptæ legis homines oblivio cepit? Aut an quod antehac vetitum poſtmodum conceſſum eſt? Et prior lex alia ſequente abrogata? Sed cedo permiſſi tabulas. Cedo legem R. Jehudæ datam. Neque enim ſine probatione quicquam aſſerentibus, vel juratis, hilum crediderim. Imprimis quum rationes

rationes prohibitioni de non ſcribendis traditionibus adjunctæ perennent. Concludo itaque neutiquam Θεόπνευστον eſſe Talmud, quippe fatentibus Judæis contra expreſſam Dei prohibitionem ſcripto conſignatum. Atque hactenus primum noſtrum argumentum.

V. Secundo ita argumentor. Quod continet multa contradictoria, abſurda, blaſphema, id non poteſt eſſe ejusdem cum Sacris litteris authoritatis. At multa talia continet Judæorum Talmud. Ergo. Latus hic mihi campus panditur, & materia quæ, nedum diſſertationi, juſto volumini ſufficiat. A multis etiam, quod fateor, tractata, quos nominavit *D. Hoornbeek*, libri aliquoties jam à nobis laudati p. 106. quorum alii nunquam mihi viſi, alii vix de nomine noti. Quod monendum hîc lectorem duxi, ne ſi forte contingat eadem me proferre quæ jam dudum ab aliis prolata ſunt temere inculer plagii. Si quorundam hic opera utor, id quod debeo, ut ingenuos decet. acceptum ipſis feram. Accingor itaque ut per partes argumentum illuſtrem probemque.

VI. *Contradictoria*, inquam, multa Talmude continentur, quæ arguunt illud à mendacii potius patre profectum eſſe, quam à veritatis Authore, qui ſibi ſemper conſtat. Scio, Judæos negare contradictoriorum alterum ſemper eſſe falſum. Unde tritum apud illos de contrariis ſententiis Hillelis & Schammai, *utraque eſſe verba Dei viventis*. Evidens exemplum ex Lipmanno ſupra attulimus. *Cap*. II. *Parag*. 10. Sed & hoc ſcio, cum omni ratione & ingenitis toti generi humano cognitionis principiis tam incomprehenſibilem ſententiam pugnare: immo & Judæos ipſos melius judicare & candidius loqui, ubi apud ſe ſunt. Evincat id quod ex libro החיים citat *Hacſpan. ad Lipm. p*. 288. *Quis eſt diſſenſus qui eſt propter Deum; Is eſt Hillelis & Schammai. Expoſitio hac eſt. Et ſi prima fronte appareret, ac ſi Dei nomine non ſuſciperentur, quum impoſſibile ſit verba utriusque eſſe vero conſona; hoc tamen non obſtante dicimus, quum intentio eorum in Deum feratur, utraque eſſe verba Dei viventis*. Omitto alia quæ in hoc diſcurſu evidenter abſurda ſunt. Id unum arripio, IMPOSSIBILE ESSE UT UTRUMQUE SIT VERO CONSONUM. Addo quod quum Judæi nobiscum diſputant, frequenter contradictiones ſoleant urgere. *Menaſſe* impugnans eorum ſententiam, qui ſtatuunt animam eſſe totum in toto corpore ſed & totam in qualibet corporis parte, *quod ad me attinet*, inquit, *videtur id mihi manifeſtam involvere contradictionem. De reſurr. Mort. lib*. I. *Cap*. VIII. Quid tum, ſi veritas unius contradictoriorum alterius veritatem non evertat? Huc facit etiam quod *Hottingerus* notavit *ad juris Hebræorum Legem* LXXXI. Ubi à dicendo teſtimonio

excipiuntur, הפתאים שאינם מבינים דברים הסותרים זו את ז׳ *Simpliciores qui contradictiones non aſſequuntur.* Quorſum quæſo attinet illarum obſervatio, ſi ex iis non pateſcat veritas? Sed plus ſatis jam confirmavi, quod nemo qui ſuæ ſpontis eſt in dubium vocare poteſt.

VII. Quarundam contradictionum exempla jam vis? Ne ea repetam quæ ſupra dixi, hæc habe. Notum eſt Judæorum magiſtros ubi premuntur tempore adventus Meſſiæ, quod jam dudum præteriit, tritum habere refugium ad popularium ſuorum pertinacem nequitiam, quæ ſcilicet venturo Meſſiæ moram injiciat. תדעו לכם כי כתוב והחום לפני המקום שאין ישראל נגאלים עד שיעש תשובה מעונה שבידם. Inquit *liber Askat Rechel* part. II. *Notum ſit vobis ſcriptum ac ſtatutum eſſe apud Deum, non redemtum iri Iſraelem, donec reſipuerit ab iniquitate manuum ſuarum.* Parum id eſſet, niſi in eum finem traheretur ab ipſis Talmud. Certe ſic legitur *in Gemara Sanhedrin.* אמר רב כלו כל הקיצין ואין הדבר תלוי אלא בתשובה ובמעשים טובים *Dixit Raf. Elapſi ſunt omnes termini & res non pendet niſi à reſipiſcentia & bonis operibus.* Paulo poſt ex traditione R. Elieſaris. אם ישראל עושין תשובה נגאלין ואם לאו אין נגאלין *Si Iſraelitæ pœnitentiam egerint liberabuntur; ſin ſecus, non item:* Alia in hunc ſenſum lubens omitto, quippe quæ obvia ſunt, & ab aliis notata. Id meminerit lector Talmudicum dogma eſſe, non veniet Meſſias niſi reſipiſcentibus Judæis. Contrarium ex eodem codice, imo eodem capite probatum deſideras? Hæc lege: quæ, quia Hebraice tranſcribere nimis longum eſt, ex verſione *D. Cocceji* exhibebo. Extant in ipſius *Sanhedr, p.* 345. *Traditio. R. Nehorai ait: Quo ſeculo filius Davidis veniet, adoleſcentes viros provecta ætatis pudefacient; ſeniores adoleſcentulis aſſurgent; filia inſurget contra genetricem, & nurus contra ſocrum; frons ſeculi canina erit, neque filius patrem reverebitur. Trad. R. Nehemias ait: Quo ſeculo filius Davidis veniet, illo impudentia creſcet, honorati quique fraudibus & nequitiis utentur. Vitis reddet Fructum ſuum & nihilominus carum erit vinum.* Scil. ob hominum luxuriem, & ebrioſitatem. Quibus plures deinceps doctores aſtipulantur. Similia notavit idem ille Vir Doctiſſimus ex *Beth. Iſrael. fol.* 50. *col.* 4. Compone hæc jam cum præcedentibus, & vide an aqua igni magis repugnet, vel tenebræ luci, quam hæc ſibi invicem. Aliud *p.* 364. *in Cocc. Sanhed.* תנא דבי אליהו ששת אלפים שנה הוי על מא שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח. Traditio domus Eliæ *Sex mille annos durat mundus. Bis mille annis inanitas & vaſtitas. Bis item mille annis lex. Denique bis mille annis dies Chriſti.* Notiſſima fabula: cujus varia gloſſemata vide apud Clariſſ. *Hulſium, Theolog. Juda. tom.* 1. *p.* 497. Hanc certo credunt

dunt Judæi, & ex hac ſæpius argumentantur. Cui tamen eodem quaſi paragrapho ab aliis contradicitur. Quippe *R. Cabanan filius Ibabalipha R. Joſepho ſic mandavit. Reperi hominem, qui habebat volumen, ſcriptum charactere Aſſyrio, lingua ſancta. Quaſivi unde haberet. Reſpondit ille, quum facerem ſtipendia, inter theſauros Roma inveni. In eo ſcriptum extabat. Poſt annos quater millenos, ducentos nonaginta & unum à conditu mundi elapſos mundo finis erit. Ex illis erunt prælia draconum, ex illis prælia Gogi & Magogi. Quod reliquum erit, dies Meſſia erunt. Et Sanctus benedictus ille non renovabit mundum ſuum niſi poſt ſeptem annorum millia. Raf Amma, filius R. Abba ait, dictum eſt poſt quinquies mille annos.* Concilia hæc ſi potes. Quid videtur, Lector, an non ſcite alicubi D. Hulſius hunc ita ſibi contradicentium Rabbinorum coccyſmum *coaxantibus ranis* comparavit, *quæ ſimul quaſi canere, & altiori tono altera alterius inconditum ſonum corrigere videntur?*

VIII. Scio quid hic reſponſuri ſint Judæi, particulares hic tantum recenſeri particularium Doctorum opiniones, quæ contradictionis quidem Rabbinos arguant, ſed non ipſum Talmud: quum penes unum tantummodo ſit *Halacha*, ut loquuntur. Sed & tu facile vides, mi Lector, nihili eſſe hoc effugium. Nam quiſque pro opinione ſua, quam licet abſurdiſſimam amare tamen ſolet ut ſimiæ ſuos catulos, tamquam pro aris & focis decertans, eam venditat ut traditionem Moſis è Sinai. Et unde mihi poſſibile ſcitu erit quis vera dicat, quis me ſeducat à veritate, quum uterque ſententiam ſuam ut traditionem πατροπαραδότον proponat? An Canones ſuos habent Judæi quibus docent quis cui præferatur, quales Autor *Halichot Olam* proponit plurimos *pag.* 203. *& ſeq.* Sed dubitare licet an regulæ hæ uſque quaque certæ ſint & ſine exceptione. Nam video ipſos Hebræos Doctores hodiernos ſæpiuſcule inter ſe diſſentire, dum hic illius alter iſtius ex Talmudicis Authoribus opinionem ad ſententiæ ſuæ firmamentum adducit. Confecta res eſſet ſi reſpondere poſſet adverſarius, non hujus ſed illius Doctoris authoritate ſtandum: quod ex vulgatis iſtis Canonibus ſcitu facile foret. Nunc, cum obſervaverim quemvis promiſcue pene citari à Judæis ipſis modo vel tantillum opinioni ipſorum favere videatur, facile inducor ut credam gnoriſmata iſthæc ne ipſis quidem exploratiſſimæ veritatis eſſe. Verbi gratia. Dixerat R. Hanina in Talmude Hieroſolymitano cadavera terræ Sanctæ primum reſurrectura. Contradicunt alii, exiſtimantes hoc pacto multum derogari iis ſapientibus qui extra terram Sanctam obierant. Medius intercedit Rabbi Simai, qui eos conatur conciliare dicens, illos ſapientes per interiores terræ cavernulas uſque ad terram Sanctam devolutum iri, & ſic ibi cum reliquis primo eſſe reſurrecturos. Quorſum

sum tam absurda opinio iis conciliandis excogitata, si in mundo esset dicere ex indubitatæ fidei canonibus R. Haninam veram traditionem habere, & non illius adversarios, vel contra: Imo neque ipse Menasse Ben Israel celebris apud ipsos Author scire potuit quid de hoc R. Simai statuere deberet: an scil. illius sententia pro traditione Mosaica admittenda esset, ubi explicatur allegorice; an secus. Nam *Libr.* II. *de resurr. mor. Cap.* II. ubi omnia quæ dixi narrat, de hac sententia R. Simmai ita subjungit. *Atque hoc sensu* (scil. allegorice) *ea omnino intelligenda sunt, aut si aliter intelligatur, non nisi pro particulari opinione habenda est ista sententia; quin & rejicienda.* Viden quam dubitanter loquatur? Tanti tamen hic Simmai & hæc illius sententia aliis est, ut in eam tanquam certissimam pedibus eant. Docet id *Elias* in suo *Thisbi ad vocem* גלגול ubi sententiam hanc tanquam communem Doctorum proponit. דעת רז״ל כי בתחיית המתים לא יחיו רק הנקברים בארץ ישראל והנקברים בחוצה לארץ אינם חיים אלא דרך גלגול מחילות רוצה לומר שיתגלגלו תחת הקרקע עד תוך ארץ ישראל ושם יחיו. *Existimant Rabbini nostri p. m. in resurrectione mortuorum non vivificandos esse nisi illos qui sepulti sunt in terra Israelis; at eos qui extra hanc terram sepulti sunt, non resuscitatum iri nisi via revolutionis per foramina, volo dicere sub solo illos debere volvi, donec perveniant ad meditullium terræ Israelis, ibique resuscitabuntur.* Stulte huic doctori tanta adhiberetur fides, si certo sciri posset juxta eum non esse statuendum. Præterea, absurde personales prærogativæ Doctorum & hujus acumen præ illo urgetur, ubi quæstio est de traditionibus an Mosaicæ sint an *secus.* Neque enim illæ à persona Doctoris, sed à Mose vel potius ab *ipso Deo* authoritatem suam nanciscuntur. A quo nisi traditæ sint, nihili sunt. *Si* sint, quid refert à quo proponantur? An V. G. Rabbæ fato quodam & nascendi sorte contigit, in veras semper incidere, Josepho autem vix reperire præter ὑποβολιμαίας? Sed ubi hoc uni præ sodalibus promissum? & unde quis veritatis studiosus citra metum contrarii illius poterit esse certus? Sed agedum. Sint quædam gnorismata, quæ sic certe satis me doceant, quis Doctorum cui præferendus sit, an dignum hoc est Spiritui Sancto, dignum Divinis scriptis, ex tam diversis opinionibus jugiter se mutuo evertentibus consarcinari? Farrago tale scriptum videri posset & Rapsodia, cœleste & Divinum nisi præjudiciis fascinato non posset.

IX. A contradictoriis Talmudicis, ad *absurda* transeamus. Certe id docet ratio, nihil minus Deo adscribi posse, quam id quod sua se absurditate confutat. Fateor id omnem religionem habere, omniaque scripta, quæ aut Divina falso creduntur aut revera sunt, ut multa contineant quæ

rationi

rationi aliena videntur, ejusque captum ſuperare, uti eleganter notatum à judicioſiſſimo Authore Gallico *Petro Charron* in vernaculo tractatu, *de Sapientia lib.* II. *Cap.* V. Nullum tamen ſcriptum vere Divinum ea docere poteſt quæ in ſe & revera abſona ſint. At qui talia in Talmude non obſervavit, næ ille oculis hunc librum nunquam vidit ſuis. Paucula ſpeciminis gratia annotaſſe ſufficiet. De origine Romæ legitur, præter id quod ſupra retuli, in *Maſſec. Sabb. fol.* 56. Citante *Buxt. in Lexi. Talm. p.* 2219. *col.* 2. אותו היום שהכנים ירבעם שני עגלי. זתב אחד בביתאל ואחד בדן נבנה צריף אחד וזהוא איטליא של יון. *Eo die quo introduxit Jeroboam duos vitulos, unum quidem in Dan, & unum in Bethel, tugurium aliquod edificatum eſt, quod eſt Italia Græcia.* Hoc eſt Roma. Nam ſic inſubidam iſtam nomenclaturam explicant in *Maſſe. Megilla cap.* 1. Nugæ quod eſt hoc die. Rectius in *Chroni. Cario. p. m.* 61. *Regnante Achaz, anno primo ſeptimæ Olympiadis Romulus & Remus condere Romam cæperunt, ut ſcribit Dionyſius Halicarnaſſenſis. Et mœnia primo inchoata ſunt* XXI. *Aprilis.* Aliud ſubjungam multo magis ridiculum: quod ſuppeditavit mihi *Cl. Hulſius* lib. jam aliquoties cit. *p.* 127. De magnitudine urbis Romæ ſic loquitur *R. Ula*, (verius Ulula, cui, ſi ſuperſtes foret, legendum commendarem lepidum libellum ad Patres Ululantes) ex *Megilla Cap.* 1. *Italia Græcia eſt magna urbs Roma quæ trecentas habet Parſas* (id eſt milliaria Germanica, una enim Parſa continet 4000. paſſus, ſive quatuor milliaria Italica) *in longitudine, & totidem in latitudine, ſuntque in illa* 365. *plateæ, juxta numerum dierum ſolis, inter quas omnium minima eſt forum volatilium, quod eſt* 16. *milliarium in longitudine, & totidem in latitudine.* (intellige 16. milliaria Italica, id eſt 4. Germanica, unum enim מיל eſt quadrans Parſæ.) *Rex autem ſingulis diebus unam ex plateis illis cibat, & quicunque ibi commoratur, etiamſi ibi natus non ſit, fruſtum cibi habet è domo Regis, & qui ibi natus eſt, etiamſi non habitet, fruſtum tamen ſuum habet à Rege. Sunt etiam ibi tria millia balneorum, & quingentæ feneſtræ fumum extra murum attollentes. Ab una parte habet mare, ab altera montes & colles* (feſtinanti D. Hulſio per ſphalma exciderat, *valles*, nam in Hebraico eſt גבעות) *tertium latus muro ferreo clauſum eſt, & à quarto ager eſt incultus.* Quis unquam portentoſa magis mendacia audivit? Tu ſi ſapis Lector, multo verius hæc diſces ex *Lipſii tractatu de Magnitudine Romana*, imprimis *Lib.* III. *Cap.* II. Quod velim à te videri ut evidentiſſima hujus fabulatoris falſitas appareat. Ignoſcet, credo, Lector, ſi de Roma loquens, quanquam paulo extra propoſitum id ſubjungam, quod de hodierna Hebræus *Benjamin* narrat *itinerarii* ſui *pag. mihi* 11. Ut ita quivis videat, quam fabuloſe & audacter de rebus ſibi incognitis garrire

gartire ſoleant apellæ. Is ergo ſic loquitur. ובי המיושב החרב מן רומא כ״ד מילין ושם שמונים היכלות משמונים מלכים גרולים בתורה חנקראים כולם אינפירדור ממלכות טרקיינום ועד מלכות פיפום אביו שלקרלו. *Roma qua habitata qua vaſtata 24. patet milliaria* (quod certe immenſum quantum adhuc diſtat à commento Talmudico) *continens palatia* LXXX. *regum* LXXX. *qui ſui juris periti vocantur omnes imperatores, inde à Tarquiny regno ad regnum Pipini patris Caroli.* Oportet omnium reliquorum oculos neſcio quo efficaci faſcino corruptos eſſe, ſolos Judæos cernere, qui octoginta hæc palatia animadverterunt, à nemine quod ſciam antehac detecta. Sed ſatis jam de Roma. Redeamus ad lineas.

X. Æque ſapienter de creatione univerſi differunt Talmudiſtæ, fingentes Deum ante creationem ſæculi, ut ſcil. otii tædium falleret, varios mundos exſtruxiſſe quos deinde deſtruxerir. vid. *Maimon. More. Nevo. lib.* II. *cap.* III. Quas non affanias commenti ſunt ut putidum iſtud de deliciis Sabbaticis ſomnium mundo obtruderent, de quibus videri poteſt *Buxt. Syn. cap.* X. Quis puerorum noſtrorum, jam ignorat portentoſas illas fabulas, de Leviathane mactato, ſale condito, & in cibum ad tempus Meſſiæ aſſervato? Quid opus de iſta ὑπερφυῶς magnitudinis ave dicere, de qua in *Bava Batra c.* V. aut de Leone illo Sylveſtro de quo in *Cholek. c.* III. quorum plena nunc omnium ora, pleni omnium libri, quæque breviter & eleganter diſputatione quadam collegit Clar. Hottingerus. Quam egregium illud eſt, & quam dignum acumine Judaico, quod de Adamo & Eva ſcribere non erubeſcunt in Maſſ. עירובין c. II. כל מאה ושלושים שנה שפירשה חוה מאדם רוחות זכרות היו מתחממים ממנה והיא ילדת מהם ורוחות נקבות היו מתחממות מאדם והיו יולדות ממנו. *Omnibus illis C. & XXX. annis quibus Eva ſeorſim ab Adamo vixit, Spiritus maſculini rem habuerunt cum illa, eſtque ex illis facta parens. Itemque Spiritus fœminini rem habuerunt cum Adamo, pepereruntque ex ipſo.* Quæ quomodo ex Moſaico textu eliciantur, videat ſi vult Lector apud *Hacſpan. in annot. ad Seph. Nitzachon. p. 282.* Nam pudet me hujusmodi impuritatis. Pergamus. Quam abſurda adulterii Davidici excuſatio, prout ex Talmude eam refert triumphator *Lipmannus num.* CLXXXII. נבתשבע לא חטא פנויה היתה כי כל היוצא למלחמת בית דוד גיט כריתות כתב לאשתו פן ימות במלחמה ולא היו ערים למיתה ותתעגן. *In negotio Batſaba non peccavit, quippe quæ fuit vidua. Nam ſic ſolebant tempore Davidis: qui in prælium abibat libellum repudii ſcribebat uxori ſuæ: ne ſi forte contingeret ipſum occidi absque teſtibus, ipſa nimis diu morari teneretur.* Quot verba, tot ἄτοπα. Quis non omne cerebrum iis hominibus eliſum dicat, quum tam ſtolide ineptiunt?

Non

Non peccavit David? Cur ergo disertis verbis id confitetur Nathani? 2 Sam. XII. 13. Ast vidua erat Bathseba. Fuerit. An licet viduam stuprare? Sed falsum est fuisse. Nam cur accivit David maritum Bathsebæ nisi quo palliaret delictum? At erat tempore belli. Imo hoc ipsum est, quod peccatum aggravat. Non licebat cuiquam lascivire donec arca & Israel & Juda in tentoriis erant, & Joab cum militibus in aperto campo 2 Sam. XI. 11. Eo imprimis tempore populum suum sanctificari jusserat Dominus. Uti ex Deut. XXIII. 9. erudite observatum à pio scriptore *Hildersham. in Ps.* LI. *pag. 7. c. 1. edit. Belg. in fol.* Omnino simile est quod Divina somnia Josephi criminis loco ipsi imputent *Masse. Berachot. Cap.* IX. מפני מה יוסף קודם אחיו מפני שהנהיג עצמו ברבנות *Quare Joseph ante fratres suos obiit? Quia se iis præposuit in dominio.* Scilicet. Similia deliria de morbo & morte Elisæi narrant in Sanh. cap. ult. ex editione Cl. Cocceji p. 416. Quæ lector ibi potest videre.

XI. Quotiescunque ad intermissos hos labores meos redeo, frigidus quidam horror totum corpus percurrit, quum fanatica ejusmodi emotæ mentis indicia in isthac gente animadverto, cui soli antehac circa Divina sapere datum erat. Justissimum sed tremendum hoc est Dei judicium, quo infra homines fere deprimit eos, quos pene supra humanam sortem ad tam arctam sui communionem admiserat. Hoc scilicet est quod Apostolus noster dicebat. Quandoquidem Deum cognoscentes ipsum non celebrarunt ut Deum, nec ei egerunt gratias, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Et sic velim te hæc legere, pie lector, ut miserandæ gentis stultiloquia, quæ pro Divinis eloquiis adorant, commiserationem tibi potius moveant quam stomachum vel risum, & mecum tremendam numinis vindictam, qua veritatis Evangelicæ rejectionem ulciscitur, admirabundus suspicias. Ea spe, licet fastidii jam pridem satur, in enarrandis his futilitatibus pergam. Interim dolori ac suspiriis meis paragraphum hunc dare debui.

XII. Non minus absurdum est quam superiora quod ex *Nidda Cap.* III. *Menasse noster* narrat *de resurr. mort. lib.* II. *Cap.* VII. *Inquiunt antiqui, infanti quamdiu in utero matris est, candelam supra caput positam esse, qua perlustrat ac videt omnia, quæ sita sunt inter utrumque mundi cardinem. Quum autem nascitur, angelus occludens infantis os, seu potius impediens linguæ usum, extinguit lumen: Quumque vi erupit ex utero infans, eorum omnium obliviscitur quæ ante perspecta habuit: ideo ortum ac natalem suum irrigat lachrymis.* Scio

 quod

quod Menasse hoc parabolice explicet; Sed de Parabolicis istiusmodi explicationibus postea. Id unum nunc dicam, affabulationem fabulæ in absurditate nihil concedere. Ejusdem furfuris est, quod ex Talmudistis demonstratum docet *Cl. Voetius* noster in *disputat. de Judais.* quæ extat in *Part.* II. *Disput. Selec. p. 85.* Non esse peccatum si Judæus Christianum occidat, si adulterium committat cum ejus uxore, si ejus bona suffuretur, rem perditam retineat, &c. Id quod in mentem mihi venire facit ejus, quod apud *Const. L'Empereur* inveni *in notis ad Bava Kama p.* 71. Ubi ita Maimonides de Christianis loquitur Misnam aliquam illius codicis explicans. *Quum Israelita controversia est cum Gentili, conditio litis apud ipsos talis est. Si sit in eorum juribus commodum aliquod, ipsos secundum jura sua judicabimus, iisque dicemus, sic postulare ipsorum jura. Quod si nobis in jure nostro appareat utilitas, judicabimus ipsos secundum jus nostrum, iisque dicemus sic postulare jus nostrum. Neque mireris hac de re, nec durum videatur in oculis tuis, sicuti dura sive crudelis tibi non videtur mactatio bestiæ, quamvis non peccaverit.* לפי שמי שאין בו שלימות המדות האנושיות אינו בכלל האדם על האמת אבל תכלית מציאותו לצורך האדם *Quia cui non inest perfectio virtutum humanarum, inter homines non comprehenditur revera: sed finis essentiæ ipsius est ut hominis necessitati inserviat.* Hinc jam facile judicium quo loco nos habeant Judæi, nimirum bestiarum numero: adeo ut ipsis inservire & ipsorum commodo vel vivere vel mori debeamus. Id scilicet est quod Deus dixerat Num. xv. 16. *Lex eadem & ratio eadem esto vobis & peregrino qui peregrinatur apud vos.* Sed hujus tam diri odii sublæsta *fundamenta vide* in anterioribus. Similia habes apud *Hatspan. l. c. p.* 278. & 280. *Illi qui* in medio Christianorum degunt, ac superbum istud collum ipsorum jugo subjicere coguntur, facile fastum illum ac typhum dediscunt, ac clementius multo de Christianis, humilius de se loquuntur, quod ex Schebet Jehuda, Aberbenele, Menasse nullo negotio probatum darem, nisi prolixum nimis & hujus loci non esset. Quondam in ditione Arausionensi, quum in fluminis ponte quodam transeundo vectigal penderetur, æqualia solvebant Judæus & porcus, Judæa prægnans & sus fæta. Certe tam effræni arrogantia ipsi Judæi bestiis æquari meruerant. Sed non ita pridem, gratia ab illustrissimo laudatissimæ memoriæ Principe concessa, id mutatum est. Sic decet Christianos ex Salvatoris præscripto etiam immerentibus, etiam hostibus, etiam maledicentibus benefacere, & ut in omnibus reliquis, ita etiam comitate ac benevolentia erga miseros, & per superbiam suam bis miseros, super quoscunque excellere. Plura cogitaveram addere,

nescio

nescio an absurdiora, an profaniora. Sed vereor ne lectori nimium fastidium pariam.

XIII. Absolvisse me hoc argumentum putaram. Ast fallor. Præcipuum adhuc restat, & talia, quæ animus meminisse horret, dictuque refugit: blasphemiæ nimirum quibus tot ἄτοπα, & Divinæ Majestati indignissima supremo Numini adscribunt, ut multo cautius de Deastris suis Philosophati Gentiles sint. Paucula exhibebo καὶ ὡς ἐν τύπῳ. In *Mass. Sabbath. Cap.* XIV. ait Raf. יב שעות הוי ביום ג שעות ראשונות יושב הקבה ועוסק בתורה׃ שניות יושב ודן אח כל העולם כולו ׳שלישיות יושב וזן את העולם כולו מקרני ראמים ועד ביצי כנים. *Duodecim sunt horæ diei. Tribus primis sedet Deus O. M. & studet in lege. Secundis pro tribunali sedet, judicans totum mundum. Tertiis sedet & nutrit totum mundum à cornibus unicornium, usque ad ova pediculorum.* Nec studet tantum Deus, sed & orat. *Mass.* ברכות *cap. 1.* מנין שהקב מתפלל׳ שנא והביאתים אל הר קדשו ושמחתים בבית תפילתי׳ בבית תפילתם לא נאמר אלא בבית תפילתי מלמד שהקבה מצלי מאי מצליא׳ אמר רבא יהי רצון מלפני שיכבשו רחמי את כעסי. *Vnde habemus D. O. M. orare? quia dicitur,* & adducam eos ad montem sanctitatis ejus, & exhilarabo eos in domo precationis meæ. Jesa. LVI. 7. *Non dictum est, domo precationis eorum, sed precationis meæ: quod nos docet D.O. M. precari. Sed quid precatur? Placeat mihi ut misericordiæ meæ vincant iras meas.* Quando putas eos homines, tam accurate Deo pensa sua assignantes, & intimas illius cogitationes propalantes è cœlo delapsos esse, ubi hæc omnia audiverint vel viderint? Fortasse simul cum Homero, quando versibus suis ea explicabat quæ Junoni in aurem insusurraverat Jupiter. Adde quæ supra diximus *Cap.* II. *Para.* IX. de Deo Leonis instar rugiente, & lachrymante ob filiorum desolationem, ac ridente quod à filiis suis victus sit. In *Masse Sabbat.* iterum nugantur, Deum quoties reminiscitur, calamitatum, quas à Gentibus Judæi perpetiuntur, lacrumas duas in Oceanum effundere, pectusque præ dolore utraque manu contundere. Subjungam denique docta & pathetica verba *D. Mornæi* ex *Paranesi ad Judæos p.* 407. O quam vellem latina me habere, ut eo plures intelligere & memori mente reponere possent. Sanctum illud & totum ad convincendos Judæos factum alloquium. Sic ergo Divinum illud ingenium ad vere miseros nostros Israelitas.

„ XIV. Et voulez vous voir enfin, comme l'Esprit de Dieu, ains l'Esprit hu-
„ main mesmes vous à depuis manqué, n'en croyez autre que vostre Talmud.

„ Ce Talmud toutes fois, ouDieu, ditez vous, estudie les quatre premieres heu-
„ res du jour, pour auquel lire ruinant Hierusalem il se reservea trois cou-
„ dées pour s'asseoir, & il n'estoit pas encore ramassé. Et cependant quelles
„ blasphemes n'y trouverons nous, contre Dieu, contre les saints Patriarches,
„ contre la loy, contre la charité? Dieu devant que creer ce monde, s'exerçoit
„ à en faire qu'il bâtissoit & destruisoit tant qu'il ut appris à faire cestuici. Il à
„ certains jours destines à s'affliger, de ce qu'il en colere à ruiné vostre cité
„ & vostre temple, & c'est lors qu'il esclaire & qu'il tonne. Il ordonna
„ aux Juifs toutes les nouvelles lunes un sacrifice pour expier le tort, qu'il
„ avoit fait à la lune lui ostant sa lumiere, pour la donner au soleil. Il se
„ corrouce tous les jours une fois, & lors les crestes des cocqs perdent leur
„ couleur. Un jour estant arbitre entre quelques Rabbins & R. Eliezar il
„ prononcea pour lui: Les Rabbins l'Excommunierent, & lors il dit en sou-
„ riant, mes enfans m'ont vaincu. De ceux qui parlent ainsi de Dieu qu'
„ attendez vous? Pensez vous en conscience qu'ils le croyent? qu'au moins
„ il en fassent tant d'estat que d'eux mesmes? Erudite & pie. O utinam hæc ad animum revocarent illi, quorum salutem ex animo desideramus!

XV. Restat unicum Judæorum καταφύγιον, quod, ut eo magis ad incitas redigantur, ipsis adhuc eripiendum est. Absurda hæc, inquiunt, Parabolice explicanda, non minus quam multa eorum quæ Christus docuit in Evangelio. Sic *Menasse de resur. Lib.* II. *Cap.* XIX. epulum illud de pisce Leviathan allegorice explicat, de intima ac perfectissima rerum cognitione, qua anima post resurrectionem gaudebit. Ubi etiam promittit de *Rabbinorum* & Talmudis allegoriis peculiari tractatu agere: qui an editus sit nescio. Sic item in *lib.* [illegible]חוי *Par.* I. *Cap.* II. *paragr.* VI. prolixe hæc exceptio proponitur. Multi item ex nostris quos nimius istarum fabularum amor tenet eas hoc modo excusare conantur. Ita *Gaffarellus*, qui apud Orientales suos delirare didicit, in libello Gallico cui titulum fecit *Curiosités inouïes*. Ita *Schikkar. in Bechin. Happeru. p.* 144. Ita *Buxtorf. in præfatione Lex. Talm.* Ita *Cl. D. Leusden. in Dissert.* IV. quam præfixit suo *Jona illustrato*, quem ex amicissimi illius Viri liberalitate possideo. Nec ego plane abnuam quædam esse quæ tu stulte ad litteram torqueres. Videor mihi id ipse observasse, ac tametsi non observassem, tantis in hac litteratura viris lubens crederem.

XVI. Tria tamen notanda puto quibus tota hæc res absolvatur. I. Eum fuisse antiquorum istorum nugatorium genium, tam stulta docere quorum posteros puderet, quæque commoda interpretatione mollire deberent nepo-

nepotes, ne fabula fierent vulgo. De Muhammedis Alcorano illiusque interpretibus id obſervavit ſtupendæ eruditionis vir *Henr. Hotting. Orie. p.* 85. Paradiſi ſui delicias planus ille corporales & venereas, pecudibus denique quam beatis digniores, ſtatuerat. Poſteri vero ejus, Philoſophi comprimis, ſententiæ hujus abſurditatem videntes, multa hic de ſpirituali beatitudine diſſerere, quam ſcilicet Muhammed hiſce involucris adumbraverit. Idem obſervavit & *Hacſpan. p.* 352. Itemque *Voëtius diſput. de Muhamm. Theſi* IV. Qui hunc quorumvis Agyrtarum eſſe genium & methodum ibidem fuſe ac luculenter oſtendit. Conjicio idem Judæis contingere. Pudet & piget ipſos tam inſubidarum næniarum. Hinc ad ἀλληγορομανίαν confugiunt, alias ubi ipſis obeſt, tantopere damnatam *Menaſſ. de reſur. Lib.* 1. *Cap.* VI. Nec puto hoc temere ipſis concedendum. Quippe v lint nolint 2. Multa à nobis ſupra citata omnino ad litteram ſumi debent, nec poſſunt alio detorqueri. Eſt nonnemo qui annotavit, quod ſollicite in Talmude de parabola addi ſoleat משל vel אמשול לך משל uti מעשה vel עובדא de Hiſtoria. At in hiſce fabulis nihil extat, quo ſe parabolam narrare innuant. Imo aliquando ea ſe vidiſſe narrant, quæ tota natura convincit mendacii. Verbi gratia, de rana iſta quæ tanta erat quantus pagus Hageroniæ, continens LX. domos, ſerpente qui ranam deglutiebat, corvo denique qui ſerpentem. Addit Raf. Papa אם לא הואי התם לא הימני. *Niſi fuiſſem ibi* (adeoque vidiſſem) *non crederem.* Quid vidit iſte nugator? Quid credit? Ignoſcat mihi vera dicenti. Nec ego credo, quia non vidi. Sed tuam fidem Judæe? an hoc eſt parabolam narrare? 3. Dato, non conceſſo, ſunto parabolæ. An non futilis iſte docendi mos eſt, ita eas coacervare, ut nemo fere intelligat quo ſpectent? Nam in earum ſenſu indagando vix unquam eſt ut conveniant Authores. Sume celebre illud Leviathanis convivium, aliter Menaſſe id explicat, aliter Gaffarellus, aliter *D. Leusden.* An hæc Deo digna ſunt? An hæc legis ſcriptæ explicatio, decuplo lege ipſa intricatiora? An non impium Sacris litteris ita inſultare, & adoranda verba tremendi Dei ad tam profanas nugas detorquere? Quid eſt nomen ejus ſumere in vanum ſi non hoc ſit? Si Theopompus & Theodectus multo adhuc caſtius & cautius Divina ſcripta tractantes, temeritatem tamen ſuam uterque tam ſevere luerunt, ut alter triginta dierum rabie, alter ſcotomate percuſſus juſtas audaciæ ſuæ pœnas dederit; quid iis futurum putas qui ſacra ſummi Numinis verba ad plus quam aniles fabulas ſerio applicatum eunt? Certe plus quam Homerica cœcitas & Oreſtæa rabies jam modo eſt tale quid conari. Demetrius apud Ptolomæum Philadelphum ex Hecatæo Abderita de ſacris voluminibus loquens, inquit nec Poëtas nec Hiſtoricos legis

Divinæ meminisse ὡς ἁγνῆς ἔσης, quam non conveniat βιβήλοις γόμασι διασαφᾶσθαι. Si profanorum calamo historiam sacram attingi nefas fuit, quanto magis tam horrendis ac Deo injuriosis glossematis perverti? Ἑκὰς ἑκὰς ὅσοι ἀλιτροί. Id est sacris litteris, id est ipsarum Authori Deo quam protervissime illudere. Stat itaque conclusio nostra: ex his omnibus liquere, Talmud Judæorum neutiquam esse Divinæ Authoritatis, sed farraginem potius contradictionum, absurditatum, impietatum denique ac blasphemiarum. Atque illud erat, quod probare intenderamus.

CAP. V.

Kabbala quid, & quotuplex. Triplex juxta Judæos Scripturæ sensus. Athbach. Albam. Athbasch quid. Notarikon. Gematria Blasphemæ species. Practica Kabbala. Illius notabilia quædam exempla. Kabbalæ verba, juxta Judæos, æquiparanda verbis legis. Lex Mosis ita non est scripta, ut undiquaque potuerit legi. Judæi ipsi aliquando Kabbalæ obloquuntur. Nugæ Kabbalisticæ. D. Joh. Leusden laudatus. Quid ם *clausum sibi velit in voce* למרבה *Jes.* IX. 6. *Historia Jonæ Kabbalistice explicata. D. Joh. Hoornbeck laudatur. Practica Kabbala est tetra Magia. Vermiculus* שמיר. *Lepida Historia. Paræneſis ad Judæos.*

I.

JUdæorum *Talmud* ipsorum CABBALA sequatur, id est vara vibiam. De qua sic sumus impræsentiarum acturi, ut *primo* quid sit explicemus, *deinde* cujus Authoritatis apud Judæos, *denique* quomodo convelli possit, ac demonstrari non pro Divino principio, sed pro futili, humano saltem commento esse habendam.

II. Quod ad vocem ipsam attinet, ridiculum est quod Sophistæ quidam antehac in caliginosa ista barbarie & omnium bonarum rerum ignorantia asseruerunt, Cabbalam fuisse hominem Diabolicum & hæreticum: unde Cabbalistas omnes hæreticos esse: uti refert *Reuchl. de arte Cabbali. lib.* I. *p.* 7. Quod vidi à Pico Mirandula etiam esse narratum apud *Hotting. in Thes. Phil. p.* 437. Non minus ridiculum, quod alius nescio quis dicebat, cabbalam vetulam fuisse veneficiis deditam. Revera nomen est verbale, deductum à voce קִבֵּל *accepit, & accipiendo didicit.* Correlatum vocis קבלה est מסורה, παράδοσις, *traditio.* Unde relatum per correlatum suum explicans *R. Salomo* ait, Cabbala est מסורת ומנהג שקיבלנו מרבותינו *Traditio*

tio & ritus quem accepimus à Doctoribus nostris. Quomodo etiam utrumque à Paulo nostro conjungitur 1 Cor. XI. 23. *Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν.* Id Hebraice sonaret קבלתי מאדני שמסרתי אותו לכם Et rursus Cap. XV. 3. *παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ἐν πρώτοις ὃ καὶ παρέλαβον.* Sic & Fagius notat ad Cabbalam allusisse Paulum 1 Tim. I. 15. *πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος.* Ubi *ἀποδοχὴ* idem esset quod קבלה. De voce sic scribit *Elias* in suo *Tisri.* לא נמצא רק בעזרא ובדברי הימים ובאסתר שהם ספרי הגולה ופעם אחת במשלי שמע עצה וקבל מוסר *Non invenitur nisi in Ezra & Chronicis, & Esther, qui libri sunt Captivitatis* (hoc est circa captivitatem Babylonicam conscripti) *& semel in Proverbiis* scil. Cap. XIX. 20. *Audi consilium & accipe castigationem.* Hinc vox Cabbala aliquando sumitur pro scriptis Prophetarum, quippe quæ קבלו *acceperunt à Spiritu Sancto*: uti docet Author *Hali. Olam Cap.* 11. Unde & Elias loco citato de Cabbalisticis libris dicit, quod contineant *mysteria legis & Prophetarum,* שקבל איש מפי איש עד מרע״ה *quæ alter ex alterius ore accepit ad Doctorem Mosen P. M.* Est autem hæc Cabbala duplex. והיא נחלקת לשני חלקים עיונית ומעשית *Et hæc dividitur in duas partes, Speculativam scil. & Practicam,* ait noster Author. Speculativam definit Reuchlinus p. 6. versa. *Divinæ speculationis, ad salutiferam Dei & formarum separatarum contemplationem tradita, symbolica perceptio.* Alibi p. 51. dicit Cabbalam *nihil aliud esse nisi symbolicam Theologiam, in qua non modo litteræ & nomina sunt rerum signa, verum etiam res rerum.* Aliter rursus Rittangelius ad Seph. Jetzira. p. 29.

III. Ut autem penitius rem hanc perspectam habeamus, præcognoscendum est, duplicem apud Judæos statui Scripturæ sensum: unum simplicem & naturalem, quem פשוט appellant, Q. O. nudum & detracta velut veste spoliatum; alterum allegoricum, quem vocant דרש vel מדרש ab inquirendo, quod opus habeat magna & exquisita inquisitione ut inveniatur, quemadmodum non infeliciter explicat *Ludov. Capellus in Exercit. ad locu. Sohar. in initio.* Vel ut accuratius & plenius adhuc *Hulsius Theol. Jud. part. 1. p. 443.* Tria habent vocabula quibus sensum à sensu distinguunt. Primum est משמע, *Auditus*, qui secundum litteram proprie sumtam intelligitur, sive de intentione Spiritus Sancti sit, sive non sit. Alterum est פשוט, *simplicitas*, sensus planus & simplex, quem proprie Spiritus Sanctus intendit, sive propriis sive figuratis verbis proponatur. Tertium est דרש *inquisitio*, sensus allegoricus, cujus commentaria vocant מדרשים, Doctorem דרשן. Videatur etiam *Hoornb.*

contra

contra Jud. lib. I. *cap.* XI. *& Hottin. Thes. Phil. p.* 438. In hoc sensu investigando Cabbala occupatur per varias trajectiones, mutationes numerationes litterarum, aliosque modos ab aliis antehac quamvis diversimode pene semper explicatos. Tria sunt præcipua scripturam Cabbalistice interpretandi genera generaliora. Temura, Notaricon, Gematria, de quibus prolixe satis *Rittangel. l. c. p.* 29. *& seqq.* Ubi exempla rei illustrandæ addidit, quæ lector ibi videre potest, neque enim aut lubet aut vacat omnino actum agere. Temuræ rursus variæ sunt subdivisiones. Celeberrimæ illius species sunt

אלבם אטבח & אתבש.

IV. Atbach illa Alphabeti ratio est, qua א sumitur pro ט, & ב pro ח &c. aut contra ט pro א, ח pro ב & sic deinceps. Exempli gratia גז Ezech. XLVII. 13. sumitur pro זה. Nam ג & ז inter se commutantur per modum Atbach indicante Kimchio. Unde & Chaldæus reddit per דין quod æquipollet τῷ זה Hebræorum. Et Cap. XXI. 15. אבחת חרב *mucronem gladii*, explicat per טבחת *mactationem*, juxta eandem formulam. *Alb*[am] istiusmodi commutationis species est, in qua א sumitur pro ל, ב pro מ, ג pro נ, ד pro ס &c. aut vice versa ל pro א, מ pro ב &c. Hujus meminit R. Salo. & Aben Ezr. ad Jes. VII. 6. *Athbasch* ea commutatio est qua א venit loco ת, & ב loco ש, & ג loco ר, & sic consequenter per totum Alphabetum, vel contra. Per hanc figuram Jer. XXVII. 26. ex ששך faciunt Babel, uti & Chaldæus sic transtulit מלכא דבבל. Sic & שרה per Athbasch scribitur בגע quæ literæ in numero faciunt XCV. *Totidem valet* nomen proprium יסכה Gen. XI. 29. Unde colligunt hanc Jiscam esse ipsissimam Saram. Sed ut plenius hæc intelligantur, juvat in usum studiosorum ex Buxtorfio harum Permutationum tabulas asscribere. Nam apud otiosos non illepidus hic est quandoque ingenii lusus. Et memini cum Groningæ Sacris litteris operam darem, studiosos quosdam eleganter in defendentium quos vocant nomina lusisse, eorumque laudes deprædicasse per Cabbalisticas harum litterarum permutationes. Quod cuivis Hebræi idiomatis mediocriter gnaro, si tentare lubeat, ex subsequentibus tabellis facile erit.

Per *Atbach* alphabetum dividitur in tres classes: prima continet litteras quarum binæ in numero semper constituunt decem: altera quæ centum: tertia quæ mille. Hoc modo.

10	10	10	10
דו	גז	בח	אט

100	100	100	100
יצ	כפ	לע	סמ
1000	1000	1000	1000
קץ	רף	שן	תם

Ubi omnes Alphabeti litteræ præter ד נ ה cum quibus nulla alia combinari potest, ut superior aliquis numerus exprimatur.

Per *Albam* in duas classes secatur alphabetum hoc modo.

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ

ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת

Ubi inferior cum superiore, vel superior cum inferiore pro re nata commutatur.

Athbasch hoc modo in tabulam redigi potest.

את בש: גר דק הצ רף וע הס טן ים כל

לך מי נט סח עז פו צה קד רג שב תא

Ubi inter se permutantur litteræ collaterales, juxta invicem positæ. Sed videat Lector Buxtorfium in tractatu de abbreviaturis. Satis jam & fortasse plus satis de Temura cum celeberrimis suis speciebus.

V. *Notarikon* Cabbalisticus modus est, quo ex singulis vocis litteris, totidem formantur integra vocabula. Ut ex מכבי quomodo Macchabæos Judæi indigitant formari potest מי כמוך באלים יהוה, *Quis sicut tu inter Deos o Domine?* Sic ex אדם, *homo* אפר, דם, מרה, *Cinis, sanguis, fel.* Ex ישוע, Jesus, יהוה שמע וגאל עמו *Dominus audivit & redemit populum suum.* ערבי *Hebræus,* עִוְרִים בֶּאֱמֶת רוֹאֵי יִשְׂרָאֵל, *Cæci revera sunt videntes in Israele*, id est qui videre se putant. Et quæ infinita talia comminisci cuivis promptum est. *Gematria* modus est, quo diversæ dictiones eundem numerum litteris suis exprimunt. Sic צמח Sachar. III. 8. valet 138. totidem valet מנחם *consolator*, quod nomen Cabbalistæ & Talmudici inter nomina Messiæ numerant. Sic & Gen. XLIX. 10. יבא שילה facit 358. totidem facit משיח, ut notavit *Baal Turim*: quapropter & Chaldæus transtulit per משיחא. Vide si velis *Reuchl. de arte Cabba. p.*64. & seq. Adjungam eas blasphemæ Gematriæ species, quas ex R. Jehudæ de Modena manuscriptis schedulis Cl. Voetius annotavit *part.* II. *Disp. Select. p.* 123. ישו נצרי, *Jesus Nazarenus* literæ hic faciunt numerum 666. quem Antichristi illius magni characterem designavit Johannes Apoc. XIII. Unde Irenæus formavit suum ΛΑΤΕΙΝΟΣ, & quem numerum in numeralibus sequentium vocum litteris deprehendit Nobilissimus Plessæus. PAULO V. VICE DEO, qualem titulum cum vera anti-Christiana pictura Pontifici Paulo V. adscriptum fuisse narrat in prima facie multorum librorum ipsi dicatorum, qui Romæ Bononiæque impressi sunt. Quod in transitu. Rursus Modena. ישו ומרים, *Jesus & Maria*, ubi litteræ faciunt numerum 612.

Cum eo conferebat Deut. XXXI. 16. אלהי נכר הארץ *Dii alienæ terræ*, quæ vocabula totidem valent. Ut & seorsim nomen ישו, cujus litteræ valent 316. conferebat cum vocibus אלהי נכר, quæ eundem numerum continent. Sic in Italia Judæi de Christo loquuntur, & silent pravitatis Hæreticæ inquisitores. Quod si quis in Papam auderet, immanissimæ flammæ & Nebucadnetzaris fornax expiando crimini aut satiandæ vindictæ vix sufficerent. Hæc exhibui, ut gustum Theoreticæ Cabbalæ præberem. *Plura* fortasse exempla deinceps danda erunt.

VI. Restat ut de Practica Cabbala jam dicamus aliquid. Ea est Judæorum talis scientia, qua per litteras aliquas & quarundam vocum certam pronuntiationem mirabilia se patrare posse putant. De ea integros libros conscripserunt, aliosque pluribus exemplis ac instructionibus repleverunt, de quibus videri potest *Buxtorfii Bibliotheca*. Hac morbos se curare posse jactant, litteris quibusdam certo quodam modo conscriptis, iisque pro amyleto ad collum alibive suspensis. Eodem modo quo Pontificii de Evangelio Johannis, & certis quibusdam nominibus sanctorum sanctarumve delirant. De quo tamen reformando in ipso Concilio Tridentino actum fuit, plerisque Patrum censentibus hæc omnia, tanquam rerum sacrarum impios abusus, non damnanda modo & vetanda sed & severiter castiganda esse. Licet non deessent qui contra dissererent, & quæ illi velut impia ac superstitiosa damnabant, horum quædam non tolerabilia solum, minimeque damnanda, sed licita, pia, ac religiosa contenderent. Uti refertur in illius Concilii Historia p. 141. Edit. Noviss. Adeo profundas radices malesuada superstitio in multorum animis egit, ut optima ac necessaria quam maxime impediri, quam pestem hanc evelli malint. Similis his nugis Practica Judæorum Cabbala est, unde fortassis originem suam duxere. Hoc sensu Baal Aruch Cabbalam vocat, *alligamentum, amyletum, pittacium*. Hac se in aliam ab humana specie effigiem mutari posse narrant. Hac celebris Ramban navim, quam nulla pene humana vis in mare deducere potis erat, facili negotio juramentis quibusdam adhibitis ad se pertraxit. Plurimum hac in re valet secretum שם המפורש de quo videatur Lutheri libellus, & *Buxtorf. in Lexi. Bibl. ad vocem* הוה, per cujus rectam pronunciationem paucissimis notam, Moses scil. omnia sua miracula patravit. Cujus peritum fuisse volunt D. Jesum, qui hoc ipso medio tantorum miraculorum authorem se Deo hominibusque probavit. Audivimus quidem supra Salman Zebi id negantem. Sed frustra. Res est ex Talmude clara. Integram fabellam & Talmudistarum verba exhibet Buxtorf. loc. cit. Huic simile est

eſt, quod de Pſeudo-Meſſia David Alroi narrat *R. Benjamin in itinera. p.m.* 91. quam hiſtoriam etiam deſcriptam reperio in *Schebet Jehuda*. Planus iſte poſtquam credulis Judæis ad promiſſum Meſſiam anhelantibus, eum ſe eſſe perſuaſiſſet, à Perſarum Rege captus, ipſe ſe è carcere ſolvit, Regi intrepidum ſe ſiſtit, ac roganti quis ipſum illuc adduxiſſet aut quis ſolviſſet vincula, reſpondit, mea ſolertia. Regi inclamanti ut eum caperent, regeſſerunt ſervi, ſe vocem quidem hominis audire, hominem non videre. Pergit hic Meſſias, & rei miraculo permotum regem cum Principibus & famulitio ad ripam fluminis trahit, quod accepto ſudario & ſuper aquas expanſo tranſivit, eodem die decem dierum iter emetiens: addit Benjamin בשם המפורש *idque virtute nominis expoſiti*, id eſt Jehovæ, de quo vid. *C. l'Empereur ad hunc locum*. Sic & R. Meïr per nomen Divinum vel ab Ethnico prolatum ipſam uxoris ſuæ ſororem à corruptione diverſorii lupanaris ſervavit, quam vi proſtitutam nullus ganeonum, verbo dicto, etiam quantumvis robuſtus violare ac ſtuprare poterat. Referente *Reuchl. ex porta lucis, pag.* XXI.

VII. Nunc quantæ Authoritatis apud Judæos Cabbala ſit diſpiciamus. Primus Cabbaliſtarum, de quo ego me legere memini, Patriarcha Abrahamus fuit, quem integrum librum Cabbaliſticum conſcripſiſſe ajunt, cui titulum fecit *Sepher Jetzira*, quem variis Cabbaliſtarum commentariis auctum latine nobis dedit Rittangelius. Hunc à tanto Authore profectum plurimi ſemper fecerunt Judæi. Ipſe Propheta Jeremias ſæpe hunc diurna nocturnaque manu verſare ſolebat: uti ex ספר בטחון refert *Reuchl. de arte Cabbal. p. 73. verſa*. Imo venit ad eum בת קול hoc eſt Divinum oraculum, quo jubebatur tribus integris annis eidem volumini inſudare. Alii originem Cabbalæ ſaltem quoad præcipuam partem à Moſe arceſſunt. Narrant enim legem primitus ſcriptam fuiſſe in igne fuſco, ſuper dorſum ignis candidi: litteris inter ſe confuſis ac inglomeratis, quas harum rerum ſtudioſi Spiritu Sancto ducti, hinc inde, prorſus rurſus, legere & inter ſe combinare poterant, ac undiquaque ſenſum exſculpere in bonis bonum, in malis malum. Hanc artem imprimis Moſes à Deo in monte edoctus erat, quam cum Joſua & LXX. communicavit. Et hinc Cabbaliſticus iſte modus litteras inter ſe componendi, dividendi, permutandi pro re nata. Hoc eſt quod Cabbaliſtæ narrant apud *Reuchl. p.* 52. בכרו אמר רבותינו "חמשים שערי בינה נבראו בעולם יכולן נמסרו למשה חוץ מאחד שנא' ותחסרהו מעט מאלהים *Pridem dixerunt Magiſtri noſtri, quinquaginta portæ intelligentiæ creatæ ſunt in mundo, & omnes Moſi traditæ una excepta, Scriptum*

ptum quippe est, Paulo minorem fecisti ipsum Deo Psal. VIII. Hinc tritum illud קבלה למשה מסיני *Cabbala Mosis è Sinai.* Hujus Cabbalæ beneficio ad tantum sapientiæ fastigium pervenit Salomo: saltem si Gerundensi credere fas sit: qui, postquam multis sapientiam Salomonis deprædicasset sic ἰσορεῖ וכל זה ירע בתורה והכל מצא בה בפירושיה בדקדוקיה באותיותיה ובקוציה *Totumque hoc cognovit ex lege; & in ea reperit per explicationes ejus, per Grammaticas subtilitates, per literas & calamistrationes ejus.* De hac Cabbala intelligi volunt quod Salomon ait Proverb. XXII. 20. 21. *Nonne insignia tibi scripsi de, omni consilio & sapientia? Ut notificarem tibi certitudinem eloquiorum veritatis?* Nam sic solent Cabbalam appellare אמרי אמת *eloquia veritatis*, scripta scilicet על דרך אמת *juxta viam veritatis.* Uno verbo, quid de eo sentiendum indicant in *Rosch Hasschana.* דברי קבלה כדברי תורה דמו *Verba Cabbalæ verbis legis æquiparanda sunt.*

VIII. Nos vero Cabbalam nihil aliud esse putamus quam ingentium nugarum seriem: in qua nihil certi, nihil solidi, nihil Divini, nihil quod non in omnes pæne formas torqueri ac retorqueri potest. Aliud sibi negotium datum esse autumarunt prisci Patres, quam ut istiusmodi næniis conquirendis vacarent. Hæc quæ jam admirantur, suspiciunt, tanquam cœlitus data suscipiunt, recentiorum Judæorum commenta sunt, qui relicto purissimo Dei verbo, unico omnis lympidæ sapientiæ fonte, nugatorio otio abundantes ad σεσοφισμένους μύθους conversi sunt. Quod instituti nostri memores, ex ipsis Judæorum hypothesibus, his argumentis ostendimus.

IX. Primò, Fundamentum ipsum cui hæc omnia superstruuntur cariosum admodum est, quod scil. lex tam miraculose à Deo fuerit scripta, ut undiquaque potuerit legi & commodum nancisci sensum, quem Divinitus edoctus fuerit Moses. Cui enim bono miraculosa hæc scriptura? An ut eo majores viderentur tremendæ legis divitiæ, quum tot inde sensus exsculpi, doceri, disci quiverint? Atqui non usquequaque dignum est supremo numini ita cum maleferiatis hominibus quasi per otium ludere. Nec in eo consistit cœlestis sapientia ut mortuas nos litteras & cuivis nugatori obvias earum transpositiones doceat, sed ut Spiritum, ut veritatem, ut rationem qua deperditam salutem indipisci rursus queant suis communicet. Aliud in Sacris litteris quærendum est quam ingeniorum ludus ac lusus. Gerres fingitis, & garum putatis. Nec in eo divitiæ legis sitæ sunt, quod tot modis exponi possit. Quod enim tot sensus habet, nullum habet, πᾶν πολύσημον, ἄσημον, inquit eleganter Aristoteles. Apollinis Loxiæ est, atque adeo

ejus

ejus qui proposuit fallere, consulto ambiguum esse, quod de Tiberio Cæsare notavit Tacitus. Sed pone ita Deum scripsisse legem suam, adde varias lectiones istas didicisse Mosem in monte; rogo qua ratione Moses hæc alios docere potuit? Quippe non prostabant publicæ hæ tabulæ quas Deus propria manu consignarat; sed asservatæ sunt in arca procul ab omnium conspectu. Et certe omnibus impossibile fuit hæc percipere & discere, nisi αὐτόπταις. At liberales simus. Plus aliquid concedamus, quod tamen volentibus Judæis modo retractandum. Scripserit ita Deus legem: sciverit id Moses: docuerit id Josuam & LXX. senes. Adde, valeat Cabbala circa legem. Quid hæc ad Prophetas, quid ad Hagiographa, circa quæ non minus insaniunt Cabbalistæ? Imo quid hæc ad integrum pentateuchum, exigua illa Decalogi particula excepta? Nunquid & hæc tam miraculose in tabulis à Deo conscripta sunt? Sane fatentibus vobis non sunt. Quodnam ergo Cabbalæ circa illa fundamentum? Imo nequidem Decalogi scriptura, ut modo dixi, tam mirabilis fuit quam fingitis: quod ex vestrorum nunc testimoniis demonstratum eo. *Aberbenel* hac de re loquens *folio* 211. *col.* 3. quibusdam tantummodo suorum sententiam hanc asscribit. ויש מחול״ שאמרו שהיה הכתוב מפולש עד שהיו האותיות נוקבות מעבר לעבר *Sunt ex sapientibus nostris qui ajunt scripturam fuisse penetrantem, sicut littera ab uno latere ad aliud fuerint perforata.* Ubi quibusdam sapientum opinionem istam vindicant, alios fuisse subinnuit qui in alia omnia iverunt. Rabbi *Levi Ben Gerson in legem fol.* 113. *col.* 1. Diserte satis eam improbat dicendo וזה דרך דרש *Atque hæc expositio est allegorica*, quod solent dicere, quum revera aliud quid docere textum autumant. In libro Zohar ratione ex ipsa lege scripta desumta commentum hoc refutatur: לדעתייהו דאינון דאמרין נקיבין הוו מי בלוחות כתיב על הלוחות כתיב. Id est interprete *Buxtorf. in Disser. de deca. Thes.* XXX. *Contra illorum sententiam qui dicunt perforatas fuisse litteras, est, quod non est scriptum sculpta* בלוחות in tabulis; *sed* על הלוחות super tabulis, *scriptum est.* Alias aliorum Judæorum sententias mysticæ huic plane contrarias vide apud *Buxt. loc. cit.* Si ergo Decalogus non est tam miraculose scriptus, non admittit etiam tam varias explicationes, ex varia litterarum inter se combinatione ortas, non potuit etiam Moses esse edoctus hæc mysteria, quæ nulla sunt, non potest denique Divina concedi Cabbala, qui hæc omnia Cabbalæ sunt fundamentum.

X. Secundo. Judæi ipsi ubi lubitum est Cabbalæ contradicunt. Notissima est R. Eliæ celebris Cabbalistæ assertio, quæ mundi durationem sex annorum millibus definit: duo millia assignans לתוהו *vastitati*, duo לתורה *legi*,

legi, totidem לימות המשיח *diebus Messiæ*, & tunc חד חריב *uno destruetur*. Traditionem hanc plurimi fecere veteres: indeque pridem apud eos tot Pseudo-Messiæ, gnari & apud gnaros, jam dudum elapsum esse tempus, non modo in Sacris litteris, sed & Sapientum traditionibus adventui Messiæ præfixum. Sed jam eventu optimo Prophetiarum interprete Judæos ad incitas redigente stante hoc dicterio, varias illius explicationes commenti sunt, quibus omnibus quum itidem excidere, tandem illi aperte obloquuntur. Tanti Judæis Cabbala est, modo ipsorum negotiis obsit. *Menasse de creat. p.* 136. aperte & candide. *R. Moses Ægyptius aliique multi existimarunt mundum fore æternum &c. Idcirco hujus seculi Cabbalistæ animadvertentes difficultatem dissentiunt ab antiquis &c.* Adde quod ex Pesikta refert Abkat Rochel כשברא הקב״ה עולמו פשט ידו תחת כסא הכבוד והושיא נשמת המשיח אמר לו רוצה אתה לחבר אות ולגאול את בני אחר ששת אלפים אמר הין. *Quum creavit Deus benedictus mundum suum, extendit manum suam sub solio gloriæ, eduxitque animam Messiæ, cui dixit, vis' tu creari & redimere filios meos post sex annorum millia? Respondit, Fiat.* Ubi jam nunc Cabbalistica illa traditio, quæ integra duo postrema annorum millia diebus Messiæ assignabat? Plura ejusmodi, ubi alter alteri contradicit, in mundo esset afferre.

XI. Tertio, infinitæ nugæ ex Cabbala educuntur, & eductæ ab ipsis Judæis sunt. Unum atque alterum exemplum dabo. Legimus Genes. XXV. 29. ויבא עשו מן השדה והוא עיף *Et venit Esau ex agro, eratque lassus.* Hinc concludunt Esavum isthoc die tria commisisse peccata, quæ caussæ fuerint Divini erga ipsum odii de quo Mal. I. 7. Primum Esavi peccatum esset furtum. Hic enim habetur יבא, Jam vero vocabulum ab eadem radice ortum באו usurpat Obadias, ubi de furibus sermo est. Obad. I. 5. אם גנבים באו לך *si fures veniant ad te.* Alterum peccatum esset stuprum virginis desponsatæ. Idque probatur ex voce שדה, quo utitur etiam Deus, ubi legem fert contra ejusmodi stupratores Num. XXII. 25. 27. Tertium peccatum esset homicidium. Idque evincitur ex vocabulo עיף, quod Jer. IV. 31. jungitur voci להרוגים, id est *occisis*. Næ ego fungos potius esse arbitror quam homines, qui hæc talia in animum suum inducere queunt. Non minus elegans est quod apud *Aberbenelem reperi in Jesa. fol.* XXIII. *col.* 2.

אמר ר׳ תנחום מעני מה כל מם שבאמצע התיבה פתורה וזו סתומה׳ נקשו הקב״ת לעשות לחזקיהו משיח ולסנחריב גוג ומגוג׳ אמרה מדות הדין לפני הקב״ה ומה דוד מלך ישראל שאמר לפניך כמה שירות ותושבחות

ותושבחות לא עשיתו משיח חזקיהו שעשית לו כל הנסים הללו ולא אמר לפניך שירה כמה וכמה שלא תעשהו משיח. Antequam hæc vertam, quo manifestius sit quid Cabbalistæ velint, paucula præfabor. Norunt omnes quinque esse litteras in Alphabeto Hebraico, quæ aliter in initio aut medio vocis, aliter in fine pinguntur. Inter illas Mem est. Quam Curiosi Masorethæ observarunt in hoc versu Jesaiæ ad quem alluditur (est autem is vers. 6. cap. IX.) in media voce finali figura scribi, hoc modo לםרבה. In quo putant mysterium aliquod latere Judæorum Doctores. Uti aliud hic AbenEzra sibi fingit, aliud rursus Aberbenel. Nam sic solent ex litteris majusculis, minusculis, suspensis, inversis, quæ aliquando in Sacro textu occurrunt (quarum quædam annotatæ à Masorethis in principio Geneseos ac in principio Chronicorum, omnes autem accurate *à Buxtorfio* in commentario Masorethico, & Præceptore nostro *D. Leusden. Philo. Hebr. Dissertat.* X.) secreta quæ sibi fingunt sculpere. Inter alios mysterium hic ruspati sunt Cabbalistæ: quod ex Talmude sic proponitur. *Dixit R. Tanchum. Cur omne Mem in medio dictionis apertum, hîc autem clausum est: Conatus est Deus Sanctus Benedictus Hitzkiam Messiam facere, & Sennacheribum Gogum & Magogum. Respondit proprietas judicii* (quod quid sit vid. Buxtorf. Lexic. Talm. voce מדד) *coram Deo S. B. quorsum tendunt hæc? Davidem Regem Israelis qui tot tibi Psalmos Hymnosque obtulit, Messiam non fecisti: & Hizkiam eo honore decorabis, apud quem omnia hæc miracula patrasti, quique nullum tibi composuit canticum?* Tunc suspensus & quasi victus in judicio suo Deus fuit, ac impeditus quo minus pergeret: & in ejus rei signum scilicet hîc est clausum τὸ Mem. Deliria! ex quibus si tu sapientiam elicere velis cum Aberbenele, id ages ut cum ratione insanias. Ejusdem farinæ est argumentum, quo Divini Cabbalistæ (sic Menasse loquitur) resurrectionem mortuorum probant ex Historia Jonæ. Per Jonam allegorice intelligunt animam. יונה enim Hebraice significat columbam, & sicuti illa sine felle est, sic anima libera est ab omni peccato, antequam in lucem editur. Sed quum illa secura est, & obliviscitur quam ob rem & quo fine in mundum venerit, prona in vitia & peccata prolabitur. (Nam תרשיש Tarsus significat תרי שיש duo vitia) id est honestum relinquit & sequitur tantum bonum utile & delectabile. Descendit Japhuntem atque ibi reperit navem: id est anima cœlitus venit pura & formosa, nam יפו Japho venit à יפה, quod significat pulcrum. Sed in navi ingenti procella jactatus, hoc est, anima in corpore existens multis affectibus veluti tempestate magna agitatur, & propter incuriam & segnitiem suam à Deo castigatur &c.

Vide

Vide sis similitudinem hanc sic porro deductam apud *Menassem de resurr. p. 34. & seq.* Similes elegantias multas reperire est in libro Zohar, cujus gustum Christiano lectori in peculiari exercitatione dedit Ludovicus Capellus Vir Clar. Sed an non lepidus iste argumentandi Modus est? Quam vellem! cogitasset Menasse, quum hoc pro divinorum hominum argumento venditat, quod ejusdem libri p. 38. dicturus erat. *Sciendum est Scripturam semper secundum litteram intelligendam & explicandam esse, nisi explicatio contineat aliquid quod implicat contradictionem &c. Si enim cuique pro arbitrio suo liceat sensu allegorico explicare Sacras Litteras, quæ certitudo explicationis erit? Sensum quem quisque volet sibi finget, unde in infinita ac innumerabilia nos incidere necesse erit absurda.* Vide sodes, Lector, quæ sequuntur, quibus contra hanc ἀλληγορομανίαν eleganter satis declamat. In *Tikkune Zohar. lib. 1. Tikkun.* LVI. *fol. 92. col. 12.* Explicatur nomen tetragrammatum Jehova hoc modo. יהוה איהו י אב ה אם ו בן ה בת *Prima littera vocis Jehova, Jod notat Patrem; secunda littera He, Matrem; Tertia littera Vau, filium; Quarta littera He, filiam.* Quid fingi potest stultius ac indignius Deo quæcunque demum mysteria hic sibi imaginentur? Portenta hæc sunt opinionum, ac certius talia videbuntur, si scias quid per patrem ac matrem, filium & filiam intelligant blasphemi nugatores: scilicet mentem & opus, vocem & verbum, uti alius eodem libro docet. Quod certe est nihil dicere, & magno molimine id unum agere, ne à quoquam intelligaris.

XII. Imo & ipsi Judæi vanitates Cabbalisticas observarunt & ut tales rejecerunt Jes. VII. 6. Legitur nomen proprium טבאל, quod quidam interpretes vertunt per רמלא, per speciem commutationis Albam de qua supra. Subjungit autem AbenEzra וזה הבל. *Hoc est vanitas.* Quodlibet enim ex quolibet hoc modo colligi posset. Ex Diabolo Deum, ex Deo quis facere posset diabolum. Nam, si Rittangelio fides, bis mille & sedecim ipsis sunt notissimæ combinationes litterarum inter se. Si uno modo delirium ipsorum non procedat, promptum est refugium ad aliud. Quid non fingeret mens humana ubi tam latum campum commentis suis nanciscitur? Præcipua etiam religionis nostræ capita, Judæis adversa ex Cabbala deduci possent. Picus Mirandulanus testatur id aperte, apud *Clar. Hotting. Thesa. Philol. p. 244. Vidi,* inquit, *in illis (testis est mihi Deus) religionem non tam Mosaicam quam Christianam. Ibi Trinitatis mysterium &c.* Vide sis lo. cit. nam dignissimus liber in omnium manu est. Si suppositiria & ficta non sint, quæ in libris suis Galatinus ex Raimundo plerumque desumta

sumta Cabbalistis adscriptum it, mira certe sunt, & antiquorum fidem recentiorum perfidiæ è diametro oppositam luculenter commendant. Ast nolim lectorem veritatis Studiosum iis inniti. Idem mihi judicium de illis ferendum videtur quod de Sybillinis carminibus, quæ per nimiam evidentiam ὑποβολιμαῖα se esse eruditis probant. Hoc tamen indubium, multa ex Cabbala desumi posse, quibus hodiernos Judæos, si non passive, active saltem convincas. Specimina aliquot exhibuit *D. Hoornbeek.* p. 96. Nos fortassis data occasione ex iis quos vidimus Cabbalistis, perpaucis licet, nec pauca nec nullius facienda proferre conabimur.

XIII. De practica Cabbala manifestum est meram merissimam esse Necromantiam, tetram saltem Magiam. Testis sit toties jam citatus Celebris ille *Menasse de creat. p. 88.* Ubi hæc verba inveni. *Et multi sane reperiuntur qui dæmonas istis adjurationibus suis advocant, & necromantias ope mira admodum multa patrant. Quin & in libris quibusdam Cabbalistarum, quales sunt Pirke Ehaloth Raziel, & aliorum recensentur eorum nomina, exorcismi & incantationes.* Vide quid Practici illi Cabbalistæ doceant? Nomina, incantationes, & exorcismos dæmonum. Et ingenue Benjamin, illum quem supra diximus Pseudo-Messiam, ob miracula quæ virtute Cabbalistica edebat, vocat מכשף Incantatorem. Lubet adjungere verba *Dan. Swenteri* de libro Raziel, quæ habet *Buxtorf. Bibl. Rab. p. mihi 488. Liber est continens nomina Angelorum & Spirituum variorum, ac docens quomodo tam boni quam mali sint conciliandi, quomodo cum sole & luna loquendum, quomodo morbi procreandi iidemque iterum curandi, civitates evertendæ, terræ motus excitandi &c. Continet artem vaticinandi & ex astris prædicendi: videndum exhibet baculum Mosis characteribus insignitum, quorum virtute signa & miracula ediderit, item characterum concursum, quem Magi Almandel Salomonis vocant, de quibus inter alia hæc expresse habet, si scripseris Almandel Salomonis &c. mira poteris experiri de mira incarnatione Messiæ, de qua si sæpius interrogationem institueris, gratus & acceptus eris superis ac inferis.* Hæc docet Cabbala Practica Judæorum, quod si Magicum non sit, quid demum erit Magia? Recte judicavit de hoc libro Galatinus, quum scribit. *Nolo addere librum Salomonis sub nomine Razielis inscriptum, quia est fictio magica.* Sic solent impii Cabbalistæ ad præstigiarum suarum patrocinium Mosem & imprimis Salomonem adducere; qui, ut supra ostensum, Cabbalam suos tam sollicite (si Deo placet) docuit. Hunc narrant per vermiculum שמיר, quem arte Cabbalistica ab Asmodæo Diabolorum principe acquisiverit, ut est in Talmud *Gittim*, rupes fidisse & saxa dedolasse, sic ut minus mirum sit nihil fabri-

lium instrumentorum in structura templi adhibitum esse, quod Spiritus Sanctus testatur 1 Reg. VI. 7. Nihil affingo Judæis. Multis fabulam hanc Kimchi edisserit in commentariis suis ad lo. cit. qui subjungit Cabbalam hanc esse à temporibus Mosis, qui similiter in dedolandis lapidibus ephodi hoc vermiculo usus est, ideoque nullo modo à nobis revocandam in dubium. Qui plura desiderat, adeat *Buxtorf. Lex. Talm. p.* 2456. Non satis est Cabbalistis ut ipsi præstigiatores & magi sint, nisi in ejusdem criminis communionem cœlesti numine afflatos Prophetas pertraxerint. Minerval hic Judæis debet impostorum Corypheus Muhammed, ex cujus sententia Arabs Beidavi narrat, Salomonem ad perficiendum opus templi à Davide inchoatnm dæmones conduxisse. Nonnihil autem operis consummationi deerat, quum mors illius instaret, quo de certior factus, rogavit Deum ut mortem suam dæmones celaret, ne institutum opus abrumperetur &c. vide *Hetting. Hist. Orie. p. 67.*


XIV. Sed ut ad institutum redeam, unde me tam aniles fabulæ abduxerunt, editus est Venetiis anno 331. id est Christi 1571. brevis tractatus cum titulo שמוש תהלים *Usus Psalmorum*, quo declaratur, si toties vel toties recitentur, vel pergameno virgini inscripti à collo suspendantur, addito nomine angeli specialis, quem Cabbalistice ex Psalmo fingunt, & nescio qua precatiuncula ad Angelum directa, miri quid per eos perpetrari posse, sive abortus mulieris impediendus sive procellosum mare sedandum, sive capitis dolores curandi, sive denique corpus immune servandum à vulneribus, & quæ sunt ejusdem commatis plura: quæ paulo specialius tradita sunt à *Buxtorf. Biblio. Rabb. p.* 415. Lepidum est quod hac occasione ex Luthero narrat. Judæum quendam voluisse Albertum Ducem Saxoniæ hujusmodi artem docere contra vulnera. Ille quum miraretur quomodo hoc fieri posset, cum Judæo ruri hac de re conferens, dixit: Ut certior sim, in te prius experimentum capiam, & extracto gladio Judæum ita læsit, ut neque per Schem Hamphoras, neque per appensum pergamenum sacris nominibus perscriptum, sanari potuerit. Facile credo: & tali casu bonum emplastrum mihi malim, quam quidquid est Judaicorum pergamenorum. Sed testor tuam fidem, Hebræe, an non aperta est Magia, ita per ludibrium ac vilipendium Divini verbi & quod teterrimum est omnium, per certas quasdam preculas ad diabolos directas, consuescere cum Dæmonibus, eorumque opera uti in iis peragendis, quæ aut omnino nobis interdixit Deus, aut per legitima ac ordinaria media divi-

divinitus concessa peragi jussit? An ita potuistis oblivisci severam illam Dei vestri legem, qua omnes incantatores & magos è medio populi sui exscindi voluit? An potestis, an audetis, si vel mica adhuc bonæ mentis vobis restet, superstitiosas illas, blasphemas, & non à Mose, non à Spiritu Sancto, sed à Diabolo magistro traditas nugas, eo honore dignari, ut partem eas facere velitis cœlestis sapientiæ? quæ casta, munda soli Deo supplicare, confidere, & ab ipso angelorum suorum subsidium implorare docet, ut in omnibus viis nostris nos deducant; non inferni, non dæmonum, à quibus doceri vel juvari nolumus, nec sine teterrima idololatria, Dei nostri ludibrio ac contemtu, & denique æterno animarum nostrarum detrimento possumus. Missas ergo facite quisquilias istas. Habetis Legem & Prophetas, & ò utinam adderetis Domini nostri Jesu Evangelium, hæc diligentiæ vestræ sufficient, hæc meditemini, in his sitis, hæc nocturna manu versemini, versemini diurna. Addite preces ad Deum assiduas, quas nos vobis præimus, ut velamen illud à cordibus vestris auferatur, scripturam legentes scripturam intelligatis, hæc vobis vitæ cynosura, hæc ad promissum Messiam pædagogus sit, ut DEUM, ut Christum ejus cognoscatis, donec id lumine ejus videbitis lumen.

Amen.



DISSERTATIO
DE
SACRO-SANCTA
TRINITATE,
EX
SCRIPTIS
ET
HYPOTHESIBUS
JUDÆORUM.



LECTORI S.

SIste sodes paulisper gradum, paucis te volo, *benevole Lector!* Methodus hæc disputandi, quam contra Judæos institui, in argumento præsertim tam abstruso, uti hoc de adoranda TRINITATE est, nescio an admodum probabilis tibi videbitur. Non sum in ea hæresi (ne & tu illud nescias) posse per naturam solam tremendum hoc mysterium cognosci, quippe quod naturalis ingenii captum infinitis parasangis superet. Superet, inquam, non repugnet. Nec propria solertia quenquam quidquam ea de re scivisse unquam ego existimavi; nedum Judæos meos, quibus eruditionis & acuminis specialem laudem, pauculis quibusdam exceptis, tribuere nunquam soleo. Quicquid hic quasi per transennam viderunt, ex Mosis Prophetarumque scriptis, & antiquorum Patrum, quibus se ipsum revelaverat Deus, traditionibus haustum est. Imo nec totum illud tam liquidum, ut distinctam & claram mysterii hujus cognitionem, quæ cum Christianorum luce comparari ullo modo queat, veteres ipsorum Doctores habuisse, aut mihi persuadere possim, aut tibi persuadere velim. Præsertim postquam lucem, cum haberent, usurpare oculis noluissent, & Evangelium, non ea propter cœlitus demissum, *non hos donatum munus in usus*, tam proterve sprevissent. Id tantum animus fuit ostendere, priscos Hebræorum Patres, eos imprimis qui à temporibus Christi propiores erant, per nebulam saltem lucem eam vidisse, quæ nunc tam clare revelata est in Evangelio, quam tu solem hunc nostrum mero meridie lucere cernis. Lucem aliquam

in Caliginosis & senticosis Targumistarum, Cabbalistarum, Rabbinorumque scriptis deprehensam à nobis, ni fallor, animadvertes; sed lucem maculis jam respersam, ac mixtura caliginis varia distinctam.

Nec tenebras, sed enim tenebras prope dicere possis,
Nec possis lucem, sed enim prope dicere lucem.

Quale fere in crepusculo, declinante sole jam crassas tenebras minitante. Aut

Quale per obscuram noctem sub luce maligna
Est iter in sylvis.

Si sine sole, non sine luna. Sic est crepusculum tunc fuit apud Judæos, aut nox luna saltem aliqua illustrata: præ ea quæ consequuta est plusquam Cymmerica caligine, qua nunc immersi jacent: Deo spretum filii sui Evangelium tam dirum in modum, sed justissime, vindicante. At certe nonnihil me præstitisse reor, si hodiernis Judæis demonstravero, id ipsum mysterium cui tam præfracte nunc obstrepunt, visum esse eorum avis, licet non distincte animadversum, licet non cominus; uti de stella ex Jacobo oriunda vaticinabatur ferme Balaam. Adeste sultis, Aben Ezræ, Kimchii, Lipmanni, Aberbeneles, Menassæ, & quotquot à Mosis, à Prophetarum, à Patrum antiquiorum scitis, nec scitis sed craculis desciscitis, cernite hic priscorum fidem, cernite vestram perfidiam, & discite rursus adorare à Patribus creditum, à Christo & sanctis ipsius Apostolis plenius ac planius revelatum, verum Israelis Deum, quem unum vobiscum fatemur (Anathema qui plures Deos somniet, imo anathema sit Maranatha) sed quem Trinum simul esse, & ipse nos docuit, & patres vestri pro temporum istorum ratione didicerunt. Non nova est doctrina quam

appor-

apportamus; sed eadem quam Majores crediderunt vestri. Hoc saltem discrimine quod dilucidius multo & sine involucris eam proponamus, Deo sapienter id ita dispensante, ut planior hæc sui cognitio Messiæ temporibus asservaretur, non revelanda nisi per filium. Ast tecum, *Lector*, brevi colloqui proposueram, & rursus me impetus ad Judæos abripuit. Hoc te tantummodo monitum volebam: non me hæc argumenta, quæ ad hominem modo sunt (ut loquuntur) iis æquiparare quæ nude deducuntur ex scripturis. Neutiquam. Sed hanc me ingressum esse viam, tum quod nescirem an à quoquam id antehac ex professo tentatum sit; tum quod existimarem, hodiernorum perfidiam ab antiquorum fide maximo intervallo distare hoc modo commode demonstrari posse; id saltem obtineri, doctrinam nostram de hoc articulo non tam exosam Judæis esse debere, quandoquidem cum Doctrina & Phrasibus Patrum ipsorum tam admirandum in modum conspiret. Hoc si evicero, voti damnas sum. Tu, *Pie Lector*, seu Judæus, seu Christianus, seu quicunque tandem sis, vide & judica.



DIS-



DISSERTATIO
DE
TRINITATE.

I.

DE *Trinitate* ex Judæis contra Judæos disputaturus hanc mihi observandam methodum esse existimavi. *Primo* ut tollam præjudicium illud, quod per sententiam Christianorum derogetur unitati essentiæ Divinæ, quam toties & merito inculcant Judæi. *Deinde* ostendam in genere, non posse non, juxta propria ipsorum scita, pluralitatem aliquam personarum in Deo agnosci. Ac *denique* probem in specie, tres illas personas esse, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, nota ac vulgata apud ipsos nomina.

II. Ante omnia id quod dixi præjudicium removendum arbitror. Hoc enim semper est quod regerunt; ac fere primum quod opponunt nobis. In articulis fidei Judaicæ, Symbolo nostro quod Apostolorum dicunt è diametro plerumque oppositis, secundus est, Deum esse אחד המיוחד. *Unum quam maxime unum.* Notum est quantopere ingeminent suum illud קריאת שמע, id est versum desumtum ex Deut. VI. 4. & quamdiu ibi producant cantationem vocis אחד. Quomodo item hoc quasi Symbolo utantur ad suos à quibuslibet aliis distinguendos, uti olim fiebat per Schibboleth. De eo *Lipmannus num.* CXXVII. *in fine* ait. מקבלים אנחנו שפסוק זה אומרים השבטים ליעקוב אבינו כששאלם לפני מותו על הייחוד הוא ענה אחריהם בשכמלו״. *Accepimus ex Traditione, duodecim tribus versum hunc dixisse Jacobo Patri nostro, quum jam moribundus ipsos interrogaret de Unitate Dei: eumque respondisse, benedictum sit nomen gloriosum regni ejus in seculum & sempiternum.* Quæ verba desumta videntur ex commate 19. Psal. LXXII. Magis ridiculum est quod Aberbenel habet ad Jes. v. 11. אמר ר׳ אבהו לא חרבה ירושלם אלא בשביל שבטלו בה ק״ש שחרית וערבית

וערבית שנאמר הוי משכימי וגו *Dixit R. Abbu, non est desolata Hierosolyma, nisi quia omiserunt lectionem illam*: Audi Israel &c. *mane & vesperi recitare. Scriptum quippe est*. Væ iis qui mane surgunt &c. Adeo ut, si Rabbino huic fides, unica causa destructæ Jerusalem sit lectionis hujus neglectus. Quæ ita amplificant, ut magis suos muniant contra sententiam Christianorum, de personarum in Deo trinitate, qua unitatem Dei omnino everti autumant.

III. Sed tollamus hoc præjudicium multifariam. *Primo*, disertam confessionem nostram opponendo, quam quia elegans est & Hebraice expressa, ex *Fagii Sepher Amana n.111.* hic dabo. יש להאמין באמונה שלימה שלוש שמות שהמשיחיים מאמנים בו שם תואר אחד הוא ואין שום חילוק ביניהם ומציאות אחת הוא וכוח אחד ויסרו אחד ורשות אחד הוא׳ ואין לאחד כוח יותר מחבירו גשמות אחת הן גוף אחד. Non vertam locum, quia despero energeticam Hebraicorum verborum emphasim Latine exprimere.

IV. *Secundo*, accusant nos Judæi quod unitatem omnimodam essentiæ Divinæ tollamus, contra apertam protestationem nostram. Sed si accusasse sufficiat nec ipsi erunt innocentes. Nam & ipsi in Alcorano dicuntur *Associatores*, quod Ezram numinis instar venerentur, adeoque eundem Dei socium constituant. *vid. Hotting. Histo. Orient. p. 70.* Injuriam sibi fieri vociferabuntur: totam praxin ipsorum & uniformem confessionem obstare. Idem & nos de nobis dicimus, scribimus, ac conceptis verbis juramus; parati vel sanguine nostro Articulo de omnimoda unitate essentiæ Divinæ subscribere, eumque morte obsignare.

V. *Tertio*, fatentur gravissimi & eruditissimi Judæorum Doctores, nos Unum eundemque cum ipsis Deum colere, verum Creatorem Cœli ac Terræ. Quomodo ergo idololatræ iis sumus & πολύθεοι? *Aberbenel ad Jes.* XXXV. monstraturus, Edomæos sive Christianos (nam hoc eo loci agit ut Edomæos Christianos esse probet) cum Judæis convenire sicut olim Esavus cum Jacobo, ita loquitur. וכבר נמצאו דמויים מתייחסים בין הרומיים וישראל כמו שהיה בין עשו ויעקוב׳ הראשונים; שכמו שישתתפו עשו ויעקוב מפאת אביהם ואמונתם ככה אמונת הנוצרים הישראלים משתתפים בשאב אחד לכולם באמונתם הוא אלהי האלהים׳ כי כולם היו משערים במציות הסבה הראשונה ופונים אליה בלתי עובדים לכוכבים ולשרים העליונים וגם תורה אחת להם לפי שאלו ואלו קיימו וקבלו תורת משה לאמתית. *Et dudum inventa sunt similitudines, qua Romanis comparate ad Israelitas applicari possint, uti Esavo collato cum Jacobo.*

cm

Jacobo. Prima est, quod sicut conveniebant Ezau & Jacob ex parte patris sui & fidei suæ; sic etiam Christiani & Israelitæ in eo conveniunt, quod unus Pater omnium sit in fide ipsorum, qui est Deus Deorum. Quia omnes existentiam causæ primæ confitentur, eamque suspiciunt, nec colunt stellas aut principes superiores. Atque etiam una lex iis est, quia utrique sincere admittunt ac stabiliunt legem Mosis. Candida confessio! Aurea verba! quæ in tota illa Aberbenelis disputatione, licet arguta satis, omnium optima sunt. Similiter *Menasse Ben Israel in epistola dedicat. lib. de resur. Mort.* ita ad Christianos: *Unum enim Deum colimus, ejusque præceptis nos subjicimus.* Iterumque *in dedicat. Lib. de fragili. humana. Tam hujus quam illius Religionis, in unum tamen Israelis Deum credentes homines.* Optime. Sed quî fit ergo ut tam crebro nobis πολυθεότητα objiciatis, verpi? Deum Trinum personis colere nos nostis omnes. Eundem illum esse confitemini, in quem vos creditis, quem Patrem vestrum jactatis, quem unum dicitis, quem nos unum credere affirmatis ipsi. Quomodo ergo ea multitudo à nobis introducta, quæ unitati ab utrisque concessæ deroget? Trinitatem Personarum confitemur. Scitis. Unum tamen Deum. Fatemini. Definite tum plures nobis Deos objicere, vel alios ab eo qui veri & antiqui Israelis est.

VI. Eximium est testimonium de fide nostra & cedro dignum, quod ipsi scriptum reliquerunt in *Schebet Jehuda*, editionis Hebræo-Germanicæ Amstelod. p. 8. versa in fine, & init. p. 9. Thomas ibi loquitur cum Alphonso, & id quod narrat, ait se habere ex ore Aberbenelis. Contextum totum non pigebit describere, quia multa continet observatu digna. Sic ergo Thomas. *In Hebræa lingua discrimen est inter* נכרי *quod peregrinum notat, & inter* נוצרי *Nazarenum* (sic vocant Christianos) *quod æquipollet τῷ* גוי, *Gentili.* נכרי *sive Peregrinus is est, qui se ipsum abalienat à Creatore suo, nec credit articulos fundamentales legis. At* נוצרי *sive Christianus, quandoquidem credit creationem mundi in tempore factam, & miracula Dei, & cultum qui ipsi debetur, non vocatur Peregrinus. Respondet Rex, quandoquidem credimus* באתו האיש *in eum virum* (sic vocant Dominum Jesum) *& Trinitatem, quomodo non reputamur Judæis Peregrini? Regessit Thomas. Sciat Rex, eundem illum magnum Sapientem Aberbenelem mihi explicationem quandam dixisse super hac re, nomine magnorum Doctorum, qui olim jam ante sexcentos annos extitere. Atque hæc mecum verba commutavit. Qui credit Deum ubique esse, & mundum in tempore conditum, & Prophetiam Dei ad Prophetas, & mercedem ac pœnam à Deo retribuendam, is recte credit, is est Orthodoxus. At Christiani hæc omnia credunt, etiamsi credant Deum in tribus personis subsistere, id non tendit ad abnegationem unici illius Dei. Quandoquidem ergo dicunt ita unitatem Dei subsistere, hinc vocantur*

tur credentes in Deum. Hactenus Schebet Jehuda, à Judæo conscriptus, à Judæis ipsis (nequid de nostro additum calumnientur) editus. Judicet nunc quivis, an non αὐτοκατάκριτοι sint Judæi, quum nobis πολυθεότητα exprobant.

VII. Imo pergam, ostendamque κατὰ τὸ βίαιον plus Judæos Divinæ Unitati derogare per suas ספירות, *numerationes vel lumina* (de quibus multa dicenda haberem nisi mallem quantum pote est studere brevitati) quam nos per nostram doctrinam de personis. Sed operæ pretium tamen erit audire quomodo Judæi de istis *Sephiroth* philosophentur. In libro טעמי מצות in præfat. sic scribunt ואלו העשר ספירות הם נקראו מרותיו של הקב"ה והם רבקים בהקדוש ברוך הוא כשל הבת קשורה בגחלת ונאצלים ממנו ובאמצעותם נברא העולם. *Et hæ sunt decem Sephiroth, ut vocantur, attributa Dei benedicti & Sancti, quæ Deo Sa. Ben. inhærent, uti flamma innexa est prunæ: & emanant ex eo & mediantibus iis creatus est mundus.* Plenius adhuc *Menasse Probl.* XXVII. *Dicimus illas Sephirot, seu divinas perfectiones, aliud quid esse quam essentiam Dei: neque etiam dicimus illas esse distinctas creaturas; sed emanationes quasdam essentiæ conjunctas, perinde ut radii solares cum sole, flamma cum prunis ardentibus, aut, uti Plato ait, ultimum lineæ punctum cum linea conjunctum est.* Vide & *AbenEzr. ad Exod.* III. *Reuchl. de Cabb. Lib.* III. & *Rittangelii Sepher Jetzira p. 96. &c* Viden jam, Judæe, plus te pluralitatis in Deo statuere, quam quisquam nostrum? Neque enim nos dicimus, personas esse aliud quid quam ipsam essentiam Divinam; sed ipsam illam unicam & incomprehensibili modo unicam essentiam Dei, aliter solummodo atque aliter characterizatam. Uter jam nostrum majori cum fundamento negat in Deo esse שני דברים ἄλλο καὶ ἄλλο? Quod emanare eas à Deo dicis, accipimus & sano sensu personis applicamus. Christus de seipso dicit, Ἐγὼ ἐκ Θεοῦ ἐξῆλθον Joh. VIII. 42. Iterumque Joh. XVI. 28. Ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρός. Et Spiritus Sanctus passim dicitur ἐκπορεύεσθαι ut Joh. XV. 26. Pleræque item aliæ similitudines, quibus tu hic uteris, jam pridem à nostris ad hoc mysterium explicandum adhibitæ sunt. Non possumus ergo nos ulla cum specie abnegatæ unicæ Divinæ Essentiæ incusari, magis quam Judæi ipsi.

VIII. Hoc itaque præjudicio, quo dogma nostrum quam maxime laborabat, sublato, certitudinem illius demonstratum eamus. Ubi variæ argumentorum sedes se statim offerunt, Scripturæ dicta prout à Rabbinis explicantur; Targumistarum placita; Cabbalistarum scita, quæ omnia

m 2 nobis

nobis nec paucas nec contemnendas rationes suppeditabunt, ac, ni fallor, luce meridiana clarius ostendent, recentiorum perfidiam ab antiquorum fide maximo intervallo distare.

IX. Primo itaque Scripturæ loca se offerunt, ex quibus tamen absolute non argumentabor (quia id ab aliis contra quoscunque adorandæ Trinitatis hostes, & copiosius & eruditius quam à me fieri potest, factum est) sed annotabo tantum quæ ab Hebræis doctoribus circa illa dicta sunt. Sume ipsum Geneseos principium בראשית ברא אלהים, certe in mirabili hac constructione singularis cum plurali, insolitum aliquod observari & potest & debet; præsertim quum vox אלהים, quæ hic in plurali ponitur, in singulari itidem usitata sit. Idem notavit Aben Ezra. אחר שמצאנו אלוה ידענו כי אלהים לשון רבים. *Postquam invenimus singulare* אלוה, *agnovimus* אלהים *pluralis numeri esse.* Fateor, subjungit id dici כדרך כבוד ac formulam esse honoris, idque usitatum in omnibus linguis barbaris. Sed in eo fallitur Doctor. Crediderim ego nullam esse linguam in mundo, in qua talis constructio singularis cum plurali honoris gratia usitata sit. Certe non in Chaldaica, Syriaca, Græca, Latina, Gallica, Belgica, quas nos delibavimus simile quid ostendi poterit; nec in Grammatica Arabica potui reperire. Ut ut ergo contra furiat furiosus Lipmannus, *Num.* v. certe hic aliquid peculiare est, & admirandum. Ad ea quæ opponi possunt, multo eruditius ac argutius quam à Lipmanno factum est, accurate respondit *Capellus in dissertat. de Nom.* אלהים quæ adjuncta est ipsius Criticæ Sacræ, ubi multa habet curiosa ac nova.

X. Plus adhuc roboris est in Gen. 1. 26. Ubi Deus pluraliter dicit *Faciamus hominem secundum imaginem nostram.* Trabs sunt hæc verba in oculis Hebræorum. In *Beresith Rabba* ait *R. Samuel Bar Nahman verbis R. Jehonathan. Moses cum in scribenda lege ad hunc locum, Faciamus hominem, pervenisset, dixisse, Domine mundi, quare occasionem prabes hominibus errandi in simplicissima unitate tua? Eique respondisse Dominum, tu modo Mose scribe, & qui errare cupiet erret.* Verba sunt *Menassis in Concil. ad hunc locum.* Propterea etiam hunc locum inter illa numerat Ben Gorion, quæ Alexandrini interpretes studio aliter interpretati sunt: ne scilicet errandi ansam darent imperitis. Vide *Cl. Hott. Thes. Phil. p.* 327. Nugatoria quidem hæc, fateor. Tantum tamen est ut exinde liqueat, vi conscientiæ adactos Judæos peculiare hic aliquid agnoscere. Et sane quo refugient? An negabunt Deum hic in plurali loqui? Sunt qui cousque frontem perfricuere, dicentes נעשה non esse primam personam pluralis in futuro Kal, sed tertiam personam singularis in Præterito Niphal, ut Grammaticorum terminis utar; adeoque verten-

vertendum esse, non *Faciamus hominem;* sed *Factus est homo.* At putidum id est commentum, cui sequentia repugnant, & de quo merito AbenEzra וזה הפירוש חסר לב. *Et hæc explicatio infrunita est.* An vero honoris gratia ita de se loquitur Deus? Velit quidem id AbenEzra, sed è contra *R. Selomoh dicit, Deum his verbis humilitatem nobis commendare, tanquam principem omnium virtutum, eoque sæpius sic loqui, quasi accipiat consilium ab inferioribus:* ait Menasse *loc. cit.* Cui rursus repugnat arrogantissimus mortalium Lipmannus, qui se solum putat sapere, & optime Hæreticos, quos vocat, refutasse. Is dictatoria Authoritate definit, Deum Terram alloqui, eamque ad sociandam secum operam in hominis creatione invitare. Sic ille *Num.* VI. אך אני אומר בי נעשה אדם קאי על הארץ. *Ast ego dico, illud* Faciamus hominem *Terram respicit &c.* Ecce Αὐτὸς ἔφα. Quis non crediderit? Ego non. Etiamsi centum & mille Lipmanni hoc dicant, ego confidenter asseram absurdissimam esse blasphemiam. Ut enim alia omittam, evidenter ἄτοπα; consilium creandi, multo minus creationem ipsam nulli creaturarum communicatam esse, non solum Deus ipse docet Jes. XL. 13. sed & Judæi *ad eum locum Kimchi.* אין מלאך וכל שכן אדם שיתקן את רוחו ושיודיעהו עצתו בשעשה עולם. *Nullus angelorum, multo minus hominum direxit Spiritum ejus, aut suggessit ei consilium cum crearet mundum. Itemque Aberbenel.* הוא יתב ברא כל זה מבלי דבר בכחו הבבת. *Ipse Benedictus hæc omnia creavit absque ulla alia re, per potentiam suam infinitam.* Respondeat nunc Lipmannus ipsi Deo, respondeat Rabbinis suis jam citatis. *R. Ame* uno ictu omnia præscindit, dicens *Deum cum corde suo consultavisse, ut significet non cum ulla creatura sed secum tantummodo locutum.* Verba sunt Menassis *loco citato.* Et tamen consultationem hanc pluralitatem inferre, consentiant plerique alii, uti AbenEzra hoc diserte docet ad Gen. III. 22. Optime R. *Simeon in Tikk. Sohar.* נעשה אדם למן אמר האי אללא ע״הע אמר ליוד הא ואו הא דאיהו לגו מים. Faciamus hominem, *cui dixit hoc? Utique caussarum dixit id ipsi Jod, He, Vau, He,* (id est ipsi Jehovæ) *qui est in medio* (hoc est in intimis penetralibus) *decem Sephirot.*

XI. Antequam sic ab initio Geneseos discedam, adjungere debeo explicationem *R. Salomonis Jarchii,* super istis verbis Mosis: *& Spiritus Jehova ferebatur super aquis.* In qua aut sententiam nostram de Trinitate proponit, aut nihil dicit magnus iste Doctor, nec se ipsum intelligit, ita abreptus modis loquendi quibus uti solebant Veteres, ut quid dicat ipsemet ignoret. Verba illius hæc sunt. כסא כבוד עומד באויר ומרחף על

על פני המים ברוח פיו של הקבה ובמאמרו כיונה מרחפת על הקן
Solium Gloriæ *ſtabat in aëre, & ferebatur ſuper aquis per* Spiritum *oris D. B. & per* Verbum *ejus, ſicut ſuper nido ſuo fertur* Columba Solium Gloriæ Rabbinis Thronum ſignificat Majeſtatis Divinæ, atque adeo ipſum Glorioſum Deum, Deum prout Majeſtatem ſuam eximio modo alicubi oſtentat. Uti & nomen Cœli ipſum notat Deum. Quid autem eſt cœlum nisi thronus Dei? ſic ut, qui per cœlum jurat, juret per eum qui inſidet illi throno. Matth. XXIII. 22. Habes hîc *Spiritum Dei* Benedicti, qui quidem creatus aliquis Spiritus aut flabrum eſſe nequit. Quid enim ille ad ſolium gloriæ? Et tamen à Deo Benedicto diſtinctus, quia illius Spiritus eſt, ab ipſo etiam emiſſus, ut *AbenEzra* ſcribit בן הרוח על השם בעבור היותו שליח בחפץ השם *Spiritum* (inquit) *Dei eſſe dicit, quia miſſus eſt ad beneplacitum Dei.* Cui concinnam adjungit *R. Salomo* nomenclaturam & ſimilitudinem *columbæ*, cujus figuram placuit Spiritui Sancto aliquando aſſumere, & ſub ea præſentem ſe hominibus oſtendere. Loquitur etiam de *Verbo Domini*, atque id quidem vocabulo Hebræis minus uſitato, Chaldæis notiſſimo ubi τὸν λόγον denotare volunt uti deinceps oſtendetur plenius.

XII. Notus eſt locus Jeſ. LXIII. 9. 10. Ubi de *Domino* loquitur Propheta qui liberavit populum ſuum; de *Angelo faciei* per quem liberavit; & de *Spiritu Sanctitatis* quem ingrati Iſraelitæ dolore affecerunt. Dominus ille ſine dubio eſt Iſraelis Deus. Videamus modo quid de angelo *iſto* & *Spiritu* Sancto Hebræorum Doctores ſcribant. *R. Selomo* vult *Angelum illum* eſſe Michaëlem, quem שר הפנים vocat *principem facierum* hoc eſt מלאך הרואה תמיד פני המלך יתעלה *Angelus qui videt ſemper faciem regis excelſi*, uti phraſiologiam hanc explicat *Elias in Thisbi*, voce מטטרון. Sed repugnat *Aberbenel*, qui omnes recte ſentientes exiſtimare vult, *quod redemtio ex Ægypto & ductus populi in deſerto non fuerint facta per Angelum, ſed quod Deus ipſe per amorem & ſolicitudinem ſuam liberaverit populum ex Ægypto.* Verba Hebraica hæc ſunt; neque enim volo videri quidquam Hebræis affingere: לא חשבו מפני זה כי גאולת מצרים והנהגת העם במרבר היתה על ידי מלאך כי האל יתברך באהבתו ובחמלתו הוא בעצמו גאלם ממצרים
Et ſane quum vellet Deus, rebellione Iſraëlitarum irritatus, creatum aliquem Angelum mittere, qui porro populum deduceret per deſerta, ardentibus votis id deprecatus eſt Moſes, obtinuitque ut ipſa Dei facies eos comitaretur. Exod. XXXIII. 2. & 14. &c. Si ergo ipſe Deus populum ſuum liberavit & per deſertum deduxit, nec creatorum Angelorum (quos eleganter alias Aberbenel vocat כלי השגחה *inſtrumenta Divinæ Providentiæ*) ad hoc

hoc usus est ministerio, uti jam (ne de Mose dicam) ex Aberbenele ostendimus, oportet utique angelum hunc de quo loquitur Jesaias ipsum fuisse Jehovam Deum, & tamen aliquo modo ab ea persona, cujus dicitur esse angelus, distinctum. Quoad Spiritum Sanctitatis attinet, quem accusantur Israëlitæ dolore affecisse, eum Kimchi dicit esse דברי הנביאיו הנאמרים ברוח הקדש *Verba Prophetarum ejus quæ dicta sunt per Spiritum Sanctum.* Et sic ait explicasse Jonathanem. At AbenEzra innuit esse inter suos qui dicant, כי רוח קדשו הוא מלאך הכבוד *quod Spir. Sa. ejus sit angelus gloriæ.* Verum enimvero utrumque est absurdum. Nam ut à posteriori incipiam, Angelus gloriæ esse non potest, quia ab eo diserte distinguitur. Nec potest notare Prophetarum verba: qui enim ea afficerentur tristitia? Sed eum notat qui in Prophetis locutus est, & per quem (ut se ipsum corrigit Kimchi) dicta sunt Prophetarum verba. Quis autem ille est, nisi verus Israelis Deus? Certe id docet *Aberbenel ad Jes.* LXI. Ubi hæc verba, *Sp. Domini Jehovæ super me*, sic παραφράζει לא תכזיבו דברי כי אינם דברי אנוש אבל הם דברי ה הנכבד שרוח נבואה היה עלי *Ne arguatis Verba mea mendacii, quia non sunt verba hominis, sed verba Dei gloriosi, quippe Spi. Prophetiæ est super me.* Deus ergo est hic spiritus, & tamen iterum aliquo modo distinctus ab eo cujus est spiritus.

XIII. Pergamus nunc ad Thargumistas, Onkelosum imprimis & Jonathan, quorum versiones antiquæ sunt, & in magno apud Hebræos honore. Ex quibus hic quem modo tractavimus locus non exiguam poterit fœnerari lucem. Et in quibus non contemnenda vestigia antiquæ veterum Judæorum fidei, circa articulum Trinitatis, extant. Solent Chaldæi Paraphrastæ tribus distinctis vocabulis uti, quorum singulis Deum notant, sic tamen ut Deum uno nomine significatum distinguant à Deo alio nomine notato, & singulis ea adscribant quæ nonnisi personarum sunt. Primum nomen est Hebraicum illud יהוה, quod sancte retinent, sed hodie solent in libris impressis scribere per duplex Jod, hoc modo ״, quondam uti alii narrant (quodsi verum est non caruit mysterio) tribus Jod hoc modo ,',. Alterum nomen est מימרא דיי, Verbum Domini. Tertium שכינתא, de quorum significatione ulterius & distinctius inquirendum.

XIV. Fateor Chaldaicam vocem מימרא quandoque idem esse quod Hebræorum דבר, & qualecunque verbum, sermonem, eloquium denotare: quandoque idem esse, quod נפש Hebræorum & עצם Rabbinorum, sensu reciproco quem nullo pronomine sermo Divinus exhibere potest, ut annotavit *Haespan ad Zeph. Nitz. p. 367.* Sed id pertendo infinita talia

loca

loca esse ubi neutra hæc significatio obtinere potest. Sume verbi gratia Num. XI. XX. חלף דקצתון ית מימרא דיי דשבינתיה שריא בינכון *Eo quod rejecistis verbum Domini, cujus sancta Majestas habitavit inter vos.* Hic habes *Jehovam*, habes ejus *verbum* habes שכינה, quæso te quid Verbum significabit? an notabit Hebræorum נפש aut Rabbinorum עצם? Sed quam absurde & inepte hic diceretur Hebraice " מאסתם את נפש Concinnius multo locutus est Moses. Nec necesse habuit Paraphrastes tali se absurditate implicare. Simpliciter potuisset transferre, uti in Hebræo est " קצתון ית. An vero illud מימרא hic verbum, id est sermonem & eloquium domini notabit? At cur pro Deo toties verba Dei substitueret Paraphrastes? Non jam hoc esset caute & verecunde scripturam transferre (de quo semper laudatur Onkelosus, tam ab Hebræis, quam à nostris) sed quam audacissime pervertere.

XV. Adde, quod huic verbo personalia multa adscribantur, ut Gen. XXXI. 49. יסך מימרא דיי בינא ובינך *Speculetur Verbum Domini inter me & te.* Certe hic eloquium aliquod Dei non significat, & nisi personam aliquam trinitatis notet nullum habet sensum. Rursus Levit. XX. 23. ורחיק מימרי יתהון & aspernatus est ὁ λόγος meus eos. Quam absurde hoc diceretur Hebraice יקוץ עצמי בם? Nunquam sic loquerentur Rabbini: nunquam tam insubido sensu Onkelos. Eximium est, quod extat Deut. XX. 1. לא תדחל מנהון ארי " אלהך מימריה בסעדך דאסקך מארעא דמצרים. *Ne timeas ab eis: eo quod Jehovah Deus Tuus, verbum ejus in auxilium Tuum, quod ascendere fecit te è terra Ægypti.* Verbum hoc est Angelus ille de quo Jes. LXII. 9. Quid enim hic notabit verbum nisi personam aliquam Trinitatis? Et quid aliud notare potest Cap. II. 7. מימרא דיי אלהך בסעדך לא חסרת מדעם. *Verbum Domini Dei Tui, in auxilio Tuo, non indiguisti ulla re.* Ubi passim est in ipso textu sacro nomen Jehova absolute. His adjunge Deut. XVIII. 19. ויהי גברא דילא יקבל לפתגמי די ימלל בשמי מימרי יתבע מניה. Quod eleganter hellenistice versum est à Magno *Heinsio Arist. Sac. Cap.* XV. Ἐὰν δέ τις ἄνθρωπος οὐ παραλάβῃ τοὺς λόγους τοὺς ἐμοὺς, οὓς ἐν τῷ ὀνόματι μου λαλήσει, ὁ λόγος ὁ ἐμὸς ἐκδικήσει ἐξ αὐτοῦ. Dicant mihi Rabbini, dicat quivis quid hic λόγος significet, si non personam Divinam, & tamen à persona loquente itidem Divina distinctam. Mirabor si commodum aliquem his & similibus locis sensum dare possint, præter eum quem dixi modo. Unum adhuc atque alterum exemplum addam ex infinitis, quod in Targum Hierosolymitano repperi ad Gen. XCIX. 18. Ubi in cygnea cantione sua confidenter grandævus Vates לישועתך קויתי יהוה

Quæ

Quem versum dictus Targumista sic *παραφράζει* אמר אבונן יעקוב לא לפורקניה דגרעון בר יאש סכית נפשי דהיא שעה ולא לפורקניה דשמשון דהוא פורקן עביר אלא לפורקנא דאמרת במימרך למיתי לעמר בני ישראל ליה לפורקנא סכית נפש, *Dixit Pater noster Jacob, non redemtionem Gideonis filii Joas expectat anima mea; ea quippe temporaria est: nec redemtionem Simsonis quæ est transiens; sed redemtionem quam dixisti, per λόγον tuum obventuram filiis Israel, eam, inquam, redemtionem expectet anima mea.* Hic habes quid sit מימר Messias nempe, de quo hoc capite & hac periodo sermonem institui, plurimi Hebræorum Doctores hilari fronte largiuntur. Nugæ quod hic *verbum* illud promissionem aliquam Dei notaret. An non & eæ liberationes quam Gideon, quam Simson procuravere, juxta promissiones Divinas Israelitis obtigerunt? Quibus tamen hæc per λόγον obventura opponitur. Omnis vitilitigandi ansa præscinditur ab eodem Paraphraste ad Deut. XXVII. 17. 18. ית ממרא דיי אמליכתון עליכון יומא דין למהוה לכון לאלהא: ומימרא דיי אמלך עליכון לשמיה לעם חביבא. *Verbum Domini regnare fecistis super vos hodie, ut sit vobis in Deum. Et verbum Domini regnare fecit se super vos, ad constituendos vos sibi in populum dilectum.* Qua specie hoc aliter quam de vero Israelis Deo & certa aliqua Deitatis persona explicari poterit?

XVI. Plura similia corradere facile esset. Sed satis dictum est ei, cui non stat sententia qua jure qua injuria *διαφυλάττειν τὴν θέσιν*. Pertinacibus nunquam satis dixeris, etiamsi tu solem, quod ajunt, manu tua portes. Talis erat antiquorum Hebræorum circa tempus D. Nostri Jesu Theologia, talis Phrasiologia. Unigenitum Dei filium vocabant מימר *verbum*. Quæstionem absolvit & difficultatem omnem tollit is quem modo laudavi Hyerosolymitanus interpres ad Gen. III. 22. ואמר מימרא דיי אלהים הא אדם דברית יתיה יחידי בגו עלמי היך מא דאנא יחידי בשמי מרומא. *Dixit Verbum Domini Dei, ecce Adam quem creavi unigenitus meus est in mundo, sicut ego unigenitus in cælis excelsis.* Viden jam quid sit verbum Domini? Unigenitus in cœlis. *Τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ πατρὸς ὄντα λόγον*, dixit ad Johannem Cyrillus. Hinc jam arcessenda est abstrusa quidem alias, sed apud antiquos Judæorum Theologos tralatitia illa nomenclatura *τοῦ λόγου*, qua toties usus Divus Johannes noster.

XVII. Nec Johannes tantum noster, sed & *Judæus Philo*. Quis autem Philo? Idem ille quem Præstantissimus Historiographus Josephus, itidem Judæus, & gentis suæ non postremus honor, *Antiquit. Judai. lib.* XVIII. *Cap.* X. hoc elogio exornat, *Φίλων ὁ προεστὼς τῶν Ἰουδαίων τῆς πρεσβείας, ἀνὴρ*

τὰ πάντα ἔνδοξ☉, Ἀλεξάνδρȣ δὲ τȣ̃ Ἀλαβάρχȣ ἀδελφὸς, καὶ φιλοσοφίας ȣ̓κ ἄπειρ☉. *Philo, qui præfuit Judæorum legationi*, (illi nimirum admodum solemni ad Imperatorem Cajum, in qua de summa rerum agebatur) *Vir in omnibus eximius, & Alexandri Alabarchi* (primarius is erat apud Alexandrinos magistratus) *frater, ac Philosophiæ non imperitus.* Is ergo *Philo*, libro περὶ τῆς Μωσέως κοσμοποιΐας, Editionis illius qua ego usus sum *pag. 3.* postquam docuisset non processisse Deum ad exterioris hujus mundi creationem, nisi postquam aliquam illius imaginem sibi effinxisset, addit quod ideatus ille (ut ita dicam) mundus, ὁ ἐκ τῶν ἰδεῶν κόσμ☉ ȣ̓δ᾽ ἂν ἄλλον ἔχοι τόπον, ἢ τὸν Θεῖον λόγον τὸν ταῦτα διακοσμήσαντα, *nullum alium habuerit locum, quam Divinum verbum quod hæc omnia fabricavit.* Quippe per filium suum Deus καὶ τȣ̀ς αἰῶνας ἐποίησεν. Haud multo post subjungit Philo. Μωσέως γάρ ἐστι τὸ δόγμα τȣ̃το, ȣ̓κ ἐμόν. *Mosis enim illud dogma est, non meum.* Mox. Τὸν δὲ ἀόρατον καὶ νοητὸν Θεῖον λόγον καὶ Θεȣ̃ λόγον εἰκόνα λέγει Θεȣ̃. Καὶ ταύτης εἰκόνα τὸ νοητὸν φῶς ἐκεῖνο, ὃ Θείȣ λόγȣ γέγονεν εἰκὼν, τȣ̃ διερμηνεύσαντ☉ τὴν γένεσιν αὐτȣ̃. Καί ἐστι ὑπερȣράνι☉ ἀστὴρ, πηγὴ τῶν αἰσθητῶν ἀστέρων καὶ ȣ̓κ ἀπὸ σκοπȣ̃ καλέσει ἄντις ὑπαύγειαν, &c. *Invisibile autem hoc, & sola mente perceptibile divinum Verbum aut Dei Verbum, imaginem dicit esse Dei* (scilicet Moses.) *Hujus vero imaginem intelligibile illud lumen, quod divini verbi factum est imago, istius inquam Verbi quod nobis generationem illius explicuit. Quodque est supercælestis stella, fons sensibilium stellarum, quam non sine ratione quis dixerit splendorem &c.* Confer Phrasin Apostolicam Heb. I. 3. Aut ego nihil intelligo, aut se ipsum non intellexit Philo, aut hæc præclara sunt de fide nostra testimonia. Obscura, fateor & involuta, sed sic tunc erant tempora; & plenior horum mysteriorum revelatio à D. Jesu arcessenda erat. *Unigenitus qui est in sinu Patris ipse revelavit nobis*, ut convenienter Philoni divus Johannes ait. Sed satis jam de מימרא sive τȣ̃ λόγȣ. Hoc tamen unum non possum prætermittere, quod vel ipso Alcorano Christus vocetur Dei verbum. Sic enim Suratæ IV. Muhammed. *Certe Christus Jesus Mariæ filius est nuncius Dei, vel Apostolus, &* VERBUM *ejus, quod immisit in Mariam etiam Spiritus ex eo, scil. Deo.* Suppeditavit mihi hunc Alcorani locum eruditissimus *Hacspan. ad Nitzachon. p. 366.* Ubi ipsa Arabica Verba videri possunt.

XVIII. Nunc videamus quid שכינה aut Chaldaice, in statu quem vocant emphatico שכינתא sit: cujus vocis creber est apud Targumistas usus. Sed quid significet, in eo non consentiunt Authores. Nescio quis *R. Joseph*

ſeph Chaquetilla ex ea Angelum aliquem facit apud *Menaſſen in concil. Quæſt.* LXIV. Sed abſurdiſſime & falſiſſime ac contra omnium ſuorum mentem. Alii putant ea voce denotari gloriam & Majeſtatem Dei. Quod quamvis fortaſſe aliquando verum eſſe non negaverim; certum tamen eſt Chaldæos aliud omnino vocabulum habere, quo Hebraicum כבוד, quod gloriam notat, exprimunt. Ubi enim in Hebraico eſt כבוד יהוה Targumiſtæ ſi non ſemper (quod tamen crediderim) ſaltem ut plurimum id vertunt יקרא דיי. Recte *Fagius ad Cap.* XXIX. *Exod. Hebræi*, inquit, *præſentiam Dei, quæ ſe in tabernaculo circa arcam exerebat, à quieſcendo, quod ibi videretur quieſcere & ſedem ſuam habere Deus,* שכינה *appellabant.* Revera hoc שכינה ſæpe ſignificat; Divinitatem in quantum hominibus, gratia, auxilio & ſalutari præſentia adeſt. Sed an nihil præterea notet, id vero videamus.

XIX. *Elias in ſuo Thisbi*, ad vocem שכן, liberabit nos hoc dubio, cum inquit קראו רבותינו ז״ל רוח הקדש שכינה על שם שהוא שכן על הנביאים׳ וכן ותחי רוח יעקב פירש רש״י שרתה עליו שכינה *Vocarunt Rabbini noſtri p. m.* SPIRITUM *S. Schekina: quia ille habitat ſuper Prophetas. Atque ita dicitur, &* revixit ſpiritus Jacobi, Gen. XLV. 27. *R. Selomo Jarchi id explicat, quievit ſuper eo Schekina.* Appoſite hunc locum in mentem mihi venire fecit Elias. Nam ſane inde liquebit, quid per שכינה intellexerint Veteres. Tota, fateor, hæc Judæorum explicatio abſurda eſt. Nam quod de ipſo Iacobi animo intelligendum eſt qui refocillabatur mirum in modum, per dulce illud Evangelium, de vita cariſſimi filii Joſephi, illi inepte ad Spir. S. traduxerunt, quem diſceſſiſſe ab ipſo nugantur, quando Fratres Joſephum vendidere. Hinc eſt quod de שכינה redeunte loquatur R. Selomo. Id autem quod ipſe Schekina vocat, Onkelos apellat רוח קודשא *Spiritum Sanctum.* Jonathan רוח נבואה *Spiritum Prophetiæ.* Sic ut recte & ſolide hinc probet, is quem aliquoties jam laudavi Elias, Rabbinos ſuos Spiritum S. vocare שכינה. Idem Rabbi Selomo (ut in Lexico ſuo notavit *Buxtorf. p.* 2395.) 1 Sam. 1. 15. ſcribit ad verba Hannæ ſacerdoti Eli reſpondentis, *Non mi Domine*, ſcil. ebria ſum, *ſed mulier amaro animo,* id eſt triſtis ac mœſta. *Q. D. Non Tu es Dominus & judex in hac cauſa, ſed prodis te ipſum* שאין רוח הקדש שרתה עליך, *quod Spiritus* S. *non quieſcat ſuper te.* Gloſſa hæc petita eſt ex Talmud, cujus peritiſſimus fuit R. Selomo, ubi legitur, לא ארון אתה בדבר זה לאו איכא שכינה ורוח הקדש גבך שדנתני *Non Tu es Dominus in cauſa hac, non eſt Divinitas,* Schekina, *aut Spir. S. ſuper Te, ut judicares me &c.* Hic jam rurſus vides, quid ſit *Schekina* Spir. S. ſcilicet, quæ duo pro eodem ſumunt R. Selomo & Talmudiſtæ. Optime *Capell. in exerc. ad*

locum Zoh. p. 261. Spiritus Dei, per quem sanctificantur homines, vocatur à Judæorum Doctoribus שכינתא, *sic autem ab eis vocatur, quia habitat in cordibus fidelium, quæ habitatio adumbrata fuit per tabernaculum, in quo Deus censetur habitare, propterea que dictum est* משכן, *quasi dicat, habitaculum, scilicet Divinitatis.*

XX. Spiritum Sanctum autem a'ibi eos distinguere à Deo, ex eo liquet quod differentiam constituturi inter Hagiographos & Prophetas, dicunt illos à Spiritu Dei instructos esse potius, quam à Deo: uti prolixe ostendimus in *dissertat. Præcedente.* Nec semper notat Spiritus S. חכמה גדולה *sapientiam magnam,* uti id explicat R. Josue Aben Sueb. Neque enim negaturi sunt Judæi, prophetas scripsisse cum magna sapientia, etiamsi negent scripsisse per Spir. Sanctum. Fateor Spir. S. aliquando donum aliquod Dei significare, non apud Rabbinos saltem, sed & in Sacris Literis, nec tantum in Vet. sed & in N. Testamento. Sed semper per Spir. S. vel hic, vel ibi donum aliquod notari, & non aliquando personam, id est quod pernego. Sumatur tantum illud ex *Mass.* פסחים *Cap.* x. Ubi hæc leguntur. *Hymnum hunc quis dixit, R. Eliezar dixit, Mose & Israel dixerunt eum quo tempore astabant mari dicentes, non nobis Domine non nobis &c. Ps.* CXV. משיבה רוח הקדש ואמרה למעני למעני אעשה כי איך יחל. *Respondit Spiritus S. & dixit, propter me, propter me faciam illud, nam quomodo prophanaretur alias?* An quidquam facit Deus propter donum aliquod suum? Nunquid omnia propter se ipsum? Prov. XVI. 4. Contra suas quidem Hypotheses Sp. S. per prophetam loquentem introducunt. Sed de eo ipsi viderint. Meum non est ipsorum contradictiones conciliare. Sufficit mihi, si ostendam Spir. San. aliquando substantialiter sumi, & tamen alibi à Deo ὑποστατικῶς intelligendo distingui. Vide sodes plura Hebræorum testimonia apud *Cl. Hassp. lib. aliquoties jam citati. p. 381.* quibus ea Spiritui Sancto adscribuntur quæ personarum propria sunt.

XXI. Ad Cabbalistas nunc transeamus, in quorum scriptis plurimi Trinitatem se reperisse jactarunt. Nota sunt Pici Mirandulani verba, alibi à nobis citata, quibus Deum testatur, se in iis Religionem non tam Mosaicam, quam Christianam vidisse, & inter cætera Trinitatis Mysterium. Imo & ipsis Judæis narrantibus, Thomas in Cabbalisticis libris eam invenit. Operæ pretium erit, ipsa verba *Schebet Jehuda* dare *p. 13. Tres magnos sapientes Germanos vidi,* inquit Thomas, *ac per eos didici ex libris Cabbalisticis, & animadverti distincte tres personas unum tantummodo esse.* Sic ipsi loquentem introducunt Thomam, magnum ipsorum apud Alphonsum Regem

gem Patronum, quem antea hoc ornaverant elogio, quod esset acutus sapiens, & quod ex Judæorum Lege eorum ritus moresque didicisset, quos acceperant à Patribus. Et sane mira in Kabbalistarum scriptis extant, in quibus rudera aliqua antiquæ fidei cernas, sed tot figmentis, vanitatibus ac quæsitis subtilitatibus involuta, ut vix percipias quo tendant. Mysteria sunt quæ tractant, sed infinitis aliis futilissimis mysteriis, ac nemini intelligibilibus mysticis loquendi formulis ea quam sollicite operiunt. Fortassis ne perpluant. Elias quem laudavi supra, postquam sententiam suam de voce *Schekina* explicasset, subjungit ולבעלי הקבלה יש סודות גדולות על מלת שכינה. *Et Cabbalistæ magna secreta habent circa vocem* שכינה. Videamus jam quid de Cabbalisticis mysteriis circa Trinitatem sentiendum sit, & in quantum nobis prodesse queant.

XXII. Extat inter Judæos sic satis antiquus & celebris tractatus: cum titulo ספר יצירה *Liber Creationis.* Eum compositum esse dicunt à Patriarcha Abrahamo, & parum abest quin Divinam illi Authoritatem ascribant, antiquitatem certe ipso Mose aliquot sæculis vetustiorem. Nam sic in *libro Cosri*, *Orati*: IV. *Num.* XXV. de illo scribitur. ספר יצירה והוא לאברהם אבינו והוא עמוק ופירושו ארוך הורה על אלהותו ואחדותו *Liber Jetzira liber est Abrahami Patris nostri, estque profundus, & explicatio ejus longe arcessenda, ac docet Deitatem Dei illiusque unitatem.* Vide *Buxtorf. Bibliotb.* De eodem illo libro ex Cabbalistis narrat *Reuchlinus Cabbala pag. mibi* LXXIII. II. quod Propheta Jeremias eum sæpissime legeret, & cum noctes diesque in illius studio consumeret, venisse ad illum oraculum cœleste, quod juberet illum eidem volumini tribus annis insudare. Tantæ dignitatis tantæque sapientiæ opus est. Sed quum brevis sit tractatulus, & quod majus est reconditis mysteriis plenus, non potuit non obscurus esse: hinc varii fuere, qui suis illum commentariis ac notis illustrarunt. Quæ omnia Latine nobis dedit Rittangelius, Judæus conversus, & tunc in Academia Regiomontana linguarum Orientalium Professor Extraordinarius. Placuit ita hujus libelli peculiarem aliquam descriptionem facere, ut videat Christianus Lector, quantæ Authoritatis sit apud Judæos, ac quanti ponderis argumenta inde porro deducenda.

XXIII. Notum est & antea explicatum Kabbalistas statuere in Deo decem *Sephiroth*, quarum septem inferiores vocant מדות sive *attributa*: reliquas tres dicunt esse Spirituales & primordiales. Earumque nomina hæc sunt. Prima vocatur CORONA SUMMA, secunda SAPIENTIA PRIMORDIALIS, tertia INTELLIGENTIA. De iis sic differit Author libri Jetzira, quis-

quisquis tandem ille sit. הנתיב הא״ נקרא שכל מופלא (כע״) והוא אור מושכל קדמון והוא כבוד ראשון אשר אין כל בריה יכולה לעמוד על מציאותו. *Semita prima, vocatur intelligentia admirabilis, vel abscondita* (hæc est CORONA SUMMA) *estque primum lumen intellectuale, & gloria prima, cujus essentiam nulla creaturarum valet assequi* הנתיב חב הוא׳ שכל מזהיר והוא כתר הבריאה וזהר האחדות השוה המתנשא לכל לראש והוא נקרא כפי בעלי הקבלה כבוד שני *Semita secunda est intelligentia illuminans, estque Corona creationis, & splendor unitatis maxime æqualis, estque elevata supra omnia in caput, & vocatur juxta Cabbalistas gloria secunda.* Hæc eadem est quam alias *sapientiam primordialem* dicunt. הנתיב הג נקרא שכל מקודש והוא יסוד החכמה הקדומה הנקרא אמונה אומן ושרשיה אמן והוא אב האמונה שמכחו האמונת נאצלה. *Semita tertia vocatur intelligentia sanctificata, & illa est basis sive fundamentum sapientiæ Primordialis, atque artifex vocatur fidei, & radices ejus sunt* אמן. *Estque parens fidei, quoniam ex ejus virtute fides emanat.*

XXIV. Non est animus glossis aliquot ex proprio scrinio petitis admirabilem sensum citatis verbis adscribere, & sapientiores in hoc mysterio Cabbalistas facere, quam revera fuerint. Tantummodo lectorem obsecro consideret, quantum hic antiquæ Theologiæ restare videatur, quantamque hæ loquendi formulæ convenientiam habeant cum Phrasibus Evangelicis. Primam semitam vocat noster *lumen intellectuale*, Jacobus *Patrem luminum* Jac. I. 17. Adjungit noster eam esse intelligentiam admirabilem *vel* absconditam, nullamque creaturarum essentiam illius posse consequi, *quid* hoc aliud est quam quod Johannes dicit, *nemo unquam Deum vidit*, Joh. I. 18. & Paulus, *habitat lucem inaccessam, quem nemo unquam vidit nec videre potest.* 1 *Tim.* VI. 16 Semitam secundam vocat noster, *intelligentiam illuminantem*, Simeon, *lucem ad illuminationem Gentium*, Luc. II, 32. Johannes Cap. I, 8. *Veram lucem illuminantem omnem hominem venientem in mundum.* Paulo post. Noster eam vocat *sapientiam primordialem*. Et quid vulgarius quam secundæ Trinitatis personæ sapientiæ nomen tribuere, *in qua omnes thesauri sapientiæ & cognitionis reconditi sunt* Col. II. 3. *quæque facta est nobis à Deo sapientia* 1 *Cor.* I. 30. Addit sapientiam *primordialem* קדומה, utpote quæ *ab intio fuit* Joh. II. Hinc est quod Hyerosolymitanus Paraphrastes, ubi Moses habet בראשית Gen. I. I. verterit " בחוכמא ברא *per Sapientiam creavit Deus.* Et certe fuit מימי קדם, *à diebus primordii* Mich. V. I. Vocat illam porro noster *coronam creationis*, quippe per quam Deus καὶ τὰς αἰῶνας ἐποίησεν Hebr. I. 3. & rursus, *Splendorem Unitatis maxime æqualis.* Paulus ἀπαύ-

γασμα

γνωμα τῆς δόξης Heb. I. 4. Subjungit noster, *estque elevata super omnia in caput*, Paulus, *& constituit ipsum caput super omnia* Eph. I. 22. confer Phil. II. 9. 10. Et vocatur juxta Cabbalistas *gloria secunda*. Hinc ipse petit, *& nunc Pater glorifica me apud Te ea gloria, quam habui apud Te antequam mundus esset*. Joh. XVII. 5. Semitam tertiam vocat Cabbalista noster *Intelligentiam Sanctificatam*, quis ibi non videt Spiritum Sanctum? qui Sanctificatus dicitur (neque enim ausim τὸ מקודש quod in *Pual* est & passivum, vertere per *Sanctificans*, uti fecit Rittangelius) eodem modo quo Deus dicitur glorificari: aut מקודש deberet hic sumi pro nomine verbali, & idem significare, quod Sanctus. Addit porro noster semitam hanc *parentem esse fidei & ex ejus virtute fidem emanare*. Sic & Paulus eam appellat *Spiritum fidei* 2 Cor. IV. 13. confer I Cor. XII. 9. Gal. V. 22. Nescio quomodo Judæi hæc sua Cabbalistica dogmata aliter explicaturi sint, si ullum ipsis sensum præter hunc quem dixi dare queant. Hoc scio mirabili me gaudio perfusum esse, ubi in hac antiquorum Judæorum Theologia Phrases reperiebam adeo cum Apostolicis consonantes. Non nova commenti sunt Sacri Novi fœderis scriptores, sed tralatitiis utentes loquendi formulis, ac notissimis apud eos quibus scribebant, Sacratissima mysteria clarius ac dilucidius multo explanarunt. Quid non reconditæ Theologiæ in Divi Johannis Evangelio ac Pauli Epistolis extat? Et quam multa proh dolor! etiam eruditos adhuc fugiunt ex antiquæ illius Judæorum Theologiæ, quum populus adhuc Dei essent, ignorantia & neglectu? Sed id jam non agimus.

XXV. Ad Cabbalistas nostros redeamus. Notatu digna sunt verba Mose Botril, qui commentatus est in hunc librum Jetzira שתים רוח מרוח ביאור רוח מרוח הקדש ר״ל רוח היוצא מרוח אלהים חיים היינו רוח שנית ובה נברא רום ותחת וארבע רוחות. *Duo sunt Spiritus de Spiritu: Hoc est Spiritus de Spiritu Sancto. Vult dicere, Spiritus egrediens ex Spiritu Dei viventis: hic est Spiritus secundus, & per eum creata sunt superiora & inferiora & quatuor mundi plaga.* Confer confessionem Concilii Niceni, *Deus de Deo, Lumen de Lumine, Verus Deus de vero Deo.* Rursus idem ille Mose Botril alibi. והוא יחיד קול רוח ודבר כנגר רוח אלהים חיים שלש בסוד *Ipse Unicus est*, VOX, SPIRITUS, *&* VERBUM, *juxta illud, Spiritus Dei viventis, & tres sunt in mysterio.* Similiter Tikkune Sohar R. Simeon ait. דהא תלת אומני הוו עד הכא יומא קדמאה ויומא תניינא ויומא תליתאה כל חד אפיק אומנותיה *Tres fuerunt artifices, quorum singuli tribus primis diebus operabantur, & absolvebant artificium*

cium suum. De creatione loquitur & ostendit in sequentibus, quid quisque suo die operatus sit. Sane cautius nos & magis *Θεοπρεπῶς* de Deo loquimur. Haud dissimilia habet R. Mose Ben Nahman. כתר עליון שהוא קדמון הוא רוח אל הים חיים והחכמה הוא רוח מרוח והבינה מים מרוח *Corona, summa quæ est Primordialis, est Spiritus Dei viventis, Sapientia est Spiritus de Spiritu, & Intelligentia aquæ sunt ex Spiritu.* Aquis autem Spiritum Sanctum apud Prophetas comparari tralatitium est. Rursus in Tikkune Sohar citatus modo Simeon. כתר דאתקרי אל עליון קונה חכמה ובינה אלהינו בינה אלהי אבותינו חכמה. *Corona vocatur Deus summus, possidens Sapientiam & intelligentiam.* DEUS NOSTER *Intelligentiam* est, DEUS PATRUM NOSTRORUM *Sapientiam.* Non omnia hæc probantur mihi, uti nec Judæis meis probari cupio. Id tantum intendo demonstrare, obscure & quasi per nebulam Antiquos illos de Trinitate quippiam vidisse. Si quis enim distincta admodum & Cabbalisticis nugis non involuta sibi polliceatur in isthoc infantiæ tempore, imprimis post rejectum Dominum Jesum, qui ipsis Prophetarum scriptis, in hoc mysterio minus claris, per se ipsum & Apostolos suos facem prætulit; næ is errat insigniter. Omnia illa testimonia quæ tam evidentia sunt, qualia multa corrasit *Galatinus de Arca, Cathol. Verit. lib.* II. *per totum* præsertim C. XI. & XII. supposititia esse videntur. Idemque de iis judicium ferendum quod de Sybillinis carminibus, prout à Lactantio & aliis allegantur, quæ per *nimiam* evidentiam *ὑποβολιμαῖα* se eruditis probant. Quis qui *suæ spontis est* crediderit, distinctius multo Veteres Judæorum Doctores de *tam profundo mysterio* locutos (quod omnino factum esset, si genuina *sunt Galatini testimonia*) quam ipse D. Jesus, qui tamen è sinu Patris exiens isthæc nobis revelavit, quam Sancti ipsius Apostoli, qui Spiritu Dei pleni ea quæ ipsi in Cœlo didicerant explicuere? Nimis genio suo in istiusmodi fingendis indulserunt Veteres. Non pia hæc fraus est, sed me judice omnino impia: qua nimium præjudicium creatur veritati tam male defensæ. Non ita à propriis armis improvisa est, ut ea à jurato hoste suo falsitate mutuari necesse habeat. Ingenue agendum est, nec quicquam affingendum adversariis nisi quis candoris famam decoquere, doli mali apud omnes æquos judices postulari, ac Veritatem ipsam tot figmentis misere vinctam, ita ut lacertos movere nequeat, hostibus tradere malit. Sed ad lineas.

XXVI. Specialius paulo incipiamus agere: ac ostendamus filium Dei qui ab æterno destinatus est, ut Messiæ munere in tempore fungeretur, & Spiritum Sanctum, secundam esse & tertiam Trinitatis personam.

XXVII.

XXVII. De filio sive de Messia (id jam mihi unum idemque erit) primo sic argumentor. Cui competit nomen Jehova, is est verus DEus. Atqui Messiæ competit nomen Jehova. Ergo. Majorem aliquoties disertè affirmant Judæi. *Kimchi ad Hos.* XII, 8. sic habet. בשם אל ואלהים הוא משתתף עמהם אבל בזה השם לא משתתף עם זולתו. *In nomine El & Elohim communicat cum iis* (supple angelis) *sed in hoc nomine Jehova cum nullo communicat. Aben Ezra ad Ies.* XLII. 8. הוא שמי הנכבד כי אין במקרא שם עצם לבדו רק זה לבדו. *Hoc est nomen meum, gloriosum. Nam non est in tota Scriptura nomen ita proprium ut hoc, quod ipsi soli proprium est. Aberbenel ad hunc locum* notat in Tanchumo scriptum esse. הוא שמי שקרא לי אדם הראשון הוא שמי שהתניתי ביני ובין עליונים הוא שמי שהתניתי ביני ובין מלאכי השרת. *Hoc est nomen meum quo me appellavit primus homo. Hoc est nomen meum quo pactus sum inter me & inter superiores. Hoc est nomen meum quo pactus sum inter me & inter Angelos ministerii.* Pactus sum scilicet, ut illud mihi soli retinerem. Hinc vocant illud שם המיוחד *nomen appropriatum*, & שם העצם *nomen proprium*, quod apponitur appellativo: uti ex Aben Ezra jam vidimus. Neque enim putandum est nomenclaturam istam Grammaticam tam late semper sumi, quam fit *à Mose Kimchi* in ὁδοιπορία sua *Sect.* III. & *Elia ad istum locum.* Variæ sunt illius significationes, & quandoque שם העצם opponitur שם הכללי *nomini appellativo.* Vide sodes *l'Empereur in suis notis.* Imo ex regulis quibuscunque Grammaticis probari potest, nomen Jehova soli DEO proprium esse, uti id accuratè fecit (is quem honoris caussa nomino) Cl. Vir *D. Johannes Leusden Jona illust. p. 72.* Quæ prolixius hic adducere volui, quod videam *D. Hacspannum* (*ad Lipmannum p. 363.*) contra semihebræos quos cum Schickardo vocat declamantem, in alia omnia ire. Licet fortassis ad incitas redacti Judæorum Doctores quidam, præsertim recentiores, incommunicabilitatem vocis Jehova negent, ea tamen quæ jam produximus tam clara sunt ut nihil opponi queat: nec ex Galatino aut Munstero descripta (quod multos sine judicio facere jure conqueritur) sed ex ipsis fontibus.

XXVIII. Porro quod diximus Messiæ aliquando in Sacris litteris adscribi nomen Jehova, & in eo astipulantes habemus Judæos. Manifestum id est Jer. *XXIII. 6.* Ubi de Messia sermonem esse & res ipsa clamat (vocatur quippe צמח *germen.* v. 5. nomine ab ipsis Judæis passim

Messiæ attributo) & *Chaldæus* disertè asserit, qui sic *παραφράζει* הא יומיא
אתן אמר יי ואקים לדוד משיחא דצדיקיא. *Ecce dies veniunt, inquit Dominus, & suscitabo Davidi Messiam justorum.* *Kimchi* similiter, *Germen justum* והוא המשיח, *hic est Messias.* Et paulo post ישראל יקרא המשיח
בזה השם יי׳ צדקנו ולפי שבימיו יהיה צדק יי לנו קיים תמיד. *Israel vocabit Messiam hoc nomine, Jehova justitia nostra, quia in diebus illius erit justitia Domini nobis stabilis & perpetua.*

XXIX. Eximius est hic locus ad Deitatem Messiæ asserendam, ideoque operæ pretium erit adjungere & confutata dare ea quibus illum pervertere conatus est Aberbenel. Nam is est Aberbenel *quem superiorem Christianis* Judæi *putant, qui solide eorum argumenta solvere, & loca è sacris litteris producta ita enervare, ut eadem etiam in Christianos retorqueantur, posset.* Prout de eo testatur *C. l' Emper. in præf. comment: super Prophetiam* xxx. *Jesaiæ.* Et sane acuminis ac eruditionis laudem (modo iis semper pæne non abuteretur contra veritatem) nemo ipsi detrahere potest. Is ergo *Aberbenel* ita *in hunc locum.* וזה הסוף ירמיהו לבאר כאן מה יהיה
שמו באומרו וזה שמו אשר יקראו ה׳ צדקנו וכבר זכרתי בשאלות כמה
מהקושי יפול בקדושת מלך המשיח ולא שום בריה אחרת בשם ה׳ אל
עולם כי הוא השם הנכבד הוא הנקרא שם המפורש לפי שלא
ישתתף בו זולתו ואיך יקרא שם המשיח בזה השם והמפרשים
אמרו שמלת יקראו תחזור לישראל שהוא יקרא את המשיח כן ושמטה רבינו קרא את
המזבח ״ נבי ויעקב קרא את המזבח אל אלהי ישראל וכן בדברי הנביא יחזקאל על
ירושלם ושם העיר מיום ה׳ שמה ואין זהו היתר לספק כי תוספת זרות בכל שאר
הפסוקים שזכר וראוי לבקש בהם פי נכון ויש מפרשים שלא היה שם המשיח אלא
צדקנו בלבד לא שם ה׳ ויביה פי הפסוק וזה שמו אשר יקראו ה׳ כי הוא יהיה אז הקורא
אותו בשם צדקנו והיותר נכון בעיני הוא שלא אמר הנביא שיהיה שם המשיח לא ה׳
צדקנו ולא צדקנו בלבד אבל שיהיה שמו צמח צדיק כשם ועל אותו שם אמר וזה שמו
ר״ל צמח דוד אשר יקראו ה׳ צבאות שהוא צדקנו והוא יקראהו בשם ה׳ ר״ל צמח צדיק
הותרה בזה השאלה הד׳:

XXX. *Nunc pergit Jeremias, explicaturus, quidnam sit futurum ipsius nomen, quum dicit* & hoc est nomen ejus quo vocabit eum Jehova Justitia nostra.

nostrâ. *Et antea explicui in propositione quæstionis, quot difficultates moveri possint circa sanctificationem Regis Messiæ. Neque enim ulla alia creatura in mundo hoc nomine appellatur: Hoc quippe est nomen gloriosum, hoc vocatur nomen separatum, quia nemini communicatur præter Deum. Quomodo itaque ibi Messias hoc nomine indigitatur? Est nonnemo ex interpretibus, qui dicit vocem* Vocabit eum *referri debere ad Israelem, qui ita Messiam appellaret, & Dominum nostrum Mosem vocasse altare* Jehova vexillum meum, *& Jacobum altare vocasse* DEum fortem, DEum Israelis, *atque ita in verbis Prophetæ Ezechielis de Jerusalem,* & nomen Urbis ab isthoc tempore Jehova ibi. *Quod non est solvere dubium, sed plures difficultates movere, circa reliquos omnes versus quos allegat: atque in iis etiam conveniens & firma explicatio investiganda est. Sunt qui ita hunc locum explicant, nomen Messiæ nihil aliud esse quam* Justitia nostra *tantum, non nomen Jehova; Ac tunc sensus versus esset. Et hoc est nomen quo vocabit eum Jehova, nam is esset tunc persona vocans eum hoc nomine,* Justitia nostra. *Firmius autem mihi videtur, quod non dixerit Propheta, nomen Messiæ fore,* Jehova, Justitia nostra, *aut* Justitia nostra *tantum, sed fore nomen ejus* Germen justum, *sicut antea dixerat. Ac de eo nomine dicit, & hoc est nomen ejus, scilicet Germen Davidis, quo vocabit eum Jehova exercituum, qui est Justitia nostra. Is vocabit eum nomine hoc, scili.* Germen justum. *Atque hoc modo soluta est quæstio quarta.* Hactenus Aberbenel.

XXXI. Ex cujus discursu hoc primum arripio non exiguas nec contemnendas difficultates Judæis moveri posse ex hoc versu, quod amplificaverat etiam in ipsa propositione quæstionis. Secundo & hoc notatu dignum est, quod non modo fateatur nomen Jehova præter DEum nulli competere, sed & alia explicatione emolliendu doceat isthæc loca ex quibus contrarium nonnulli elicere annituntur: uti accurate & plenissime ad illa responsum est (ut alios taceam) *à Zanchio de tribus Elohim Lib.* II. *Cap.* II. Tertio & illud mihi probatur, quod reficiat eorum commentum, qui duo hæc *Jehova*, & *Justitia nostra* quæ conjungenda essent divellunt, & *Jehova* in nominativo casu sumunt, *Justitiam nostram* in accusativo. Sic ut is qui nomen hoc dat Jehova esset, nomen autem ipsum quod datur Messiæ Justitia nostra. Quod ideo refutare supersedeo, quia ipsi Aberbeneli displicet. Sed videamus num ipsius effugium accommodatum magis sit.

XXXII. Repudiat omnium illorum sententiam, qui hæc verba, *Jehova Justitia nostra,* sive conjunctim sive à se invicem separata, putant nomen esse Messiæ. Nomen, inquit, Messiæ est *Germen justum* quod repe-

 tendum

tendum est ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ex commate præcedente. Sic ut omnia isthæc verba, *Jehova Justitia nostra*, in nominativo casu sint, & personam vocantem innuant. Sed quid est pervertere textum, si non hoc sit? Hoc non est solvere nodum hunc Gordium, sed resecare. Quis non videt quam durum sit ita ex versu anteriori nomen hoc arcessere, inter quod & hanc sententiam quam præ manibus habemus duæ integræ periodi intercedunt: Contorta nimis illa sunt, quam ut fidem faciant ei qui à præjudiciis æger non est. Vidit hoc Kimchi, qui ingenuè nomenclaturam hanc Messiæ applicatum it. Imò & ille quem tanti faciunt Jehonathan, cujus Paraphrasi cœlitus testimonium perhibuisse ipsum DEUM narrat. Is ita παραφράζει. ביומוהי יתפרקון דבית יהודה וישראל ישרי לרחצן ודין שמיה דיהון קרן ליה יתעבדן לנא זכון מן קדם יי ביומוהי. *In diebus illius liberabuntur illi qui ex domo Juda sunt; & Israel confidenter habitabit; & hoc est nomen quo vocabunt illum, Factæ sunt nobis Justitia à DEO in diebus illius.* Nec potest dici nomen hoc Messiæ tribui tantummodo symbolicè, quod videtur velle Chaldæus. Sed revera est nomen innuens & naturam & officium Messiæ, & supponit pro re significata, uti in scholis loqui amant. Et nomen peculiare ipsi, הסכמי ut loquitur *Aberbenel ad Ies. Cap.* VII. quia de tali inquit & non de aliis semper dicitur קראת שמו vel יקרא שמו, semper adjuncta voce קרא. Quod quam verum sit, non vacat nunc inquirere. Sufficit mihi si in ipsum retorquere hoc telum possim.

XXXIII. Rursus, Egregius est locus Mal. 3. 1. *Licet mirum in modum corruptus à Judæis, imprimis ab* Aberbenele qui *glossis admodum* alienis ipsum pervertit. Vaticinatur ibi Propheta tempus aliquando affore, quum vindictam de suis & Ecclesiæ suæ hostibus sumet Dominus, & ex improviso, repente ingressurus est suum templum. Dominus, inquam, ille, quem Angelum fœderis sacer Vates nuncupat. Quæro quis hic Dominus sit? Respondet *Kimchi*. הוא מלך המשיח והוא מלאך הברית. *Ipse est Rex Messias, & ipse est Angelus fœderis. Aben Ezra.* הנני שולח מלאכי יתכן להיותו משיח בן יוסף · הארון הוא הכבוד הוא מלאך הברית כי הטעם כפול. Ecce ego mitto Angelum. *Conveniens est hunc esse Messiam filium Josephi.* Dominus. *Hic est gloria* (vel gloriosus ille) *& Angelus fœderis, quia idem diversis verbis bis dicitur. Selomo jarchi*, Dominus, quem vos quæritis, est אלהי משפט *DEus judicii. Aberbenel* רמז לשם הנכבד שיבא אז אל היכלו אשר בבית מקדשו וישכון שם בבודו ושכינתו וקראו ארון כי הוא ארון כל הארץ ואותו היו מבקשים בתלונותם. *Innuit nomen Gloriosum* (id est Jehovam DEUM) *qui venturus tunc est in templum suum, quod est in domo Sanctuarii sui.*

sui. Et habitabit ibi gloria ipsius & Schekina ipsius. Vocatque ipsum Dominum, quia revera totius terra Dominus est, ipsumque murmurationibus illis suis quærebant. Conclude ex hisce omnibus simul collatis. Ergo Messias est Angelus fœderis, & consequenter ab eo à quo missus est distinctus: & simul gloriosus ille, juxta AbenEzram; DEus judicii, juxta Iarchium; Nomen gloriosum (sic vocant Jehovam) cui Sanctificatum est templum, nemini nisi soli DEO consecrandum; cui adscribitur, non gloria tantum, sed & שכינה, id est Divina plane Majestas, qui totius terræ Dominus est, quemque omnibus suis votis expetiverunt Patres, juxta Aberbenelem. Utique desiderium gentium, ut Messias Haggæo dicitur.

XXXIV. Iterum. Citatur in Epistola ad Hebræos, & quam maxime apposite, comma 7. Psal. 11. ad demonstrandam inde Deitatem Messiæ. Ut autem eo magis urgeatur argumentum, hæc duo mihi probanda sumam. Primo de Messia hoc Psalmo Davidem loqui: dein, ea hic de Messia dici, quæ nudo homini non competunt. Nam utrumque à Judæorum quibusdam negari video. De priori sic *Aben-Ezra* הנכון בעני כי זה המזמור חברו אחד מהמשוררים על דוד ביום המשחו. *Firmum in oculis meis est, aliquem Cantorum Psalmum hunc composuisse de Davide, die unctionis suæ.* Sic & *R. Salomo* juxta litteralem sensum Davidi applicari debere docet. Similiter *Lipmannus,* non tam loquitur, quam furit *Num.* CCLXIX. כל המזמור מוכיח כי על דוד עצמו קאי. *Totus Psalmus docet Davidi ipsi eum applicandum esse.* Sed fugit eos ratio. Aliter eum explicuere Veteres & meliores ipsorum interpretes, qui ab antiqua Veritate amplius aliquid retinuerant. *Iarchius* id disertim fatetur רבותינו דרשו את הענין על מלך המשיח. *Rabbini nostri negotium hoc explicuere de Rege Messia.* Et sane expressus in hanc rem textus est in *Thalmudico codice* סוכה fol. 52. p. 1. ת״ר משיח בן דוד שעתיד להגלות במהרה בימינו אומר לו הקב״ה שאל ממני ואתן לך שנאמר אספרה אל חק ״ אמר אלי בני אתה אני היום ילדתיך שאל ממני ואתנה גוים נחלתך. Hoc est, interprete *Constantino l'Empereur in Dissert. præfixa Hal. Olam. Tradunt sive legunt Magistri nostri Messia filio Davidis, qui revelandus est brevi, diebus nostris. Huic dicit Sanctus laudandus. Pete à me aliquid, & dabo tibi: quia dictum est* (Psal. 11. 7. 8.) *Decretum enarraturus sum; Dominus dixit mihi, filius meus es: Ego hodie genui te: Pete à me & dabo gentes in hæreditatem tuam.* Clare hic Psalmi Verba ad Messiam referuntur. Imo R. Josephus Jabetz apud citatum modo l'Empereur ex professo refellit eos, qui Psalmum hunc Davi-

Davidi soli applicatum eunt: dicent אי אפשר לפרש כל המזמור על שלמות לפי זה הדרך. *Non est possibile, ut totum hunc Psalmum perfectè istbac via exponamus.* Chaldæus, versum hunc, de quo agitur, transferens, ita loquitur. אשתעי קימא די״ אמר חביב כבר לאבא לי אות זכאה כאילו יומא דין בריתך׃ *Enarrabo statutum Domini. Dixit dilectus, sicut filius parenti, ita tu mihi mundus ut die istboc quo produxi te.* Nunquid hoc in Davidem quadrat, tot peccatis, & quidem tam enormibus, ex propria confessione, inquinatum? Ut ea taceam, quibus ex ipso Psalmo evinci manifeste potest, plurima hic dici quæ Davidi neutiquam conveniunt.

XXXV. Hoc itaque monstrato, Davidi soli hæc Verba applicanda non esse, pergam, probaturus talia ea esse, quæ plusquam nudum hominem, aut, ut Græci loquebantur, ψιλὸν ἄνθρωπον, Messiam esse ostendunt. Ab ævo Christiani hoc argumento contenderunt: quod *Kimchi*, in solutione objectionum quas Christiani ex Psalmis nectunt, hoc modo proponit, והנוצרים מפרשים אותו על אמונתם׃ והפסוק אשר הם מביאין אותו ראיה ממנו ועושין בו סמך הוא אמר אלי בני אתה כי לא יתכן לומר בן האל על בשר ודם׃ כי הבן הוא ממין האבי כי לא יתכן שתאמר הסוס הזה בן ראובן׃ אב למי שאמר לו האל בני אתה צריך שיהיה ממינו׃ ויהיה אלה כמוהו׃ ועוד שאמר אני היום ילדתיך והילוד הוא ממין היולד׃ *Christiani Psalmum hunc de fide sua exponunt. Versus autem unde argumentum desumunt & cui innituntur, hic est. Dixit mihi, filius meus tu es. Quippe incongrue caro & sanguis (id est naturalis homo) filius DEI nuncuparetur. Filius enim ejusdem cum Patre est speciei. Incongrue utique equum dixeris filium esse Rubenis. Quod si ita est, is cui dixit DEus, filius meus tu es, necessario ejusdem speciei esse evincitur, & DEus esse sicut ille alter. Idque eo magis, quia dicit hodie genui te. Genitum autem est ex specie generantis.*

XXXVI. Neque omnia hic dicit Kimchi, neque prorsus nihil. Non ita argumentamur. Quidquid DEI filius est & dicitur in scriptura, ejusdem est cum DEO naturæ. Scimus enim DEum verum omnium parentem dici posse, per *creationem*, Electorum Patrem per *adoptionem*, & respectu *regenerationis* Spiritualis, juxta quam *à DEO geniti* esse dicuntur Joh. I. 13. & speciatim Davidis Patrem, respectu *regiminis*, in quo DEI vicem gerunt ii quos Magistratus in terra constituit, juxta id quod scriptum est Psalm. LXXXII. 6. *Ego dixi Dii estis, & omnes filii Altissimi.* Sed *primo* id notandum, magnum aliquid & valde memorabile Regium vatem loqui, quod sine præfatiuncula, qua attentionem excitaret, haut proponendum duxit. *Narrabo*, inquit, *statutum Domini*. Secretum & mysterium magnum est, quod

quod edisseram, quodque in hac mea coronatione, in qua regis Messiæ typum gero, aliquatenus adumbrare voluit Dominus. Neque enim moris est judiciosissimo Poëtarum ita ordiri, ut scriptor Cyclicus olim, ac grandi cothurno magna polliceri, quæ tamen in ridiculum murem exeant. Sane magnum aliquid & admirandum revera agi ostendit, dum ita præfatur. *Deinde* & illud est observandum, tam signanter hic aliquid personæ adscribi, de qua sermo est, ut nemini simile quid à DEO dictum sit. Fateor fideles, Fateor Angelos, Fateor magistratus DEI filios nuncupari, nego tamen tam solemniter cuiquam dictum esse, filius meus es, ego hodie genui Te, uti id factum, tanquam æternum DEI statutum, tanto cum apparatu hic narrat David. *Tertio*, id quod subjungitur. *Ego hodie genui Te*, satis docet de quo filio hic sit sermo, filio scilicet non adoptivo, filio non modo per externam quandam denominationem; sed filio nativo. De quo certum est quod ejusdem debeat esse speciei, aut potius ejusdem naturæ (sic convenientius locutus esset Kimchi) cum Patre. Illud *genui te* Christo proprium est, qui propterea unigenitus est. Non nescio quosdam ex interpretibus, etiam nostris, paulo aliter hæc verba explicare, imo etiam D. Paulum Actor. XIII. 33. generationem hanc ad resurrectionem Domini JEsu referre, sed quocunque tandem sensu sumatur, omnia, per quæ hæc phrasiologia explicatur, æternam istam generationem præsupponunt. Et speciatim in Actis locus hic resurrectioni applicatur, quia tum maxime patefacta fuit filii ex Patre æterna nativitas. Confer Rom. I. 4. Quum autem aliquid declaratur; tunc dici solitum est in Scripturis, fieri. Uti erudite hæc explicat *Zanchius de trib. Eloh. pa. mihi* 48. *Denique* quæ sequuntur com. ult. Osculandum esse eum filium, metuendum esse ab illius ira quæ perditionem minatur, fiduciam in eo collocandam, atque ita quidem, ut qui id faciat beatus sit, Divina plane sunt & ultra sphæram honoris deferendi nudis creaturis. Hæc argumenti nostri summa est: atque hoc fere modo proponendum à Kimchio fuerat, nisi ipsi sibi monstra fingere vellet, quæ deinceps debellaret.

XXXVII. Videamus autem quæ excipiat. Summam dabo: nam omnia verba adscribere prolixum nimis foret. Negat Divinitati Patris aut filii nomen convenire. At aliter intellexit Agur Prov. XXX. 4. *Quodnam est nomen ejus, & nomen filii illius si nosti?* Et in *Tikkune Sohar* Cabbalistæ de DEO loquentes, aliquoties, Patrem & filium loquuntur, ut videri potest in *Rittang. Sepher Jetzira p.* 59. Quod quo sensu fiat, aliis investigandum relinquo. Ego fateor me non posse percipere: tam intricatè philosophantur. Negat præterea Kimchi, Divinitatem ulla ratione dividi,

dividi, cum omnibus unitatis modis una ſit. Negamus id & nos, indiviſibilem illam unitatem tribus communem eſſe aſſerentes: & ſupra *Num.* VII. oſtendimus plus illos indiviſibili unitati DEI derogare per ſuas Sephirot, quam nos per noſtram doctrinam de tribus perſonis. Opponit leges generationis, juxta quas Pater Filium tempore antecedit. Licet enim Pater ante Pater non ſit, quam filium habeat, tamen ille qui vocatur pater, antiquior eſt filio, quem genuit. Sed non videt alios omnino de DEO conceptus formandos eſſe, alios de creaturis. Abſurdum eſt noſtri intellectus decempeda Divina metiri velle. *Viæ meæ non ſunt ſicut viæ veſtræ*, proclamat ipſe Jeſ. LV. 8. Multa in DEO ſunt quæ religioſe mirari potius debemus, quam curioſe rimari. Hoc fidei noſtræ exercitium eſt, credere quæ non percipis, tantamque revelanti DEO deferre obſervantiam, ut omnes cogitationes captivas ducas, ſub illius obedientia. Imo id ipſum myſterium hoc commendare debebat, quod omnem intellectus humani captum tranſcendat. Inde evincitur non noſtrum eſſe commentum, ſed quod nec nos nec quisquam alius potuiſſemus unquam cogitare, nedum credere; niſi revelatum id inveniſſemus in S. S. L. quibus non judicium amplius debetur, ſed cœca, ut ita dicam, fides. Nimis abjecte de DEO ſentit, qui non infinite plura ipſi poſſibilia præſumit, quam finita & tot rerum naturalium ignara mente ipſe queat percipere. Nec intelligit, quid fidei ſit, qui, etiam circa Divina myſteria, rationem & ſenſus ſuos in conſilium vocat.

XXXVIII. Nec ipſi Hebræi Doctores id ignorant, *fatentes myſticam* Theologiam ſuam, non mortalium rationem probationibus, *non ſenticoſis* inanium verborum contentionibus, non humanis ſyllogiſmis, propter Divinitatem ſuam, ſubjectam eſſe: quin imo tam magna, tam grandia, tam infinita myſteria continere, ut una hominis ætate, vel ſi libeat denique pluribus, omni quantumcunque indefeſſo labore ſuperari non poſſint; etiamſi vitæ noſtræ anni tendant in multa ſæcula, nobis plane in hoc luto, in hac argilla, in hoc denſi corporis cæmento ſpirantibus, & corporeo ſenſu cuncta præſumentibus. Ajunt enim Hebræorum ſapientes magiſtri כי להגיד כח מעשה בראשית לבשר ודם אי אפשר *quod explicare virtutem operis creationis carni & ſanguini impoſſibile ſit.* Quanto magis id verum erit de opere Mercava, quo myſticam Theologiam ſuam & Metaphyſicam deſignant. Vid. ſodes *Reuchli: de Kab. mi. p. 6.* Ideo quondam R. Eliezar dicenti ſibi benigne magiſtro ſuo R. Johanan, veni & docebo te opus Mercava, prudenter reſpondit אל קשאי *nondum canui;* innuens ſe ad hæc tanta myſteria percipienda ineptum eſſe, niſi cum ardore juvenili refrige-

frigerato sedatior, annisque provectior foret. Apprime ad rem facit, quod *R. Abraham* annotavit *ad Librum Jetzira* apud *Rittang. p.* 52. Ubi de mysterio emanationum ita loquitur. *Et hæ semitæ emanant de origine recondita & abscondita, ubi nulla creaturarum poterit stare apud veritatem ejus,* (id est veritatem ejus assequi) *& nulla speculatio poterit stare supra essentiam ejus, deficiunt omnes in apprehensione ejus.* Hinc est quod *coronam summam* (per quam quid intelligant Cabbalistæ *numero* XXIII. exposuimus) mirabili nomenclatura vocent אין sive NON ENS, *ac non finis,* hoc est אין סוף, *quia nos tam tenui erga res Divinas ingenii paupertate multati, de iis quæ non apparent, haut secus atque de iis quæ non sunt judicamus.* Ut id explicat laudatus modo *Reuchlinus p.* 62. *versa.* Applicet id Kimchi æternæ generationis mysterio, & suam potius ignorantiam ac paupertini ingenii imbecillitatem fateatur, quam ut tam carnalibus ratiociniis tremenda mysteria oppugnet.

XXXIX. Rogat num DEUS sit, cui ex nostra sententia Pater dicit, postula à me &c.; & quonam modo Patrem Filius roget, si filio æque DEO ac Pater est eadem cum Patre potestas competat: Sed quidni is DEUS sit, qui Patrem rogat, quum non roget qua Deus, sed qua Mediator? An tibi Tuisve Kimchi absurdum est dicere, quod DEUS ipse oret? An non hoc totidem est in *Massechet Berachot Cap.* 1. Ubi non dicitur saltem, sed & Talmudice, hoc est inepte probatur ex *Jes.* LVI. 7. Ubi DEUS loquitur de domo orationis suæ, quem locum superiore dissertatione, ni fallor, adduximus. Rogat porro, an non & ante postulationem hanc, gentes possessio illius essent? Erant sane ab illo tempore, ex quo Pater filio omnia dedit, quæ Patris sunt, præter esse Patrem; si filium consideres in quantum Deus est. Sin consideres eundem, in quantum Mediatoris & Messiæ munere fungitur, eo sensu possessio gentium data est, quum eam sanguine suo redemisset: juxta promissum Jes. LIII. 12. Excipit, Christo secundum carnem nullum fuisse regnum. Nec de terrena aliqua & mundana pompa hic agitur. Ipse Rex noster confitebatur, regnum suum de hoc mundo non esse. Imo, inquit, nec Spirituale regnum intelligi potest, quia nec Judæi nec Ismaelitæ, qui majorem orbis partem constituunt, fidem ipsius suscepere. At, velim, dicat mihi ipse, quomodo applicabile sit promissum hoc regno terrestri Davidis, quod sane angustis Palæstinæ limitibus terminabatur. Adde, utique per totum orbem prædicatum fuisse Christi Evangelium, & si non à singulis acceptum, attamen sine discrimine, Tros Rutulusve fuat, generatim omnibus oblatum. Eleganter *Tertullianus* libro adversus Judæos. *In quem enim alium universæ gen-*

tes crediderunt, nisi in Christum qui jam venit? Cui enim alii Gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Mesopotaniam, Armeniam, Phrygiam, immorantes Ægyptum & regionem Africæ, quæ est trans Cyrenem, Romani, & incolæ, tunc & in Hyerusalem Judæi, & Gentes cæteræ, ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa loca Romanis, Christo vero subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytarum, & abditarum multarum Gentium, & provinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen qui jam venit, regnat.

XL. Alius locus est non minus illustris, Psal. XLV. 7. 8. *Thronus tuus, O DEUS, est in sæculum & sempiternum; sceptrum justitiæ est sceptrum regni Tui. Dilexisti justitiam, & odio habuisti iniquitatem; idcirco unxit te, O DEUS, DEus tuus oleo lætitiæ, supra omnes consortes Tuos.* Et hunc à Christianis, ad Messiæ dignitatem adstruendam, adduci solere observavit Kimchi. Ac merito quidem. Etenim de Messia hic sermonem esse; ejusdemque spirituali conjugio cum Ecclesia, repræsentato per Salomonem, illiusque matrimonio cum Filia Pharaonis, non nostri saltem, sed Hebræi interpretes annotarunt. Chaldæus sane versum tertium ita exponit. שפרך מלכא משיחא עדיף מבני נשא אתיהיב רוח נבואה בספותך מטול כן ברכנך יי לעלמא׃ *Decor tuus, O Rex Messias, præstantior est filiis hominum; datus est Spiritus Prophetiæ in labiis tuis, idcirco benedixit Tibi DEUS in sæculum.* De hoc Messia versu 7. dicitur, quod DEus sit, quod thronum habeat in sæculum & sempiternum. Et tamen hic DEus, qui supra omnes consortes suos, omnes fideles, omnes Prophetas, omnes Reges, Spirituali oleo lætitiæ unctus est, ab ungente ipsum DEO, vers. 8. Hypostaticè distinguitur. DEUS, inquam, hic dicitur, quod inepte *Selomoh Iarchi* vertit per שר ושופט׃ *Principem & judicem* sicut Mose dicitur Pharaoni datus in DEum: quum vox אלהים absolute hic ponatur, sine ulla additione (ut ita dicam) malignante, & quidem in vocativo casu, quomodo nunquam (credo) ostendetur, ubi proprie DEum non notat. Vidit id Chaldæus, qui ita commentatur. כורסי יקרך ״ קים לעלמי עלמין *Solium decoris tui, O JEHOVA, Stabile est in sæcula sæculorum.* Kimchi, ut argumentum hoc eludat, hunc vult esse sensum; ut David per deprecationem DEum alloquatur; O DEUS, Thronus tuus sit in sæculum & sempiternum. Sed refutat hoc AbenEzra. האומר כי כסאך לנובח השם הפסוק הבא אחריו יכחישנו. *Qui dicit,* inquit, *Verba hæc Thronus referri debere ad DEum, is falsitatis convinci-*

vincitur per versum sequentem. Sed mirabili commento verba hæc torquet. Vult hunc esse sensum, Thronus tuus Thronus est DEI, sic ut vox Thronus ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetatur & tunc confert id quod dicitur, 1 Paral. XXIX. *Sedebat Salomo super Throno Jehova.* At quis, nisi in arcto constitutus, effugia tam parum tuta quærat? Fatemur Thronum Regum, Thronum Dei esse, non modo in quantum terra est Domini, & plenitudo ejus; sed etiam in quantum DEUS is est qui Reges in throno suo constituit, quique Thronos & sceptra Regum sibi inservire vult, utpote qui mancupio illa sibi retinet, hominibus tantummodo usu dat. Sed id hic non quæritur. Is quem David alloquitur DEus vocatur, eique ascribitur thronus, à Davidis & Salomonis Throno distinctus, duraturus non modo לעולם quod de illis etiam dici posset (nam עולם sæpe prolixum notat tempus) sed לעולם ועד, *in sæculum & æternitatem,* id est, ut Paraphrastes dixit *in sæcula sæculorum:* quibus phrasibus infinita & absoluta æternitas, saltem à parte post (ut in Scholis loqui amant) indigitatur. Id quod revera Messiæ competit. Is postquam semel inchoavit regnum gratiæ, continuabit illud usque ad illustrem illum ac gloriosum adventus sui diem, post quem commutabit illud in regnum gloriæ, idem Rex manens, eosdem retinens subditos, modo tantum regendi, qui totus tum incomprehensibilem gloriam spirabit, tam respectu Regis quam subditorum, immutato; atque illustri sceptro suo coruscus, ad DEI Patris dexteram sedebit in infinita sæcula. Secus quam de Messia suo, non satis magnifice, nec pro dignitate, Judæi philosophantur. Excipit cum Kimchi *Lipmannus Num.* 277. huic, de quo sermo est, adscribi vers. 10. conjugem שגל, quæ vox naturalem coitum cum fœmina importat, quod DEO indignum. Sed falluntur hi Doctores. Cum Parobolice vox ista Messiæ applicari debeat, inepte propria significatio urgetur. Sufficit ex ea desumere, intimam conjunctionem & ex illa resultantem amorem, quæ intercedunt inter Christum & Ecclesiam. Nec ad propriam istam significationem attendit Chaldæus, qui per שגל intelligit ספר אוריתא *librum legis.* Licet melius ipse Lipmannus postea dicat כל המזמור מדבר בכנסת ישראל שנקראת בת *Totus Psalmus loquitur de Synagoga vel Ecclesia Israelis, quæ vocatur filia &c.* Quomodo jam stolidus nugator Israeliticæ Ecclesiæ versu 10. applicabit, si carnalem istam significationem vocis שגל, juxta originem suam, retinere velit?

XLI. Præteriri sine piaculo non potest eximius ille locus, qui extat Jes. IX. 6. Ubi promissi Messiæ conditionem ac naturam breviter quidem, sed paucis verbis plenissime explicat. Præsagit ipsum à DEO vocandum fore, *Admirabilem, Consiliarium, DEUM fortem, Patrem æternitatis, Principem*

pem pacis; quæ omnia talia sunt, ut Divinam plane Majestatem spirent. Dicit Messiam ita vocatum iri, id est Messiam id revera fore, quod hisce nominibus indigitatur. Neque enim τὸ קרא καλεῖν in scriptura, semper referenda sunt ad externam appellationem nominis, sed interdum ad efficientiam, כפי פעלותיו dicit hoc loco Aberbenel, interdum ad applicationem rei per nomen designatæ. Erudite hoc observavit *Chrysostomus Homil.* V. *in Matthæum.* Ἔθος τοῦτο τῇ γραφῇ, τὰ συμβαίνοντα πράγματα ἀντὶ ὀνομάτων τιθέναι. Et res clara est ex Jes. VIII. 3. Jer. III. 17. &c. Erit Messias ergo *admirabilis*, non tantummodo in officiis suis, sed & in naturis, utpote Θεάνθρωπος. Is utique qui apparebat Manoæ, cui Manoa sacra faciebat, quem Manoa Deum fatebatur, quique ipse de nomine suo interroganti respondebat למה זה תשאל לשמי והוא פליא Jud. XIII. 18. Plane uti is, à quo Jacob Israelis nomen obtinuit, respondebat ipsi Gen. XXXII. 19. Erit *consiliarius* præterea Messias, quippe personalis illa Sapientia, quæ de seipsa prædicat, *Consilium & Prudentia mea sunt.* Prov. VIII. 14. Erit non Deus tantum, sed & cum epitheto *Fortis ille Deus.* Nequis existimet, Dei nomen illi attribui, sicut angelis & judicibus nonnunquam. Ac ne quis dubitet eum æterno patri suo ὁμοούσιον & coæqualem esse, subjungit Dominus, eum ipsum fore *Patrem æternitatis*, non tantum quia ipse est æternus (*nam exitus ejus ab initio & à diebus sæculi* Mich. V. 1.) sed præcipue, quia effector & dator est vitæ æternæ, quapropter à Johanne nostro vocatur, *Verus Deus & vita æterna.* 1 Joh. V. 20. Et denique *princeps* erit *pacis*, pacem conficiens suis cum Deo, cum propria conscientia & *inter se*, religionem instituens quæ fratres faciat, vel quos hostes reperit, utpote præfiguratus per Melchisedeck, qui & מלך שלם dicitur, id est Apostolo nostro interprete, Rex pacis. Quot nomina hic Messiæ tribuuntur, totidem sunt argumenta ad Deitatem ipsius asserendam.

XLII. Urget hic locus Judæos, ideoque in omnes partes se vertunt, illum ut Christianis excutiant. Præcipue Nobilis ille Aberbenel, ut suorum tueatur perfidiam,

—— animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, atque omnia versat.

Operæ pretium erit exceptiones illius aliorumque omnium, quos inspicere jam vacabit, proponere. Non tantummodo ut videamus, quam varia illi comminiscenda sint effugia, qui unicæ ac simplici veritati nuncium misit: sed præcipue, ut deinceps ex iis, quæ ab unis conceduntur, contra alios argumentemur, domesticis eos convincentes testibus.

XLIII.

XLIII. Communis pæne omnium error est, agi hic non de Messia, sed de Achazi filio Hizkia. Ita *Iarchius*, ita *Kimchi*, ita *Aberbenel*, ita *Lipmannus Num.* 226. Sed perperam. *Chaldaeus Jonathan*, eum de quo hic agitur, dicit esse משיחא דשלמא יסגי עלנא ביומוהי. *Messiam, in cujus diebus multiplicabitur super nobis pax.* Adde quod veteres Talmudistæ sequentem versum Messiæ applicuerunt; & tamen de eodem & hic & ibi sine dubio agitur. Aberbenel disquirens cur in voce למרבה וחכמים ז״ל נתנו טעם לדבר כי המשרה של מלך המשיח היא סתומה עתה׃ *Et sapientes p. m. hanc assignarunt rationem, quia Dominium Regis Messia clausum est nunc.* Ergo de Rege Messia ibi agi fatentur. Ne dicam descriptionem illam regni hoc versu contentam talem esse, quæ Hizkiæ non competat. Nunquid illius dominium & pax sine fine fuit, cum utrumque toties turbatum sit? An ille confortavit & corroboravit thronum Davidis in sæcula, cui ob inconsideratam arrogantiam prædictum fuit per Jesaiam, omnes thesauros regni Davidici transportatum iri Babelem, & filios ipsius aulicos fore apud Regem Chaldæorum? Jes. XXXIX. 6. 7. Non erat hoc Hizkiæ, confirmare solium Davidis; sed erat hoc Messiæ, ut optime Chaldæus. במימרא ד״י צבאות תתעבד דא׃ *Per verbum, τὸν λόγον, Domini exercituum peragetur hoc.*

XLIV. Excipit tamen Lipman: Messiam intelligi non posse, quia loquitur Jesaias de puero jam nato, de filio jam dato, in præterito tempore; sed non post tot sæcula demum nascituro & dando. Quod & Aberbenel innuit. Sed mirum est, magnos hos Doctores jam oblitos, quod toties alias inculcant, creberrimam esse futuri & præteriti in Prophetiis præsertim, enallagen. *Kimchi in Obad.* v. 2. בנבואות עבר במקום עתיד *In Prophetiis præteritum loco futuri ponitur.* Item *in Am.* IX. 8. דברי הנבואה הם במקומות רבים עבר במקום עתיד. *In verbis Prophetiæ sæpe est præteritum loco futuri. AbenEzra* similiter *in Jon.* II. 2. דבר שנגזר להיות ידבר בלשון עבר. *Res quæ decreta est fieri, de ea loquuntur in præterito.* Pueri hoc norunt, & ridicula pertinacia est tali argumento pugnare. Modus iste loquendi tendit ad majorem certitudinem rei. לאמת הדבר ut solent dicere. DEO futura etiam præsentia sunt. Apud eum dicta æquipollent factis; decreta & destinata executioni. Id ipse animadvertit *Aber. ad Jes.* XLVIII. בעת שיצאו מפי השם ונגזרו מלפניו כבר יש להם מציאות׃ *Quum aliquid ex ore Dei exiit, & ab eo decretum est, tunc ut jam modo existens reputatur.* Imo & Prophetis ita certa erant à se prædicta, ac si jam actu ipso fuissent adimpleta, unde de futuris frequentissime loquuntur ut de præteritis. An mirum

mirum ergo vel insolens id hoc quoque loco fieri ? *Vid. Spanhe. Dubi. Evan. Par.* II. *p.* 505. Imo ipsa attributa, quæ hic personæ, de qua sermo est, assignantur, aut nomina sub quibus venit, talia sunt ut nudæ creaturæ assignari non possint. Difficultatem hic cernunt Judæi, ideoque instar lubricarum anguillarum quaquaversum se flectunt, in id unum allaborantes ut quacunque demum specie elabantur. *Dic aliquem tandem*, *&c Quintiliane colorem.* Multa dicunt, sed ubi propius consideras, nihil dicunt.

Pergula pictorum, *Veri nihil*, *omnia ficta.*

XLV. In duas potissimum dispescuntur classes, qui locum hunc pervertere conati sunt. Sunt qui omnia hæc nomina pro nominibus Hizkiæ sumunt, quæ suo more tum explicant. Sunt qui quatuor priora nomina dicunt esse illius qui vocat, id est Dei, & ultimum modo nomen esse Hizkiæ. Sic ut Deus Op. Max. qui est Mirabilis, Consiliarins, Deus fortis, Pater æternitatis, Hizkiam vocaret Principem pacis. Utramque sententiam plausibiliter admodum proponit Aberbenel. Eum ergo loquentem audiamus.

XLVI. De priore in hunc prope sensum scribit. „ Subjungit „ Propheta nomina quibus indigitandus est Hizkias juxta opera sua. Vocabitur פלא *Mirabilis*, ratione prodigii & miraculi quod factum est in diebus illius, quum prolongaretur ipsius vita. *Consiliarius* ratione sapientiæ suæ, sicut scriptum est, *consiliarius Regis* 2 Chron. XXV. 16. אל *Deus*, quia „ futurus esset Judex Israelis; nam eodem sensu hic vox Deus sumitur, *quo* „ Exod. XXII. 9. *Ad Deos deveniet utriusque cau'a.* *Fortis*, in lege & adfaciendam voluntatem Patris sui, qui est in cœlis. אבי, *Pater meus* vel *Pater*, quia clemens ac misericors erit erga populum suum, sicut Pater indulgens est erga gnatos. עד *Spolium*, quia dignus judicabitur spolio Sanheribi & exercitus illius, & spolio Cus & Ægypti quos secum sumserit „ Sennacherib: juxta illud Gen. XLIX. 27. *Mane comedet prædam.* Ubi itidem in Hebraico est עד, quod prædam isthic loci notat. Aut quod probabilius est, conjunctim hæc sumi debent, *Pater præda*, aut Pater spolii, „ quod in manus ipsius devenit, eo modo quo nunquam factum e[illegible]ius & „ nunquam post illa fiet. Et R. AbenEzra explicat illud אבי עד, sicut eo „ indicetur regnum Judæ illius causa protrahendum esse ac duraturum diutius. Atque tum עד *æternitatem ac perpetuitatem* notaret, sicut de Deo „ dicitur, שוכן עד *inhabitans æternitatem* Jes. LVII. 15. *Princeps*, quia revera erit Princeps & Magnus in Israele. *Pax*, quia pax & veritas erit in „ diebus

„ diebus illius. Atque hoc ſenſu omnia hæc nomina eſſent nomina Hiz-„kiæ. Ita dicitur in Capite *Cheleck*. Veniet Hizkias octo nominibus in-„ſignitus, & vindictam ſumet de Sennacheribo, item octo nominibus ap-„pellato. Ac tum porro octo hæc nomina enarrantur, quibus octo Sen-nacheribi nomina adduntur. Sed hæc ad inſtitutum noſtrum non faciunt, ideoque nec aſſcribo.

XLVII. De poſteriori ſententia prædictus modo Aberbenel ita loqui-tur. „Sed juxta ſententiam Jonathanis & R. Salomonis Jarchii, omnia „ hæc nomina ſunt Dei O.M. tantummodo poſterius illud, *princeps pacis*, Hiz-„kiæ competit. Et tunc ſenſus textus hic erit, & Deus O. M. qui eſt mi-„ rabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, is, inquam, Bene-„dictus vocabit Hizkiam principem pacis; quia pax & veritas erit in diebus „illius. Et argumentum pro ſe ex ipſa ſcriptione vocis וַיִּקְרָא deſumunt, „ubi ſub Jod eſt Chireck, & ſub Reſch Kametz, Chriſtiani vero tranſtu-„lerunt וַיִּקָּרֵא, ſic ut ſub Koph ſit Kametz, & ſub Reſch tzere, adeo ut à „creaturis ita appellandus foret. Atque ita dicunt tranſtuliſſe LXX. inter-pretes. Tunc ſubjungit quæ non ratio ipſi, ſed furor & ſplendida bilis dictavit in D. Jeſum, probatque eum hic intelligi non poſſe, quippe qui plus quam quingentos annos poſt illud tempus natus eſt, cum tamen Pro-pheta in præterito, de re jam facta loquatur. Quod nos ſupra refutavi-mus.

XLVIII. „Sed redeamus, inquit, ad ſectionis hujus explicationem. „Juxta ſententiam Jonathanis aliorumque interpretum, conveniens duxit „ Propheta Deum ipſum hoc loci omnibus iſtis nominibus nuncupare: ut-„pote quæ appropriata ſunt actionibus illius, quas peregit tempore Hiz-„kiæ. *Mirabilis* dicitur, propter miracula quæ fecit in interitu Senna-cheribi, in ſanatione Hizkiæ, in retrogrado receſſu umbræ ſolaris. *Con-„ſiliarius*, quia conſilium ejus conſiſtit, & non conſilium Sennacheribi. „Sicut dixit Jeſ. VIII. 10. *Inite conſilium & diſſipabitur*. Et Pſalmiſta, *con-„ſilium Domini ſubſiſtet*. Pſal. XXXIII. 11. *Deus*. Quia ipſe eſt verus Deus, „ & non juxta blaſphemiam Sennacheribi. *Quinam ſunt ex harum terra-„ rum Diis, qui terram ſuam ex manu mea eripere potuerunt. Jeſ.* XXXVI. 20. „*Fortis*. Quia oſtendit fortitudinem ſuam in interitu Sennacheribi. *Pa-„ ter æternitatis*. Quaſi dicas Pater temporis & ævi, quippe in cujus manu „fuit addere ad Hizkiæ vitam XV. annos. Et hoc modo poſſet etiam id „ quod ſequitur, *Princeps pacis*, Deo applicari, quia ipſe eſt princeps & „ Dominus pacis. Et tunc, cum dicit *& vocabit nomen ejus*, non eſſet pro-prie ullius nominis appellatio, ſed claritatem ac celebritatem notaret, ſicut Ruth.

Ruth. IV. 11. וקרא שם בבית לחם. Hoc est, habeat celebre nomen in Bethlehem. Similia loca adducit plura. Et subjungit. Si denique velis omnia hæc nomina Hizkiæ applicare, poteris illud facere, quia mos est „ linguæ Sanctæ communicare nomina Dei benedicti, cum iis qui ipsum ti„ ment, & de nomine illius cogitant. Sic Hizkia fortitudinem denotat Dei, Jesaia salutem Dei &c.

XLIX. Ex prolixo hoc discursu id *primum observo*, magnam hanc sententiarum varietatem satis ostendere, Judæos mera ac inania effugia quærere: nullamque adeo explicationem iis satisfacere, quum novam continuo investigent. Quod palpitantis assidue & nusquam sibi placentis ingenii indicium est. Sic solent illi qui χρησφύγετον illud in quo latent, minus tutum existimantes, aliud continuo captant, ubi melius se post carecta latitare sperant. Poëtam laudat Flaccus, qui, quæ

Desperat tractata nitescere posse, relinquit.

In sacrarum litterarum interprete, qui tot se invicem destruentia comminiscitur, fugam id veritatis notat, à qua alias atque alias perpetuo latebras sibi quærit. Veritas in unaquaque re una tantum est. Falsitas tortuosa ac multiplex. Tot itaque ambages quærere, fugientis potius quam triumphantis indicium est.

L. Secundo, in hac sententiarum Judaicarum discrepantia multum pro veritate præsidii est. Videant Judæi quid respondendum sit ad argumenta inde desumenda; & facile ea se sibi intrivisse cernant, *quibus* exedundis non sunt, nisi manus dare veritati, cujus solius *hic triumphum* optamus, malint. Ego duas theses tantummodo proponam, ex allegatis expositionibus inter se collatis, quibus nostra, id est Orthodoxa sententia plane contineatur.

LI. 1. *Nomina hæc non sunt nomina illius, qui hic introducitur ut persona nominans, sive, non pertinent ad enunciationis hujus subjectum, sed sunt nomina illius, de quo sequenti versu agitur (quem ex Aberbenel ipso ostendimus esse Messiam) sive, pertinent ad prædicatum.* Hoc fatentur illi omnes qui ad Hizkiam hæc nomina referunt. Hoc diserte afferunt Talmudistæ in Capite Chelek, qui non Dei nominantis, sed personæ nominatæ dicunt esse nomina. Id vulgo dicti septuaginta Judæorum interpretes confirmant: qui ita transtulerunt. *ὅτι παιδίον ἐγεννήθη ἡμῖν, υἱὸς καὶ ἐδόθη ἡμῖν, οὗ ἡ ἀρχὴ ἐγενήθη ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτοῦ, καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος.* Imo id res ipsa clamat, neque enim solet scriptura tot epitheta Dei cumulare sine causa & exigentia loci. Id Sultanum potius Turcarum

carum deceret, quam Deum Israëlis. Neque Deo absolute sumto unquam consiliarii nomen tribuitur, quod filio Dei, qui totum consilium Patris nobis revelavit, apprime convenit. Denique scopus est Prophetiæ, non Dei absolute, sed Regis populi sui personam & officium describere. Quod ex omnibus textus circumstantiis manifestum est. Id nunc primo observetur.

LII. 2. *Nomina hæc talia sunt, ut commode, nisi de Deo qui Deus est explicari nequeant.* Id fatetur Jonathan, id R. Sal. Jarchi, id Lipmannus vult, & plures alii, dum dicunt hæc nomina esse Dei benedicti, nec audent ea creaturæ applicare. Et sane quomodo tot eximia epitheta simul, מפליא עצה אלהא גברא קים עלמיא *Mirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Consistens in secula*, ut illud אבי עד explicat Jonathan, nudo alicui homini convenient? Ubi in Sacris litteris huic simile quicquam extat aut secundum? Deus dicitur, non quo sensu judices Dii sunt, (ubi in Hebraico etiam est אלהים & non אל) sed, ut Aberbenel hanc sententiam explicans ait, לפי שהוא האל האמתי quia verus Deus est. Et abi אבי עד non quasi esset, *Pater spolii*. Nugæ; sed *quia in secula consistit*, ut Jonathan; קיים לעולם והוא אבי הזמן, *Consistens in secula & Pater temporis*, ut Kimchi; אבי עד ירמוז לחיים הנצחיים. *Pater æternitatis significat vitam æternam*, ut Aberbenel loquitur sicut עד non sit hic in significatione spolii, sed מלשון התמדה sed *in significatione perpetuitatis*, ut AbenEzra scribit. Quod quo sensu in hominem, quo in Hizkiam quadrat? An quod XV. anni vitæ ipsius additi, pater vocatur æternitatis? Num quindecim anni in Judæorum lingua æquipollent æternitati? Non sane. Idem hic significat æternitas, quod Jes. LVII. 15. fatente AbenEzra, ubi præter absolutam æternitatem Dei nihil notare potest. Atque uti æternitatis vox inepte quindecim illis annis applicatur, ita nec propter eos æternitatis Pater dici Hizkias potest: Qui enim hic æternitatis Pater dicitur, ita vocatur שהוא בראו וביָדו להוסיף ולגרוע *quod ipse creaverit eam, quodque in ipsius manu sit, tempus hominis augere vel minuere*, ut Kimchi ait. Quum ergo nomina hæc talia sunt, ut Divinam omnino gloriam significent, uti hac thesi ex ipsis Rabbinorum dictis ostendimus: Quumque illius nomina sint, qui à Deo ipsum his nominibus vocante distinguitur, uti thesi præcedente ex aliis probavimus: Concludo, eum de quo hic agitur verum Deum esse, & tamen ab alio, qui itidem verus Deus est personaliter distinctum:

LIII. Neque meræ aut inanes argutiæ sunt quibus Judæos conor irretire, id uni, aliud alteri præter mentem suam surripiens, quo ipsum postea & socios oppugnem. Sed animus tantummodo fuit conclusionem

meam elicere ex iis præmiſſis, quas ipſi *Judæorum* doctores mihi dederunt. Quod & candide feci. Id ut liqueat, argumentum in forma proponam. Cui talia adſcribuntur nomina, quæ præter verum Deum nemini competunt, is verus Deus eſt. Atqui Meſſiæ hic talia aſſcribuntur nomina, quæ præter verum Deum nemini competunt. Ergo. Majorem, præterquam quod ex ſe ipſa evidens ſit, probavi *Num.* XLI. Minor eſt bimembris, dicitque primo de Meſſia hic agi, quod probavi *Num.* XLIII. ſecundo hæc nomina talia eſſe quæ ſoli Deo competant, quod demonſtratum *Num.* LII. Et quia excipi poteſt, etiamſi hæc nomina verum Deum innuant, & etiamſi his verſibus de Meſſia agatur, tamen non ſequi Meſſiam eſſe verum Deum, quia non ſunt nomina Meſſiæ, ſed illius qui Meſſiam appellabit Principem pacis, ideo hanc exceptionem, quæ unica ſupererat everti, *Num.* LI. certus me nihil diſſimulaſſe, vel quicquam dolo malo alicui affinxiſſe. Et de filio Dei hactenus.

LIV. De Spiritu Sancto pauciora me in Hebræorum ſcriptis, præter ea quæ ſupra dicta ſunt, reperiſſe fateor. Atque ſi ad hominem, uti hactenus feci, argumentari volo, vix quidquam occurrit ad illius Divinam perſonalitatem à Patre & Filio diſtinctam demonſtrandam, præter ea quæ Commentatores annotarunt ad Jeſ. XLVIII. 16. *Et nunc Dominus Jehova miſit me &* SPIRITUS ILLIUS. Unde ſic jam argumentor. Is qui Prophetas ad prophetandum mittit, verus ac æternus eſt Deus. Atque Spiritus Sanctus diſtincte â Patre Prophetas mittit. Ergo.

LV. Major non tantummodo patet ex Jer. XIV. 14. 15. Ubi Dominus Prophetas eſſe negat qui à ſe miſſi non ſunt; ſed & emphatica paraphraſi Aberbenelis. Is ita ad hunc locum annotavit. בשכר וכזב נביאים הנביאים בשמי לפי שלא שלחתים בשליחותי ולא צויתי אותם לדבר אל העם ולא דברתי אליהם דבר מבלי שליחות ולכן אינם נביאים ואין ענינם נבואה. *Falſo & mendaciter prophetarunt prophetæ illi in nomine meo, quia non miſi illos miſſione mea, nec præcepi illis ut loquerentur ad populum meum, nec unquam ſine miſſione ad illos locutus ſum, ideoque prophetæ non ſunt, nec negotium ipſorum eſt Prophetia.* Viden? Prophetæ illi non ſunt, quos non miſit Dominus. Et per conſequens ſolius Domini eſt Prophetas mittere. Sed ſpeciatim, Jehovam eum fuiſſe à quo miſſus eſt Jeſaias, docet Kimchi ad Jeſ. LXI. 1. רוצה לומר כי הבשורות הטובות שאמר ושעתיד לומר רוח הנבואה מאת ה׳ היא משרתה עליו ושלחו האל לבשר בהם ישראל העתידים להיות. *Vult dicere, quod vaticinia iſthæc bona, quæ prædixerat*

antehac

antehac, & etiamnum prædicturus erat, provenirent à Spiritu Jehovæ ipsum inhabitante, & quod missus esset à Deo ut futura Israeli vaticinaretur. Sic est, præter Deum nemo fuit qui Jesaiam ad prophetandum misit. Quo imprimis facit quod Veteres Judæorum interpretes annotarunt apud Aberbenelem ad Jes. VI. 8. Ubi ita loquentem introducunt Deum. חייך שכל הנביאים &c. *Ita vivas Jesaia, omnes Prophetæ prophetarunt, propheta ex ore prophetæ, dictum quippe est, quievisse Spiritum Eliæ super Elisa, & Spiritum Mosis super* LXX. *senioribus,* אבל אתה אינך מנבא אלא לפי הגבורה *Verum tu non prophetas nisi ex ore Fortitudinis* (sic aliquando Rabbini appellant Deum) *Hoc illud est quod dicitur, Spiritus Domini locutus est in me, verbum ejus in lingua mea.* Ecce, si Rabbinis hisce credimus, peculiare hoc habuit Jesaias, quod immediate per eum locutus sit Deus, & consequenter ipse immediate à Deo missus.

LVI. Jam vero non Deus tantum (voce hac ὑποστατικῶς sumta pro Patre) sed & Spiritus Dei misit ipsum. Utique Spiritus Dei, itidem Deus est, uti *supra Num.* XII. ex Aberbenele probavimus, qui rursus diserte hoc asserit in propositione quæstionis secundæ, ad Prophetiam XXXIV. Jesaiæ incipientem cum com. 7. Cap. LXIII. *Posuit in medio ipsius* (inquit) *Spiritum Sanctitatis suæ,* שהוא הוא הקדוש ברוך הוא *qui est ipsissimus Sanctus Benedictus.* Et tamen Spiritum Dei hic à Deo distingui, non tantum textus ipse docet, sed & plerique Judæorum interpretes, AbenEzra, Haggaon, Kimchi, alii observarunt. At ubi, quid per Spiritum Dei intelligi debeat, explicaturi sunt, inter se non conveniunt. AbenEzra Angelum esse vult Persiæ regno præfectum, uti cuique regno angelum suum præfectum esse ex Daniele liquere ait. Kimchi similiter per Spiritum Dei Angelum intelligit, quo mediante Deus Prophetæ locutus est. Et rationem, cur hic speciatim Spiritus mentio fiat, hanc assignat; quod quandoque propheta vocem audiret, non viso angelo, nunc autem simul per visionem propheticam angelum cerneret. Sed vana sunt hæc commenta. Ne enim id repetam, quod modo demonstravi, à solo Deo Jesaiam missum esse; nunquam in Sacris litteris Angelus aliquis Spiritus Dei appellatur. Viderat hoc Kimchii Pater, qui referente filio, sic annotavit. ועתה ה׳ אלהים שלחני ורוחו שם בקרבי להתנבא העתידות. *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritum suum posuit in medio mei ad vaticinandum futura.* Nunquid Spiritus iste, qui Prophetis insidet, per quem futura vaticinantur angelus aliquis est? Nihil minus. Nec hoc, credo, Judæi dixerint. Saltem non omnes ut *Num.* XX. ostendi.

LVII. Aliter solent Hebræi de Spiritu Sancto p
quomodo magnis hisce doctoribus in mentem venerit
gelum ex eo facere. Nunquid Angelum notat cum
רבה pag. 2. col. 4. ת הקדש ואמר שלשה ספרים
משלי קוהלת ושיר השירים. *Habitavit* SPIRITI
dixit per eum tres libros. Proverbia, Ecclesiasten, C
Nunquid Angelum innuit Targumista Onkelos, quu
ושרת רוח קודשא על יעקוב אבוהון *Et habitavi*
Jacobum Patrem ipsorum. Sane tales hæ Phrasiologia
star dicere voluerit D. Paulus, τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ οἰκεῖ
Id enim mihi admodum volupe semper fuit, Apost
mulas cum veteribus Judaicis componere. Ut con
ritus Sanctus creatum aliquem angelum non notat.
tat: quippe aliquem cum Authoritate mittere persor
personam divinam notat: quia prophetam mittere a
Dei opus est. Ac denique personam divinam no
quia Patri hic adjungitur, & ejus dicitur esse Spiri
pra probavimus.

LVIII. Tu Deus, qui unus & Triunus es, F
Sanctus, miserere afflictissimæ gentis, sed gentis qu
velum, quo tam diu cooperti jacuere, ab ipsorum
jam secula dictum est *Lo Ammi & Lo Ruchama*, dic
ce illud *Ammi* & gratiosum illud *Ruchama*: Inde it
mentibus ipsorum, ut Te agnoscant verum Deum,
Christum, per virtutem Sacro Sancti Tui Spiritus.

יהי רצונך במהרה בימינו:
אמן ואמן:

HERMANNI WITSII

AD

AMPLISSIMUM VIRUM,

ULRICUM HUBERUM,

DISSERTATIO EPISTOLICA,

In qua de Scripturæ Sacræ Auctoritate Divina ex sola Ratione adstruenda; de Operationibus Spiritus Sancti in electis, mediatis an immediatis; de conscientia nunquam, aut aliquando errante, placide disputatur.

Addita est, ob materiæ adfinitatem,

ORATIO,

DE

PRÆSTANTIA VERITATIS EVANGELICÆ.



ULRICO HUBERO
SUO
HERMANNUS WITSIUS
S. P. D.

AMPLISSIME VIR!

Quæ subortæ apud vos sunt controversiæ, eas, tam ex litteris tuis, quam ex ultro citroque editis libellis, non sine insigni moestitia intellexi. Mirabar tantum nobis, in tam universali rei Christianæ calamitate, ac tam deplorato propemodum statu, otii atque securitatis esse, ut nescio qua ingenii prurigine *occasionem* demus infaustis litibus, quibus in propria sæviamus viscera. Sed & *indignabar*, me quoque, qui ex minimis, sed pacificis in Israele sum, ad partes rapi. Nam illos, quibus diversum à te sentire lubuit, me plus semel pro se citare deprehendi; at sale prius comico adspersum, vel, si verum dicere liceat, succo loliginis atræ. Et tu, pro veteri nostra necessitudine, haut paullo humanius urbaniusque sententiam meam atque consilium exposcis. Equidem expertus jam multifariam seculi malignitatem sum: atque hos demum vitam vivere tranquillam animadverti, quibus eam silentio transigere licet, sic ut officio suo placide fungentes, de cætero sibi canant, suisque, quod ajunt, Musis. Hinc est, quod aliquot jam retro annis in publicum non prodierim; quamvis repetitis vicibus, impugnatus, lacessitus, provocatus, dicteriis etiam & opprobriis proscissus. Hortabantur aliquando amici, ut me meaque, sine ratione, uti illi quidem credebant, impugnata, defenderem. Non deerat scriptionis materia, & in promtu habebam quæ reponi possent. Sed obstitit, mihi crede, reve-

rentia

rentia nominis, & conscientiæ tranquillitas, & pax atque ædificatio Ecclesiæ. Quas ego res, non universas solum sed & singulas, qualiscunque existimationis meæ diminutione haut gravate redemtas cupiebam. At neque magnam sic agendo existimationis jacturam metui; dummodo non verbis, sed factis, comprobatum darem, ejus me sapientiæ candidatum esse, quæ *superne veniens primum quidem casta est, deinde pacifica, æqua, obsequens, plena misericordiæ & fructuum bonorum, absque disceptatione & minime fucata.* Memineram ejus quod Jacobus olim scripsit: *quis sapiens & scientia præditus inter vos, is demonstret ex bona conversatione opera sua ἐν πραΰτητι σοφίας.* Neque invidebam aliis quam affectare videbantur acuminis ac πολυμαθίας laudem, modo eam modestiæ ac lenitatis retinerem. Et *dicteria* quidem eorum hactenus ad animum revocavi, ut serio excuterem memetipsum ecquid ex vero traherent, quo admonitus increpitusque ea corrigerem quæ non via atque ordine à me gesta esse convincebar. Deo immortali agebam gratias, quod acerbiori aliorum calamo mei molirentur emendationem: eorum interim misertus, qui, ut ego forte emacularer, ipsi sese affectuum suorum labe conspurcabant. *Doctrinam* autem meam, & sententiam de iis quæ hodie inter Theologos disputari solent, ita clare, distincte, nitide me exposuisse arbitrabar, ut satisfactum caussæ esset, neque reformidarem piorum atque eruditorum, qui extra partes positi sunt, etiam sine ulteriori mea replicatione, tribunal. Ignoscant mihi Viri eruditissimi, si dicam quod res est; nullam me in ipsorum impugnationibus argumentationem invenisse, quæ à sententia discedere subigeret. Sed neque *candoris* & *modestiæ* conscientiam excusserunt. Quod enim me ex eo plurimum profecisse cavillentur, cujus placita nonnulla ad examen revocare atque improbare sustinui, id ipsum ego in non minima candoris parte colloco. Dona Dei in omnibus servis ejus suspicio; eo præsertim Viro, quem illi quidem stupent, ego autem veneror; sic tamen ut hominem esse meminerim, qui sicut cæteri, ex parte cognovit, ex parte prophetavit. Et cur nefas mihi fuit aliquid ex eo haurire, cujus ipsi sine delectu deglutiunt omnia? Quis mihi, sine populi suffragio Dictator, eam legem fixit, ut ex eo quod viritim terit publicus usus aut omnia sumenda essent aut nihil? Neque sane profectuum meorum auctorem dissimulavi, quem toties à me laudatum æquus lector deprehendet. Nunquid necesse, aut decorum fuit, ad singulas etiam minutias, illius prædicare elogia, quem nostris majorem esse ipsi credunt, neque ego abnuo? Porro quod de violata *modestiæ, æquitatis* ac *charitatis* lege objectant, id frustra ab iis dici, probe mihi conscius sum. Nihil enim hic mihi sumsi, præter dissentiendi

liberta-

libertatem. Dissensum autem iis verbis testatus sum, quæ nemini ægre esse possunt nisi vel valde iracundo, vel admodum querulo, vel nimio certe opinionum suarum amatori. Et cedant, si possint, ex suis aliquem, qui, non dicam me, sed maximos etiam Viros, ac Celeberrimos qua patet reformatus orbis Theologos, diversum ab iis sentientes, vel decima parte ejus lenitatis exceperit, quam ego me Viris eruditis debere existimavi. Et quid multis? Conferantur cum meis quæ Μεγαλογενεῖς ille vester pridem adversus *Wolzogium*, nuper contra *Spanhemium*, nunc quoque contra te, *Amplissime Hubere*, commentatus est, nonne mea sesamum atque papaverem dixeris, illius autem splendidam bilem aut æruginem meram? Hæc ego animo meo tacitus sæpe numero agitabam; atque, ubi commodum erat, exponebam amicis, operosioris Apologiæ securus. Neque cogitabam futurum esse ut enarrarem publico. Verum, uti res humanæ sunt, aliæ ex aliis nascuntur occasiones. Inque eo me theatro collocavit sortis nostræ arbiter, ubi mutam semper personam agere non licet. Atque hoc rerum cardine necessitas aliqua mihi imposita esse videtur, qua utrimque compeller, ad veritatis elucidationem, symbolam quoque meam conferendi. Nimirum disputari apud vos cœptum est, an *errorem eorum, ad quem ne gradus quidem absque flagitio fieri possit, illi committant, qui intrepide & ipsi credunt, & aliis inculcant, quæ rationi rectæ adversissima sunt, modo id in scripturis contineri sibi persuasum habeant? Num Scripturæ Divinitas, qua auctoritas ejus omnis nititur, aliunde quam ex ratione adstrui possit? Num culpa liberandi sint, qui adserere sustinent, si Ratio aliud quid nobis dictaret quam Scriptura, Scripturæ potius esse credendum?* Omitto alia, quæ juvenilis caloris impetu effusa, ad vivum resecanda non arbitror. Verum & de *Spiritus Sancti in electis operationibus* contendi deprehendo, & quid de iis seorsim ab *Enthusiastis* Reformata Ecclesia doceat? Item de *Conscientia* hominis, *ecquid ea, ab errore omni immunis, non nisi quod verum atque certum est dictare possit?* Haut indigna sane problemata, quæ nostram quoque exerceant industriam. In quibus finiendis si quid fortasse aliud sentiam quam nonnulli Academiæ Vestræ Proceres, nolim id profecto in *Academiæ contumeliam* trahi: cujus florens status non nisi invidis hominibus, hoc est malis, & tui meique valde dissimilibus, *sudes in oculis* esse potest. Ego certe omnes invidiæ caussas procul habeo, & tot ei me nominibus devinctum agnosco, ut nunquam destiturus sim sana ei, sancta, ac prospera omnia apprecari. Quod propositum excussura mihi non sunt aliorum quantumvis inclementia dicta aut facta. At non male mox de Academia meretur, qui non omnia omnium Professorum molimina approbat, & juventutem

teno-

teneram ſedulo monet, ne quovis doctrinæ vento abripi ſe patiatur. Cæterum ad rem, ſi placet, veniamus.

I. Equidem ſic exiſtimo; quemadmodum in omni quæſtione ita & in hac, certa ab incertis, ea de quibus diſputari poteſt ab iis quæ citra omnem diſputationis aleam poſita ſunt, prudenter eſſe diſtinguenda; & rei potius momenta eſſe libranda, quam ut de vocula incommode dicta otioſe atque odioſe altercemur: niſi fortaſſis vehemens ſuſpicio ſit, virus aliquod ſubeſſe, quod vires ſuas periclitari geſtiat.

II. Atque in eo primum omnes conveniunt, *non poſſe id non eſſe verum quod recta Ratio homini dictat*, ſive quod ex indubitatæ veritatis principiis, evidenti, perſpicua, & nusquam hiante argumentatione, deducitur. Quia ipſe Deus, Veritatis fons, ac mentis noſtræ Auctor, luminisque in ea ſplendentis origo, id nos per Rationem docere cenſendus eſt.

III. Sed & id apud noſtræ profeſſionis homines extra controverſiam eſſe debet, *primi parentis vitio ac crimine vigorem humanarum mentium, ingenii acrimoniam ac judicii ſoliditatem, plurimum imminutam atque retuſam eſſe*, ſic ut plurima ſcitu utilia ignorare cogamur, alia multa difficultate vix tandem adſequamur, in nonnullis etiam, quæ certo nos ſcire opinati ſumus, valde erremus atque fallamur. Cujus erroris cauſſa non Deo, ſed communi naturæ corruptioni, & noſtro quoque vitio, adſcribenda ſit.

IV. Tertio & hoc in confeſſo eſſe arbitror, *rationem noſtram naturalem certis circumſcriptam eſſe limitibus, quos tranſcendere non valeat, quantumvis nitatur*. Poſſe quidem hominem ſolo rationis lumine adjutum, eoque diligenter utentem, multa de ſe, multa etiam de Deo cognoſcere, quæ ad Dei eſſentiam, exiſtentiam, attributa, virtutes; quæ ad creaturarum omnium omnimodam à Deo dependentiam; quæ ad hominis officia; quæ ad bonorum ac turpium diſcrimina pertinent; aliaque id genus aliquammulta. Sed & non pauca ſupereſſe cognoſcenda ad veram æternamque beatitudinem, quæ aliunde diſcenda quam ex lumine Rationis, quæque immenſo propemodum intervallo excedunt eam altitudinem ad quam accuratiſſimis etiam meditationibus eniti mens humana valeat. Talia ſunt, trium perſonarum in individua Deitate Unitas, eaque omnia fidei noſtræ myſteria de quibus Paulus dixit: 1 Cor. II. 7. 8. 9. *loquimur ſapientiam Dei in myſterio, occultam illam, quam præfinierat Deus ante ſecula, ad noſtram gloriam: quam nemo principum ſeculi hujus cognovit: ſed ſicut ſcriptum eſt, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt.* Quæ hujus generis ſunt, ea ſi cogniturus ſit homo, oportet ut per *ſupernaturalem Revelationem*, quæ à *mera rationis* lumine diverſiſſima eſt, notificentur.

V. Porro quum *Manifestatio* quæ per *Naturam* fit, eaque quæ ex *supernaturali Revelatione* est, pariter ex Deo sint; palam est, *alteram alteri repugnare non posse*. Non enim Deus ea mentibus nostris axiomata insevit, quæ vel destruant sublimiora fidei mysteria, vel ab iis destruantur. Aliud est, *Naturæ axiomata* longe subsidere infra *Revelationis dogmata*, neque *ad ea pertinere*, aliud *iis repugnare*. Iterum aliud est, *Revelationis dictata Naturæ* scita *transcendere*; aliud ea *convellere*.

VI. Qui itaque scripturam Divinitus revelatam agnoscit, is, si sanæ mentis sit, persuasum habere non potest, *scriptura contineri quæ Rationi Rectæ adversissima sunt*: neque potest ea *quæ rationi Rectæ adversa novit*, vel *ipse credere*, vel *aliis inculcare*, eo argumento quod in *Scriptura exstent*. Neque ullum Theologorum nostrorum novi tam stupidum, ut tam crassum errorem erret. Ideoque aërem ferire videtur, qui nescio quibus tam flagitiosum, ut ait, errorem imputat. Aliud est, si quis clare animadvertens aliquid in *Scriptura* contineri, exinde inferat, non posse illius contrarium, utut ab aliis, vel à se ipso etiam, pro *Rectæ Rationis dictamine olim acceptum*, Rectæ Rationis dictamen esse. Ea enim illatio legitima est, ex concesso utrimque principio, *Verum Vero non potest esse contrarium*. Idcirco, quando vera deprehenditur contrarietas, necessum est errorem esse vel in *argumentatione rationis*, vel in *intellectu scripturæ*. Ubi vero quis persuasus est, non errare se in *interpretatione scripturæ*, simul eum persuasum esse par est, errorem latere in *illatione rationis*. Ideoque nemo mortalium est, nisi *delirus*, qui credat aliquid *Rationi sanæ* esse *adversissimum*, & insimul persuasum habeat, illud *in scriptura*, quam pro *Divina*, id est *sapientissima*, summeque *rationali* habet, *contineri*. Uti nemo est, nisi *religionis expers*, qui, ubi aliquid *clare in scriptura assertum* invenit, non sit *mendacium impacturus rationi*, quantumvis pertinaciter contra garrienti. Licet disputare jam videar atque arguere, ea tamen me puto dicere, quæ cuivis attendenti tam sunt evidentia, ut pro concessis merito sumi queant.

VII. Hujus generis & illud est: *Revelationem supernaturalem certa quædam gnorismata atque indicia habere quibus de illius Divinitate constare possit.* Etenim nemo obligatur ad aliquid pro *Divino recipiendum*, quod *Divinum esse* neque *novit*, neque certis argumentis *nosse potest*. Fides religiosa non est *stoliditas*, sed certa quædam *notitia*: est ἔλεγχος, neque destituta ἀποδείξει, & φανερώσει ἀληθείας πρὸς συνείδησιν: ut Theologi nostri omnes ex Paulo arguunt. Illa *demonstratio* & *manifestatio ad conscientiam*, gignens πληροφορίαν τῆς συνέσεως εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου *plene certioratam intelligentiam ad agnitionem*

nem mysterii, Col. II. 2. supponit *indicia*, quibus vera revelatio à ficta dignosci queat, & *indiciorum* illorum *dignotionem* importat.

VIII. Denique & illud certum est, *dignotionem istam opus Rationis esse*, id est *mentis*, sive *intellectus* nostri. Neque enim alia facultas homini à Deo concessa est, qua verum à falso dirimat, præter *rationem*, sive *mentem* suam. Atque hoc sensu bene dicitur, *per Rationem* nostram, id est per *mentem* illiusque operationes, *scripturarum Divinitatem adstrui*. Nam & ipsa *fides*, *mentis* nostræ operatio est. Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. *Unusquisque mente sua plene certus esto*. Rom. XIV. 5. *Fidei oculi* sunt πεφωτισμένοι ὀφθαλμοὶ τῆς διανοίας, *illuminati oculi mentis*. Eph. I. 18. Atque hæc hactenus sunt ἀναμφισβήτητα.

IX. Sed *duo* quærenda restant: primo, *ex quibus principiis*, sive *axiomatibus*, *adstruenda Revelationis Divinitas atque auctoritas sit*; deinde, *an ita disposita sit nostra Ratio ut per se sola, ex illis axiomatibus argumentando, se, atque alios, de Divinitate Revelationis convincere possit*; &, *si quid Rationi nostra accedere debeat*, *quid illud tandem sit*, *ac quomodo operetur*. Duæ hæ quæstiones rite à se invicem discernendæ sunt: quippe ex quarum confusa aliquando tractatione confusi sunt formati conceptus, & locutiones intricatæ.

X. Primam quæstionem quod attinet, sunt qui dicant, *Revelationis Divinitatem*, &, quæ ei innititur, *Auctoritatem*, *non nisi ex Ratione adstrui posse*. Ea verba hunc sensum legentis menti ingerere videntur, ex *solius rationis principiis*, *axiomatibus*, *scitis*, *de Divina Revelationis Auctoritate & certitudine disputandum esse*. An id velint, an aliud, Theseos illius defensores, ipsi viderint, & videt Deus. Ego de *re* dicam.

XI. Atque ita existimo: distinguendum esse inter *Revelationem* quæ *alicui immediate*, atque extra ordinem, à Deo obtingit; atque inter *Revelationem*, quæ, *alteri facta*, *mihi*, Dei nomine, vel *verbo*, vel *scripto*, *annunciatur*. Prioris generis revelationibus Patriarchas, Prophetas, aliosque interioris admissionis suæ amicos, olim dignatus est Deus. Quomodo autem illi de *Divinitate revelationis sibi facta* convicti sint, operæ pretium est anquirere.

XII. Non puto eos excussisse *rationis* suæ scrinia; atque ad *axiomata* pridem *recepta*, & pro liquidissimis veritatibus habita, diligenter examinasse quæ nunc sibi recens revelabantur, ut exinde judicium facerent, utrum pro *Divinis* recipere, an ceu *illusiones* mali dæmonis rejicere, tenerentur. Adeo quidem, ut si cum rationis suæ priscis dictatis convenirent, admitterent alacriter; sin iis repugnare viderentur, repudiarent, vel cer-

r 2 te am-

te ampliandum censerent. Eam si instititissent viam pii illi neque minus prudentes Dei amici, vix videtur fieri potuisse, ut tanta alacritate amplectenrentur factas sibi à Deo revelationes.

XIII. Sumamus pro exemplo *Abrahamum*. Tentavit eum Deus, deditque in mandatis, ut filium suum, unicum suum, dilectum suum, Isaacum, ex quo promissa sibi erat innumerabilis seminis multiplicatio, offerret in holocaustum. Persuaderi ante omnia Abrahamus debuit, *Divinitus hoc sibi fuisse injunctum*. At quo pacto persuasus est? An attendit ad *innatas* sibi, aut *acquisitas* ratiocinatione *ideas?* Nunquid invenit in iis, pulcrum atque decorum parenti esse, filium unigenitum, eumque optimum, mactare? Aut gratum esse numini φιλανθρώπῳ sancti juvenis holocaustum? An viam expediebat *Ratio*, *Ratio*, inquam, non *Fides*, *mandatum* hoc conciliandi cum *promissionibus Divinis* de Isaaco? Si vel omnes *idearum* suarum, quas *Ratio* suggerebat, forulos vacuefecisset Abrahamus, an ex omnibus invenisset aliquas, quæ Divinitatem mandati suaderent? an certe non multo plures, quæ scrupulum injicerent?

XIV. Neque velim excipias, hoc profecto rationem dictare, *Deo, uti supremo Domino, parendum esse in omnibus*. Non enim ea res nunc agitur. Bene est, si jam *constet* aliquid à Deo esse mandatum. Verum id quæritur, *unde constare possit*, id quod nunc animo meo obversatur vere à Deo mandatum esse? Hic ego contendo, *parum* aut nihil Abrahamo *profuisse*, *obfuisse* potius, *Rationis* suæ *axiomata*.

XV. Idem observare licet in iis *Revelationibus*, quæ olim *Prophetis* & *Apostolis* factæ, nunc *sacris litteris comprehensa*, pro *Divinis à nobis recipienda* sunt. Ut animus noster de Divina earum auctoritate convincatur, non consulenda sunt *Rationis* nostræ *dictamina*, neque *Scripturæ* dogmata *ad ea* primum *exigenda* veniunt, ut postquam *Rationis examen* sustinuerint tum demum pro *Divinis* habeantur. Pro exemplo hic sit ea scripturarum revelatio, qua docetur *personarum in una atque individua Deitate Trinitas*. Quibus *argumentis* adstruetur revelationis illius *Divinitas?* An ex *rationis* penu depromtis? At quid vidit, quid deprehendit, quid concepit unquam *ratio?* quid in omnibus ideis suis animadvertit huic rei simile?

XVI. Sed *nihil habet*, inquias, *Ratio*, *quod* veritatem hanc, ubi proponitur, *dissuadeat*. Nescio an id ita sit, si de *Ratione nuda* ac mera agas, quæ nondum ad *obsequium fidei subjugata* atque edomita est. Sed demus esse. Non sufficit illud. *Argumenta* quærimus *demonstrantia*, cogentia, convincentia, quibus tuto inniti *fides* queat: talia denique quibus valide ad quamvis conscientiam adstruatur *Revelationis*, de qua loquimur, *Divinitas*.

nitas. Ea ego in universo Rationis thesauro inveniri, non arbitror. Si sint, gratam rem fecerint Viri eruditissimi ea eruendo.

XVII. In promtu sane assertionis hujus nostræ ratio est. Quippe *Ratio* humana, uti supra jecimus, certam quandam actionum suarum *sphæram* habet, quam non excedit, nisi aliunde sublimius evecta. Intra illam sphæram fidei mysteria, in scriptura revelata, non continentur. Quod adeo verum est, ut ne *Smalcius* quidem dissimulare id potuerit; qui adversus *Frantzium*, Disput. III. de Sacramentis p. 371. *Nos vero ultro fatemur*, inquit, *plurima esse in Religione Christiana, quæ* rationem superent, *& tamen nobis necessario sint credenda ob id ipsum, quia* quantumvis rationem superent, *tamen* in sacris litteris prodita *exstent*. Hinc ego infero; si *supra rationem sint*, hactenus etiam *extra Rationis jurisdictionem* esse, ut emendicare à *Ratione suffragium* non teneantur, quo suam adstruant *Divinam auctoritatem*.

XVIII. *Animalis homo*, ἄνθρωπος ψυχικὸς, qui non nisi *animam*, sive *mentem* suam, pro principio suarum actionum habet, *non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*, excedunt ratiocinationis suæ captum; &, quantumvis enitatur, *non potest cognoscere*, ut rite de iis judicet. Quare? ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται, *quia spiritualiter dijudicantur*. Pertinent ad *sublimiorem sphæram*, ad quam *Rationis axiomata* non pertinent. 1 Cor. II. 14. *Chrysostomus*: ὑπερβαίνει γὰρ αὐτῶν τὸ μέγεθος ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος τῆς ἡμετέρας διανοίας τὴν εὐτέλειαν.

XIX. Eleganter Apostoli mentem *Musculus* exposuit, cujus verba non pigebit appingere. *Quid ergo* (sic ille) *hic relinquitur viribus rationis in cognoscendis rebus fidei Christianæ? scilicet duobus verbis veluti fulminibus prosternitur omnis conatus sapientum hujus mundi in rebus Dei.* Nec potest, *inquit*, cognoscere. *Ergo ubi animalis homo conatur ad cognitionem pertingere Regni Christi, frustra laborat; ubi de rebus Spiritus disputat, garrit; ubi pronunciat, mentitur; ubi in Religione statuit, temerarius est.*

XX. Non inutile erit & ea subjungere quæ Celeberrimus *Coccejus* commentatus est ad 1 Tim. II. 14. §. LXX. *Id propter quod amatur Deus à peccatore, & quo Deus glorificatur ut justificans improbum, & ipsum illud quod cognitu necessarium est, ut Deus cognoscatur sapienter & cum demonstratione justitiæ suæ justificare improbum, nempe Deum habere filium, & eum esse Christum*, non cognoscitur ex iis qui in toto mundo sunt, quæque in eo fiunt, neque sensu aut Ratione deprehenditur, sed est mysterium quod revelatione opus habet. *Quod Apostolus vocat* mysterium Dei Patris & Christi, *in quo dicit* omnem sapientiam & prudentiam contineri absconditam. Col. II. 2. 3.

2. 3. *Ideoque Apostolus monet ibidem* v. 8. NE NC
AGI PER PHILOSOPHIAM, *ut nihil velimus credere*
ne & pervestigatione naturæ deprehendimus in rebus cre

XXI. Neque hæc *sola caussa* est, ob quam
nedum *iis solis*, adstrui *Divinæ Revelationis auctori*
ad mysteriorum sublimitatem non pertineant. Acce
corrupta nunc omnium hominum naturalium *ratio*
circa *res Divinas*, *axiomata Rationis*, quæ in isthac
certissimis habent miseri mortales, plerumque *n*
Unde nihil potest esse periculosius simul atque in
illius & *perversæ Rationis* (neque enim alia nunc d
rum Auctoritatem examinare. Quid hoc aliud e
bris spiritualibus *sibi de suo accendere lumen, & se m*
cingere? ut postea in focum ignis quem de se succender
tillis pereant. Uti de istis *Rationalibus* loquitur Pr

XXII. Triste nobis hic exemplum præbet
asseclis. Qui postquam semel animum induxer
ἐνσάρκωσιν τῦ λόγυ, *satisfactionem Christi*, & simi
dogmata, cum *Rectæ rationis* evidentissimis *axiomai*
communi, manifeste pugnare, intrepide asserunt
lationes Divinas exstare, neque adeo exstare posse.
arcana, & quidquid olim *Judæis offendiculo*, *Græci.*
huc est τοῖς ἔξωθεν & Evangelii adversariis, id or
& deletum eunt. Et *magnum* illud *pietatis myster*
minis bonum est, quod non nisi purgatissimis mer
sens *Religionis pestis* ac *venenum* exauctoratum est.

XXIII. Et quorsum hæc tandem evadant,
Scriptore *Gallo*, qui videri voluit exhibere nobis
gorum Belgicorum super *Historia Critica Richardi S*
suæ tribunal plerosque Scripturarum Sacrarum Lib
quo modo, exempli gratia, de *Libro Jobi* ratiocin
Ratio: non esse admodum *Divinæ* Majestati cons
cum *Cacodæmone* sermonem habuisse censeatur; ut
crisi calumniam retundendam, fidelem servum su
xandum tradiderit. Porro, probabile non esse,
lem, uno eodemque tempore tamque concinno
repente incubuisse, ut primo adhuc nuncio, qui
tristia sociorum fata exponenti, mox alter succede

Neque valde credibile videri, ignem Dei de cœlo cadentem pecudes cum pueris absumsisse, uno solo ad nuncium superstite. Quantum enim ignis diluvium requiri, ad unico quasi haustu consumendum septies mille pecudes cum omnibus pastoribus suis? Adde, indignum esse, Deum in theatrum inducere Diabolo dicentem, quod ad pii hominis probitatem demonstrandam, in Diaboli gratiam, sine caussa eum perdiderit. Quis enim concipere potest ita Deum cum homine numinis sui studioso agere ad confundendum Diabolum? Cui præterea credibile est, amicos Jobi, ad eum consolandum accedentes, septem integros dies cum noctibus humi cum ipso consedisse, nullo interim habito sermone, eo quod viderent dolorem ipsius perquam vehementem esse? Qui fieri potest, ut quis in tanta afflictione integros septem dies silentio, sine planctu, sine querimonia, transigat? Et quid hoc amicorum genus est, qui hominem miserrimum tanto tempore in cinere & sordibus relinquunt, ac non potius molli lectulo blande componunt? Neque hic subsistit cum suis argumentationibus ratio. Plura quæ carpat invenit, longeque majora. Vide, inquit, crassum errorem. Introducit auctor Jobum Cap. III. ea verborum acrimonia animique impatientia conquerentem, quæ non solum indignæ sunt homine pio, & veri Dei cognitione imbuto, sed indignæ etiam homine gentili, Philosophiæ principiis leviter tincto. Imprecatio ista qua diei suo natali maledicit, non convenit homini tanta pietate prædito quanta Jobo adscribitur: in quantamvis extremitatem adactus videatur. Palam omnis Decori leges violat, qui tam impotentem sermonem attribuit homini pio: uti & alterum illum qui exstat cap. X. 2. *Dicam Deo, ne condemnes me; notum fac mihi quam ob rem contendas mecum. An bonum est tibi quod opprimas?* &c. Post hos sermones, qui parum à blasphemia absunt, secundum Tragœdiæ illius auctorem, Jobum laudat Deus quod *recte de se locutus* sit; atque ira adversus amicos ejus exardescit, qui crediderant eum propter peccata sua affligi. Ex his & similibus, quæ referre prolixum foret, conficitur tandem, non esse hanc de Jobi calamitate veram Historiam, sed fictam Tragœdiam, in qua contra omnes decori & probabilitatis leges plurifariam peccatum sit, quæque consequenter Dei Spiritum Auctorem habere non possit.

XXIV. Ad eundem modum ex rationis suæ scitis de *Psalmis* quibusdam, & maxime de *sacris parœmiis* philosophatur. *Bona*, inquit, *fide fatendum est, sine Prophetico Spiritu melius aliquid dici potuisse iis quæ exstant.* Prov. XXX. 18. 19. 20. *Tria ista occulta à me, imo quatuor hæc non novi &c. Tenuiter admodum de Spiritu Prophetico judicet oportet, qui ab animo suo impetrare potest ut talia eum dictasse existimet.* *Canticum Canticorum* pro *Eidylio* vel

vel *Ecloga* habet, cujus ſtylus *Græcis Latinisque Theocriti & Virgilii carminibus* ſimilis ſit, niſi quod pro captu gentis Hebrææ aliquanto ſit *durior*; cujusque comparationes Capite IV. conferri mereantur cum iis quæ *Polyphemo* attribuit *Ovidius Metamorphoſeon* XIII. Piget plura referre. Atque hæc ipſa fortaſſe nimia ſunt. Sed oſtendendum fuit, quorſum prolabamur, ſi id ſemel *Rationi* fuerit conceſſum, ut ex ſuis *Axiomatibus* de *ſacrarum litterarum Divinitate* atque *Auctoritate* determinet.

XXV. Verum, inquias, unde tandem *Revelationis Divinitas* adſtruetur, ſi non ex *Rationis principiis?* Oportet enim eam manifeſtam fieri ad conſcientiam. Hic, ordinis à me in ſuperioribus poſiti memor, primum de ea *Revelatione* reſpondebo quæ ſingularibus quibusdam Dei amicis *immediate* contigit. Ea indubium eſt quin *ex ſe ipſa*, & *per ſe ipſam* cognoſci potuerit: ſicuti ſol ſuo lumine cernitur. Tanta enim Divini luminis copia, tantus ſacræ majeſtatis ſplendor adfuit, tanta vis omnes interiores animi, ut ita dicam, partes penetrans, convincens, & ad ſeſe rapiens, ut non magis dubitare potuerint quin Deum ſibi loquentem audirent, quam quis mera meridie fulgidiſſima luce circumfuſus dubitare poteſt ſe ſolis radios videre. In rebus naturalibus id quod ſua evidentia menti ſe ingerit, ita animum ad aſſenſum cogit, ut non poſſit non aſſentiri, quantumvis nitatur in contrarium: cujus rei nulla ulterior ratio dari poteſt, niſi ipſa veritatis evidentia. Quid enim eſt cur certi ſimus, *idem non poſſe ſimul eſſe & non eſſe, totum eſſe majus ſua parte, bis duo eſſe quatuor;* niſi quia illa per ſe tam ſunt liquida, ut ullam probationem non requirant, imo ne admittant quidem, quum nihil magis liquidum proferri poſſit. Eodem modo tanta Divinitatis luce revelationes iſtæ piorum mentes circumfulſerunt, ὑπὲρ τὴν λαμπρότητα τοῦ ἡλίου, Act. XXVI. 13. ut non minus piis perſpicuum eſſet, eas à Deo proficiſci, quam perſpicua nobis ſunt ea quæ retulimus notiſſimæ veritatis axiomata. Atque hinc factum eſt ut eas mox receperint ſine anxio examine, ſine hæſitatione ulla, ſine deceptionis metu. Non ex ratione utique, ſed *inevitabili Divinitatis ſenſu:* quem exponere non poteſt, niſi qui expertus.

XXVI. Idem propemodum ſtatuendum de ea *revelatione*, quæ, *ſacris litteris comprehenſa*, nunc *nobis* pro fidei noſtræ objecto proponitur. Quemadmodum Deus *cæteris operibus* ſuis ea incomparabilis ſapientiæ, potentiæ, bonitatis cæterarumque virtutum ſuarum indicia impreſſit, quibus *Dei opera* eſſe cognoſcuntur; ita & in *Scripturis Sacris* exſtare voluit *indubitata Divinitatis* ſuæ *argumenta*. Quumque auctor luminum omnisque ſapientiæ inexhauſtus fons ſit, in librum quem ipſe exarandum curavit,

eos

eos Divinitatis ſuæ inſinuavit radios, quorum qui non plane cœcutiunt, fulgorem facile oculis uſurpare queant. Huc pertinent, *Hiſtoriarum* ibi narratarum ea conditio ut ne fingi quidem potuerint; *Prophetiarum* mirabilis cum rebus poſtea geſtis convenientia; *Præceptorum* incomparabilis ſanctitas; *Dogmatum* ſtupenda ſublimitas, quæ talia ſunt ut nec ignota reperiri, nec reperta cum aliis rebus componi & inter ſe connecti ab humano ingenio potuerint; *Potentia* denique illa doctrinæ incredibilis, quæ ſemel penitus menti infixa, nullis pernicioſis erroribus corrumpi, nullis artibus aut ſtrophis labefactari, nulla oblivione deleri, nulla ſpe evelli, nullis tormentis extorqueri poſſit. Hæc, & quæ plura huic fini dici poſſunt, quæque paſſim apud Theologos exſtant, Divinitatis Scripturarum non tam *argumenta* ſunt quam *fulgura*, quibus tanquam propriis radiis apud conſcientiam omnem attendentem ad convictionem coruſcant. Ex his *inſitis Scripturæ characteribus*, non ex *Rationis* noſtræ *axiomatis*, unice adſtrui Scripturarum Divina Auctoritas poteſt debetque.

XXVII. Atqui hoc ipſum, ajunt, nos quoque volumus. Deo gratias, inquam ego. Porrigite igitur nobis dexteras, Fratres. Nam utrique hoc velle debemus. Sed per Deum immortalem, *ſi* ſerio ita *vultis*, cur non ita *loquimini?* Neque enim verba vobis deſunt; qua eſtis ingenii ubertate & dicendi nitore, quibus mentem veſtram exponatis. Cur ita ſermonem conſulto, uti opinor, conſilio comparatis, ut ex eo nemo id vos velle vel leviſſime ſuſpicari queat? Serio ac bona fide, ſi quis legat, *ſcripturarum Divinitas non aliunde niſi ex ratione adſtrui poteſt*, illene cogitabit hunc eſſe illorum verborum ſenſum, *Divinitas ſcripturæ non poteſt probari niſi ex characteribus Divinitatis quos Deus ipſis ſcripturis impreſſit?* Hæccine eſt illa conceptuum accuratio? hæccine illa ſermonis perſpicuitas? Itane loqui decuit ſubtilem Philoſophum? Aut Theologum decuit eam ῥῆσιν ſuam facere? Idemne vobis eſt *Ratio*, id eſt, uti ipſi exponitis, *Veritates menti ex inſitis principiis cognitæ*, atque *characteres Divinitatis Scripturis impreſſi*; ut quod ex *his* probatur ex *illa* adſtrui dicendum ſit? Verum quidem eſt, quod *characteres* iſti *à Ratione* noſtra *percipiantur*, eique *conſentanei* ſint, dum ſeſe adprobant conſcientiæ: at non idcirco *ratio* dici merentur. Quid ni? inquiunt. Sic enim formandum eſt argumentum. *Quæ Scriptura in ſe tales habet characteres, E. G. prophetias poſt centurias annorum accuratiſſime impletas, ea eſt Divinæ auctoritatis. Sed hæc. Ergo. In Majore hic eſt omnis vis argumentationis. Minor, ſcripturam probe intuenti, ad oculum monſtratur. Majoris autem vis non aliunde quam ex ratione petenda eſt.* Ergo ex ratione probatur Scripturæ Divina Auctoritas.

XXIX. Verum ita instituere si liceat, an non eadem methodo ostendam, *Trinitatis mysterium*, & *salutis per Christum*, ex *ratione* probandum esse. Sic enim argumentor: quod Deus de se suoque consilio testatur, id agnoscendum est pro vero. Atqui Deus in suo verbo testatur Patrem, Verbum, & Spiritum, illos tres, unum esse, & intercedere consilium pacis inter Jehovam & Virum cui nomen est Germen. Ergo. *Majoris* vis non aliunde quam ex *Ratione* petenda. Ea docet, Deum qui suprema veritas est, non posse testari nisi verum. *Minor* primo quidem supponit Scripturam esse verbum Dei, & continere Dei de se testimonium. Atqui hoc ipsum non nisi ex *Ratione* adstrui posse audimus. Eo autem supposito, porro scripturam intuenti ad oculum monstratur. Exstat enim ibi totidem verbis: non minus certe perspicue quam ibi exstant κριτήρια Divinitatis. Ergo ex ratione mysteria illa adstruuntur. Quandoquidem utraque argumenti hujus propositio ratione nititur, altera partim monstratur αὐτοψίᾳ. Non puto viros eruditissimos huc facile deventuros. Videant itaque & agnoscant male consutæ istius palliationis inutilitatem.

XXX. Sed quid iis demum verbis fiet? NEQUE EOS CULPA LIBERO QUI ASSERERE SUSTINENT, SI RATIO ALIUD QUID NOBIS DICTARET QUAM SCRIPTURA, SCRIPTURÆ POTIUS ESSE CREDENDUM. Atqui hoc asserunt omnes *Orthodoxi* Theologi, adversus *Socinianos* disputantes: non quod existiment, *Recta Rationis vera axiomata Scriptura* unquam *repugnare* posse, aut *Scripturam iis*: sed quando ab una parte militare videtur *Ratio*, cujus *cæcitatem* Orthodoxi omnes agnoscunt, ab altera parte *Scriptura*, cujus *infallibilitatem* venerantur, inclinandum potius esse ad *partes Scripturæ* quam ad *partes Rationis*: neque tam id agendum, ut quæsita *subtilitate* simplicitas verborum *Scripturæ* torqueatur quo consentiant cum *ratione*, quam ut *Ratio* humili *submissione* in concordiam redigatur cum *Scriptura*.

XXXI. Non est mihi prolubium invidiam cuiquam creare malæ scævæ nominibus: sed non possum quin Theologiæ *Socinianæ* processum, nostrorumque hominum de ea judicium, hac occasione exponam. Illi quidquid in Religione scire atque agnosci oportet cum ratione convenire debere, primum atque ante omnia sciscunt. Sic *Smalcius* contra *Frantzium* Disp. IV. de Just. p. 137. *Nulla enim Christianæ Religionis particula est quæ cum ratione non conveniat. Et quæ cum ratione non convenit opinio, ea etiam in Theologia nullum locum habere potest*. . . . SUMMA ENIM ET IPSA RATIO RELIGIO EST.

XXXII. Hoc fundamento posito, *dogmata Religionis* omnia ad *dictata Rationis*

tionis examinant, & si quidem ea repudiet *Ratio*, quam *Rectam esse contendunt*, ea in *Scripturis* contineri non posse, intrepide asserunt. *Ostorod.* Instit. cap. IV. p. 30. *Si quis autem diceret hanc nostram rationem non valere, quoniam in S. Scriptura talia de Christo filio Dei & Sp. S. scripta sunt &c. ad hoc respondemus, valde quidem illud deplorandum esse, in tam crassa cæcitate hærere homines, quoniam impossibile est eandem rem simul falsam & veram esse. Si ergo Ratio, id est ingenium, vel intellectus, exserte ostendat, Trinitatem personarum in Deo falsam esse, quomodo unquam homini intelligenti in animum veniret, illam nihilominus veram esse posse & verbo Dei probari?*

XXXIII. Quia tamen aliquando contingit, ut *verba Scripturæ* cum *Rationis dictatis non* videantur *convenire*; remanet difficultas, *cui* potius ingenii nostri ope *medela* aliqua adhibenda sit, an *Rationis dictatis*, an *Scripturæ verbis? Schlichtingius*, qua est æquitate, ita determinat: adversus *Meisnerum* p. 67. *Si de rebus agatur obscuris, non est in id adhibenda* RATIO, *quasi* SCRIPTURÆ *aliquid affirmanti aut neganti* OPPONI *possit, sed tantum ad declarandum an quidpiam Scriptura contineat*: SI CONTINERE CONSTET, QUIDQUID TANDEM RATIO CONTRA DICAT, FALLI EAM NECESSE EST. Cæterum quum illud certum sit, non posse Scripturam aliquid continere cui contradicat *Ratio*, malunt *Scripturæ verba* quæsita interpretatione ita *flectere* ut cum *Ratione* consentiant, quam *Rationem suspectam* habere, ut eam *corrigant* ad Scripturæ verba; id est eum sensum quem verba in nativa sua significatione præ se ferunt. Audiamus *Smalcium*. Homil. VIII. ad Cap. I. Joh. *Credimus, etiamsi non* SEMEL *atque* ITERUM, *sed* SATIS CREBRO & DISERTISSIME *scriptum exstaret, Deum esse hominem factum, multo satius esse, quia hæc res sit* ABSURDA, & SANÆ RATIONI PLANE CONTRARIA, *& in Deum blasphema*, MODUM ALIQUEM DICENDI COMMINISCI, *quo ista de Deo dici possint, quam ista simpliciter ita ut verba sonant intelligere.* Similia habet *Socinus* de Servat. Part. III. Cap. VI.

XXXIV. Quid autem de hac methodo judicaverint *Orthodoxi*, ut alia multa omittam, discere possent studiosi vestri ex accurato & solido responso quod *Heidanus* atque *Coccejus*, magni illi Viri, Ordinibus Hollandiæ dederunt, quum ab iis consulti essent super famoso illo libro, *Philosophia Scripturæ interpres.* Quod Responsum exstat in *Operibus Coccejı Tom.* VI. Itemque ex elegantissima *Diatriba Heidani* de *Socinianismo*, quam cuperem à Theologis Vestris *Rationariis* istis commendari. Ibi invenient quid reposuerint nostri Socino & sectariis, qui *principium Religionis* & Theologiæ *rationem* statuentes, non nisi in *Scripturæ dedecus* & depressionem illam tantopere extollere & exornare comperiuntur. *Licet enim* (sic facundissimus Heidanus lo-

quitur) *quandoque videri nolint Rationi humanæ nimium tribuere, quod vere voces etiam quandoque ab invitis pectoribus erumpant: tamen quum rem ipsam sine ambagibus eloquuntur, & domesticum sensum produnt, ita instituunt:* ID NULLO MODO VERUM ESSE POSSE, CUI RATIO PRORSUS COMMUNISQUE SENSUS REPUGNET: ADEO UT SI ID SCRIPTURA ASSERAT NON TAMEN CREDENDUM SIT, QUOD RATIO CONTRA MILITET. Quæ quomodo ad Religionis Christianæ perniciem comparata sint fuse, porro, erudite, & eleganter docet.

XXXV. Quantillum quæso ab his absunt ista Thesios apud vos ventilatæ verba, quæ haut immerito Tibi, *Ulrice Optime*, displicuerunt? Vim mihi facio ea hic repetendo. Repetenda tamen sunt, ne in cassum hactenus disputasse videar. Ita autem habent: *Neque eos culpa libero qui asserere sustinent*, si Ratio aliud quid nobis dictaret quam scriptura, huic potius esse credendum: *quasi aut scriptura rationi adversari, aut contraria simul vera, aut illud verum esse possit quod Rationi contrariatur. Sed non est cur Philosophus talibus verbis, aut id genus hominibus, quidquam juris in libertatem suam concedat; sed integra & Scripturæ Auctoritate, & Rationis certitudine, illud semper reputans*, Veritatem Veritati non esse contrariam, *secure philosophetur licet, & de cætero in utramvis aurem otiose ut dormiat.*

XXXVI. Equidem tam horridas sententias Auctori suo relinquere mallem, quam meas facere, &, nescio qua arte, in alienum detortas sensum, tueri. Optimum autem omnium autumarem, male consultum juvenem, si fidei mei commissus esset, salutari monela ad meliorem mentem revocare. Ac si quid à me salubre admittere velit, suggero ei aurea verba *Francisci Baconis de Verulamio*. De Augme. scient. Lib. IX. initio, quæ ita placuere Venerando *Heidano*, ut sua fecerit laudata mox Diatriba.

XXXVII. *Prærogativa Dei*, inquit, *totum hominem complectitur: nec minus ad* Rationem *quam ad* Voluntatem *humanam extenditur: ut homo scilicet in universum se abneget, & accedat Deo. Quare, sicut Legi Divinæ obedire tenemur, licet reluctetur* voluntas; *ita & verbo Dei fidem habere, licet reluctetur* Ratio. *Etenim si ea duntaxat credamus quæ sunt* Rationi *nostræ consentanea*, rebus *adsentimur, non* Auctori: *quod etiam suspectæ fidei testibus præstare solemus. Quanto igitur* mysterium *aliquod* Divinum *fuerit magis absonum &* incredibile, *tanto plus in credendo exhibetur honoris Deo, & fit Victoria* fidei *nobilior.* Post pauca. *Quin etiam, si attente rem perpendamus, dignius quiddam est* credere *quam* scire, *qualiter* scimus. *In* scientia *enim mens humana patitur à* sensu, *qui à rebus* materiatis *resilit*: *in* fide *autem anima patitur*

titur ab anima, inquit ille, ego malim dicere, *à Dei Spiritu, qui est agens nobilius.*

XXXVIII. Addam & alterum non minus elegans ex laudata jam sæpius *Heidani* Diatriba Cap. II. §. 1. *Quum fidei sit rationi præscribere, & id facere ut ne sit opus ratione; in contrarium evenit ut ratio præscribat fidei, & fidem de loco moveat. Quum rationis sit, etiam nulla ratione reddita, Deo credere. Cui si credas, cur ergo rationem requiris, quæ efficere possit ut non credas? sin rationem requiris, & quærendam putas, ergo non credis: ideo enim quæris, ut sequaris quum inveneris.* Hæc ego iis inculcare malo qui mihi operam dant, quam ferocientis rationis fastui palpum quomodocunque obtrudere.

XXXIX. Sed tempus esse videtur, ut ad *alteram* quæstionis partem accedamus; *num ita disposita sit nostra Ratio ut per argumenta ista quibus scripturarum probatur Divina auctoritas valide convinci possit, nisi quid ei aliunde accedat.* Atque accurate primum distinguenda est *convictio.* Alia *salutaris* est, conjuncta cum *amore veritatis*, cum *sanctificatione* animi, cum *consolatione* solida, cum *gustu rerum cœlestium*, cum *prælibatione* futuræ *gloriæ*; alia hisce omnibus *destituta*, in *solo mentis assensu* posita, *sine amore* veritatis, imo aliquando cum *ipsius*, ceu voluptatibus importunæ atque adversæ, *odio*, *sine* vera cordis *emendatione*, *sine sancto gaudio*, quæ denique *nullum cum salute nexum* habens in improbis quoque & reprobis invenitur.

XL. *Hanc* si spectemus, ita statuendum est: Tam *efficacia* esse ea *argumenta* quæ pro scripturarum Divina Auctoritate adferri solent, si non *singula*, certe *universa*, ut cuivis *conscientiæ attendenti* sese *approbare* & *debeant* & *possint*. Non enim nostræ pietatis est, haut satis auguste sentire de *radiis* istis *Divinæ lucis* quos scriptis suis adspersit Pater luminum. Neque id proprie ad hanc quæstionem pertinet, qua non agitur de *argumentorum pondere*, sed de *mentis nostri constitutione*; an ea satis disposita sit, ad istud pondus æqua lance librandum? an *ea per se possit* & *velit* attendere ad κριτήρια Divinitatis sacris literis insita, quibus *reapse convincatur?*

XLI. Atque hic cum *Scriptura experientia* docet, ita plerumque præjudiciis fascinatos, ita affectibus mancipatos, & voluptatum suarum servos esse miseros mortales, ut oculos ad lucem, etiam invitis sese ingerentem, pertinaciter claudant: à quibus præjudiciis nunquam liberari possint, nisi ab illo illuminentur, qui *Lux mundi est. Lux ista lucet quidem in tenebris, sed tenebræ eam non comprehenderunt.* Joh. I. 5. Unde *hæc est condemnatio quod lux quidem venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras quam lucem.* Joh. III. 19.

XLII. Neque admodum hic prodesse solet naturalis *ingenii solertia*, aut *acrimonia judicii*, quum iis potius abutatur homo naturalis sibi relictus ad subtilius cum Deo sophisticandum. Unde quo quis majorem sapientiam præfert & magis ratione niti videtur, eo inimicior deprehenditur Evangelio.

XLIII. Accedit & altera ratio, cur Evangelii Divinitas operta sit hominibus naturalibus: quia nimirum *Deus hujus sæculi occæcavit mentes eorum, ne irradiet eos illustratio Evangelii gloriæ Christi*. 2 Cor. IV. 4. Τύφλωσις νοημάτων, sunt præjudicia opinionum & cor iis opinionibus ac præjudicata sapientia obfirmatum. Hæc impediunt attentionem, inquisitionem, scrutationem, ἀνάκρισιν, νόησιν σύνεσιν, ἐπιμέλειαν, γνῶσιν: atque etiam ἀποδοχήν: quod percommode ad hanc Pauli pericopam observavit *Coccejus*. Τύφλωσιν istam inducit *Diabolus*, *Deus hujus seculi*, cujus numen omnes homines naturales adorant, uti πνεύματος ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. Eph. II. 4. Et quamvis plurima in *Evangelio Lux* sit, id tamen potissimum agit *princeps tenebrarum, ne illustratio Evangelii* miserorum mortalium *mentes irradiet*. Atque hinc est quod illa evidentia veritatis argumenta à paucis, minime omnium à συζητηταῖς τοῦ αἰῶνος τούτου, apprehendantur. Licet fortassis, evigilante tandem conscientia, cogantur sentire, Deum quem fugiunt ad se locutum esse.

XLIV. Quid ergo? Præter internum illud *conscientiæ lumen*, cujus accensio, in communem omnium hominum usum, *Deo*, ut *Rectori Universi*, adscribenda venit; præter, inquam, illud conscientiæ lumen, *aliud datur*, quod ad *œconomiam Evangelii* pertinet, accensum à *Spiritu Sancto*, ut *diribitore donorum* usui *Ecclesiæ* inservientium. Quod in duplici iterum differentia est: vel *proprium electis*, vel iis cum *reprobis commune*. Nam & hi quandoque *illuminati* sunt, non illa solum luce quæ in singulorum lucet *conscientiis*; sed & ea quæ *à Spiritu Sancto* est; *cujus* suo modo *facti sunt participes*. Qui non solum *convincit animum* de veritate Evangelii eamque fidem ingenerat quæ *Historica* dici solet; sed & eam rerum Religionis insinuat *peritiam*, ut *in nomine Christi prophetare* valeant; imo *gustum* aliquem conciliat *cœlestis illius doni, & boni verbi Dei, & virtutum futuri seculi*. Hebr. VI. 4. 5. Cujus instar in *Bileamo* est. Denique & illud efficit ut *per agnitionem Domini & servatoris Jesu Christi inquinamenta mundi effugisse* videantur, quamvis tamen intus *canes suesque* maneant. 2 Pet. II. 20. 22. Tales illi sunt qui insignite *adversus Spiritum Sanctum peccare* dicuntur; *Spiritum* nempe ipsos *intus informantem, illuminantem, convincentem;* cujus convictionem proterve, contumaciter, & cum horribili contemtu atque odio, spernunt atque

atque blasphemant. Hæc eo à nobis fine memorantur, ut appareat, agnoscendam esse *internam Spiritus collustrationem*, in iis quoque mortalibus quos non *regenerat* neque *sanctificat*. Quando ergo id accidere videmus, ut homines *irregeniti* animum inducant *attendere* ad gnorismata Divinitatis in Evangelio, adeo quidem ut *convicti* id pro *vero agnoscant*, cedentes argumentorum evidentiæ; non tam illud meræ nudæque *rationi*, & *Deo* quatenus in *regno naturæ conscientiam* informat, quam *Spiritui Sancto*, quatenus in commodum *Ecclesiæ* operatur, illiusque *lumini*, attribuendum esse videtur. Paracletus ille Spiritus ἐλέγχει τὸν κόσμον. Joh. XVI. 8. Atque hanc præstantissimorum Theologorum sententiam esse, haut contemnendis rationibus nixam, vestri ignorare neque debent, neque possunt; nisi & se ipsos ignorare didicerint.

XLV. Cæterum quanto sublimior est *salutaris* illa *fides*, quæ cum *veritatis amore* & interioris hominis *sanctificatione* est conjuncta; tanto sublimioris ordinis est *lumen* illud quod in *electorum* mentibus accenditur per *Spiritum Christi*, quem ille *suis* meruit, quique ex ipso, ceu *capite*, influit in electos, ceu *membra* corporis sui mystici. Atque hac quidem de re nulla nunc est controversia. Illud operæ pretium est pressius anquiri, *quo modo* is Spiritus Christi ad *salutarem convictionem* procedat. Ego sic concipio.

XLVI. Primo Spiritus Sanctus electis suis *novam*, ut ita dicam, & Spiritualem *mentis facultatem* concedit, qui rebus Spiritualibus certa quadam proportione respondeat. Hoc Paulus vocat ἀνακαίνωσιν τοῦ νοὸς Rom. XII. 2. & πεφωτισμένους ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας Eph. I. 1. Et Petrus τὸν κρυπτὸν τῆς καρδίας ἄνθρωπον. 1 Pet. III. 4. Nimirum ea *facultas*, qua clare aliquid perspecturi sumus, aptam in sese *habitudinem* & *rei objectæ* accommodatam habere debet. Sic *auribus sonos* discernere, *odores naribus* haurire, & *colorum* varietatem *oculis* usurpare solemus. Rerum autem *occultiorum*, & à *materia separatarum* intelligentia, neque *oculis*, neque *auribus*, neque *sensu* ullo, sed sola *mentis* ac *rationis* vi comprehenditur. Eademque servata analogia, si adscendere altius, & *spiritualium*, *cælestium*, *Divinarumque* rerum contemplationem capessere velimus, ad eam rite instituendam *facultas Spiritualis*, *cælestis* ac *Divina* requiritur. Magnus itaque ille & incomparabilis *animarum Doctor*, Spiritus, ut huic nostræ impotentiæ subveniret, alumnis suis *novam cælestemque mentem* tribuit ac *Divinæ* eos *naturæ consortes* facit 1 Pet. I. 4. ut res *cælestes* ac *Divinas* percipere possint. Una cum *rebus Divinis animum* largitur qui *Divina sapiat* atque intelligat.

Res

Res Christi una cum *mente Christi* impertit. *Nos autem mentem Christi habemus.* 1 Cor. II. 16.

XLVII. Porro novam hanc mentis spiritualis facultatem *excitat* Spiritus Sanctus, ad *agnoscendam* sacrarum literarum Divinitatem. Neque dubitari potest, quin id præstet *ingerendo menti* ea quæ memoravimus *Divinitatis gnorisma;* faciendoque ut *mens* ea in *nativa sua luce conspicans*, valide illis non *afficiatur* tantummodo atque *tentetur*, sed & plene *convincatur*, non minus certo quam si vel *rebus* ipsis præsens *adfuisset*, vel in cœlos evecta *verba* scripturæ *ex ipsius Dei ore* audivisset. Non enim certe *bruta vi* agit Dei Spiritus, dum hanc suis certiorationem confert, sed quandoquidem *sapientes eos facit*, *sapienter operatur*, & sicut *creaturæ rationali* conveniens est. Quid minus verisimile est, quam Deum in hominum mentibus fide imbuendis adhibere methodum naturæ nostræ minime consentaneam, atque adeo indignam præstanti intellectu quo nos voluit anteire cæteros animantes? Et quid magis indignum est homine, quam rei incognitæ cœco quodam ac sui ipsius inscio impetu adsentiri? adeo ut nihil respondere valeamus, nisi, *hoc mihi persuasum est quia persuasum est*: quod vix ferimus in infantibus aut mente captis. Facit ergo spiritus ut norimus τὰ πνευματικὰ τοῖς πνευματικοῖς συγκρίνειν.

XLVIII. Id tamen observandum, non semper eos qui *certissime* de Divinitate scripturarum *persuasi* sunt, pro ea proportione *liquido*, *distincte* & *partitim* memorata *gnorismata discernere*, nedum ut ea *exponere* & *vindicare* norint. Docuit enim ab omni ævo experientia, eos qui cæteris, *non hominibus* solum, sed & fidelibus multis, *simpliciores* minusque callidi erant, tanta fidei πληροφορίᾳ Evangelii veritates amplexos esse, ut præ eruditis illis carceres, bestias, cruces, busta, equuleos, & cruciatus bustis ipsis ac crucibus atrociores, ingenti animo pro veritatibus istis sustinuerint. Iidem tamen si interrogati fuissent de κριτηρίοις Divinitatis Evangelii, pauca eorum enucleate edisserere, nullum fortassis adversus hostium sophismata tueri, ratione valuissent. Nimirum id efficit Dei Spiritus, ut *confertam Divinitatis* istius *lucem* liquido cernant, etiamsi non discernant quo pacto sese *radi-*
tis ... spargant. Utique tam certo discernit ab arbore turrim in loco
partitiu... & intervallo mediocri positam, qui eo usque oculis valet ut id
conspicuo ... sit, quam qui tam lynceus est, ut observare queat omnes lapi-
consequi po... ras, aut tenuissimas strias columnellarum. Et sane fieri po-
dum commissu... res, magis ex *ingenii* sui *solertia* circa *singula* occupati, mi-
test, ut subtilio... *atem* proficiant, quam illi quibus *minus ingenii*, sed *amplius*
nus ad *fidei solidit*

Spiritus

Spiritus mensura concessa est, quique *minus distincte* videntes *magnum* tamen *luminis globum* deprehendunt.

XLIX. Accedit & aliud quo certitudo illa valde corroboratur, nimirum quod Spiritus Sanctus, præter *lumen* illud quo *videntur* res spirituales, earundem *gustum* animæ exhibeat. Multa enim talia sunt quæ *videndo*, & *ratiocinando* nunquam plene cognoscas; quæque non aliter quam *experiundo* & *gustando* rite discuntur. Fructus, etiam naturales, suos proprios sapores habent, qui quales sint nunquam recte prius intelligi potest, quam ipsius gustus & palati judicium adhibeatur. Non desunt tamen fructus alii, qui, cognatione quadam naturæ, aliqua saltem illius saporis repræsentamina adumbraverint. Nihil autem *terrenum Divinarum* rerum *saporem*, nec ejus umbram quidem exhibere nobis potest: *proprio* tantum *gustu* dignoscuntur. Hoc est *Manna* illud *absconditum*, *quod nemo novit nisi qui edit*. Spiritus ergo Sanctus veritates eas cœlestes quæ sacris literis traduntur, *experiundas gustandasque* discipulis exhibet: dicens, *gustate & videte quam suavis sit Dominus* Ps. XXXIV. 9. *Ut modo geniti infantes lac illud sermonis sincerum expetite; ut per illud augescatis. Si quidem gustastis quod bonus sit Dominus*. 1 Pet. II. 2. 3. Sic dum *gustamus* veritates, id est vim earum ad *lætificationem* animi *experimur*, eas *certius cognoscimus*; & quo magis cognoscimus, eo magis *amabimus*: & sic *gustandi*, *amandi* & *cognoscendi* orbem interminatum volvimus, qui tanto quotidie crescit magis, quanto sæpius à nobis iterando percurritur.

L. Hæc autem institutio Spiritus quæ *gustando* consummatur, tantam intelligentiæ *certitudinem* de rebus ita cognitis adfert, earumque veritatem & præstantiam simul tam firmiter in animo *signat*, ut omnes argumentationum nodi, pericula, & tentationes impressam hujus sigilli formam delere nequeant. Utut enim vaferrimus insidiator Diabolus, hominesque profani & hæretici, lacessant disputationibus, terreant minis, illicere studeant promissis, nihil proficiunt; anima unica responsione objectiones omnes diluit, *frustra nempe contra gustum disputari*; neque posse non verum esse quod experiendo didicit. Potest mens sic adfecta in sophistarum strophis, tanquam in vinculo hæsitare: at eas vel sua vi disrumpit, vel dissolvit solo contemtu.

LI. Hoc modo *Spiritus*, operans in *cordibus* electorum, testatur quod *Spiritus*, loquens in *Scripturis*, *sit veritas*: & vice versa. 1 Joh. V. 6. *In qua demonstratione nullus est circulus, sed Divinæ lucis undique coruscantis & in semet reciprocatæ plenissimus fulgor*. 2 Cor. III. 18. *Quippe in Scriptura Auctorem conscientiæ invenit animus, & in conscientia auctorem Scripturæ: in reparatione*

tione imaginis Dei Creatorem, *in Creatore Sanctificatorem*, *in ejusdem imaginis typo veritatem*, *in ipsa formula Divinitatem*: uti nervose atque emphatice *Coccejus*. Sum. Theo. Cap. III. §. XXXVIII.

LII. An præter jam dicta ad testimonium illud pertineat speciale & *expressum Spiritus Sancti ad animam alloquium*, & qua in re *alloquium* illud consistat, difficile explicatu est. Uti cæteri termini *lucis*, *visionis*, *gustus*, metaphorici sunt, à rebus *corporeis* ac *naturalibus* ad *mentales* & *spirituales* translati; ita & *alloquii* vox quando de *Deo* & *anima* agitur. Ideoque ita est intelligenda, uti naturæ *Dei* & *animæ* est consentaneum. Quemadmodum ergo homines suas sibi mutuo cogitationes per alloquia, id est articulatos sonos in aëre formatos, communicant; sic & *Deus* tum *animam alloqui* dicitur, quando arcana sua operatione efficit ut id cognoscat quod cognoscere eam vult. Unde *notificatio* hujus de qua agimus *veritatis*, efficaxque *mentis excitatio* ad eam cognoscendam, ipsissimum *Dei ad animam alloquium est*.

LIII. Quæ porro inter vos de aliis Spiritus Sancti operationibus, iisque, sive *mediatis*, sive *immediatis*, controvertuntur, ea fateor me non satis assequi. Nam neque tu, *Amplissime Hubere*, in tuis ad me literis diserte hanc caussam exponis, verbulo tetigisse contentus; neque ex Theologi vestri *mantissa* quænam sit illa sententia tua, quam Enthusiasmi damnat, liquido colligere potui. Verum quum materia ipsa, sua tam jucunditate quam utilitate, comiter invitet, lubens admodum hanc quoque disputationem suscipio, sine tamen ullo adspectu eorum super quibus inter vos male convenit: quippe quæ hactenus mihi incognita sunt.

LIV. Præter illas *operationes Spiritus Sancti* quæ tendunt ad *fidem Divinitatis Scripturæ* electorum mentibus ingenerandam, de quibus hactenus sumus locuti, *multas alias* agnoscendas esse, & *sacra oracula* docent, & *experientia sanctorum*. Ac, nisi me fallit animus, præcipuæ saltem earum ad hæc tria capita referri possent. Nimirum ad INFORMATIONEM, ad SANCTIFICATIONEM, ad CONSOLATIONEM.

LV. Omnibus Dei filiis ea competit unctio per quam non minus *Prophetæ* quam *Sacerdotes* aut *Reges* constituuntur. Joel. II. 28. collat. cum Act. II. 17. 39. *Prophetis* proprium est, *immediate à Deo doceri*, & sapere *instinctu cœlesti*. Id fidelibus quoque convenit; secundum promissum Jes. LIV. 13. וכל בניך למודי יהוה *Et omnes filii tui erunt edocti Domini*, *Θεοδίδακτοι*. Quod Dominus Jesus ad *internam* illam animi informationem refert, ab ea quæ per *verbi prædicationem* fit distinctam, & à qua huic omnis sua

vis

vis. Joh. VI. 45. *Scriptum est in Prophetis, & erunt omnes docti a Deo: Quisque ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Hæc est *unctio* illa de qua Johannes 1 Epist. II. 20. *Vos habetis unctionem à sancto illo, & nostis omnia.* Iterum vers. 27. *Sed unctio quam accepistis ab eo manet in vobis: nec necesse habetis ut quisquam doceat vos: verum sicut eadem unctio docet vos de omnibus, quæ & verax est, & non mendax, & sicut docuit vos manebitis in eo.* Ubi rursus manifesta est distinctio inter eam eruditionem quæ *humana* ope per *verbum* extrinsecus prædicatum, & eam inter, quæ per *Spiritum* in *anima* peragitur, tanta virtutis hyperphysicæ efficacitate ut sapientiam vel fatuis ingeneret. De eadem Paulus: 1 Cor. II. 10. *Nobis ea retexit Deus per Spiritum.*

LVI. Non quod *alias res* doceat Deus per *Spiritum* quam per *verbum*, sed quod *aliter* doceat. *Verbi* enim omnis institutio *moralis est*, & sæpe, imo sine Spiritu semper, in cassum adhibetur. *Spiritus* institutio est *realis* & *hyperphysica*, atque hactenus *immediata*, *res* in *mentem* inducens, *mentem* in *res*. Adeo quidem ut homo eas *spiritualiter* cognoscens id non *Apostolo*, aut *Propheta*, qui non nisi rerum ideas menti per prædicationem objicere potuerunt, sed in solidum *Deo* debeat, qui sapientiam dat sine exprobratione.

LVII. Non male operam suam collocavit Theologus Vester, quando prolixas *Heidani* vindicias, quibus adversus Episcopium, eadem fere agentem quæ nonnulli nunc agere videntur, Apostoli doctrinam tuitus est, in Latinum sermonem transtulit, operis sui Anti-Wolzogiani Lib. II. p. 40. Earum ego hanc solum particulam exhibebo. *Sapientia Dei quæ* in mysterio *est*, *quæ* occulta *est*, *quam* nemo principum hujus seculi cognovit, *à nemine sola externa revelatione cognosci potest*, *sed ad eam* interna Spiritus revelatio *necessaria est. Quid? an illa sapientia solis Apostolis* mysterium occultum *est*, *reliquis piis non item? imo vero multo magis. Mysterium Dei, & quidem occultum, non nisi à Deo detegi potest & revelari: idque Deus non aliter quam per suum perficit Spiritum.* Et post aliqua. *Talem hic nobis sapientiam describit Apostolus, ut nisi* immediate *nobis* per Spiritum *reveletur*, *nullum aliud homini medium supersit*, *quo ad cognitionem hanc perveniat. Quod nemo principum hujus seculi cognovit*, *quodque oculus non vidit*, *neque auris audivit*, *nec in mentem hominis venit unquam* (*quæ unicæ viæ sunt quibus ad cognitionem pervenire*, *naturali modo*, *homo queat*) *illud aut occultum nobis semper manere debet*, *aut* IMMEDIATA SPIRITUS REVELATIONE *acquiri*. Quam non singulis minus fidelibus quam Apostolis necessariam esse, multo argumentorum pondere Vir Venerandus evincit.

LVIII. Meministine, *mi Ulrice*, quid ipse ille *Vester* olim *Wolzogio* dixerit. lib. II. pag. 45. RIDE QUANTUM LIBET, IMO SPIRITUS HOC IMMEDIATE DICTAT; ET NISI TIBI IMMEDIATE ID DICTET, CARNALIS ES, NUNQUAM VEL UNICAM VERITATEM RITE VIDES.

LIX. Præterea, quum pleraque sacrarum litterarum *præcepta generalia* sint, & in *singularibus*, quorum infinita varietas nulla communi lege circumscribi potuit, multum *prudentiæ* fidelium relinquant; hic succurrit Dei Spiritus, præsertim si seriis precibus imploretur, & dubium cæteroquin animum interiori sua vi eo quo vult impellit, sic ut magna conscientiæ serenitate eam in dubiis partem amplectatur, quam sibi à Dei Spiritu monstrari sentit. Atque hactenus Spiritus aliquid *extra verbum* docet: non equidem quod in *verbi generalitate* haud continetur, sed quod nusquam in verbo *expressum* & *determinatum* sit. Sic Spiritus est *magister prudentiæ justorum*, informans eos quid *hic & nunc* agendum sit, quod nullis communibus regulis definiri potuit.

LX. Hoc credunt atque experiuntur pii omnes, qui quoties magna res agenda est, circa quam distractus animus vario reciprocantium cogitationum æstu agitatur, Dei ductum & consilium accuratis precibus implorare solent: quo impetrato solvitur animus suis anxietatibus, & intrepida alacritate eo fertur, quo se à Deo duci deprehendit. *Benedicam Jehovæ qui consilium dedit mihi, etiam nocte erudiunt me renes mei.* Ps. XVI. 7. Quæ verba ita *Christi* sunt, ut in *fidelibus* etiam, servata proportione consentanea, verent.

LXI. Pulcherrime hæc expressit *Bisterfeldius*, de Scripturæ Eminentia §. LXIII. Cujus verba sibi reddi non est quod ægre ferat vester ὁ Μεγαλοπρεπής. *Quilibet fidelis habet verum ac spirituale* Urim & Thummim *in pectore suo, nempe lucidissimum ardentissimumque modo indicatum summi Sacerdotis Domini nostri Jesu Christi Spiritum. Rom.* VIII. 9. 14. *Gal.* IV. 6. *Quilibet etiam fidelis est Sacerdos, qui & consuli & consulere potest. Apoc.* I. 6. *Nimirum ardens instansque precatio est catholica illa Jesu Christi per Urim & Thummim interrogatio, cui ipse, per ineffabilem lucem invictumque motum & impulsum, piorum consulentium conscientiæ ita respondet, ut de officio suo certi, & de salutari eventu sint securi.*

LXII. Quin nec hoc præfracte abnuendum esse videtur, contingere nonnunquam piis *specialium eventuum revelationes*, quoad tempus, modum, cæterasque circumstantias. Nimirum sunt quidam egregie à vitiorum sordibus repurgati, familiariter in sacrarum precum ac devotarum meditatio-

num



num exercitio cum Deo converſantes, neceſſarii ſummi numinis, atque intimæ admiſſionis amici, quibus haud paullo ſe liberalius communicat quam aliis e turba fidelibus. Iis aliquando futura; vel alia cæteroquin arcana, patefacit, ad eundem ferme modum quo priſcis prophetis.

LXIII. Inter eos qui primam veritatis lucem, poſt Antichriſtianiſmi tenebras, in Scotia accenderunt, fuit *Georgius Wishart*, Vir proſapia, eruditione, pietate nobiliſſimus, qui, ad Domini ſui exemplum, dies docendo, magnam noctium partem orando tranſigebat. Is Cardinalis *Betonii* ſceleratis moliminibus ad rogum damnatus, e mediis flammis alicui ad conſtantiam eum hortanti animoſe reſpondit: *Flammæ corpus quidem meum lambunt, at Spiritum non domant: cæterum*, inquit, ad Cardinalem converſis oculis, qui ſancti hominis ſupplicium è feneſtra proſpectabat, *idem ille Vir, qui ex alto nos tanto cum faſtu deſpicit, cis paucos dies ibidem tanta cum ignominia videbitur, quanta nunc cum protervia proſpectat*. Et ſane paullo poſt à conjuratis trucidatus *Betonius*, ex eadem feneſtra fœdum populo Sanctandreano ſpectaculum exhibuit. *Burnetus*, emunctæ naris ſcriptor, nihilque minus quam *Enthuſiaſta* aut *Tremulus*, hæc referens in Hiſtotia Reformationis Anglicanæ, Lib. III. ad annum MDXLV. addit: *perſuaſum populo fuiſſe, Wisharto huic* (vere Sophocardo) *indultam extraordinariam plane Spiritus Divini menſuram. Quippe cujus vita omnis ſancta atque exemplaris exornata fuerit dono prædicendi res futuras. Quumque uti prædicta erant paſſim evenirent, non minus pro Propheta, quam pro Sancto habebatur.*

LXIV. Magna cum animi mei voluptate atque ædificatione legi ſcriptum Anglico ſermone publicatum, *de impletione Scripturæ*, cujus Auctor, Vir pius, gravis ac judicioſus, probe mihi cognitus, ad calcem libri memorabiles narrat hiſtorias, fide dignis teſtimoniis comprobatas, de ſingulari prorſus atque eximia Spiritus Divini copia in quibusdam *Scoticanæ* Eccleſiæ, ſive *miniſtris*, ſive *membris* nobilioribus. Ex quibus unum ſaltem alterumve exemplum proferre moleſtum non erit.

LXV. *Patricius Simſon*, Vir Græce & Latine eruditiſſimus, & pietatis defecatiſſimæ, quum uxor graviſſimo morbo preſſa, horrendisque tentationibus afflicta decumberet, ſolus in hortum abiit, ardentiſſimis precibus horas aliquot intentus. In quibus ea ſibi eveniſſe teſtatus eſt, quæ fidem propemodum ſuperant, niſi ex talis tantique viri ore prodiiſſent. *O quis ego ſum*, amicæ cuidam ſuæ & ſorori in Chriſto dicebat, *quis ego ſum, pulvis ac cinis, quod ſacri miniſtratorii ſpiritus ad me mittantur, ad deferendum mihi è cœlo nuncium*; ac porro narrabat, contigiſſe ſibi viſionem Angelorum, qui *audibili voce* expoſuerint, quid de uxore futurum eſſet. Cui exacte cum

omnibus circumſtantiis reſpondit eventus. In cujus rei memoriam libris quibusdam ſuis inſcripſerat: *memento anima mea, neque obliviſcitor unquam* IX. *diei Auguſti*, (eo die hæc contigerant) *quam conſolationem conceſſerit tibi Dominus, & quo modo promiſſa impleverit, ſecundum id quod dictum eſt Zach.* III. 2. *nonne hic eſt titio ex igne ereptus?* Super quo negotio diſſerentibus amicis reſpondit: *Abſit mihi gloriari in aliquo, niſi in Domino Deo meo.*

LXVI. Alius cui nomen *Heu Kennedy*, non quidem Evangelii miniſter, ſed exactiſſimæ ſanctimoniæ Chriſtianus, eoque nomine celebris, ſera nocte ad amici cujusdam ſui fores pulſans, juſſit eum e lectulo ſurgere, ſecumque ad preces ire: etenim, inquiebat, filius meus, aliique amici noſtri, qui peregre aberant, in ſummo verſantur vitæ diſcrimine. Poſtquam vero tempus aliquod precibus impendiſſent, læto vultu ſurgens dicebat amico: *jam in ſalvo ſunt.* Eventu comprobante, eapſe hora filium ipſius, è præſentiſſimo periculo, ſingulari Dei ope, cum comitibus, ereptum fuiſſe.

LXVII. Facile credo, hæc atque id genus quam plurima quæ referre prolixum foret, pro melancholicorum capitum infectis imaginationibus à philoſophis noſtris ac rationariis, exſibilatum iri; quod nihil tale vel experti fuerint ipſi, vel inter gregarios ſuos deprehenderint. Verum ego, uti fidem hominibus, prudentibus æque ac piis, comperta ſibi narrantibus, denegare durum eſſe arbitror; ita nequaquam eorum cum Deo familiaritatem ex noſtra inertia, κοσμοφιλίᾳ, ac devotionis defectu ſive tepore, æſtimari velim. Et quæ tandem hæc protervia eſt, ſanctis Dei amicis adeo illud cœli commercium invidere, ut pro delirio aut mendacio traducas? Quæ ſana ratio, quæ ſcripturæ pericopa, vetat hæc talia credere?

LXVIII. Atque hæ quidem operationes Spiritus Sancti ſunt, ad *Informationem* fidelium pertinentes. Sed & aliæ conſiderandæ veniunt, quas ad SANCTIFICATIONEM non incommode referas. Nimirum ſicut Spiritus Chriſti, qui eſt *Spiritus vitæ* Rom. VIII. 2. *principium vitæ Spiritualis*, arcana, ſed efficaciſſima, operatione, electis *indit:* ita continua virtutis ſuæ radiatione atque influxu vitam illam non *conſervat* ſolum, ſed & *actuoſam* efficit. Adeo quidem ut non tam *ipſe homo* vivere videatur, quam *in homine Chriſtus*, per ſuum Spiritum. Gal. II. 20. Et quemadmodum *vita rationalis*, cujus ſubjectum homo eſt, fluit ex *unione animæ cum corpore;* ſic tamen ut animæ potiſſimum debeatur: ita *vita ſpiritualis* fluit ex *unione Spiritus Dei cum anima*, ſic ut primum ac præcipuum illius principium *Spiritus* ſit. Quod *anima* eſt *corpori* noſtro, id *Spiritus* Dei eſt *animæ*. Qui, ut

ut optime alicubi *Calvinus* noster, *virtutis suæ afflatu Divinam nobis vitam sic inspirat, ut jam non agamur ipsi à nobis, sed ejus actione & motu regamur.*

LXIX. Vix est ut ἐμφατικωτέρως id exponam quam verbis *Bodii*, qui nobilis Scotus fuit, Theologus celeberrimus, pius, eruditus, judiciosus si quisquam, iisque nominibus *Riveto* nostro in summo pretio habitus. Is in suis commentariis quibus Pauli ad Ephesios epistolam luculenter exponit, de vita spirituali hoc modo disserit. p. 540. VITA DEI, *quam pii ut tales vivunt, appellatur, non quod Deum Auctorem habeat, quomodo vitam omnem à Deo esse diximus: verum potius quod à Dei præsentia gratiosa, per Spiritum suum in nobis habitantem,* IMMEDIATE *promanet; & ejus voluntati conformis sit, per Spiritum sanctificationis, qui est vita nostra vita, & anima nostra anima. Sicut enim hæc vita naturalis ab animæ rationalis præsentia, & unione illa personali cum corpore immediate promanat atque dependet, estque vel illud ESSE viventis, quod ex anima cum corpore conjunctione nascitur, vel proxima & præcipua animæ functio sive operatio .... atque ita omnium viventis, qua vivens est, actionum principium est. Ita etiam vita illa nova & spiritualis, à Spiritus Sancti præsentia & gratiosa in nobis habitatione promanat; estque vel novum illud ESSE quod habemus in Christo Jesu, simulatque ipsi per fidem insiti sumus, & Spiritus ipsius facti participes, ... vel ipsa Spiritus Sancti in cordibus nostris efficax operatio, quæ novum sensum, motum, adfectum, in nobis producit, nosque ad novas & spirituales actiones, Dei voluntati conformes, idoneos reddit; ita ut nova hac vita donati alia plane sapere & sentire, alia plane quærere & curare, alia prorsus eligere atque diligere, aliis denique adfici, moveri, delectari incipiamus, quam quæ nos antea capiebant atque tangebant, quamdiu vitam tantum animalem degeremus.* Hæc uti olim Magnifico vestro insignia visa sunt, & magnifice dicta, antequam novorum philosophematum lux ei adfulsisset; ita mihi etiamnum talia videntur.

LXX. Non est etiam hic negligenda ea Spiritus Sancti operatio, qua fideles ad *preces* excitat, ut *Spiritus gratiæ ac precum.* Zach. XII. 10. Non solum *mentes* eorum *illuminat*, ut videant quæ sibi desint, & quanta sit bonorum spiritualium ac cœlestium præstantia atque appetibilitas, & quanta eorum penes Deum in Christo ubertas; *sed & desideria* istorum bonorum ardentia in languida cæteroquin anima *accendit;* sed & *fidem excitat* posse ista bona à Deo piis precibus obtineri; sed & *gemitus* in corde *format*, & *linguam* ad loquelam *ciet*, & mentem quasi in *cælum evehit*, & coram Dei throno sistit, ut cæterarum rerum oblita cum solo Deo & Christo agat; sed & *orationis formulam* quasi animo *dictat:* idque ea facit interiori efficacitate,

citate, ut non tam homo ipse orare videatur, quam Spiritus Dei in homine. *Spiritus* non solum *facit ut nos clamamus*, *sed & clamat in nobis* Gal. IV. 6. Spiritus ipse *intercedit pro nobis*, *gemitibus inenarrabilibus*, *secundum Deum intercedit pro Sanctis*. Rom. VIII. 26. 27. Quibus nihil dici potuit Divinius ad arcanam illam Spiritus operationem insinuandam.

LXXI. Prætermitto alia: neque enim licet singula ἐξονυχίζεσθαι. Ad ea nunc properat oratio, quibus Spiritus CONSOLARI ac demulcere fidelium mentes solet. In quibus cæterorum omnium veluti fundamentum est, *testimonium* illud quod *una cum Spiritu nostro* perhibet, à Deo nos in filios adoptatos esse. Rom. VIII. 16. Qua de re memini me alias non indiligenter dixisse. Summa huc redit. Tunc Spiritus Dei *adoptionis* nobis nostræ *testimonium* præbet, quando non modo *Spiritum nostrum*, torpentem alioquin & languentem, *excitat* ad diligentem observationem eorum quæ animæ nostræ insunt, atque ab ea, vel in ea à Deo geruntur, quæque ut adoptionis indicia describuntur in sacris; sed & oculos mentis supercœlesti luce irradiat, ne per speciosa magis quam solida decipiamur, neve ea prætervideamus, ex quorum animadversione consolatio nostra pendet. Neque hoc tantum. Sed accedit *internus* quidam, nulloque humano sermone explicandus, *instinctus*, immediate dilectos Dei adoptionis suæ certiores reddens, non minus quam si, in Paradisum Dei rapti, ex ipsius Dei ore, sonoro aliquo oraculo, id accepissent. Psal. XXXV. 3. *Dic animæ meæ, salus tua ego sum.* Denique quum nullum testimonium validius sit eo quod ipsis *factis* comprobatur, iis quoque non sinit se ἀμαρτύρητον Dei Spiritus; ciens in fidelibus generosos motus, dulcissimosque raptus, & demulcens eos tam suavibus, tam blandis, omnemque adeo mentem superantibus consolationibus, ut non possint eas aliter quam totidem adoptionis suæ testimonia considerare. Ita Spiritus Dei *ad cor* fidelium loquitur. Hos. II. 14. & ostendit iis *divitias supereminentis bonitatis suæ*, *& quæ sit spes illa vocationis suæ*, *& quæ opes gloriæ hæreditatis suæ in sanctis*. Ephes. I. 18. Ita eos aliquando, veluti manu prehensos, in *penetralia* cœlestis sponsi *introducit*, Cant. I. 4. levatoque sipario & diductis cœli cortinis, ea quæ intra velum sunt, ipsas nimirum cœli delicias, ac futuræ vitæ gaudia, menti contemplanda, animoque prælibanda exhibet.

LXXII. Sed & singulare aliquid contingit quandoque piis, quod ad *prophetici Spiritus raptus* proxime accedere videtur; maxime ægris ac moribundis. In quorum phantasia, sive vigilantium, sive dormientium, Spiritus Dei lucidissimas rerum cœlestium imagines ita nonnunquam distincte depingit, ut eas non mente solum, sed & oculis coram cernere videan-

deantur, neque aliter iis adfecti sint quam si rebus ipsis præsentes interessent. Quo anima propior cœlo est, eo etiam luculentioribus supercœlestis luminis radiis collustratur, emanantibus ab eo qui est αὐτοφῶς, & lucem habitat inaccessam, & puriori gaudio repletur, cœlo in animam quasi descendente, antequam anima recipiatur cœlo. Frequenter id ægris ac moribundis accidere, historiæ de vita ac morte piorum, & diligens ægrorum visitatio evincunt.

LXXIII. Quamvis homines carnales & δοκησίσοφοι adunco hæc talia naso suspendere, ac pro melancholicis deliriis, aut febricitantium ineptis imaginationibus rideant: ii tamen qui experiuntur, sciunt à Deo sibi dari cœlestium gaudiorum primitias. Non ingratum Tibi futurum arbitror, *Hubere Amplissime*, neque inutile iis qui tecum hanc Epistolam legere dignabuntur, ad Spiritus gloriæ glorificationem, si exemplis quibusdam, quæ pauca erunt ex plurimis, observationem hanc firmatum eam.

LXXIV. De *Olympia Fulvia Morata*, litterarum & pietatis laude incluta fœmina, refert maritus ejus *Andreas Gruntlerus*, in epistola ad *Cælium Secundum Curionem*, quæ cum *Olympiæ* Epistolis ac Poëmatis Græcis & Latinis edita est, hæc sequentia. *Ferme moriens, quum è somno paullo ante experrecta esset, visa est mihi, nescio qua dulcedine læta, clanculum ridere. Accessi propius, & quidnam tam suaviter rideret, interrogavi. Videbam, inquit illa, modo in quiete locum quendam pulcherrima clarissimaque luce refertum; quumque plura præ imbecillitate proloqui non posset, Age, inquam ego, bono esto animo, mea uxor, in illa pulcherrima luce tu habitabis. Subridens iterum, annuit capite. Et paullo post, tota, inquit, sum læta. Nec plura deinceps locuta est, nisi quum jam oculorum acies hebesceret: Vos quidem, inquit, vix amplius agnosco, omnia autem cætera mihi videntur plena esse pulcherrimis floribus. Atque hæc quidem postrema fuit illius oratio. Non multo post, quasi dulci quodam somno oppressa, efflavit animam.*

LXXV. Non absimile est, quod *Caspar Olevianus*, cui Catechesin Palatinam potissimum debemus, morti vicinus, *Johanni Piscatori* narravit. *Heri*, inquit, *post decessum comitum juniorum, ineffabili gaudio quatuor horis amplius perfusus sum: adeo ut miratus fuerim, cur & uxor & parens mea identidem ex me quærerent, ecquid meliuscule haberem. Et revera, melius habere nunquam potuissem. Videbar autem mihi versari in prato elegantissimo, in quo quum obambularem, rore perfundebar cœlesti, non guttatim, sed magna copia, & patinis quasi plenis: unde lætitiam tum corpore tum animo cepi longe maximam.* Ad hæc quum Piscator: *Pastor ille bonus Christus Jesus duxit te in*

pascua sua. *Imo,* inquit æger, *duxit me ad fontem aquarum viventium.* Vide sodes vitam Oleviani apud Melchiorem Adamum.

LXXVI. Adde, si placet, id quod *Comenius* refert apud *Latum in* Historia Universali pag. mihi 528. *Venceslaus Baro de Budova*, decus nobilitatis Bohemicæ, qui Religionis Reformatæ adsertor constantissimus, anno hujus Seculi XXI, capite plexus est. Is triduo ante, uti Zydnovio, famulo suo retulit, in amœnissimo prato deambulantem se per somnium viderat, & accepisse à quodam librum, quo inspecto, folia sericea candidissima quidem fuisse, sed nihil inscripti continuisse præter hæc Davidis verba: *Devolve super Dominum vias tuas, & spera in eum; ipse faciet:* & quum quid sibi verba vellent anxius cogitaret, accessisse alium, qui stolam candidam ei injecerit. Expergefactus de morte agi intellexit. Idcirco in theatrum productus dixisse fertur: *Ecce jam pallio justitia tectus incedo, ut compaream in conspectu Dei, in quem speravi.*

LXXVII. Quibus prorsus gemina sunt quæ *Casparus Kaplirtz*, vir ordinis equestris, senex LXXXVI. annorum, pastori suo dixit. *Reclinaveram miserum hoc corpus super pulvinar, sed qualis mihi potuit esse somnus? Indormieram tamen, & vidi duos Angelos venientes ad me, qui linteo pretioso vultum meum detergebant, & ut ad iter una cum illis paratus essem hortabantur. Credo autem Deo meo, præsentes me habere, non per somnium, sed vere, Angelos, qui mihi & dum vivo inserviunt, & à morte animam meam in sinum Abrahæ deportabunt.*

LXXVIII. Neque magnos solum viros & Heroas *Ecclesiæ suæ hoc* honore mactat Dominus; sed & quosvis è plebe credentium. Sæpe mihi, at nunquam sine magna animi mei voluptate, in memoriam revoco, quod ipse expertus sum in puella quadam rustica, septendecim præter propter annorum, quam ego sacri mei ministerii primitias fuisse firmiter persuasum habeo. Illa paucis ante mortem horis, quasi ex exstasi ad se rediens, & mihi & cæteris qui aderant, cœlestia quædam visa sub jucundissimarum rerum emblemate sibi ostensa, & colloquia animæ suæ cum Jesu, ea spirituali sapientia, ea gestientis animi lætitia, ea pulcri oris facundia, edisserebat, ut omnes in stuporem rapti Spiritum Dei Magistrum agnoscere cogeremur. Unde enim huic rudi Catechumenæ talia?

LXXIX. Ex iis quæ disputata sunt hactenus, non difficile collectu est, quid statuendum sit de operationibus Spiritus *mediatis* an *immediatis.* Si enim rite attendamus, comperiemus certo quodam adspectu *omnes immediatas* dici posse, quatenus hyperphysica sua virtute ipsam hominis men-

tem

tem intime penetrant, sine ullo alterius caussæ, reali efficacia agentis, interventu.

LXXX. Alio tamen adspectu haut incommode in *mediatas* & *immediatas* dispescuntur. Ut *mediata* illæ dicantur, quas efficit Spiritus *intercedente morali operatione verbi*, quod non nisi objecta proponendo, suadendo, mandando, promittendo, agit. Sic convertit, vocat, regenerat, sanctificat, consolatur Spiritus S. electos *per Evangelium;* quo exponitur ipsis peccati fœditas, justitiæ Divinæ severitas, hominis naturalis miseria, Dei in Christo superabundans gratiæ opulentia, virtutis, quippe Divinæ imaginis, pulcritudo, cœli gloria; additis motivis validissimis ad oblatam salutem alacriter amplectendam. Quæ dum monstrante Spiritu ab electis, ita ut sunt, & uti veritas in Jesu est, cernuntur, promovetur ipsorum conversio, fides, & sanctificatio. Hinc regeneratio dicitur fieri *ex verbo veritatis.* Jac. I. 18. *ex semine incorruptibili, per sermonem Dei vivi & vivum.* 1 Pet. I. 23. *& fides esse ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Rom. X. 17. Imo Evangelii præcones dicuntur *Dei cooperarii,* συνεργοὶ, & *ministri per quos credidimus.* 1 Cor. III. 5. 9.

LXXXI. Attamen aliæ operationes *prorsus immediatæ* sunt, sine interventu verbi, uti infusio luminis spiritualis; inditio novarum facultatum, quibus apprehendi debet Dei verbum antequam ullam salutarem efficaciam exerat; revelatio rerum arcanarum particulares eventus spectantium, de quibus in Scriptura nihil est traditum; responsio ad preces; inclinatio animi ad singularia quædam amplectenda vel fugienda, quæ magis ex circumstantiis suis quam generalibus Scripturæ præceptis determinanda sunt, imo ipsa verborum Scripturæ ad informationem vel consolationem interior suggestio, & quæ id genus plura referre in promtu est.

LXXXII. Hæc si ad rem præsentem applicentur; negandum equidem non est, operationem Spiritus Sancti qua fidem Divinitatis Scripturarum mentibus nostris ingenerat, hoc adspectu *mediatam* dici posse, quatenus ea fides oritur ex consideratione radiorum Divinitatis, qui per totum Scripturæ corpus varie sparsi illustri splendore micant: sed & id fatendum, operationem eam Spiritus Sancti qua oculos dat ad cernendos eos radios, qua voluntatem efficaciter flectit, ne obnitatur luci ultro se ingerenti, *immediatam* esse. Similiter sapientiam spiritualem docet nos Spiritus operatione *mediata,* interveniente doctrina Scripturarum, quæ possunt nos sapientes reddere ad salutem: quod tamen earum mentem salutariter intelligamus, hoc ex interna atque *immediata* Spiritus institutione est. Atque hoc

sensu *immediatam* Revelationem mysteriorum Evangelii omnibus fidelibus necessariam esse, præstantissimi Theologi docent.

LXXXIII. Hæc si tua quoque sententia sit, *Hubere Amplissime*, uti esse prorsus confido, ego te ab *Enthusiasmi* impacto crimine fidenter absolvo. Scio te in litteratura Græca probe esse eruditum: idcirco opus non est ut moneam, voces ἐνθουσιασμὸς, & ἐνθουσιαστὴς, per se mediæ significationis esse; & nunc in bonam, alias in malam partem exponi. *Hesychio* ἐνθουσιασμός ἐστιν ὅτε ἡ ψυχὴ ὅλη ἐλλάμπεται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, *quando anima universa illuminatur à Deo.* *Suidæ* οἱ ἐνθουσιαζόμενοι sunt ἐλλαμπόμενοι, *illuminati* & ἐνθουσιᾷν est ὑπὸ ἐνθέου πνεύματος κατέχεσθαι, *à Divino Spiritu constringi.* Apud *Plutarchum* in *Solone*, ἐνθουσιαστικὴ σοφία est *sapientia quæ numinis adflatu concipitur.* Dicebantur etiam ἐνθουσιαζόμενοι simpliciter ἔνθεοι. Hoc sensu *Nazianzenus*, de incarnatione Christi loquens, exclamat Orat. XXXIX. Οὐ δύναμαι κατέχειν τὴν ἡδονὴν, ἔνθεος γίνομαι. *Animi voluptatem tenere nequeo, Divino furore corripior.* Et Orat. XVIII. ὥσπερ ἔνθους ὑφ' ἡδονῆς. Ipse Moses *Philoni* dicitur ἔνθους, ob ἐπιφοίτησιν τοῦ προφητικοῦ πνεύματος. Alias tamen in vitium sonant eædem hæ voces, & ἐνθουσιαστὴς est μαινόμενος, *lymphaticus, mente captus.* Sano sensu omnes vere Christiani *Enthusiastæ* sunt, sive Θεοφόρητοι. Secundum Pauli illud ad Romanos VIII. 14. Ὅσοι γὰρ πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Θεοῦ. Iterumque Gal. V. 16. λέγω δὲ πνεύματι περιπατεῖτε. Hoc est, uti optime *Coccejus.* SIC AMBULATE UT SPIRITUS DOCET, DUCIT, ET AGIT. Verum alia nunc mente usurpari ea vox solet. *Enthusiastæ* nostris hominibus sunt homines fanatici, qui adflatum & inspirationem Dei vel fingunt, vel præsumunt, & vel Diabolicis, vel melancholicis, vel voluntariis illusionibus Divinam revelationem tribuendo, se aliosque circumveniunt.

LXXXIV. Neque controversum fuit inter illos & nostros, an *dentur immediatæ operationes Spiritus Sancti?* an *oporteat Christianos præter externam institutionem Scripturæ, internam quoque Spiritus habere?* an *lumen Spiritus ab exercitio nostræ ratiocinationis distinctum sit?* an *aliquando singularia aliqua doceat Spiritus, quæ Scriptura comprehensa non sunt?* an *internum illud testimonium de adoptione nostra distinguendum sit à morali ejusdem veritatis repræsentatione quæ per verbum fit?* Ea enim utrimque concessa sunt.

LXXXV. Verum hic est controversiæ status, prout eum finit *Spanhemius Pater* in eruditis de *Enthusiasmo* disputationibus. *Utrum præter, vel extra Scripturam S. ex peculiaribus Enthusiasmis, & privatis revelationibus, petenda sit norma sive credendorum, sive faciendorum?* Nimirum id contendunt stolidissimi mortales, verbum Dei mancum, mutilum, obscurum esse, non

se, non omnibus semper, non ipsis, perfectis videlicet, simpliciter sequendum; sed Spiritum, ejusque adflatus & dictata, præter etiam & contra Scripturam. Scripturam simplicem litteram esse, elementum, Alphabetum criminantur, solis pueris datam; non adultis & perfectioribus, quales ipsi sunt, imperandam aut præscribendam. Spiritum suum ajunt verum Dei verbum, internum ac spirituale esse, normam ac judicem Scripturæ: hunc audiendum sequendumque, non Scripturæ textum & sensum verbalem; quem obscuris, non intelligibilibus & cothurnatis loquendi modis exponunt. Atque hoc Spiritu correptos, ajunt se vulgo *Deificari*. Adeo quidem ut ne ipsos se agere putent, sed Christum & Spiritum ejus, ipsique & Christus sint & Dei Spiritus. Hinc ea propudiosa nonnullorum verba: *Ego sum Christus, ego sum verbum Dei vivum.* Sic & *Quintinus Piccardus* docuit, *unumquemque fidelem esse Christum.* Ridiculum est quod de eo *Calvinus* memorat adversus Libertinos Cap. XVII. *Quintinus*, ait, *excandescit, quoties rogatur ut valeat? Quomodo, inquit, an Christus male habere potest? Aliquando me præsente Quintinus homini vehementer ægrotanti, propterea quod solum id dixisset: Heu Deus mi, quantos dolores sentio! adjuva me; objurgans respondit: Ita vero? Rectene hoc dicitur, Christum male habere? Nonne dolores ipsius omnes præterierunt?* Et quis finis est ineptiarum?

LXXXVI. Numero dicam, in Enthusiastis hæc sunt quæ ab Orthodoxis improbantur. I. Quod illusiones vel mali dæmonis, vel melancholici sui cerebri, pro adflatu Spiritus Sancti temere arripiant. II. Quod adflatum illum habeant pro norma credendorum, & faciendorum. III. Quod non permittant illum ad Scripturam examinari. IV. Quod Scripturam criminentur ut elementariam, rudem, infantibus datam, litteram mortuam & occidentem. V. Quod Spiritum illum suum extollant ut Doctorem longe præstantiorum, sublimiorum, Diviniorum veritatum, quam quæ Scriptura continentur. VI. Quod nescii rite concipere subordinationem caussæ secundæ sub prima, in adflatu & influxu Divini Spiritus omnem humani intellectus actionem absorberi arbitrentur. Non attendentes quam sapienter hæc in homine Christiano jungantur, πνεύματι ἄγεσθαι, & πνεύματι περιπατεῖν, πνεύματι στοιχεῖν. Gal. V. 15. 16. 25. Hæc omnia Theologi Vestri æque ac ego norunt: studiosi autem discere possunt ex *Marnixii* adversus Enthusiastas vernaculo libro, ex *Christiani Becmanni* Exercitatione XXI. ex *Spanhemii Patris* Disputationibus Anti-Anabaptisticis, ex *Hoornbeeckii* Summa controversiarum, a'iisque. Quantum autem tu, *Amplissime Hubere*, ab ejusmodi opinionum portentis absis, nemo ignorare potest, nisi qui te ignorat.

LXXXVII. Superest quæstio de *Conscientia nunquam an aliquando errante?* quam magnis alicubi animorum motibus agitatam novimus, volitantibus hinc inde, vel *Pelagianismi*, vel *Scepticismi* criminationibus; ne quid dicam gravius. Et nunc quidem Tragica verba lego; quæ Theologus vester sua defendendo facit: *Dolendum est viros non tantum obscuros, omniumque scientiarum ignaros, sed & multarum rerum cognitione insignes & celebres, audere profiteri, se talia philosophemata,* (scilicet de Conscientia nunquam errante,) *non capere, quin & negare.* QUO TAMEN FACTO CERTISSIME ATHEISMO ET SCEPTISMO PATET JANUA. *Adeo ut tale quid statuant, quod ipsos, si omnes inde fluentes consequentias admitterent (quod tamen nemo eorum facit, nec scit eas revera inde fluere) dejiceret incautos in istam, quam multi impie nobis foderunt, foveam.* Quis istic voltus, quæ caligans tristitas? Non tamen ea me absterrent quo minus animi mei sententiam candide tibi, *Amplissime Hubere*, exponam. Meo autem id faciam more, placide ac modeste: &, si possim, ordine & perspicue; rem ipsam paullo altius exorsus, quo omnis vitilitigandi occasio præscindatur.

LXXXVIII. CONSCIENTIA tria dicit. 1. *Cognitionem veri & falsi, honesti & turpis.* 2. *Actum* mentis *reflexum*, quo scimus nos eam cognitionem habere. 3. *Respectum ad alium, cum quo* cognitionem eam *communem* habemus. Est enim Conscientia *communis scientia.* Nempe partim cum *aliis hominibus*, quoad *Jus;* omnibus enim creaturis rationalibus easdem generales recti bonique rationes dictat conscientia. Partim *secum* tanquam cum *alio*: sæpe enim contra hominem illiusque cupiditates testatur. Sed potissimum *cum Deo:* συνείδησις Θεοῦ. 1 Pet. II. 19. Job. XVI. 19. *Et nunc ecce in cœlis testem meum, & conscium meum in excelsis.*

LXXXIX. Conscientia solet in sacris proponi ut *facultas* hominis. Vocatur COR. 1 Joh. V. 20. 21. 1 Cor. IV. 5. Rom. II. 15. Jer. XVII. 1. Eccles. VII. 22. & MENS. Rom. XIV. 5. Est & ubi adjungitur menti, ut ejusdem cum ea naturæ: Tit. I. 15. denique ipsa hominis ANIMA dicitur Prov. XX. 17.

XC. Non est tamen facultas ab *intellectu* & *voluntate* realiter distincta, sed ipse *intellectus relate ad certas actiones.*

XCI. *Actiones* conscientiæ potissimum *duæ* sunt. 1. *Notitia veri & falsi, recti & pravi*, quam homo cum *Deo*, ut cum *auctore* & *exemplari*, communem habet: ita quidem ut de vero, quando id debite videt & cognoscit, dubitare non possit. 2. *Notitia suorum actuum*, ut conscius sit sibi homo, & *quid* egerit, & *quo modo;* & *status sui ex actibus*, ut cognoscat, num amoris & gratiæ, num odii & iræ Divinæ objectum sit.

XCII. Re-

XCII. Respectu prioris conscientia pro objecto suo habet πᾶν τὸ γνωστὸν τῦ Θεῦ, quod quomodocunque Deus in homine manifestavit, sive per *naturam*, sive per *revelationem supernaturalem*. Nam & revelata habent φανέρωσιν πρὸς πᾶσαν συνείδησιν. 2 Cor. IV. 2. Quia comperiuntur arcte cohærere cum iis veritatibus quæ per se homini notæ sunt, & sapientiam sublimem Deoque dignam continere. Est enim hæc conscientiæ vis, ut non possit homo non assentiri iis, quæ vera esse ei demonstrantur.

XCIII. Sed maxime conscientia dictat homini τὸ πρακτὸν Rom. II. 14. 15. *Gentes legem non habentes sibi ipsis sunt lex. Ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis. Una testimonium reddente ipsorum conscientia.* Idque *Dei nomine*. Psal. XXVII. 8. לך אמר לבי *tuam vicem dicit mihi cor meum.* Hinc Deus dicitur מסר גוים, *qui erudit gentes, & qui docet homines scientiam.* Psal. XCIV. 10. intus nimirum, per dictamen conscientiæ. Adeo quidem ut non possit homo quicquam bene agere nisi de bonitate rei agendæ ἐν ἰδίῳ νοΐ πληροφορηθεὶς, firmiter persuasus id Deo esse gratum. Rom. XIV. 5.

XCIV. Huc pertinet 1 Tim. I. 5. *Charitas ex bona conscientia*: id est qualem & quantam dictat conscientia, sive animus considerans regulas justitiæ, natura notas, & verbo Dei notificatas. Et vers. 19. *qui repellunt bonam conscientiam*, dum non δοκιμάζωσι τὰ διαφέροντα καὶ τὸ θέλημα τῦ Θεῦ. Rom. II. 18. XII. 2. ad fidem pervenire non possunt. Itemque 1 Pet. II. 19. *Si quis patiatur propter conscientiam Dei*: quia quicquid obnitatur mundus, non audet aliter agere atque conscientia Dei nomine dictat.

XCV. Hujus officii ratione conscientia à recentioribus quibusdam συντήρησις dicitur. Sed observante *Coccejo* ad 2 Tim. I. §. XV. fictum id vocabulum est, quo nec Scriptura utitur, neque alius bonus auctor, nec vulgus, in illa significatione, ut notet notitiam recti & contrarii: cujus notionis exemplum non invenitur in lexicis.

XCVI. Alterum conscientiæ officium est, ut observet, indicet, judicet *facta* hominis, & ex *iis statum* coram Deo. De *factis* judicat num *gesta* sint. Rom. IX. 1. Joh. VIII. 7. & num *bene gesta*, 1 Cor. IV. 4. 2 Cor. I. 12. Huc refero Act. XXIV. 16. *Interea vero ipse me exerceo, ad conscientiam habendam sine offensa, apud Deum & apud homines semper*: Id est, animum qui nihil mihi scelerati, hypocritici, pravi exprobret; sed contra sinceritatis, virtutis, sanctimoniæ testimonium præbeat. Similiter 2 Tim. I. 3. *munda conscientia* dicitur quæ testatur de munditia animi & operum. Nam prout ea comperit, vel *accusat*, vel *excusat*. Rom. II. 15.

XCVII. Ex

XCVII. Ex *factis*, non tam *singulis*, quam eorum *tenore*, arbitratur de suo *statu* coram Deo. Secundum Deut. VI. 25. *Et Justitia erit nobis*, id est signum boni status, & juris ad vitam æternam, *si observantes fecerimus omnia hæc præcepta, coram Jehova Deo nostro.* Et I Joh. III. 7. 8. *Qui exercet justitiam, justus est, qui dat operam peccato, ex diabolo est.*

XCVIII. Quicquid dictat & arbitratur id facit *nomine Dei*, illiusque vicem: vel saltem id præ se fert. Ideoque omni conscientiæ dictamine hactenus obligatur homo ut nihil contrarium sine peccato queat facere. Involvit enim talis actio manifestum numinis contemtum, cujus vocem dehortatoriam peccator in corde vel audit revera, vel saltem se audire putat.

XCIX. In omni suo judicio de *factis* vel *statu*, *citat* hominem ad *Dei Tribunal*, ibi ulterius judicandum, & quidem secundum judicium conscientiæ. I Joh. III. 20. 21. *Nam si nos condemnet cor nostrum, nempe Deus potentior est corde, & novit omnia. Si cor nostrum nos non condemnet, libertatem loquendi habemus apud Deum.*

C. Non tamen ex his inferre cogimur, quod *conscientia errare non possit*. Quum enim animæ nostræ *facultas* sit, ipsaque hominis *mens* & *cor*: omnes autem facultates nostræ post lapsum errori obnoxiæ sint, & homines in sacris describantur תועי רוח *errantes spiritu* & נמהרי לב *præcipites corde*, qui nimis cito decernunt ac definiunt. Jes. XXIX. 24. XXXII. 4. quo privilegio excipitur conscientia?

CI. Paulus ipse satis docet conscientiam posse errare. I Cor. VIII. 7. *Sed non in omnibus est ea cognitio: nonnulli enim cum* CONSCIENTIA IDOLI *usque ad hoc tempus, ut idolis immolatum edunt, &* CONSCIENTIA *eorum* INFIRMA, *quum sit*, INQUINATUR. Quid ibi *Conscientia Idoli?* Audiamus *Cocceji* expositionem: Conscientiam idoli habere, est *judicare per Idolorum nomen contaminari res ab Idololatris, ut non liceat Dei cultori ea re uti frui; idque propter præceptum datum Israeli.* Nota, *judicium* hoc *conscientiæ* attribui: & tamen esse *erroneum.* Rursum, quid *conscientia infirma? Quæ non permittit homini, quod permisit ipsi Deus, destituta cognitione libertatis Christianæ.* Num ea errat an rectum dictat? Denique quid *Conscientia inquinata? Quæ hominem condemnat, ut peccato, & communione idoli, & idololatriæ participatione inquinatum.* Quod tamen non esset homo, si non ederet cum conscientia idoli. Quot verba, tot argumenta ad evincendum conscientiæ errorem: quem initio indicat Paulus, dicens, *non in omnibus esse cognitionem*, hoc est non omnium conscientiam bene esse informatam.

CII. Novum argumentum suppeditat versus 10. *Conscientia illius*

qui

qui infirmus est, ædificatur, (ironice) è statu non optimo ad pejorem deturbatur, *ad idolothytum comedendum:* nempe *ut conscientia ipsius quod bonum esse testari non potest, testetur bonum esse, Idolothyta comedere.* Iterum sunt Cocceji verba ad 2 Tim. 1. §. XVI. An in tali testimonio conscientiæ male ædificatæ non est error?

CIII. Equidem observavi quod notat Celeberrimus Interpres; *concurrere hic judicium conscientiæ & ignorantiam. Ignorantiam, quod præceptum de Idolothytis vitandis tam accurate, ut qui comederit idolothytum, quum non prius diligenter inquisiverit, per ea polluatur, sit certi temporis. Conscientiæ dictamen, præceptum Dei servandum esse.* At hæc mihi subtilia magis videntur quam solida. Si enim nihil aliud ad conscientiæ dictamen pertineat quam hoc unum, servandum esse præceptum Dei, quomodo ea conscientia dicitur *conscientia* idoli, & quomodo *conscientia infirma?* Nisi error ille, ignorantia illa, in conscientia ut in subjecto sit, quæ ratio dici potest cur ab illis ἀγνοήμασι conscientia denominetur? Accurate itaque loquendo, in dictamine talis conscientiæ est aliquid *veri*, nimirum parendum esse mandato Dei; est & aliquid *erronei*, videlicet mandatum Dei adhuc obligare ad tam solicitam idolothyti fugam.

CIV. Et quid manifestius, efficaciusque in hanc rem eo quod exstat 1 Cor. X. vers. 28. 29. (*conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius illius. Cur enim libertas mea damnatur ab alia conscientia?* Paulus opponit ibi duas conscientias, quarum altera pro libertate judicat, altera contra eam. Altera judicat, idolum non habere vim polluendi cibos à Deo homini Christiano ad manducandum concessos, ideoque non esse solicite inquirendum an Deo aut Deæ alicui consecrati fuerint: & recte judicat. Altera ex adverso judicat, abstinendum omnino tali cibo esse; ideoque edentem monet ne edat. Hic suadet Paulus, ut Christianus pius ac prudens, dictamine conscientiæ suæ bene informatæ contentus, usu libertatis suæ tantisper supersedeat, ne sine caussa judicetur, id est condemnetur, ab alterius conscientia, utique erronea, & condemnante quod bonum, vel certe licitum est.

CV. Audio Viros doctos monentes, *diligenter distinguendum esse inter opinionem hominis &* JUDICIUM ANIMI, *&* JUDICIUM CONSCIENTIÆ. *Non enim omne quod sentit homo, vel opinatur, vel judicat, est judicium conscientiæ. Nam in opinione & sententia hominis potest versari ignorantia & ἀσυνεσία, & sic error. Vid. Rom. 1. 21. Non quicquid judicat homo, id ex conscientia judicat. Sed quod omnibus probe consideratis cum scientia judicat. Non potest esse conscientia, ubi non est scientia.* Cocc. Sum. Th. cap. XXII. §. XV.

CVI. Sed liceat nobis opponere considerationes nostras. Secundum phrasin scripturæ *conscientia* nihil aliud est quam hominis *animus* in quantum judicat de faciendis & fugiendis; & velim mihi vel unum è sacra pagina monstrari textum ubi *judicium animi* circa τὰ πρακτὰ à *judicio conscientiæ distinguatur.*

CVII. Officium quidem conscientiæ est, ut non judicet nisi cum scientia, probe consideratis omnibus: sed non semper omnes officii sui regulas conscientia observat. Sane tunc non, quando est κεκαυτηριασμένη. 1 Tim. IV. 2. Tum enim *ratiocinationibus fallacibus à remorsu ad stuporem traducta,* uti bene V. C. ad Jes. XIV. §. LXXXIV. omittit hominem officii sui rite commonefacere. *Tales,* sic pergit Magnus Auctor, *sunt Libertini post Valentinianos, omnem metum peccati (quasi per mortem Christi omne peccatum indifferens factum esset) excludentes, & solam opinionem peccati, & quod fit cum opinione peccati, peccatum judicantes.*

CVIII. Nec idcirco desinit esse conscientia, quia destituta est solida scientia. Datur enim conscientia, uti modo vidimus, *infirma*, id est hæsitans, cæspitans, circa ea quæ cognoscenda erant: quam eodem hoc capite. §. X. ita describit Theologus Celeberrimus. *Est conscientia Præcepti Divini & timoris ac honoris Deo debiti,* DESTITUTA COGNITIONE DONATÆ LIBERTATIS. Nota, ipsi conscientiæ attribuitur ignorantia, (hanc enim eandem rem esse puto cum destitutione cognitionis) & sic ἄγνοια atque error.

CIX. Illustremus rem exemplo; & fingamus hominem pium viventem durante œconomia legali. Illius animus dictabit ipsi observandas esse cerimonias, & dictabit recte, & vocabitur conscientia. Sed pone interim promulgari libertatem Christianam, de qua ille non satis informatus est, pergit sibi idem animus dictare quod olim; & male nunc dictat; quæ caussa dici potest cur idem ejusdem animi dictamen modo conscientiæ tribuatur, nunc nescio cui rei à conscientia diversæ?

CX. Quidquid sit, tota disputatio tam calide agitata, in frigidam λογομαχίαν recidit: id enim solum quæritur, utrum animus judicans circa τὰ πρακτὰ, si fortean male judicet, conscientia dici mereatur. At quantillum hoc est? Et sic tamen puto nos scripturam pro nobis habere. Nam Paulus *conscientiam* vocat eam quæ alterius libertatem injuste damnat.

CXI. Novi aliquem qui dicit, *conscientiam illam quæ nondum informata est de libertate, non debere esse normam sententiæ suæ ut secundum eam de aliorum factis judicet.* Sic enim loquitur vernacule: quam eleganter & concinne, nunc non examinabo. At nullam; quantumvis mediter, rationem excogitare

gitare possum, cur conscientia, quæ nulli errori obnoxiam se esse postulat, minus norma sit judicii de *aliorum* factis, quam de *suis*. *Imo*, inquit, *conscientia clare dictat, non esse judicandum temere, omnium minime de fratribus, hominibus spiritualibus, idque in iis rebus quæ à solo Dei beneplacito pendent.* Verum, inquam ego, si conscientia, ad quam nulla adhuc cognitio libertatis Christianæ pervenit, homini dictet observanda adhuc esse illa dogmata, quæ olim præcepit Deus (quod conscientiam dictare in tali casu, Vir ille doctissimus adseverat) non potest temerarium judicium ei conscientiæ videri, quo arbitratur fratres suos, quantumvis spirituales, eadem secum lege teneri. Quandoquidem non dictat conscientia, eos qui sub eadem œconomia vivunt, diverso jure uti.

CXII. Instat vir Eximius, rem eam declarari posse exemplo. *Ponamus*, ait, *exercitui alicui, ab Imperatore in mandatis datum esse ut confligat cum hoste, quod dum facit receptui canitur. Qui id audiunt a pugnando desistunt; remotiores, qui non audivere, persequuntur hostem. Utrique mandato imperatoris hactenus parent.* Nolo vexare singula. Hoc unum notari velim; eos omnes qui putant sibi ex mandato imperatoris persequendum esse hostem, non posse non ignaviæ apud animum suum accusare eos, qui gladium vagina condentes passis manibus conquiescunt.

CXIII. Præterea scire aveo qua arte eludi possit illa Pauli pericopa. Tit. I. 15. *Inquinatis autem & infidelibus nihil est purum, sed inquinata sunt ipsorum & mens & conscientia.* Vidi equidem celeberrimi interpretis verba allegari, quasi ea sufficientem totius difficultatis solutionem exhiberent: sed quid futurum est, si quis seposita auctoritate rem ipsam urgeat? Nimirum, ut præclare Magnus interpres, *significat Apostolus, peccatum hominem facere impurum: &, quum homo per peccatum impurus est, tum etiam res Dei ei per peccatum impuras esse, h. e. tum hominem usu rerum Dei purarum, tanquam impurarum, inquinari & pollui. Quia peccatum facit hominem injustum, sive adimit ei jus utendi rebus Dei.* Videmus ergo, quid sit *inquinatio hominis*, scilicet *peccatum*. Pergamus: quid est *inquinatio mentis?* Iterum id dicat idem interpres: MENS IMPURA EST, *quia non amant veritatem, neque eam cognoscunt; sed tenebras amant. Mens enim significat hic quod nomine* ANIMÆ, SPIRITUS, CORDIS, *notari solet, nempe διάνοιαν & θέλημα.* Optime. Unum nunc restat exponendum; quid est INQUINATIO CONSCIENTIÆ? Hic sudat cum Magistro suo Vir quidam doctissimus, & comminiscuntur multa; sed doceri exopto, si *inquinatio hominis* infidelis, *peccatum* sit; si *inquinatio mentis*, etiam *peccatum*, sit; quæ caussa dici possit, cur *inquinatio conscientiæ* non pariter sit *peccatum?* Quum enim de *homine*, de *mente*, de *conscientia* idem prædicatur;

dicatur; singularem aliquam & vægrandem rationem esse oportet, ob quam idem prædicatum alio sensu intelligendum sit, quando *conscientia*, quam quando *homini* aut *menti* attribuitur. Quod quum nulla discriminis nota monuerit Apostolus, velim discrimen illud non dictari, sed, quod fieri oportet, certo argumento demonstrari.

CXIV. Sed audiamus quid per *conscientiam inquinatam* intelligant. I. Eam *quæ non est bona, sive quæ hominem non excusat, neque exhilarat.* II. *Quæ non potest non judicare ipsos impuros esse, & non habere per quod purificentur.* III. *Quæ non potest non terrere & incutere pavorem.* Perpendamus hæc recte. Conscientia hæc omnia faciens contra hominem peccatorem, officio suo probe fungitur, agit id quod justum, pium, sanctum est, quodque à Deo jussa est agere. An quia *sancte*, & *ex Dei præscripto* agit, *inquinata* dici meretur? idque eodem anhelitu quo *homo improbe* agens, quo *mens impie* judicans, *inquinati* esse dicuntur? Cogor fateri, hæc captum meum superare.

CXV. Non minus id quod dicam observatu dignum esse videtur. Res Dei homini impuræ sunt, quia ipse per peccatum impurus est, & quia mens ipsius per peccatum impura est. Tantum enim est peccati venenum, ut inficiat omnia quæ peccator contingit. Hæc solida, plana, & facilia intellectu sunt. Sed non æque planum est, quomodo *conscientia pie & sancte judicans*, res Dei puras, impuras homini efficiat. Bene quidem judicat, eas impuras esse peccatori, si id judicet; sed non ideo impuræ sunt quia id judicat. Tales eas esse vere judicat, quia tales sunt.

CXVI. Atque ita nunc meam de hac re, quæ communis est passimque recepta, sententiam firmavi. Ne grave sit, *Amplissime Hubere*, si præcipua secus sentientium argumenta examinem: Opponunt ergo, in vocabulo ipso esse manifestam contrarietatem: *Nam conscientiam errantem non magis dicere convenit quam scientiam errantem, quum scientia non sit nisi veritatis.* Respondeo, vitreum id acumen esse, quod dum pellucet frangitur. Facultas hæc à scientia nomen habet, quia percipit, arbitratur, judicat, quomodocunque, sive bene, sive male. Etiam cum fallit, scientiam prætendit, illiusque specie agit. Confer: Jer. XLII. 10. *SAPIENTIA TUA, ET SCIENTIA TUA IPSA PERVERTIT TE.* Matth. VI. 23. *SI LUMEN QUOD IN TE EST, TENEBRÆ SUNT.*

CXVII. Inst. *Si erraret conscientia, nulla esset in homine certa ullius rei cognitio.* Resp. Quid ni eadem sequelæ necessitate dixerim si erret intellectus aliquando, non erit ulla intellectui certa ullius rei cognitio? Imo, inquiunt, *Ratio* non magis errare potest quam *Conscientia*, quoties *clare aliquid*,

quid, ac distincte percipit. At quid illud est, *clare ac distincte percipere?* Est, inquiunt, rei alicui nihil adtribuere, nisi quod ei liquido adtribuendum est, & nihil de re aliqua negare, nisi quod liquido negandum est. Cæterum quum omnis error in eo situs sit, quod neganda adfirmentur, aut adfirmanda negentur; si dicam non errare me quando aliquid clare ac distincte percipio, perinde est ac si dicerem, secundum hanc explicationem, non errare me quando non erro. At vero in eo sæpenumero errat Ratio, quod existimet se aliquid clare ac distincte percipere, quum tamen contra sit. Injurium me esse putarem in prudentiam ac sinceritatem Magnifici vestri, si existimarem eum de hac ipsa clara ac distincta perceptione contra Nobilissimum *Wolzogium* operose disputasse, quæ non clare à se ac distincte percepta credebat: uti injurius forem in pietatem ejus, si suspicarer eum non esse secutum Conscientiæ suæ dictamen. Quæ tamen, nisi fallor, nunc paullo aliter dictat.

CXVIII. Sane Apostolus quum Rom. XIV. 5. monet ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω; per *mentem*, uti constat, *conscientiam* intelligens, innuit, & errorem posse esse in conscientia, qui admonitioni huic occasionem det, & certitudinem, ad quam jubet eniti.

CXIX. Porro urgent, non posse non ab errore immunem esse conscientiam, *quam quis communem cum Deo habet, quæ sua dictata nomine Dei proponit*, & cui *nemo sine crimine potest esse immorigerus.* At explicemus singula. Homo sua facultate cognoscente circa eadem versatur quæ Divinæ quoque cognitionis objecta sunt. Sed *Deus*, modo qui se dignus est, id est, perfectissimo, ac sine modo: *homo*, modo humano, id est, imperfecto; *homo peccator*, valde defectuose, propter eas tenebras quibus obfuscata ejus mens est. Idcirco nihil impedit, quo minus ea scientia, quam homo peccator communem cum Deo habet, suo defectu, suo vitio laboret. Porro, *Dei nomine* proponit sua, quia eam Deus tanquam sui *vicariam* in hominis mente constituit. At postquam per peccatum omnia in homine corrupta sunt, non consequitur, eam quæ Dei vicaria est, partibus semper suis rite defungi, nihilque dictare nisi quod jussa est. Quia tamen Dei prætendit nomen, & non constat falso id prætendi, palam est violati Divini numinis reum esse, qui conscientiæ suæ dictamini refragatur.

CXX. Denique id quoque alicubi invenio: *Error circa ipsa principia veri & boni non magis conscientiæ adtribui debet, quam perversa approbatio infandorum criminum in gentilibus dici debet opus legis inscriptum cordibus ipsorum. Uti in artibus certissimis, puta Geometricen, vel Arithmeticen, facile est ut quis per errorem existimet se bene mensurasse, non tamen idcirco errat Geometrice vel*

Arithmetice Cæterum si ea ratio quidquam valeat, conscientia non est consideranda ut aliqua hominis *facultas*, sed notabit *axiomata* à Deo menti humanæ indita, eritque ipsa Dei *lex* cordibus hominum inscripta. Sane sic definit toties laudatus Interpres: *Conscientia est ea insita homini lux, an lex, per quam cognoscit Deum, ac quæ secundum imaginem Dei, & contra eam sunt.* Ad 2 Cor. II. §. LXXII. Huccine ergo redibit tota disputatio, an Lex Dei conscientiæ insculpta unquam inducat hominem in errorem? At quis de eo dubitavit mortalium? Tantine idcirco movendi fuere fluctus, ut nihil diceretur, nisi quod creditum dictumque est ab omnibus? & quod dici ex iis quæ dicuntur vix intelligi potest? Ah quanto satius est otiari quam nihil agere?

CXXI. Cæterum an cum Scriptura & Ratione Recta illi Conscientiam vocant, quod aliis est Lex naturæ & Notiones æqui ac boni? Non putem. Nam uti probatum in antecedentibus, Scriptura conscientiam vocat, *cor*, *mentem*, *animam*, quæ ab insita sibi *luce* & *lege* distinguenda sunt. Lex est inscripta cordi, sive conscientiæ, non conscientia ipsa. Adde, quod attributa conscientiæ, *infirmitas*, *impuritas*, *mundatio*, *lætitia*, τὸ ἀπρόσκοπον, τὸ κεκαυτηριασμένον, atque id genus plura, *facultati* alicui bene conveniant, *notioni* aut *legi* non conveniant. Qua sermonis concinnitate, qua mente, de luce aut lege nobis insita dici potest, *purificari eam ab operibus mortuis?* Ex his, nisi fallor, palam est, nos quando de Conscientia, uti de Facultate loquimur, Scripturam, ac Rationem ducem habere.

Atque hæc quidem ego, *Amplissime Hubere*, ita secundum animi mei religionem commentatus sum hactenus. Non utique ut per πολυπραγμοσύνην quandam alienis me rebus ingererem. A quo ego vitio singulari naturæ inclinatione semper abhorrui, φιλοτιμούμενοι ἡσυχάζειν καὶ πράσσειν τὰ ἴδια. In quibus sane tantam invenio occupationum molem, quæ *per caput & circa saliunt latus*, ut foris quærendum non sit negotium. Sed veritas commune depositum est, omnium fidæ adservationi, tutelæ ac vindiciis commissum. Huic uni elucidandæ mea destinata opera est. Non certe fodicando igni, sed sopiendo: quem extinctum nunc vellem, non accensum maluissem. Neque despero futurum esse, ut in summa rei idem se mecum sentire Fratres profiteantur; controversiam de loquendi formulis magis quam de mente esse. Utinam ita sit! Sed quid obstat quo minus clare ac nitide mentem nostram exponamus, ab iis locutionibus abstinentes, quæ, ut mollissime dicam, vix est ut in sequiorem sensum possint non trahi? Nonne satis altercationum est? Quorsum datur occasio novis, in quibus ea se produnt impotentis animi indicia, quorum pudere nos debebat. An criminati-

minationibus, conviciis, contumeliis, ne in gentili quidem philosopho ferendis, promovebitur caussa Veritatis? Itane didicimus Christum: Tu, *mi Hubere*, ne sequitor, ne comitator. Generoso animo convitia contemnito. Spreta exolescunt, si irascaris agnita videntur. * Tantum jam te in virtuti studio profecisse arbitror, ut adnumerari iis merearis, quos nec *Falsus honos juvat, aut mendax infamia terret*. An ignota tibi protervia & licentia hujus ævi est, quo palmam fert ὃς μετὰ πᾶσιν ἐρίζεμεν ἔξοχός ἐστι. Faciant! nos contemnamus, & cum Demosthene decretum habeamus τὰς τῶν διαβαλλόντων βλασφημίας ἔργῳ ἀπολύεσθαι. Me quod attinet, si minus prospicienter me tetigisse Clarissimus *Wayenus* vester arbitretur, & præoccupatum errore aliquo, reconcinnandum esse, obtestor eum per communem Dominum, ut faciat id cum Spiritu lenitatis, ea vitans omnia quæ non licent Sacerdotibus pacis. Ne patiatur me se duce & auspice pro deridiculo à pueris haberi. Si nolit id dare veteri amicitiæ; at det ætati, qua ipsum anteeo; det muneri, quod uterque in pari sustinemus dignitate; det communi honestati, quam neque didicerunt neque tenent incauti juvenes, κενῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκόι. Si quid à me peccatum erit, honestius vapulare potero, & vite aliqua centurionis. Quidquid autem inceptet vester, ego me componam ad patientiam: hujus destinationis certus, ἐκ ἀντιπνέων ἀνέμοισι. & vivam, etiam ipso nolente, amicitiæ nostræ memor: in cujus dissolutione hoc me valide solatur, quod non dissenserim ab ipso, nisi postquam ipse dissensit à se; & incredibili μεταμορφώσει, novam repente indutus formam, in alia omnia ivit, ubi ipsum per animi mei religionem sequi aut comitari non poteram. Sed tempus est ut manum tollam de tabula. In voto finio. Deus Optimus ille & Maximus, Pater luminum, Doctor incomparabilis, imbuat te, imbuat me, imbuat omnes conservos nostros, imbuat cunctos electos suos, Spiritu ex alto, ut veritates cœlestes in liquida luce cernentes, idem de iis sentiamus, idem loquamur, eodem earum amore accensi per eas sanctificemur, ipsi luminaria facti in medio generationis perversæ ac tortuosæ, exemplaria modestiæ, prudentiæ, lenitatis, sinceritatis, zeli, pietatis, omnisque denique virtutis. Jehova unus sit, & nomen ejus unum in universa terra. Concurrant undique gentes, habitentque Hierosolymis: anathema ibi omne exesto: incurvent se omnes populi, honorem exhibentes Regi Jehovæ exercituum, celebraturi nobiscum lætissimum illud, ac tot piorum votis expetitum, festum Tabernaculorum. O quando exorietur ille dies, qui suspiriis filiæ Zionis imponens finem, induat eam vestibus salutis & amiciat pallio justitiæ: quo neque occidat amplius sol ejus neque luna recipiat se, sed completis diebus luctus sui Jehova

ipsi

ipsi sit in lucem perpetuam. Ἔξεχ' ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε. Vale, *mi Hubere*, & me ama. Dabam Ultrajecti postridie Kal. Dec. Anno æræ Vulgaris MDCLXXXVI.

Prorsus oblitus sum judiciosæ istius allegationis, qua verba quædam mea, ex iis quos olim publicavi de Oeconomia Fœderum Divinorum libris, ita laudantur, quasi firmandæ sententiæ illi facerent, quam tu improbasti. Quæ tamen ad hanc rem pertinere, prout mea est simplicitas, equidem non intelligo. An unquam tu in dubium vocasti, quod *Gratia* supponat *Naturam*, à se *perficiendam?* aut quod *veritates* in *Evangelio revelatæ* substernant sibi pro fundamento *veritates Naturæ notas*: aut quod cognitio quam *Natura* docet, SANCTIFICATA PER SPIRITUM, animum instructiorem reddat ad eas veritates amplectendas, quæ *naturam superant* quidem, sed *perficiunt*, tantum abest ut *destruant?* Quis unquam, mentis suæ compos, Theologiæ Naturali suam constare utilitatem negavit? Quis dubitavit, *mysteria* Trinitatis, ἐνσαρκώσεως Filii Dei, redemtionis nostræ per Christum, pro *fundamento* sibi substernere *veritates naturæ notas* de Dei Unitate, Immensitate, Potentia, Sapientia, Justitia, Bonitate? Quis asseruit, Veritates Evangelii destruere naturam; Et hoc quidem totum est, quod allegata pericopa scripsi. At quis, nisi cum ratione insaniens, hinc collegerit, Divinitatem Scripturæ non nisi ex ratione probari posse? Cæterum ne ignorent Vestri, si tanti id ipsis est, aut saltem ne ignorent alii, qui paullo de nobis clementius arbitrantur, quem usum Rationem præbere posse putem in adstruenda Veritate Evangelii, consultum duxi adjungere Orationem quandam meam, in qua πραγματικῶς de toto hoc negotio disseritur. Ibi itur in rem præsentem; ipsoque facto ostenditur, & quid subsidii Revelatio à Ratione habeat, & quantum tamen supra Rationis imperium emineat Revelationis gloriosa Majestas. Si validiora pro Revelationis Divinæ Auctoritate argumenta in Rationis suæ thesauris viri eruditissimi inveniant; bene de publico merebuntur, ea proferendo. Tunc demum ea qua pollent ingenii dexteritate rite utentur, si eam sacratissimis Religionis nostræ mysteriis, non ad suas ideas torquendis, sed illustrandis, comprobandis, vindicandis adhibeant. Hoc longe satius, ac piis hominibus jucundius utiliusque erit, quam litigiosis disputationibus oculos animosque sauciare. At nimis te moror. Iterum Vale, HUBERE AMPLISSIME.





